R.P. VINCENTIJ FASSARI ... IMMACULATA DEIPARAE CONCEPTIO, ...

Vincenzo Fassari, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
27 E
8

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. VINCENTII

FASSARI

PANORMITANI SOC. IESV,

IMMACVLATA DEIPARÆ

CONCEPTIO,

THEOLOGICÆ COMMISSA

TRVTINÆ:

AD DIGNOSCENDAM ET FIRMANDAM CERTITVDINEM EIVS.

B.FONS.AR.

Lucubratio Opuscula varia complectens.

OPVSCVLA DVO,

PRIMVM, *De Acceptione nominis Conceptionis, pro Conceptione Seminum, à prima Antiquitate, vsque ad Tempora S. Thomæ inclusiuè.*

SECVNDVM, *De Acceptione eiusdem nominis post Sanctum Thomam ad hoc vsque tempus, pro prima infusione animæ.*

Præmissa est TRVTINA BREVIOR, & subiuncta APPENDIX de Bulla nouissima Alexandri VII. Pontificis Maximi.

LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXVI.
CVM APPROBATIONE ET PERMISSV.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISSIMOS

PANORMI SENATORES

D. Stephanum Regio & Campo, Campi-franci, & Campi-floridi Principem, Ineſtræ Marchionem, à Conſiliis S. C. M. Regiique Siciliæ Patrimonij Magiſtrum Rationum, ſecundò Prætorem.

D. Marianum Algaria, D. Matthæum lo Puzzo, D. Carolum Guiffrè, & Affluto Vniuerſorum Ciuium Militiæ Tribunum. D. Gaſparem Mar. Fardella, D. Octauium Biſſo, D. Franciſcum Quingles, Senatores.

D. CAROLVS BRVNO.

FORTE alij, qui Libros offerunt, genus quoddam obſequij præſtant: & niſi offerrent, obſequioſi tantummodò eſſe deſinerent. Vnus ego, qui Vobis offero, PP. ILLVSTRISSIMI genus aliquod iuſtitiæ ſeruo: & niſi offerrem, iniurius eſſem vſque adeo, vt Veſtrum quid à Vobis auferre viderer. Hoc enim Volumen, vndecunque circumſpiciatur ſiue ab Auctore, ſiue ab Opere, ſiue à Materia, Veſtrum eſt reputandum. Auctor eſt P. VINCENTIVS FASSARI. Ille nimirum, qui ingenio, eruditione, & pietate, vbicunque fuerit, conſpicuus omnibus fuit, & celeberrimus; & licèt eas omnes dotes ſiue à Natura comparatas, ſiue collatas à Gratia occultaret per ſummum ſtudium illius virtutis, quæ proprias cuiuſque laudes premit; nihilominus verbis ipſe, ſcriptiſque ſuis, aliud tamen agens, prodebat. Cùm enim animo non alia reuolueret, niſi quæ pertinerent ad litteras & ſanctitatem, non alia vi-

ſus eſt vnquam loqui, aut vnquam ſcribere. Vnde potuit, valetudine licet ſemper afflictâ, vitaque perpetuis laboribus implicata, multa componere Opuſcula Scholaſtica, Moralia, Pia, Myſtica, quorum plurimis in lucem editis, longè plura reliquit edenda. Noui profectò multa illi fuiſſe diuinitùs impertita dona, talis fuit vita, nuſquam grauis criminis rea, & in Religione ne leuis quidem de induſtria: tale votum, maiorem Dei gloriam ad ſui Patriarchæ Sanctiſſimi exemplum, quæritandi: tale etiam niſi votum, ſtabile conſilium, inuiolatúmque propoſitum, quo rerum creatarum nec rationem habere, nec amore affici decreuerat; hæc, inquam, dona, quæ celeberrimum Hominem redderent, ignota erant, & nonniſi ſub imminentem eius mortem familiari ſuo patefacta. At Homo ſic erga Deum animatus, & à rebus creatis ſic alienus, cum vitam in ſiluis non degeret, ſed inter Homines diuerſaretur, non poterat pro re natâ, oblatáque occaſione, plurima non edere facta omnibus admiranda. Hæc igitur ex donis illis tanquam ex radice erumpentia, celeberrimum omninò reddebant: ſed mortis genus magis fortaſſe quàm vitæ ratio celeberrimum reddidit. Morti iamdudum paratus, nonniſi vultus & cordis hilaritatem vicinus exhibuit. Confeſſionẽ verò ante Sacrum Viaticum, Oleumque quam ſolùm addidit, minore abſoluit ſpatio, quàm Angelicam Salutationem abſolueremus: Quare tam promptus viſus eſt mori, vt obiuerit potiùs, quàm expectauerit extremum diem, qui vigeſimus octauus Iulij fuit Anno milleſ. ſexenteſ. ſexageſ. tertio: ætatis ſuæ ſexageſ. etiã tertio. Celeberrimus igitur Auctor eſt; & hoc mihi ſatis erat, vt Veſtrum eſſe dicerem. Quæ enim in Siciliæ Regno celeberrima ſunt, quæ Panormitana non ſint? Sed ipſe aliunde veſter eſt, cùm Panormi natus ſit, Panormi diù vixerit, diſciplinas omnes ediſcens aut tradens, ibidémque tandem ſit mortuus. Non minus quàm Auctor, Veſtrum eſt Opus, cùm veſtris ſumptibus exeat in lucem, non eſſet ad Oſculentiam, Maieſtatemque Panormitani Senatûs, hoc eſt Veſtram, ea largitio memoranda cùm exigua debuerit eſſe ad vnius Operis impreſſionem. Exigua tamen largitio quam Animus tam ingens comitatur, vt ſi maior eſſet neceſſaria, maiorem profunderet, cur eſt omittenda? imitentur hîc ſaltem ipſa munera naturam largientium: & quamuis exigua ſint ſi ſeorſim, eximia nihilominus euadant, ſi cum eximiis ſimul, vndè proueniunt conſpectentur. Venio nunc ad eam partem, quæ Veſtrum omninò facit Volumen, ſcilicet ad materiam quam continet & tractat. Hæc eſt Immaculata Virginis Matris Conceptio, quâ nihil quod Veſtrum eſt, magis eſt Veſtrum. Vos facultates, Vos commoda, Vos voluptatẽ, Vos vitam ipſam, Nominiſque gloriam Immaculatæ Conceptioni, facilè poſthabetis. Magnificum illud Sacellum, quod ſub titulo Immaculatæ

Digitized by Google

maculatæ Conceptionis, eiusque in honorem Panormi erigitur, & exornatur, vestris annuis reditibus erectum, exornatúmque, quidnam testatur? Panormitano Senatui pluris omninò esse Virginis sine macula Conceptæ decus, quàm proprias facultates. Quis autem neget paratos Vos esse vel incommoda quacumque subire, vel delicias omnes aspernari, modò in eius Mysterij cedat venerationem, quandoquidem sine vllo aliarum Vrbium exemplo, sed in omnium exemplum, commune indixistis ex Voto ieiunium ipso Conceptionis peruigilio: & inter populos frequentissimos intermixti Vrbem soletis singulis annis obire Supplicationem publicam comitantes simul & exornantes ipso Conceptionis Festo: ipsóque siue peruigilio, siue Festo totum in Templis Sacrorum Officiorum tempus summâ cum pietate versamini? Obseruatis Vrbis Vestræ decora, & incrementa, quamquam semper ampliſſima, ante oculos tamen Vestros Vestraque ex industria crescere in dies. Ab Hispaniarum & Siciliæ Rege in Panormum, tanquam in Regni Caput sæpius, quàm alium in locum videtis ad Vrbis siue commoda, siue ornamenta, siue maiestatem augendam, influere. Ex his autem effusissimæ voluptatis incitamentis multò minora exhibuistis lætitiæ signa, quàm ex diplomate quod recens edidit Alexander VII. in fauorem Immaculatæ Conceptionis. Statim enim vt cætera pietatis simul & lætitiæ argumenta prætermittam, nouam Supplicationem decreuistis singulis omninò annis publicè obeundam. Quid nunc restat, vt detis post tot tantáque in Virginis venerationem, quæ dedistis argumenta, nisi Vitam? Vitam verò proni promptique estis ad profundendam quoties sese obtulerit occasio, cùm ex Voto, quòd multis ab hinc annis concepistis, debeatis vel sanguine profuso defendere Virgineam sine labe Conceptionem. Summis autem Viris quales Vos estis, Vita ipsa dulcior est famæ celebritas. Sed hæc ipsa famæ celebritas minoris vobis est gloria Virginis. Hispaniarum Rex, cum vellet totius Vrbis regimen, quod integrum annum tractastis, probatum sibi, commendatúmque aliis demonstrare, scribens ab vndecimo die Augusti 1664. ad Prætorem, tanquam ad Magistratus Caput, vnde Consiliorum prudentia, & operum impigritia redundauerat; postquam illum, sibi Primum de more Excellentissimorum Hominum appellat, eaque subdit quæ fidissimum Ministrum & prudentissimum deceant Gubernatorem; tantum sibi gratum, præsertim ex difficillimis temporibus, regimen fatetur, vt ad gratias etiam agendas excurrat HVMANISSIMVS PRINCEPS. Has autem litteras quibus Nomen Vestrum extollitur, vsque adeò contenti potiùs merito, quàm honore, premebatis, vt eas qui non extorqueret, non legeret. Sed quia feciſtis iidem, vt Libri, sicut quicunque Conceptio-

ni obesſent, è latebris fortè erumpentes, in latebras iterum intruderentur; ita quicunque fauerent in lucem euocati, ante omnium oculos conſpectúmque diſcurrerent; iudicent alij an Panormitanum Senatum propriæ gloriæ Virginis gloriam anteponat. Atqui hoc ego iudicium expectabam, vt conficere tandem poſſem, Voluminis materiem eſſe prorſus Veſtram, Veſtrúmque propterea Volumen. Non ego igitur, qui offero, rogabo vt acceptetis: offerentem velim, tanquam ſeruum obſequentiſſimum habeatis. Panormi die primo Octobris 1664.

REVEREN

Digitized by Google

REVERENDISSIMI DOMINI ABBATIS

DON OCTAVII DE AVGVSTINO

Sacerdotis Patritij Panormitani S. T. & V. I. D. Protonotarij Apostolici, in Panormitana Diœcesi Iudicis Synodalis apud Excellentissimum & Reuerendissimum D. D. PETRVM MARTINEZ RVBIO Archiepiscopum Parnormitanum Tribunalis Visitationis Deputati, & Confessariorum Examinatoris, ac olim in Romanâ Curiâ quondam Eminentissimi & Reuerendissimi D.D. IVLII S. R. E. Cardinalis ROMÆ Auditoris.

DE INTEGERRIMÆ VIRGINIS CONCEPTIONE IMMACVLATA ANAGRAMMATA QVINQVE.

Eruta ex illis verbis. Ecclesiastici 24.

EGO EX ALTISSIMI PRODIVI PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATVRAM.

In quibus de Diuina, & Increata Sapientia sermo est, & Sanctissimæ Virgini Matri mysticè aptantur, & in eiusdemmet Conceptionis Officio ab Ecclesia Sancta leguntur.

PRIMVM.

Maria, Originali ruina exempta surgis eo primo momento; & decet.

SECVNDVM.

A culpa Originaria, & morte Deus exemit Matrem in eo primo signo.

TERTIVM.

Redemptor meus Mariam Originario seponit exitio, macula, gente.

QVARTVM.

Io! Pes Mariæ, & integer ex monstro, Originariam culpam edomuit.

QVINTVM.

Amor, nouo signo mittis Dei Matrem Originariæ culpæ expertem.

Primæ quaque Anagrammatum litteræ Venerabile Deiparæ Nomen conficiunt: Singula verò Anagrammata tot, & iisdem ex litteris constant, quot sunt in relatis Ecclesiastici verbis: purissima nempè Purissimæ Virgini debebantur.

APPROBATIO TRVTINÆ BREVIORIS.

Spectabilis Domine.

THeologica isthæc Trutina dicta Breuior pro certitudine *Immaculatæ Conceptionis Deiparæ* R. P. VINCENTIO FASSARI Auctore, tot tantaque præclara continet, ad hominem conuincentia documenta, vt omnia benè, omnia doctè, sanè omnia digna, me fateri compellat. Ob quod valdè pervtilem, ac me hercule tam studiosis quàm deuotis admodum optabilem & Typographo excudendam tradi debere; pro quo mihi suppetunt vires metipse censeo. Messanæ prid. Non. Ianuarij 1664.

V. I. D. D. ANTONINVS BISIGNANO Canonicus Messanensis Eccl.

Imprimatur. Dominici F. P.

APPROBATIO OPVSCVLI PRIMI.

Spectabilis Domine.

THeologicam Trutinam R. P. VINCENTII FASSARI, hoc primo Opusculo contentam, ad illibatam erga Beatissimæ Virginis sine labe Conceptum, vere fidelium fidem certificandam fouendam augendámque dignè sanè mente, & spiritu deuotissimè elaboratam; cum iucunditate perlegi illámque pietate, eruditione, doctrina, sed arte & ingenio super omne hactenus exaratum cunctis non modò gratissimam, at tanto Magistro profuturam diiudico. Vnde Typis demandandam pro meis profitèor viribus meritissimam. Messanæ pridie Non. Ianu. 1664.

V. I. D. D. ANT. BISIGNANO Canonicus Messanens. Eccles.

Imprimatur. Dominici F. P.

APPROBATIO OPVSCVLI SECVNDI.

Spectabilis Domine.

OPusculum hoc etsi verè pij ac quàm religiosi tam eruditi Auctoris humilitate denominatione diminutum, tamen Beatissimæ Virginis Immaculatæ Conceptionis Trutinæ hac sub Theologica examinatione ad ipsius firmandam certitudinem, nomen acquirendo vt Gygas exilit, ac aduersantium superborum cella, Christianâ assistrice Sapientiâ, conculcat. Vnde vt orbem ingrediatur, & suapte virtute praua sint in directa, & aspera in vias planas, prælo committi quantum inesse potest, opportunum agnosco. Messanæ pridie Non. Ianuar. 1664.

V. I. D. D. ANT. BISIGNANO Canonicus Messan. Eccles.

Imprimatur. Dominici F. P.

APPROBA

APPROBATIO ET LICENTIA.

NOs Abbas D.OCTAVIVS DE AVGVSTINO S.T. & V.I.D. Protonotarius Apostolicus: in Panormitana Diœcesi Iudex Synodalis apud Excellentissimum, & Reuerendissimum Dominum D. PETRVM MARTINEZ RVBIO Archiepiscopum Panormitanum: Tribunalis Visitationis Deputatus: & Confessariorum, Ordinandorum, & Prædicatorum Examinator: Ac Delegatus Excellentiæ suæ loco Spectabilis D. Ioseph. Dominici Tribunalis M.R.C. Fisci, Patroni ad concedendam Licentiam Opera imprimendi pro Regiâ Iurisdictione tuendâ.

Tractatum in Bullam, quam de Immaculata Virginis Conceptione nuper edidit SS. Dominus Noster Alexander VII. conscriptum ab admodum R.P. VINCENTIO FASSARI Societatis IESV, cùm Theologi quibus commisimus diligentissimè recognouerint, & in eo nihil quo Sacro-sancta Catholica Fides, boni mores, & Regia Iurisdictio inficiantur, inuenerint, & imprimi posse probauerint; vt Typis mandetur potestatem facimus. Immo putamus bono publico fore si quamprimùm in lucem prodeat, non solùm tanti Auctoris probatâ scientiâ, sed etiam summa erga Deiparam pietate, quâ Christi fideles summoperè ad tam pium, & sanctum articulum venerandum, & liberè profitendum, quæstionum, ac doctrinarum interpositione fidelissima suadentur. In cuius Approbationis, & Licentiæ fidem præsentes dedimus, nostrâ subscriptione munitas, & sigilli, quo vtimur, impressione roboratas. Panormi die 9. Februarij 1664.

Abbas DON OCTAVIVS DE AVGVSTINO.

EX Commissione Reuerendissimi Abbatis D. Octauij de Augustino, legi Tractatum P. VINCENTII FASSARI Societatis IESV in Bullam, quam nuper edidit Sanctissimus Dominus Noster Alexander VII. de Immaculatâ Virginis Conceptione: & in eo nihil reperi vel contra Fidem, vel contra bonos mores, vel contra Regiam Iurisdictionẽ, quinimmò passim obseruaui Scriptoris pietatem, ingenium, & eruditionem singularem. Quare, vt multi pietatem imitentur, ingenium suspiciant, & eruditionem edisc ant, censeo debere in lucem proferri. Panormi die 8. Februarij 1664.

CAROLVS LOMBARDVS Societatis IESV.

APPROBA

APPROBATIONES.

IOSEPHVS CASTELNOVVS PROVINCIALIS Societatis IESV *in Sicilia.*

CVm Librum cui Titulus est *Trutina de gradu certitudinis Immaculatæ Conceptionis Deiparæ*, à Patre VINCENTIO FASSARI Societatis Nostræ Sacerdote compositum, tres eiusdem Societatis Sacerdotes, quibus à nobis commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultate nobis ab admodum R.P. Gosuuino Nichel Præposito Generali communicata, concedimus, vt typis mandetur, si ità iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac sigillo nostro munitas dedimus Panormi 16. Iulij 1658.

IOSEPHVS CASTELNOVVS.

COSMAS SCAMMACCA Rector Collegij Syracusani Societatis IESV. Omnibus præsentes literas inspecturis fidem facio, quod hæ patentes literæ sunt fideliter transcriptæ ex Originali apud P. VINCENTIVM FASSARI Societatis IESV, hîc Syracusis degentem. In cuius fidem has literas manu mea subscriptas, & sigillo nostræ Societatis munitas dedi Syracusis 3. Martij 1659.

COSMAS SCAMMACCA.

AD ILLV

AD ILLVSTRISSIMVM, ET SACRVM ORDINEM RR. Fratrum Prædicatorum.

NOLLEM videri in hac mea Theologica Trutina, SAPIENTISSIMI PATRES, benemerentissimi ex antiquo tempore Scholasticarum disciplinarum Antesignani, primæua Theologiæ lumina, magnarum Academiarum antiqui Magistri, Ecclesiæ Romanæ Doctores præcipui, sanctissimi aduersus Hæreses Magistratus, diligentissimi Præsides, Apostolicæ Sedis Coadjutores perpetui in Sacra Doctrina Populis imbuendis, flos omnis sanctitatis & scientiæ, Ecclesiæ Catholicæ eximium Decus, & ornamentum: Nollem, inquam, videri sub specie defensionis, & propugnationis pro Immaculata Dei Parentis Conceptione, cum Nobilissimo vestro Ordine arma conserere, atque ei vel aliquid summi sui splendoris detrahere. Quasi verò contra sententiam insitam propriamque, & vt ita loquar, vestri Ordinis Characteristicam, in hac lucubratione meâ ab Aristarcho quopiam dicar perpetuo inuehi; nec aliud quidpiam antiquius habere, quàm eam sententiam à vobis patrocinatam susdeque vexare, dictis carpere, inuidoque dente mordere: sed auertant Superi nefas, neque enim de religioso Viro tantum scelus suspicari licet, cui solemne est Catholicæ Religionis transfugas scriptis inuadere, non autem benemerentissimos Viros iniuriis lacessere. Sed pergit Aristarchus vrgere, nónne Libellus infamatorius Ordini dignissimo attribuetur? nónne Conceptus Immaculatæ certitudo dum asseritur, oppositæ sententiæ omnis omninò species probabilitatis adimitur? adeóque per vniuersum Christianum Orbem longè latéque disseminatæ Familiæ maxima dedecoris, & ignominiæ nota inuritur?

At sileat, & penitus conticescat Momus iste, qui dedecus, & ignominiam refundi Sacro Ordini censeat, & sapientibus, & piissimis Viris id persuadere se putet. Et primò quidem addictissimus Virgini censendus est Ordo ille, vndè tametsi existimasset maculatam in suo Conceptu fuisse Deiparam, modò lætitiis omnibus incederet, validis rationibus oppositum perspicuum fieri exoptaret, & prolabentium temporum cursu, sua etiam dicta à probabilitate deiici, vellet dummodo id ipsum in honorem Dei Genitricis cederet. Quod si aliquod eius nomini eiusmodi dedecus impingeretur (quod sanè nullum poterit illi contingere) magni profectò & proprio etiam dedecore emenda est gloria Virginis, & maximo sibi vertet honori, si ex sui depressione Virginis grande decus augeatur. Tantam verò extitisse erga Dei Parentem totius Ordinis Pietatem, & Matris loco habitam fuisse in Historiarum monumentis lego, & ex cœlestibus muneribus largè eidem diffusis mihi persuadeo. Quare pro certo habeo quod si quando aliter sensisset, omnibus semper votis optauerit rem aliter se habere, & Conceptionem Virginis sine vlla Originalis macula reperiri: Si enim hæc vota fuêre in Petro Cellensi Episcopo Ardentiæ, ardentiora futura fuisse in amantissimo Virginis Ordine coniicio, & ardentissimè Petri Cellensis verba *Ep.10.quæst.6.* voceſque ingeminarent. [Cataractas Cœli & fontes abyssi libentius in obsequium Virginis soluam quàm clauderem, & si filius eius aliquid omisisset, in prærogatiua suæ Matris, ego seruus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem de affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam nostram: antè eligerem non habere animam, quàm veilem eius extenuare gloriam.] Nec deerunt sapientissimo Ordini rationum pondera hæc exoptandi, & pronunciandi, cum doctissimos Viros minimè lateat plura esse magna & ignota in Virgine quàm ea quæ omnibus innotescant, iuxta illud: *Fecit mihi magna qui potens est:* Vndè rectè prosequatur. [Credo & confiteor plura esse apud nos ignota de Virgine Sacro-sancta, quàm nota, confortata

est

est gratia & gloria, & non possumus ad eam, Euangelio non insomniis, de illa credo, & si aliter sapio: *Et hoc ipsum reuelabit Deus quando voluerit.* Interim autem dum fit vox super Firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum, pennas submitto, & meæ ignorantiæ caliginem non à te, sed à Patre luminum illustrandam imploro.] Dicebat Petrus Nicolaus Monachus de Sancto Albano: & sacer Ordo dicet. Et certè quis obsequentissimus Virgini non existeret præ gaudio, si fortè apparentibus rationibus commotus, aliquid minus honorifici de Virgine scripsisset, & extimasset, digniori verò lumine edoctus agnosceret honorabilius quid de Virgine dicendum, & prædicandum, licet perantiqua opinio, cui firmiter adhæserat, maximo cum rubore reiicienda esset? quos quantosque Viros id egisse comperimus. Testes locupletissimi sunt Alexander de Ales, Albertus Magnus, & Sanctus Bonauentura, necnon innumeri Concionatores, qui pro maculata Conceptione pugnauerant, & superiori lumine edocti è propriis castris transfugæ Virgini Immaculatæ dimicarunt. Integerrimum Virum Aloysiæ de Puente, cuius corpus suaui odore dimanans, integrum seruatum est, fama percrebuit, adeò sententiam prius habitam de macula Virginis in sui Conceptione retractasse, vt toto vitæ tempore erubuerit, pedibus in eam sententiam iisse, & hoc rubore non abiecto, sed electo, semperque seruato gloriam Virginis cuilibet dedecori antepositisse; vsque adeò verum est amantem amici bona quærere, non sua. Sic Hieronymus licet senior cessit tandem non sine aliquo rubore rationibus Augustini iunioris in materia Circumcisionis, & veritati obsequium præstare cupiens, qualecumque dedecus subire non detrectauit. Licet veritati seruire, non turpe seruitutis nomen, sed glorioſum honoris titulum promeretur. Sic Apostolici Senatus Princeps Petrus, qui Paulo obiurganti ne verbum quidem excusationis protulit, ratus se reprehensibilem esse. Sic PRÆCLARISSIMI, ET SERAPHICI Ordinis Fratres qui Pij II. tempestate sic adhæsere sententiæ quæ docet Christi Domini sanguinem de corpore fusum, à Diuinitate fuisse dimissum, vt pro ea nomine totius Ordinis apud eundem Pontificem propugnauerit Sixtus IV. eo tempore Purpuratus Pater: at prolabentium temporum cursu ab hac firma adhæsione se subtraxerunt, conspicientes cæteros Doctores, & Ecclesiam magis inclinare ad existimandum talem sanguinem reassumendum, non fuisse à Diuinitate vnquã dimissum. Quare sine vlla definitione Pontificia, Ecclesia ferè vniuersa pro sanguine fuso de corpore Christi, sed non à Diuinitate dimisso stat dignissimo exemplo in hac re dato à Seraphico Ordine, qui veritati sese submisit, nullamque Pontificiam definitionem expectauit. Quod autem nulla sit definitio huius Dogmatis patet, quia Pius II. paucis antè diebus, quàm è vita decederet Bullam condidit, in qua vetuit contrarias in hac re sententias posse vllã censurã notari, sed vnumquemque quam vellet, amplecti posse, nec Tridentinum, vt benè notat Arriaga, in hac re scimus quod aliquid definierit. Quamobrem maledicus iste de Aristarchi grege obmutescat, qui dum de maiori gloriã Virgini comparandã sermo est, Sapientissimum Ordinem de partã suo cum dedecore victoriã contristandum simulet, cùm potiùs illum lætari deceat, dum supra basim sui dedecoris Dauidicæ turris gloria superædificatur, qui potiùs esset æstimandus exilire præ gaudio cùm amissio gloriæ propriæ cedat in adeptionem excelsioris honoris, & decoris Beatissimæ & communis Matris.

Præterea toto aberrat cœlo, & egregiè fallitur quisquis erit, qui sententiam maculantem Dei Matrem adscribit Sacræ Dominicanæ Familiæ, vt totius Ordinis propriam, & à quolibet illorum Patrum mordicùs patrocinatam, cùm liquidò constet nunquam Decretum aliquod prodiisse, quod Sancti Dominici alumnos cogeret ad hanc sententiam defendendam, nec vnquam in vnum sensum conspirasse omnes ad propugnandam. Quæ sanè duo facerent, vt sententia quædam dicatur propria, & peculiaris Ordinis. Sic olim in Societate nostra cum Sapientissimi Patris Ludouici Molinæ nomen apud Sacram Congregationem Romanam delatum esset, eo quia docuisset plures sententias temerarias parum tutas in fide, scandalosas erroneas, & vno verbo Pelagianas. Tota Societas volens Doctissimum Patrem ab omni nota censuræ vindicare, statuit illam vnius hominis sententiam, tanquam totius Ordinis propriam propugnare, loquor de sententia, quæ Prædeterminationem Physicam ablegat

à voluntate liberi operatè, ideóque sententia illa Iesuiticæ opinionis nomen induit,& vulgò deinde eo semper,nomine est appellata,quia ea tepestate Roma scriptum est ad omnes Prouincias,compertumque est Doctos omnes Viros ex nostris, cunctosque Scholasticarum Disciplinarum Professores,nulla conuentione factâ ab eiusmodi Prædeterminatione ante vsum liberi arbitrij penitus abhorruisse. At nihil huiusce modi dici vnquam poterit de sententia Maculæ Virginis in Sacro Vestro Ordine, imò apertè de ea oppositum scimus, quod scilicet per Decretum Capituli Generalis habitum Bæticæ,declaratum fuit, hanc Opinionem veluti scandalorum seminarium non evulgari,tantumque abest vt à Magistris, & Doctis Viris omnibus Præclarissimi Ordinis fuerit amplexata;vt primũ lac,quod hausit de hac Doctrina à Sancto suo Fundatore Dominico ex grauibus testibus referatur,fuisse de Immaculato Cõceptu Beatissimæ Matris,Officio& Missâ de eo celebratis provt antiqua Ordinis Breuiaria referunt, & nos latè referimus *Opusc.*7. testante Raimundo Lullo *in prologo Tract. de Concept.*[Contigit quod sedens in choro Fratrum Prædicatorum Auenione 7. mensis Decembris anno 1250. sæcularis quidam, & pauper Canonicus dum Vesperas Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ Fratres solemniter celebrarẽt:]Et de reliquo liquidò constat Antiquiores etiam Magistros exeo dem Ordine fere S. Thomę coquos,eumdem sensum habuisse immaculati Conceptus,hi meritò referuntur fuisse Ioannes Bromiardus,Vincentius Cassali,qui floruit anno 1217. & Belluacensis anno 1244. Iacobus de Voragine cum Arnaldo de Volusiano Magistro Sacri Palatij 1296. & post hæc prima tempora Bartholomæus de Pisa Taulerus,Petrus Ieremias,Stephanus Aurelianensis,Ioannes de Viterbio, B. Ludouicus Beltramus,& alij innumeri postillos;vnde recensentur proimmaculata Conceptione propugnasse quinque Generales Familiæ Dominicanę,inter quos eximia ingenij luce præfulsit Catherinus,maximis laudibus condecoratus ab Vniuerso Concilio Tridentino, & duodecim Magistri Sacri Palatij,quos sequuti sunt,& sequuntur hodie per vniuersam Ecclesiam valdè complures, qui numerari non possunt,& sub idem ferè tempus testatur Catherinus,quod Transalpini Fratres Prædicatores Magistris Italis Doctrinâ non inferiores,eumdem tensum Immaculatæ Conceptionis complectebantur. Quare nulla prorsus ratione dici potest sententiam Maculati Conceptus Deiparæ fuisse propriam Dominicani Ordinis. Quare si contra eam hîc inuehimur,nullo modo contra sententiam Sacri Ordinis Dominicani dici possumus inuehi. Quamobrem causâ cadit Aristarcus, perspicuæ falsitatis reus. Sed vt penitus ora maleuici obstruantur,esto Maculatæ Conceptionis sensus proprius sit Sacri Ordinis Dominicani,cõtra quem inuehimur, ideóne dignissimo Ordini contumelioli erimus,si cum communi receptiorum, & antiquiorum sensu improbabilitatis notam suprà aliatæ sententiæ impingimus. Quando ergo Patres Hieronymus & Augustinus,Epiphanius & Chrysostomus ad inuicem sua dicta mordebant,iniurioli vicissim fortitan erant, qui animo,& amore coniunctissimi vmbratili ingeniorum pugna existimatum errorem insectabuntur acerrimè quãdo itidem Sacri Doctores eiusdem Ordinis Sancti Dominici nostram sentẽtiam de gratia efficaci non sine ingenti acrimonia insectantur, eamque vt falsam agnoscunt, & pronunciant, nobis & Societati nostræ iniuriam inferunt. Certè nunquam nec Societas nostra, nec nostri Doctores sibi iniurios vnquam habuêre eos qui arguendo sententias nostras acriter impugnauêre, & pondere rationum moti censura dignas notant,non propterea ab eis Societatis nomen lædi existimamus vnquam: Vnde simili ratione Vobis & Sapientissimo Ordini Patres Societatis rependunt vices si in animum inducatis vestrum,nos vestri nominis offensores,& nos hostium loco habituros.Nam si æquâ rationum lance pensabitis, nihil communius apud modestissimos Doctores inueniri,quàm veritatis defensione obarmati ponderibus rationum sententias acriter confutare, censuris notare & perpetuo Academianum exilio multare;quod multo sanè consilio factum esse dixeris vt scilicet à falsitate amplectenda abhorreant cæteri, vt fides nostra purior seruetur, & dissectis errorum tenebris pulchrior appareat veritas, quandoque ex tenebris clarior arridet dies. Nos autem hos censurarum aculeos in hac nostra scriptione non prętermisimus,quia maiorum vestigia premimus,quorum scripta aculeatis verborum dictis conspersa conspicimus. Accedit præsertim ratio,nam si eas censurarum notas missas faceremus,videremur profectò debitas iustasque cẽsuras dictis maculantium Conceptum Deiparæ iniustas vel,indebitas vel minus æquas diiudicare,cum præiudicio nobilis veritatis Immaculati Conceptus,qui concernentia & se tuentia non haberet satis firma, quæ

ſua contradictoria ſeruaret à cenſuris intacta: Præterea aliqua ratione iniurij eſſemus Nobiliſſimo Diplomati Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri VII. qui complura, quæ circumferebantur dicta attinentia ad aliquas veritates cum illa Immaculatæ Cõceptionis connexas, declarauit vt certa, ac proinde damnationi Theologicæ vel hæreſis, vel erroris, aut temeritatis tradidit contradictoria aſſerta. Quare conſideratis huiuſcemodi cauſis aculeatè hîc aliquando ſcripſimus, nunquam autem animo lædendi, aut deprimendi quemuis ex Doctoribus præclariſſimi Dominicanorum Ordinis Sancti Patriarchæ, & aculeata tela non eò direximus nempè ad dilanianda effata aliqua minus dignè diiudicantia de Immaculata Conceptione Deiparæ, non ad Doctrinarum Auctores dictis feriendo, eoſque vel erroris aut temeritatis, vel proteruię, aut audaciæ, vel impudentiæ, aut ignauiæ arguendos. Carpſimus enim ſola eorum dicta, non ſapientes viros laceſſiuimus, vt pote qui non ſingularis ſapientiæ quidquam, nec præſtantiſſimum ingenij acumen, nec nominis vmbram detraximus. Aculeis nos vſos eſſe veluti raſtris non inficior, quibus non litterarios pugnatores confoderemus, ſed veritatis aurum effoderemus.

Sed neſcio quis Ariſtarchi de grege in aurem obſuſurrat hæc verba: Laruatam, & ſimulatam pacem cum Sanctiſſima Dominicana Familia profiteris, ſpecie honoris, & laudis, re tamẽ ipſa maledicta diffundis, dum ſub roſeo verborum ſono ſpinoſi latent igniculi. Proh ſtultum caput! Nec primoribus quidem labris Philoſophicos latices te guſtaſſe crediderim, quippe te latet litteraria in Paleſtra decertantes non Marti, ſed Palladi propugnare, plus ſudoris, quàm ſanguinis effundi, non armorum, ſed ingeniorum velitationes eſſe, & ſine ſanguine emptam victoriam neſcis? Quare in huiuſcemodi præliis non vires lædimus, ſed dicta retundimus. Neſcis perantiquos Academiarum mores, vbi non diſtricto gladio, ſed aculeatis dictis ſatis ſuperque dimicatur? Neſcis Sapiẽtiſſimi Platonis Ideas vſque adeò Philoſophicis viris inuiſas, vt ſibilis exceptas, longè lateque exularint, nec ideò magnum, ac propè ſingulare Platonis ingenium carpimus, imò ſuſpicimus, & demiramur? Neſcis Sanctiſſimi Patriarchæ Ignatij Loiolæ celeberrimum effatum, qui ſuorum dicta reprehendens, numquam eos hoc vel illo vitiorum laqueo irretitos dixerit, ſed ſolas actiones hac vel illa vitij tabe infectas affirmabat? Neſcis Theologicarum diſciplinarum Anteſignanos Thomam & Bonauenturam, ſæpè ſæpius in eorum ſcriptis multorum propoſitiones erroneas, temerarias, hæreticas pronunciaſſe. Quare ſi Maiorum veſtigia inſector, nihil mihi crimini dandum eſt. Quamobrem firmum fixumque maneat, omnibuſque perſpicuum ſit, vt ſi quid in hac lucubratione, alumnorum Præclariſſimi Ordinis Dominicani, dicta acriter momorderim, id non prolatum vllo pacto fuiſſe ad contumeliam inferendam, de quo Deum aduoco veraciſſimum teſtem, ſed ad veritatem enucleandam, vt ſcilicet integerrimum Immaculatæ Conceptionis Sydus clariùs præfulgeret.

SYLLABVS

SYLLABVS
QVÆSTIONVM ET DIVISIONVM
Appendicis Opusculi secundi.

QVÆSTIO PRIMA.

De definitis de fide, vel secundum fidem certis, concernentibus ad certitudinem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ in hac Bulla Sanctissimi Domini Alexand. VII. fol. 62

DIVISIO I. AN in hac Bulla SS. Alexandri VII. aliqua concernentia ad Immaculatam Conceptionem sint definita de fide. ibid.

II. An sit de fide, vel secundum fidem tenendum, sensum immaculatæ Conceptionis esse antiquum in Ecclesiâ, & qualis & quanta hac antiquitas intelligenda sit. 67

III. An sit de fide, vel secundum fidem certum, Summos Pontifices fauere cum Ecclesiâ Romanâ Immaculatæ Conceptionis sententiæ, & quâ ratione constet non fauere sententiæ oppositæ. 70

IV. An sit de fide, vel secundum fidem certum, quod Religiosus aliquis Ordo fundatus fuerit in confirmationem sensûs Immaculatæ Conceptionis. 75

V. An item sit de fide, vel secundum fidem certum, quod Indulgentiæ sint concessæ à Pontificibus ad confirmandum sensum Immaculatæ Conceptionis. 78

VI. An de fide, vel secundum fidem sit certum, quod Officium Nazarenum sit approbatum, & in approbatione perstet Ecclesiæ Romanæ. 81

VII. An sit de fide, vel secundum fidem certum, sententiam de Immaculatâ, esse saltem magis probabilem oppositâ; magis amplectendam & magis persuadendam quàm sit contraria, & quæ corollaria indè sequantur. 83

VIII. An de fide, vel secundum fidem sit certum, quod Sententia de Immaculatâ Conceptione sit pia, quâque ratione maneat oppositam non esse piam. 89

IX. An item de fide, vel secundum fidem, omnes ferè Catholicos stare pro sensu Immaculati Conceptûs, & quantum ponderis det hac vnanimitas, & vniuersalitas sensus omnium ferè Catholicorum ex certitudini eiusdem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ. 95

X. An sit de fide, vel secundum fidem certum, vel solùm iudicialiter; quod scandala, & iurgia communiter exorta in Ecclesiâ in hac materia, prouenerint præcisè ex sensu Maculatæ Conceptionis. 97

XI. An sit de fide, vel secundum fidem certum, quod sententia de Immaculatâ Conceptione non sit dubia sed certæ veritatis, saltem moraliter. 107

QVÆSTIO II.

De sensu Ecclesiæ circa Immaculatam Conceptionem. 110

DIVISIO I. AN Ecclesia Romana sentiat Conceptionem Virginis Immaculatam, seu quòd anima B. Virginis in primâ sui creatione, & infusione in corpus fuerit ab Originali præseruata. ibid.

II. An Ecclesia Catholica sentiat Animam Sanctissimæ Virginis in primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus fuisse ab Originali præseruatam. 115

III. An sit de fide certum, Ecclesiam Romanam colere Immaculatam Conceptionem sub sensu Immaculatæ. 119

IV. An sit de fide Catholicam & Vniuersalem Ecclesiam sentire Conceptionem Virginis fuisse Immaculatam. 122

QVÆSTIO III.

De certitudine fidei concedendâ, vel neganda sententiæ Immaculatæ Conceptionis. 127

DIVISIO I. AN possit dici definita de fide sententia de Immaculatâ Conceptione Deiparæ, & quis error sit eam dicere definitam de fide. ibid.

II. An sit censenda, vel possit censeri aliundè

Syllabus Quæstionum, & Diuisionum.

aliundè de fide certa Immaculata Conceptio. 130

III. *Quis error sit asserere certam de fide Immaculatam Conceptionem.* 142

IV. *An censurare vt speculatiuè temerariam sententiam maculantem Conceptionem Virginis meré actu interno, sit peccatum mortale, post Bullam Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII.* 145

QVÆSTIO IV.

De Celebratione Festi Immaculatæ Conceptionis sub sensu maculatæ in Originali. 149

DIVISIO I. *AN sit peccatum mortale celebrare Festum Conceptionis in contrario sensu ab eo Vniuersæ Ecclesiæ, qui est Præseruationis Virginis ab Originali, eiusque emaculationis ab omni peccato.* 150

II. *An sit peccatum mortale, celebrare Immaculatam Conceptionem in sensu præscindente ab eo, quod fuerit Immaculata, vel maculata.* 158

QVÆSTIO V.

De sensu venialiter peccaminoso, vel licito in sententia affirmante Originale in Deipara. 160

DIVISIO I. *AN & quando possit intervenire veniale peccatum in electione alicuius sententiæ siue Philosophicæ, siue Moralis, siue Theologicæ.* ibid.

II. *An sit peccatum veniale sentire Conceptionem Virginis fuisse in peccato Originali.* 163

III. *Solvuntur obiectiones, quæ possunt fieri contra peccatum veniale attributum sententiæ maculanti Deiparam culpa originali.* 166

QVÆSTIO VI.

An ex vi huius Bullæ Sanctissimi Alexandri VII. confirmatæ sint ambæ Extrauagantes *Grauc nimis*, olim editæ à Sixto IV. 168

QVÆSTIO VII.

De Præcepto obligatorio ad publicationem huius Bullæ, an ea esset facienda Populis à singulis Prædicatoribus Diœcesum. 171

QVÆSTIO VIII.

De Priuilegio prætenso obloquendi contra Immaculatam Conceptionem Virginis totaliter abolito per Bullam Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII. 176

QVÆSTIO IX.

Quæ & quanta certitudo ex hac Bulla accreuerit sensui Immaculatæ Conceptionis. 178

DIVISIO I. *AN ex vi huius Bullæ sit concessa facultas opinandi contra sensum Immaculatæ, vel saltem non ablata.* 179

II. *Ad quem gradum certitudinis peruenerit sensus Immaculatæ Conceptionis ex vi nuperrimæ Bullæ Sanctissimi Domini N. Alexandri VII.* 180

III. *An sensus Immaculatæ Conceptionis ex vi huius Bullæ sit tenendus vt infallibiliter verus.* 182

QVÆSTIO X.

De Damnatione superueniente aliquibus propositionibus enunciantibus contra Immaculatam Conceptionem ex dicta Bullâ. 184

DIVISIO I. *AN sententia, quæ celebritatem Conceptionis refuderit in meram gratiarum actionem de primâ formatione Corporis Beatæ Virginis, damnata remaneat, & quâ censurâ sit digna.* 185

II. *An sententia quæ tradit celebrari ab Ecclesiâ Romanâ Conceptionem Virginis carnalem in ordine ad Sanctitatem futuram in animâ Deiparæ in secundo instanti post primam animationem, maneat damnata per hanc Bullam.* 186

III. *An sententia quæ affirmat solam sanctificationem*

Syllabus Quæstionum, & Diuisionum.

Cōceptionem, seu conceptionem Virginis spiritualem celebrari ab Ecclesia Romana, remaneat per hanc Bullam damnata, & quam censuram mereatur. 187

IV. *An sententia quæ sanctitatem & cultum Virginis datum in sua Conceptione ab Ecclesia tribuit pro primo vel secundo instanti suæ animationis, disiunctiuè remaneat damnata per hanc Bullam.* 189

V. *An ex vi huius Bullæ maneat damnata sententia, quæ tradit Ecclesiam colere in Virgine sanctitatem in prima eius animatione, tanquam obiectum secundarium huius sui cultûs, cùm primarium sit absoluta eius Sanctitas.* 190

VI. *Conceruantur propositiones aliæ Aduersariorum, quæ relinquuntur damnatæ ex vi huius Bullæ Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII.* 192

AD LECTORES AVCTOR.

INTERRVMPO vastum Opus, quod aggressus sum, & prosequor de gradu certitudinis, quam Immaculata Deiparæ Conceptio continet, commissum Theologicæ TRVTINÆ, qua circa materiam hanc quæ huc vsque dicta sunt omnia expenduntur, vt quæ concernant ad Immaculatam Virginis Conceptionem non solùm defendantur, & ab omni oppositione prorsus eximantur, sed etiam clariùs illustrentur, & ferè penitus euincantur, nouis additis supra ea, quæ Doctores hactenus scripsêre. Interrumpo inquam grande hoc Opus aliqua ex parte iam Typis datum, sed maiore ex parte dandum, si vita, Deo volente, protrahetur, vt nobilissimum Diploma à Sancta Sede nuper editum die 8. Decembris Anno 1662. per Sanctissimum Dominum Nostrum Alexandrum VII. explicem, disputémque, & ostendam quanta pro Immaculata Conceptione præstiterit, eiusque certitudinem ad quantum altitudinis gradum prouexerit. Vndique enim, siue ab Italia, siue ab Hispania auditur Aduersarios seriò affirmare nihil in hac Bulla pro Immaculata contineri, nec per eam noui aliquid Ecclesiæ tradidisse Sanctissimum Pontificem, sed antiqua solùm renouasse, & confirmasse. Vnde non verentur & superuacaneam facere Bullam, & Sapientissimum Pontificem inutiliter omninò industrium, quasi fauores, quos augere volebat, augere nescierit, & nonnisi verbis plenas, donisque vacuas multiplicauerit chartas. Pro Sanctâ ergo Sede acuendæ sunt pennæ, & vox illa intra fauces Aduersariis intercidenda, ne foras iterum erumpat. Et iam audio apud Hispanos acui, & aliqua eorum scripta iam legi, postquam absolueram, quæ ego paraueram. Hæc autem cura, quæ ad Aduersariis ora opprimenda tendit, peculiari quodammodo incubuit mihi; cùm enim totam de Virginis Immaculata Conceptione materiam aggressus sim discutere (licet propter eius vastitatem videam non posse me omnia quæ cogitaueram, posteritati demandare) non debebam hanc Bullam, quæ rem nostram validè confirmat, omittere: nec poteram in ipsa explicanda aliquantulum non immorari. Nec explanatio ipsa, quam Operi interpono, quidquam nocet, aut ordinem disputationum interturbat: Nam eò impressionis peruenerat Opus, vt secundum tantum Opusculum

fuerit

fuerit absolutum. Secundo autem Opusculo explanatio Bullæ opportunè succedens, velut eius Appendix habenda est.

Duo autem in hac explanatione præsertim tractabo. Primum, Bullam per paragraphos dissectam explicabo, & inde confirmationes quàmplures Apostolicas eliciam, quæ certitudinem purissimæ Conceptionis adaugent. Secundum, varia disputabo per plures Quæstiones, in quibus maximè ostendetur quanta hîc extra controuersiam ponat Pontifex, & decernat, non quæ faciant de fide ad principale intentum, sed quæ illud magis in certitudine roborent, & ad vltimam definitionem, quam breui spero, disponant.

PROTE

PROTESTATIO
CIRCA REVELATIONES
ET MIRACVLA
QVÆ IN HAC
TRVTINA THEOLOGICA

EXPENDIMVS, IVXTA DECRETVM SACRÆ CONGREGATIONIS S. Romanæ & Vniuerſalis Inquiſitionis 1625. promulgatum, anno 1631. declaratum, & tandem confirmatum anno 1634.

OMnia & ſingula miracula & reuelationes quæ in tota hac Trutina habentur, bona fide à nobis deſumpta ſunt, & ſenſu immutato ex Auctoribus ſuis locis citatis, quos agnouimus fide dignos, & veritatis aſſertores, nec eorum narrationibus aliquam auctoritatem tribuere intendimus, præter illam quæ ipſis Scriptoribus & aliis humanis hiſtoriis tribuenda eſt: & rurſum, quamuis aliqua miracula & reuelationes ſumpſerimus ex Officiis, aut aliis ſcriptis à Sede Apoſtolica recognitis, eorum tamen certitudinem ad vlteriorem gradum non promouemus, niſi ad eum in quem ipſamet ſancta Sedes ſua recognitione collocauit. Reliquis verò priuatis monumentis, vel dictis, eam tantum fidem tribuimus, & habendam eſſe proteſtamur quæ humanis teſtimoniis merè deferri ſolet & conuenit; ita vt per noſtra hæc Scripta nulla prorſus via prætendi poſſit aperiri ad nouum cultum, nec ad Canonizationem, beatificationem, miraculi comprobationem martyrij vel ſanctitatis opinionem, aut famam alicui conciliandam, aut ad hoc vt ad ſimile quid deueniatur & gradus fiat, ſed cuncta ad Religionem & cultum ſpectantia, in eodem ſtatu & terminis permanere volumus ac ſi præſens ſcriptum non eſſet in lucem editum. Ita ſanctè iuxta prædictas Apoſtolicas Conſtitutiones teſtamur & profitemur; omniaque hæc, & quæcunque alia impoſterum edenda, ſi quæ erunt, Sedis Apoſtolicæ iudicio & correctioni, omni animi demiſſione, impenſáque voluntate ſubdimus.

THEOLOGICA TRVTINA BREVIOR,

PRO CERTITVDINE Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

VASTVM opus noſtræ Theologicæ Trutinæ definientis circa immaculati Conceptus certitudinem, breuiorem aliam pro magnis Miniſtris Eccleſiæ, in innumeris & grauiſſimis diſtentis negotiis, requirit; quæ iam præſto eſt ipſis aliiſque Doctoribus; qui quod fusè legerint in Opuſculis reſcriptum in paucis habeant & indoctioribus communicent in vna vel altera Trutinatione, quas ſucceſſiuè dabimus de quolibet Opuſculo.

TRVTINATIO I.

De primæua ſignificatione nominis Conceptionis in tota Antiquitate vſque ad Scotum excluſiuè, ſtantis euidenter pro conceptione carnali, atque adeo deſtruente omnia præcipua fundamenta Aduerſantium Immaculatæ Conceptioni, eámque itidem proclamante ſine vera macula.

§. I.

Notatur admodum rectè, dari initia diſceptationibus, ab explicatione nominum ex vſu Doctorum præſertim Catholicorum.

1. CElebritas, ſolemnéſque diſceptationes congrua capeſſere exordia ex primæua & naturali ſignificatione nominum, frequentiſſimè certe iuuat, ſæpenumero autem id non parum expedire, nec raro etiam, maxime oportere, videlis an quis poſſit ambigere? ſicuti enim vocum apta cuique rei attributione extricantur; ita indebita ineptáque applicatione, implicantur controuerſiæ. Vnde Sanctus Thomas *Opuſc. 73. initio* tradidit [cum nomina ſint ſigna rerum, & ipſas res nobiſcum ferre non poſſumus in diſceptatione veritatis ipſarum: ideò ipſis nominibus pro rebus vtentes, neceſſe habemus ſcire quid ſignificent.] Hinc apertè Sanctus Doctor, aliíque

sapientissimi Doctores ab explicatione nominum, præstantibus etiam præbent initia quæstionibus.

Præteri quæ sequuntur vsque ad notatam reassumptionem sapiens Lector, qui nisi meræ necessaria legere potes.

2. Sic Galenus tit. 1. Methodi de natura morbi à significatione vocis auspicatus est dum Methodum à semetipso quæritaret scribens, [qua igitur id Methodo inueniemus;] & sibi ipsi respondet [vt videlicet de ipsa notione (in nomine) prius conueniat, cum sine, hac propositæ rei substantiam inuenire non liceat; nam versutus & adulterinus sensus, qui extraneam sequitur significationem nominum, ad falsitatem obuiam nos adducit: nec potest facem præferre ad comperiendam veritatem, quam sola assequitur recta vocum acceptio.

3. Porrò Catholici scriptoris peculiare est sincera vti significatione nominum teste Tertull. de carne Christi cap. 23. & 24. [qui ait, apud nos nihil ambiguum & retortum in ancipitem defensionem, lux, lux; tenebræ, tenebræ, & est, est. non, non.] vbi affert illud Isai. cap 5. [Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum;] & subdit [illos scilicet notat, qui nec vocabula ista in luce proprietatum suarum conseruant, & anima alia non sit quam quæ videtur, & caro alia non sit, quam quæ videtur, & Deus alius non sit quam qui prædicatur.] Et expressiùs Augustinus lib. 99. de vet. & noui Testamenti quæst. 43 [nemo in hæresim à nominum ratione discedens: simplices verò permanentes in nominum ratione Catholicæ fidei adhæserunt.]

§ II.

Assignatur peculiaris ratio, quare nostra disceptatio ab acceptione debita nominis Conceptionis, exordiri debeat.

4. CVm igitur & nos de certitudine Immaculatæ Conceptionis Deiparentis disceptaturi simus, de sincero, naturali, & primæuo significato nominis conceptionis, maximè in peccato in prisca antiquitate, acturi primò sumus; ita vt sicut habet Tertull. l. c. Prax. cap. 9. [Omnia quæ vocantur hoc erunt, quod erant hoc vocabuntur:] & de Resurr. cap. 19. [Proprietas vocabulorum vocanda est suæ sorti.] Quæ scilicet illis contingerit in prima impositione. Nam ni in prima acceptione nominum firmiter sistamus, & siluescentes eorum significationes non præcidamus; cuncta disputationis, & Trutinæ nostræ nutabunt: & semita, quà tendimus intercludetur, & adumbrabitur: ita vt nihil certi quod intendimus in controuersia, comperire possimus & luce gressus omnes dirigente penitus destituamur, teste Tertull. lib. de carne Christi cap. 15. [Omnia periclitabuntur aliter accipi quam sunt; & amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur. Si aliter quam sunt cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum,] & monente Cassiodoro in præf. ad lib. de anima: [oportet prius nominum similitudines quasi ramos syluescentes abscindere, ne semitam disputationis ratione vocabulorum consonantium, sylua vmbrosis imaginibus videatur attexere.]

Hic Reassume quod reliquisti.

5. Quod eo fortius nos vrget exequi quia aduersarij nostri præsertim post Sixtum IV. ex transpositione significatus nominum, omnem hanc veritatem de Immaculata Conceptione obnubilarunt, implicarunt, & crassis vndique tenebris omni ope inuoluere cutauerunt: postquam enim à Sixto dictoin eius *Præexcelsa*, & *Graue nimis*, supra modum pressi, suum viderunt sensum auctoritate prætensa Ecclesiæ & consequenter Scripturarum, quarum intelligentiam eius claues scientiæ aperiunt, penitus destitui & ab ipsa Magistra fidei institutione Festi & Officij Conceptionis iterum atque iterum premi: ad Patrum dicta per fas, & nefas, ab ipsis etiam conficta & falsò interpretata, confugerunt vt ex iis, pro se etiam Scripturas stare concluderent; & causa omnino non caderent. Quod consilium ex hoc ab iis fraude initum fuisse liquet; quia antiquiores ipsi secum, vt ipsi aiunt, sentientes Theologi cuncti, nunquam pro maculanda in re anima Sanctissimæ Virginis Patrem vllum adduxere, non Sancti Thomas & Bonauentura; non Albertus & Alensis; non Petrus de Tarantasia Cardinalis & Durandus; non Capreolus & Paludanus, nec Sanctus Vincentius Ferrerius, & Sanctus Antoninus Florentinus, qui ante Sixtum scripsere.

6. Bene autem eis cessisse videtur consilium, quia nomen Conceptionis, quod vniuersa antiquitas ad significandam illam seminum, etiam in Deipara assumpserat; post Scotum & tempora Sixti ad primam animationem eius significandam itidem declinauerat. Quare dum in aliquibus Patribus Virgo in peccato originali concepta inueniretur, (quod tamen ad primam carnalem ipsi direxerant, nec Immaculatæ Conceptioni obesse poterat) ad Conceptionem naturæ & primam animationem Virginis dolosè & emeritissimè transtulerunt, plenis buccinis etiulgantes, & io triumphe veluti recantantes, quod Patres, & Sancti eorum pedissequi, incubitanter & quasi indigitando primam infusionem animæ Dei Matris in corpus peccato vero originali infectam, pronunciauerint; prout expressius Caietanus peregit *Opusc. de Conceptione*: qui similiter proferentes in vnum colligit, & quasi vnanimiter cum cæteris patribus venirent, eos Leoni X. recitauit & obtulit instante Concilio Lateranensi, à quo condemnationem sui sensus verebatur: magnis eo tempore iuris & posteriori tempore sequentibus, non plenè aduertentibus fraudes & dolos confictamque transpositionem sensuum, nec non & verborum: vt tandem ex parte notauit Hippolytus Marraccius,

raccius, & aliqui alij recentiores: quorum libros in manibus habui postquam præsentia edidi, vt Christophorus de Vega. & Neriberg & prius ipsis Biuarius in PP. Vendicatis.

§. III.

Clarus & strictius explicatur vltimum & triplex intentum indagandi significationem primæuam nominis Conceptionis, ad destruenda scilicet; primò aduersantium fundamenta ad euincendum; secundò pro immaculata; & tertiò ad dandum fortissima tela profligatoribus proximi debiti ad originale à Virgine.

1. DVm autem technas, & fraudes in aduersariis nominamus, nõ eos vlla ratione iniqui animi, vel peruersæ voluntatis insimulamus, præsertim Religiosos, & eos qui è Dominicana Illustri & sancta familia sint, & fuerint, quos in charitate Christi sincera amplectimur & veneramur, sed solum distortos eorum modos ad tuendum positum signamus, quos ex recto quidem zelo, vt eadem Dei Mater ad Sanctam Birgittam eo tempore testata est, sed non secundum scientiam adhibuere; atque hi non omnes, sed nonnulli vt arbitror, quemadmodum passim notant Authores & recentes: in compluribus signatis Cismontana familia Minorum *in suo Armamentario Seraphico, per totum*; Calderonius confutans recentiores anonymos; & quod pluris est in antiquis, Catharinus Episcopus, & Cardinalis designatus in pectore Iulij II. qui etiam fuerat Venerabilis Ordinis Dominicani, & domesticorum conscius modorum, qui etiam iuratus retulit libro primo disputationis pro Immaculata Conceptione Virginis Sanctissimæ, §. *quod si hæc tractatio.* [Ego enim fateor primo anno professionis meæ cum paulò cutiosior in huius rei disquisitione essem, incidi in huiusmodi quorumdam tractatus, & vt legi, facilè fateor seductus sum, & ad eas partes tractus quos nunc ab omni veritate prorsus destitui existimo: nam pro illa, quam sustinent opinione tot ac tanta congesserunt, vt eam quam nunc arbitror veritatem penè blasphemiam existimarem. Non enim tunc bene callebam argumenta sophistica, nec deprehenderam citationes falsas; denique totam disputationem ex contentione ac zelo magis tractatam quam sincere ex veritatis manifestatione perspiciebam dent mihi veniam obsecro in gratiam veritatis, qui hoc moleste ferunt: non enim sic asserrem, teste Christo, nisi comperta haberem & in promptu etiam cuiuis postulanti possem ostendere.]

2. Quod certe notandum fuit vt constet, qua fraudulenta ianua, viáque distorta ad oppugnandum Immaculatum Conceptum, & olim processerint & modo procedant nostri oppugnatores vt in eadem obuios præstolemur, & debellemus pro gloria Virginis. Vt ergo in re prædicta hi doli & technæ detegantur, & tela veluti hirundines procul amandentur, quid significationis in Vniuersa Antiquitate perpetuo tulerit nomen Conceptionis, in prima hac Trutinatione indagabimus, & pro carnali substitutum, & in substitutione semper perseueraſſe ostendemus: vt primo fundamentum præcipuum & reliqua in eo nixa aduersariorum penitus ruant; & secundo positiue contra eos arguatur ad euincendam immunitatem originalis à Virginè, & tertiò tandem ex conceptione appellata à Patribus, munda, strenui oppugnatores arma sumant fortissima ad amandandum etiam debitum proximum contrahendi originale a Deipara, quod consequens ipsi aduersantes admittunt, si Conceptio carnalis eius fuit pura & munda, modo sibi conuenienti.

CAPVT I.

Primò ex Grammaticis & Rhetoricis, ex Aristotele & Physicis, ex Hippocrate, Galeno, & aliis; ex Sancta Scriptura, & sacris expositionibus; ex Patribus & Theologis, & Iure Ciuili, & Canonico vniuersaliter & generalissime demonstratur omnino ad euidentiam, nomen Conceptionis in tota antiquitate stetisse pro illa seminum & carnali: in quo pateat ex dictis antiquis, quòd Virgo fuerit in originali concepta; nihil inferri ad maculandum eius primam animationem.

§. I.

Adducuntur Grammatici & Theorici pro significatione primæua nominis Conceptionis stantis pro carnali.

1. CIrca nomen Conceptionis, breuiter notandum, est quod venit in idem cum nomine conceptus; nisi quod nomen conceptio, se solo videtur indifferenter ad significandam conceptionem actiuam, vel passiuam fœtus; nomen verò conceptus vtpote participium passiuum, videtur propriè significare passiuam: licet etiam aliquando apretur ab auctoribus conceptioni actiuæ vt infra patebit; conceptio autem actiua & passiua similiter in idem recidunt, & significant actionem ordinatam animalis, quæque consistit in prima organizatione fœtus supponente misturam seminum, attractionem virilis seminis in vterum matris, & eius vim validam & incipientem organizationem dictam. Quæ actio prout procedit à Patre, & maxime à Matre, & eius concursu, dicitur conceptio actiua: provt attenditur tendere & ordinari ad prolem; eique prolem subdi, dicitur conceptio passiua differens a prima in solo connotato de qua vltima vt sic est præcipuus noster hic sermo.

2. Qua explicatione tradita nominis Conceptionis passiuæ, firmiter & pro re certissima affirmamus in tota Antiquitate ante Sixtum significasse carnalem seu consistentem in dicta coagulatione seminis, & organizatione fœtus, antecedente ad animationem primam & ab ea contradistinctam, nec vllo modo in sua vniuersali significatione se extendisse, saltem frequenter ad significandum primam animationem, ita vt vix, si millies nomen Conceptionis inuenitur applicatum isti carnali, in antiquitate dicta; paucis vicibus possit dici dubiè, quod nomen hoc applicatum fuerit primæ animationi, licet vsque adhuc nullibi tale quid inuenerimus.

3. Patet assertum, penè per modum suppositionis pro certo habendum, primò ex Grammaticis & attestatione Calepini, qui explicat verbum concipere, quasi sit idem ac simul capere & apprehendere, & addit [vnde mulieres concipere dicuntur cum genitale semen apprehendunt ad fœtum faciendum: [in idem venit Nizolius verbo, *conceptio*, & *conceptus*, citans Ciceronem locis adducendis, & Thesaurus linguæ Latinæ ait [concipere, esse simul capere, & apprehendere] & rem declarat sicuti Calepinus, & idem significatum dat verbo *conceptus*, vnde citat Senecam Troad. 9. [Ex Virginis furtiuo stupro conceptus: [Et Ouidius 2. Fast. 37. [Iam tria lustra puer furto conceptus agebat.] Et 10. Meram. 100. [Infans malè conceptus.]

Præterire potes, quæ sequuntur.

4. Ex Rhetoricis habes eodem modo loquentem primo Ciceronem lib. 2. de diuinatione 100. [conceptio Mulæ contra naturam;] vbi nemo dicet quod Mula concipiat contra naturam, quando eius fœtus animam recipit, sed quando ab equo vel simili attrahit, & incipit formari fœtus in ipsa contra ordinem naturalem. Et de Aruſp. [ex furtiuo virginis stupro conceptus;] quo loco signatur cõceptus immediatè habitus à coitu stuprali, in quo non potest intelligi esse animatio ab eo remotissima. Similiter Cicero pro Cluentio vsurpat, [concipere ex aliquo,] scilicet mulieres à viro. Quando autem primo animatur fœtus, non dicitur mulier concipere ex aliquo, qui iam sit ipse sæpe mortuus. Legi etiam potest Cic. *lib. 1. de diuinat. 153. & de vniuerso*, citato à Thesauro.

5. Suffragatur eidem sensui Plinius lib. 22. cap. 22. dum scribit, [Conceptionibus herbam caucalidam multum conferre;] quod certè intelligi non potest de prima animatione animæ rationalis. Quis enim potest asserere quod id expertus sit pro illa? Et lib. 10. c. 23. [Perdices concipiunt superuolantium afflatu.] Quis autem dicat primam animationem ex tali afflatu? lib. 9. cap. 21. de piscibus solis aduertit quod [& animal pariunt, & oua concipiunt.] Et lib. 8. historiæ animalium c. 44. [Conceptum ex equo sequutus asini coitus abortu perimit.] Et paulo post de Asina, [quæ non prius quam dentes, pullinos appellant, iaciat, conceperit, sterilis intelligitur, & quæ non primo initu generare cœpit,] id est primo coitu; & cap. 42. de Vacca, [Conceptio vno inito peragitur.] Et lib. 7. c. 6. [A conceptu decimo die dolores capitis;] & deinde: [sternuisse à coitu abortiuum;] quo nihil clarius ad ostendendam Conceptionem in antiquis significasse carnalem.

Reassume, si præteristi.

§. II.

Nomen Conceptionis in antiquis stetisse pro carnali contradistincta à prima animatione, patet ex Aristotele & omnibus Philosophis.

1. SVffragatur eidem sensui Philosophia vniuersa, vnde Arist. 1. de gen. animalium cap. 1. asseuerat, [Conceptum appello primam ex mari & fœmina mixturam;] & lib. 7. de hist. animal. [Indicium mulierem iam concepisse, cum statim à coitu locus siccauit.] Et c. 4. [Cum semen conceperit vterus, se statim contrahit.] Et rursum. [Euenit profecto mulieribus, quod à conceptu totum corpus grauatur;] quæ quis dicet euenire in prima animatione nisi ignauus?

Præteri si molestas habes tot citationes, lege si vis vltimas.

2. Et lib. 3. de gener. animal. c. 4. [Latet mulieres conceptus initiũ, si cum inflatus fuerit, vt sæpe accidit (scilicet vterus,) post coierint atq; conceperint.] Et rursum: [Si in quartum diem semen intus permanserit conceptum iam esse certum est.] Et lib. 2. de generat. animal. cap. 3. vbi ait, [Sequitur vt & dubitemus, & dicamus si in iis quæ semen mittunt in fœminam, nulla pars constituendi conceptûs sit;]

&

& deinde. [Definiendum igitur est] & paulo post [atque etiam de anima , qua animal dicitur vtrum in semine & concepto mitto , aut non] & concludit,[sed intendum pro viribus est,accepisse operæ pretium est. Animam igitur vegetalem in seminibus conceptibus , scilicet nondum separatis ,] id est non euaporatis in in aerem(quod euenit per Aristotelem quando viuens primo viuit ,) haberi potentia, statuendum est.] Et deinde [de anima sensuali idem dicendum est , scil. quod potentia sit in conceptibus] & post aliquod interualium , [de anima quemadmodum conceptus & genitura eam habeant ,(scilicet animam) & quemadmodum non habeant,definitum iam est : potentia enim habent , actu non habent.] Vbi non solum negat in conceptibus humanis animam rationalem , sed quancumque aliam animam,quantum affert hic textus, & controuersia inter aliquos si fuit , ea fuit de anima alia præuia ad rationalem : non verò de rationali; quam nos volumus excludi à conceptione hominis in antiquis.

3. Pedissequus Aristotelis est Auerroes eius commentator in hac veritate , innumeris in locis. Sic. lib. 2. de generatione Animalium habet [in conceptu quodammodo eum partes corporis insint , maximè promptum habetur:] si autem potentia sunt partes , anima certè non est in fœtu , saltem rationalis, quæ illas requirit actu , *& cap.* 6. loquens de asina & equo, de quo seruatur semen propter eius calorem subdit, [Cum autem mixtum (scil. semen) vel calidum cum frigido, vel frigidum cum calido, euenit , vt conceptus eius seruetur.] quod certè non est tempore primæ animationis , atque adeò neque conceptio in prima animatione potest consistere; & quærens in titulo , quare muli sint steriles , notat [Si equa ex equo conceperit , deinde asinus superuenerit , illam equam peruertit, quod quidem non fiet , si alter equus eam inierit ,] quod non potest intelligi in conceptu iam animato , & ad perfectionem perducto, *& cap.*7.idem probat,[Quæ concepta maris diuersi coitu sunt , naturam in eum qui post coierit , mutant ,] quod non potest intelligi de animato fœtu , vt patet. Idem habetur apud Auerroem,*indubitabili sensu cap.* 8. 9. *&* 11. *& libro* 4. 2. & alibi frequentissimè.

4. Tota item schola Peripatetica idem docet , dum primo diuisa est in duas partes circa fœtum conceptum ; quarum vna vult illum esse animatum , & pro ea sunt Sanctus Thomas *part.* 1. *quæst.* 118. *art.*2. *ad* 2. & videtur fateri Aristoteles 2.de generatione animalium cap. 3. vbi ait, [Conceptum inanimatum esse nemo statuerit ; & vitâ omnibus modis priuatum, quippe cum nihilominus semina & conceptus animalium viuant , cum stirpes & aliquandiu prolifica sint. Ergo animam Vegetantem habere , planum est; sed quam ob causam cum primum haberi necesse sit , ex iis quæ alibi de anima disseruimus apertum est sentientem etiam qua animal , tempore procedente recipi,& rationalem qua homo certum est , non enim simul & animal fit ,& homo] & cum Aristotele & Sancto Thoma complurimi, prout testantur Conimb. qui huius sunt sensus , *sect.* 1. *de Anima quæst.* 9. *art.* 2. cum Suario *in opere sex dierum lib.*2.*cap.*9

5. Contra verò alij testibus auctoribus dictis , putant nullam esse vere animam in fœtu concepto sed quid animæ æquiualens , omnes tamen conueniunt (extra errorem alicuius omnino reiecti ab Ecclesia) quod hic talis conceptus fœtus non informetur anima rationali, nisi post quadraginta dies in masculis,& octuaginta in fœminis ; licet aliquis hoc tempus restringat, pro quo maximè facit caput *sicuti* 32. *quæst.* 2 qui definit non committi homicidium ab eo , qui occidit fœtum in Vtero, antequam infundatur anima rationalis.

6. Hoc ipsum item patet quia eadem Peripaterica schola diuisa est in dando animam semini , & illam ei negando. Concedit illam Plato etiam *in Timæo* , Themistius 1. *de Anima cap.*21. Galen. *in lib. de Marasmo cap.*5. Valles. *lib.*2. *controu. cap.*9. Theoph. Zimara *lib.* 2. *de Anima ad tom.* 43. negant vero Aristoteles *lib.* 2. *de Anima cap.* . . *tex.*1 . & *libr.*2.*de generatione animalium c.* 1. testibus Conimbricensibus , D. Thomas *lib.* 1. *in gentes cap.* 89. Scotus *in* 4. *distinct.* 44. *quæst.* 1 Magnus Alb. 2. *part. summæ de homine* , Thomas Garbius *lib.* 1. *tractat.* 5. *quæst.* 5. Iandun 2. *met. quæst.* 19. Conciliator *distinct.* 48. Fern. *lib.* 7. *suæ Physiol. cap.* 35. & alij , sed nemo ex his animam rationalem ei tribuit etiam pro tempore, quo exercet in matrem suum vim formatricem corporis humani

7. Et tandem patet hic communis sensus Philosophorum , quia & si ipsi inter se diuisi sunt in assignanda prima formatione hepatis, vel cordis , aut alterius partis hominis : omnes tamen conueniunt in assertione , quæ neget animam rationalem infundi , nisi post absolutam formationem omnium partium principalium corporis ; atque adeò omninò firmum est conceptum haberi ante eius primam animationem , & certum est erasse aliquem qui contradixerit , vt patet ex canone citato & siquidem doctissimus Pater Arriaga vir celebris *in suo cursu Philosophiæ lib.* 1. *de Anima disput.* 1. *sect.* 12. *num.* 321. dum controuertunt an in concepto fœtu successiue introducantur primò anima quædam vegetatiua,& deinde alia sensitiua & tertia,rationalis , ambo censeant probabilius dici , quod priores duæ locum non habeant in fœtu , sed vna sola rationalis , quæ fungatur muneribus vegetantibus , deinde sentientibus , & tandem rationalibus , & sic videantur velle quod totis 40. primis diebus à coagulatione seminis animam rationalem informare dictum fœtum , vt respondeant quæstioni secundum quod opponuntur aliter sentientibus,videlicet Diuo Thomæ & aliis ; nihilominus tale quid non asserunt , & interpretandi sunt quod hæc dixerint expedita saltem formatione principalium partium corporis; quod certè vellemus Patrem Arriagam declarare , non enim aliter hominem doctum & sensatum sentire putandum est.

Reassumit.

§. III.

Ostenditur manifeste Nomen Conceptionis acceptum fuisse ab Vniuersa Medicinæ scientia in Antiquis pro carnali, & non pro primainfusione animæ rationalis.

1. COnsentit in ipsum tota medica scientia primo auctore & magistro præeunte Hippocrate qui *libro de natura Pueri* in fine ait, [Sic autem mulieri ab vno coitu gemelli facti] atque adeo concepti, & rursum [in vterum autem crassiorem aut fortiorem genituram ingredi contigerit, masculus gignitur,] Vbi expressè conceptio tali generatio datur; nihil enim tale, gigni potest dici, quod non concipi dicatur, quando gigni dicitur, & de superfœtatione *num.* 7. [Quæ gemellos gestat; eadem die concepisse, quia animam eadem die acceperit, hoc enim non potest constare: rursum habet, [Mulier quæ præter naturam erecta est, & pinguis, & pituita repleta, non concipit,] nec potest intelligi quod formetur in vtero fœtus, & non animetur, & in sequenti, [si cognouerit mulier se concepisse, eo tempore ad virum non accedat, sed quiescat.] & *num.* 17. [Mulier quæ concipit quidem, perdit autem fœtus bimestres,] & rursum [causam perscrutaberis, quare non concipit mulier; tempus enim vernum aptissimum ad concipiendum,] & præterea [si puellam facere velis, alias concipere nequeuntem, menses considerare oportet: si vero concipere voles, hederæ grana septem dato, cum purgatæ fuerint mulieres maxime in ventre, concipiunt cum viro consuetudinem habentes,] & libro Coacar. prænotion. [In sterilibus & non patientibus sanguinis motus ad conceptionem prodest,] & de morbis mulierum. [si voles mulierem concipere, ipsius vteros purgato, deinde ieiunæ farinam edendam dato,] & similia, quæ nemo nisi ignauus applicabit primæ animationi animæ rationalis in hominis conceptione, complura alia loca vide in Opusculo.

2. Galenus subscribit Hippocrati, qui *lib.* 1. *de semine, cap.* 1. notauit, [Dixerunt mihi mulieres vbi semen conceperunt, quamdam in se in vulua motionem sentire, quæ quasi conuellat, ac paulatim illam in se contrahat, imò etiam mihi, quod ipsum, quod dicunt concipere semen, & nomen conceptio, id est comprehensio, hinc à mulieribus fuisse compositum dicitur] & *cap.* 4. [Quomodo igitur si in prima conceptione genitum in spiritum diffiatur,] & sequitur, [si volueris statim vbi animale conceperit, dissecare; vndequaque planè fœtui circumiectos locos inspicies,] & innumeris aliis locis, quos in suo Indice recenset Brasauolus & Garsia recentior in complurensi Accademia, & nos in Opusculo.

3. Hippocratem & Galenum sequitur Auicenna, *de natura animalium librum secundum, versus finem*, qui ait, [etiam contigit quod castratus fuit taurus, & coiuit cum vacca, & concepit ex eo vacca,] & *libro nono capite de generatione*, spermatis, [concipiet ergo tunc fœmina in ventriculis multis, multos fœtus,] ex variis 5. coitibus, & paulo post [& aliquando cum super imprægnatur patiter raro, concepit: & abhorret secundo conceptum,] & alibi.

4. Nos autem auctores vniuersa turmatim Schola Medicorum sequuta est videlicet Valleriola; Vallesius Andreas Laurentius, Peramatus; Fernelius, Salamantius; Mena, Capiuaccius, & recenter fusè Garsia Carreto, qui in prima formatione cordis voluit conceptionem consistere multo antecedenter ad infusionem primam animæ rationalis; & anno 1651. Vigente controuersia Panormi an partus quidam conceptus quartus Iulij & natus vigesimus sextus Februarij posset dici nomines tuis, omnes Medici, tum Panormi; tum Messanæ, Catanæ & Syracusis, nec non Neapoli; omnes inquam numerarunt menses à conceptu qui fuisset die quarto Iulij, in quo euenisset coitus, vel circiter illos dies, quare omnes conceptus posuere propè coitum, & ante aduentum animæ rationalis; & siquidem aliqui Medici adducti sint, qui voluerint numerandos in partu lunares menses, alij solares, & citati sint pro lunaribus præter aliquos excitatis, Fortunatus, Martianus, Franciscus Sanchez, Iacob Steue, Augenius, Zacchias, etiam Castrensis, & Bonacciolus, & pro solaribus Alphonsus Perez, Alphonsus Carnazza, Scaliger, Marsilius, Lugnatus, Gentilis à Fulginate, Nicolaus, Nicelius, Lemosius & alij ab Andrea Vitrano in sua docta Trutina Apologetica; semper est ab omnibus suppositum hos menses in partu numerari à conceptu eóque carnali, neque apud Medicos facta mentio vlla de conceptu consistente in prima infusione Animæ rationalis.

§. IV.

Sacras Scripturas etiam semper accepisse Nomen Conceptionis pro illa seminum dicta, liquidò demonstratur ex illis & sacris expositoribus.

1. SAcras item Scripturas in eodem sensu accepisse nomen Conceptionis pro carnali, non verò ea naturarum, quæ in prima fœtus animatione animæ rationalis consistit; apparet manifeste in iis fere omnibus locis, in quibus nomen Conceptionis alicuius fœtus, adhibetur. Sic Genes. 4. dicitur [Adam cognouit vxorem suam quæ concepit] vbi cognitio Adæ, & conceptio Euæ ponuntur vt simultaneæ, & rursum conceptio ea Euæ traditur,

ditur, circa quam causalitatem ipsa exercuit, quæ non intercessit in prima animatione & infusione animæ rationalis Cani filij: circa illam enim Mater nihil pro ligno eius adhibet neque præstat & Geneseos quinto dicitur. [Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos,] Laboriosos vt habes quod Cornelium, qui labores à conceptione carnali incipiunt, non a prima animatione, nec ea vnquam, quantum vidi in Doctoribus, traditur vt afflictiua aliquo modo, cum sit optatus finis naturæ & Genes. 16. dicitur de Abraham [Qui ingressus est ad eam, (id est Agar) at illa concepisse se videns, despexit Dominam suam,] & de Sara dicitur, [Videns quod concepent, despectui me habet.] quibus locis dum de Agar dicitur conceptionem suam cognouisse; primam animationem fœtus, non potuit intelligi agnouisse, quæ non potest percipi; atque adeò de ea vt de Conceptione non potuit loqui; cum maximè hic notetur etiam coniuncta conceptio cum ingressu viri ad ipsam, quod primæ animationi non potest competere Genes. item 38. habet de Thamar, [Ad vnum igitur coitum, mulier concepit,] Vbi quis non videt conceptionem hanc fuisse coniunctam cum coitu, cóque vno, quod primæ animationi non conuenit; cum præsertim in Scriptura notetur, quod post conceptionem vno vel altero die miserit ad eam Iudas, qui cum ea concubuerat agnum promissum, & ipsa tertio, ab hinc mense ostenderit annulum sibi datum, & dixit, *de viro cuius hæc sunt, concepi,*) si autem prima animatio, & infusio animæ rationalis conceptio hic diceretur, non benè vsurparetur hic módus loquendi, quod mulier conceperit de Iuda per tres priores menses; nam non significatur quod animatus fœtus tunc fuerit, fœtus de Thamar; quæ item hanc animationem haberet ex Iuda: similiter *Genes.* 30. dicitur de vxore Balam [quæ ingresso ad se viro concepit,] & deinde subditur (qua post conceptum edente,) scilicet post coitum edente, vsu coniuncto cum illo; vnde non potuit hic esse sermo de conceptione naturæ per infusionem animæ rationalis tam remota à coitu.

Præteri, si vis sequentia.

1. Ibidem item dicitur de Iacob: circa Liam, *& dormiuit cum ea nocte illa, & exaudiuit Deus Liam, vt conciperet*, scilicet ea nocte, sic Iacob: *Genes.* 32. dicitur obseruauisse, *conceptus ouium tempus*, & *Genes.* 30. dictum habeturde eo, [quando verò serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas,] scilicet Virgas, quæ non possunt intelligi de tempore primæ animationis pecudum, vt patet euidenter; nam tunc oues non animabant fœtus, sed semen suscipiebant. Ruth etiam primo dicitur, *etiamsi hac nocte possem concipere*, quare opus vnius noctis agnoscitur esse conceptio, quod de prima animatione fœtus dici non potest, quæ requirit actionem 40. dierum circiter in gestatione fœtus & 2. *Reg.* 11. dicitur de Dauid circa Bersabeam, *dormiuit cum ea*, & additur *& reuersa est in domum suam concepto fœtu, & nunciauit Dauid dicens, concepi*, vbi conceptio subsequuta fuit immediate post dormitionem Dauid cum ea, quæ longo tempore non morata est in Palatio Dauid, nam sic textus ostendit, & vocatio Vriæ, vt ad Bersabeam accederet, & non manifestaretur partus adulterij, demonstrat manifestè: si enim veniisset Vrias post plures menses, vt oportuisset, si conceptio importauisset primam animationem fœtus; iam cognosceretur fœtus non fuisse legitimi ingressus; nam ad hoc vt Bersabea agnosceret fœtum animatum, oportuisset, quod tres ad minùs menses transigeret, vt scilicet literæ Dauid ad Ioab mitterentur propter Vriam, & Vrias veniret & suo aduentu cælaret partum adulterinum. Lucæ item primo, narratur de Zacharia, *& factum est vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam; post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque.* Vbi certum est quod à conceptione accepta pro prima animatione non potuit Elisabeth se occultare, per quinque menses, nam hæc occultatio durauisset à coitu vsque ad octauum mensem; cum prima animatio non agnoscatur nisi post tres menses circiter iacti seminis, vt dixi, nullo ergo modo in Scripturis conceptio stetit pro prima fœtus, vel hominis animatione: id quod ex compluribus aliis testibus confirmatur, & ostendunt in his manifestè Patres, qui hæc loca & similia expendunt, quorum aliqua adducenda sunt infra, nec aliter vnquam ij interpretati sunt; quos non vacat omnes referre, & legendi sunt in Opusculo. Præcipuè Chrysost. *Genes.* 3. *& 16. & Matth.* 1. *& serm.* præsertim de Sancto Ioanne Baptista, vbi assignat tempus Septembris conceptioni Ioanni Baptistæ, quod non potest vllo modo intelligi de prima eius animatione.

Reassume.

---

§. V.

Recensentur sacri Expositores significantes Conceptionem pro Carnali.

1. NEc sacri Expositores ab hac intelligentia relatarum scripturarum latum quidem vnguem discessere. Lege Caietanum super 4. Genes. super illud: *Multiplicabo conceptus tuos.* Vbi ait quartas pœnas inflixisse Euæ Dominum, & ait: [Prima spectat ad ea quæ concurrunt ad prolem in vtero, multitudinem dolorum, non solum in vna eadémque prole, sed in multiplicatis fœtibus affuturam denunciat: est enim ipsa multiplicatio concipiendi in grauamen mulieris, vt ipsæ testantur,] nec potest hoc intelligi de conceptione pro prima animatione fœtus accepta; non ea non solet dici causare dolorem: & dolores conceptionis matrum, à prima formatione fœtuum incipiunt, vt patet: quare apertè Caietanus, nomen Conceptionis, carnali non primæ infusioni animæ rationalis attribuit; veritatem eandem

dem supponit Caietanus, dum ait, quod reuelauit Angelus Agar se concepisse, & ex coniectura id prius eam agnouisse refert scriptura. Vnde propterea Dominam suam Sarai despexit: si autem conceptio staret pro prima animatione, non posset dici, quod tale quid reuelauerit Agar Angelus Dei; nam cum multum processisset in gestatione fœtus saltem per duos vel tres menses sine reuelatione de hac re posset esse certa, quando enim ei apparuit Angelus, Agar conceperat, & præterea cum aliqua mora cognouerat satis probabiliter concepisse, vnde ausa hinc fuerit despicere Saram. Manifestauit deinde hoc Saræ, & hac manifestatione durauit in despectione eius; nam non statim excandesceret Sara, & imputaret despectum marito dicens; *Iniquè agis contra me.* Quod est signum quod hos despectus etiam agnouerit Abraham; Vnde aliquod tempus nouum debuit præterire saltem decem vel quindecim dierum, huic Saræ querelæ, donec dixit Abraham quod de ancilla ageret quicquid videretur esse bonum in oculis suis; Vnde existimandum est, quod Sancta Mulier, post hanc mariti licentiam antequam ejiceret ancillam, eam commonefecit, nec credibile est, quod ea per aliquot hebdomadas non fuerit domi retenta, atque adeò quando ejecta est, & Angelus ei loquutus est; non minus quam per tres menses anteriores semen conceptionis acceperat, quando mulieres prægnantes benè possent se agnoscere grauidas, cũ præsertim statim id cõiectauerit multo priùs ipsa Agar, quod confirmatur quia Thamar tertio mense ex vtero intumescente cognita est deliquisse, & igni damnata. Omnino ergo secundum Caietanum conceptio non stat pro prima animatione, sed pro prima animatione fœtus in ventre matris. Verba eius sunt post verba Angeli: *Ecce concepisti*, quæ sequuntur, *manifestat modo occulta ventris*, tum quo ad hoc quod erat prægnans, cum vterus non appareret (& tertio mense imò prius apparet tumor vẽtris in grauidis) grauidæ in principio conceptionis prolis, & apertius *cap.* 30. *Gen.* refert super illud mandragoratum requisitarum à Rachael, aiunt conferre mandragoras mulierum matricibus ad concipiendum, & propterea Rachel petiit illas,] nemo autem putauit Mandragoras iuuare matrices ad primam animationem, quasi ad conceptionem, vt liquidissime constat, & de ouium congressu cap. 31. ait, *Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerunt, iuxta Hebræum aliqui absque obscœnitate habent; & fuit in tempore coitus pecudum, habent enim certum anni tempus ad concipiendum*, quod nemo intelligit de conceptione accepta pro prima animatione, vt patet, *cap.* etiam 38. numerat tres menses Thamar à conceptione dicens super illud, *Ecce autem post tres menses*, vbi habet, *& fuit sicut tertiando menses, quod sonat potius incertum tempus simili tertiæ parti mensium à conceptione vsque ad partum*, menses autem numerati à conceptione ad partum non sunt apud vllum recensiti à prima animatione & in casu dicto inceperunt omnino à congressu viri Iudæ vnico cum dicta Thamar vt patet.

2. Vide præterea Hugonem Cardinalem pro eadem re, qui super secundum *Reg. cap.* 11. conceptionem Bersabeæ ex Dauid agnoscit illam, quæ intercessit in coitu & dormitione eius cum ea; nam illud, *Statimque sanctificata est ab immunditia sua.* Hugo explicat de menstruis purgationibus quæ defierint, & conceptioni reseruati sint, vnde ea quæ immunditias illas eo tempore patiebatur, statim ac conceperit mandata fuit, quod apertè ostendit conceptionem Bersabeæ in tali loco non posse intelligi nisi carnalem, & coniunctam cum congressu viri, eius verba sunt. [Statimque sanctificata est; primò statim post coitum, lauit scilicet, vel statim concepit & cessauit menstruus sanguis, quem naturæ sagacitas dicitur conseruare post conceptum in alimoniam fœtus, quidam dicunt Bersabeam tunc fuisse in menstruis, & statim ad tactum Regis,] scilicet post conceptionem non nisi carnalem, *cessasse menstruum*; vbi dum initio dixit statim concepisse post coitum; de prima animatione non potuit esse loquutus, vt patet super *caput vndecimum ad Hebr.* item secundum eundem sensum loquitur dicens; *& ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit; prima fœcunditatem*, (quæ in concipiendo consistit) *in receptione seminis vel scilicet potentiam concipiendi semen*, atque adeò non concipiendi per primam animationem fœtus, quæ est distantissima & diuersissima à receptione seminis vt patet.

Sequentia Præteri si lubet.

3. Gagnæus similiter in Paulum loco eodem ait, *Virtutem in conceptione seminis accepit, primo in ipsam seminis constitutionem accepit*, (& in hoc conceptionem consistere declarauit) *cum enim retinendi & contrahendi seminis adeòque generandi, quod ei muliebria defecissent impos esset, sed tamen potens effecta est.*

4. Necnon Dionysius Carthusianus in eodem Pauli textu, *Fide & ipsa Sara sterilis per naturam, virtutem ideſt fœcunditatem in conceptionem seminis ideſt ad concipiendum ex semine Viri.* Vnde non in ordine ad primam animationem, & per consequens in ea non consistit per Dionysium conceptio, & super verba, multiplicabo conceptus tuos ait; [Non enim simul concipies, nisi vnam aut duas proles in cursu communi, in dolore paries filios, magnus enim est dolor in pariendo, & forsan maior quam delectatio in concipiendo: in statu autem innocentiæ, conceptio fuisset sine indecentia,] ex quibus patet non sumi conceptionem pro prima animatione, cui non competit delectatio, nec indecentia nec simultas, dicta prolis, & super *cap.* 30. *Genes.* [Tam in hominibus, quam in pecoribus matres concipiunt fœtum similem rei cuius formam & dispositionem seu similitudinem intensius imaginantur tempore coitus: hanc quippe virtutem habet vis imaginatiua supra materiam ex qua fit conceptus, quod similes concipiuntur fœtus illis, quos in extremo coitus calore intentè imaginantur, vbi conceptionem cum declaret simultaneam cum coitu, eam à prima animatione omnino discernit, & sic in aliis Scripturæ locis, quæ longum valde esset

esset recitare in re euidentissima & in solis mente cæcis dubia.

5. Legi etiam debet pro eodem posito Perer. super dicta verba multiplicabo conceptus tuos vbi habet, [Multiplicatio enim conceptus quatuor ob causas intelligitur post peccatum esse pœna mulieris, & magnum malum: Primum quam multi conceptus, prius quam ad maturitatem & perfectionem veniat (etiam ante animationem) per abortum in vtero Matris intereunt] vbi citat Plinium de signis conceptus die 10. quando fœtus non est certè animatus.

6. Emanuel Sà super idem, *Ærumnas & conceptus, pro doloresconceptuum scilicet gestando fœtum.* Qui dolores eueniunt ante animationem fœtus incepti post coitum & 2. *Reg. cap.* 11. loquens de Bersabea: *Sanctificata, scilicet purificata a menstruo, hæc enim non patiuntur quæ concipiunt, quod dicitur concepit* 70. *& ea erat sanctificata ab immunditia sua quod est a menstruo purgata, atque adeò apta ad concepium*, quod non conuenit primæ animationi. Tirinus in 2. *Reg. cap.* 11.] Statimque sanctificata est ab immunditia sua Bersabea, id est, ex eo tempore non est passa amplius de more menstrua, id est purificata est à sanguine menstruo, qui fœtui iam in vtero concepto cessat infallibiliter, vnde & imprægnationis certum est signum. Ideóque mittit statim ad Dauid dicens, concepi vide consulas, & nomini tuo & saluti meæ, Vbi agnouit conceptionem peractam subito post coitum, atque adeò pro ea non agnoscit primam animationem fœtus.

7. Sic Iustinianus in illud Pauli ad Heb. 11. virtutem in conceptionem seminis accepit, subdit, [Quod perinde est ac si dicat accepisse vim ad concipiendum fœtum cum multa essent impedimenta, explicat autem in quo consistat conceptio, & habet, certe conceptus in fœmina dici non potest nisi aliqua de suo fœtui concipiendo conferat, id quicquid sit deiectio seminis dicitur: Et paulò pòst, Illa igitur fœmina dicitur σπερμαίνειν quæ iacto in se qualicumque semine, & in se ipsa retento, aptatur & quoadmodum, præparatur ad concipiendum semen: vt sit sensus mulier quæ sementauerit & fœcundata conceperit,] & superius dicta verba Pauli sic explicat, [probabilior videtur sententia eorum, qui etiam fœminam ad concipiendum fœtum non nihil putant subministrare.] Quæ omninò non primæ animationi conueniunt vt patet, sed operi carnali quod fit in matre ex coitu coniugis.

8. Cornelius à Lapide *in Genes.* 3. multiplicabo ærumnas & conceptus, ait, [Hoc est ærumnas conceptuum, & deinde ærumnæ hæ ante conceptum sunt sordes, & fluxus menstrui in ipso conceptu, defloratio, pudor, & dolor post conceptum, immunditia, fœtor, retentio menstruorum, incontinens appetitus, pondus prolis per nouem menses, fastidia, spasmi, & plurima pericula de quibus Aristoteles *libr.* 7. *histor. animalium cap.* 4.] Quæ primæ animationi fœtus in homine non possunt conuenire, vt liquet manifeste: hæc enim secunda & tertia sequuntur coitionem viri cum fœmina & coagulationem primam seminum, eorúmque attractionem, & retentionem, & principium efformandi, & sequendi informationem fœtuum, *& cap.* 30. *in Genesim*, ait, de Mandragoris petitis à Rachel, [Matricem purgant, & præparant ad conceptum ait Aristoteles *lib.* 2. *de Generat. Animalium & Ephiph. in Philologo cap.* 4. Et paulò pòst Augustinus, *lib.* 12. *contra Faustum cap.* 16. putat Mandragoras expetitas à Rachele non ad conceptum, sed ob pomi raritatem,] vbi affert Leuinum Lemnium *libro de herbis Sacræ Scripturæ*, & Dioscoridem, *libro quarto, capite sexto*, & Matthiolum *ibidem* apud quos habetur hunc fructum in Mesopotamiâ valere ad concipiendum non certè ad primam animationem fœtus in vtero mulierum.

9. Subscribit nostro sensui Sanctus Thomas super illud Pauli dictum ad Hebræorum vndecimum, & inquit. *Sara à Deo accepit miraculosè virtutem concipiendi*, quod non potest intelligere de virtute ad primam animationem vt patet, & ex sequentibus magis liquebit, [Sed tamen ex humano semine (quod certè non cadit in primam animationem hominis,) & ideò dicitur in conceptione seminis, nullo scilicet notato ordine ad primam animationem, Beata verò Virgo sine semine. Vnde in Sara virtus diuina præparauit materiam ad concipiendum tantum ex semine,] vbi nihil clarius pro exclusione primæ animationis vt importantis conceptionem, de qua loquitur Sanctus Paulus, & Sanctus Thomas in eius verba.

Adduci debet item hic Fernandius *tom.* 2. *super* 10. *cap. Genes. text.* 12. *num.* 2. qui inquit de Iaçob quod [*Proposuit vt diuersum colorem virgarum oculis haurientes fœmina, in ipso coitu diuersos item fœtus conciperent*, & addit, *multa in hanc sententiam Medicor.* videre poteris apud Valesium de sacra Philosoph. *cap.* 11. *& num.* 4. addit, *Propterea mulier*, vt scribit Galenus *lib. de Theriaca ad Pisonem intuitu picturæ pulcherrimæ pulcrum ex deformi concepit marito.* vbi citat pro hac re Hieronym. addicentem Hipp. & Quint. nec non S. Augustinus hic *quæstione* 93. *& libr.* 18. *de Ciuitate capite quinto*, & Isidorum *libro* 12. *etymol. cap.* 1.

Reassume.

---

§ VI.

Patres item Communissime vocabulum Conceptionis accepisse pro illa carnis, antecedente ad primam animationem hominis extra controuersiam conclu ditur.

1. NEc Patres ab hoc sensu vnquam recedunt, dum conceptionem nominant,

Sic Ambros. *tom. 5. serm. 3. de Natiuitate Domini*, ait, simul fuisse silentium Zachariæ & conceptum S. Ioannis, quod verificari non posset si conceptio significaret primam animationem fœtus; nam hæc remota fuit per quadraginta saltem dies silentio, quod incœpit ex quo obtulit in templo Zacharias incensum. Verba Sancti Ambrosij sunt, *cum autem Ioannes concipitur Zacharia obmutescit, solemnis conticescit Sacerdos, Elisabeth mater absconditur*, vbi occultationem etiam matris simultaneam facit cum silentio & conceptu, quæ omnia patet fuisse post paucos dies à suo reditu in domum & vt vidimus simultaneam cum conceptione, qua animatio prima esse non potuit, & idem patet, quia habet Ambros. [Dubium non est quod Ioannes natus Pharisæis iustitiam legis abstulerit, quod conceptus Matris abstulit vocis obsequium, (& deinde) Elisabeth concipit Ioannem non natura, sed gratia.] Gratia autem nulla interuenit in prima animatione Ioannis; quare ea in corporali coagulatione seminum & firmatione eius corporis intercessit, atque adeò eam clare liquet significari per nomen conceptionis ex Ambrosio.

2. Pro eadem re scripsit S. August. de Ciuitate Dei cap. 11 de fratribus gemmis [quos Possidonius Stoicus multum Astrologiæ deditus, eadem constitutione natos eadémque conceptos solebat asserere. Ita quod Medicus pertinere credebat ad similimam temperiem valetudinis, quia scilicet infirmabatur & leuabatur morbis eodem tempore,] hoc Philippus astrologus ad vim constitutionémque siderum, quæ fuerat, quo tempore concepti nati sunt, respectus autem syderum in conceptione ab astrologis non habetur in prima fœtus animatione, sed solum in ea, quæ committatur coitum viri cum fœmina vt patet, & ex sequentibus Augustini verbis magis ostenditur qui ait, [Parentes vt erant corpore affecti dum concumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, (& sequitur) aut si fata valetudinis in conceptu sunt, aliarum verò rerum in ortu dicuntur, non deberent inspectis natalium constellationibus de valitudine aliquid dicere, quando eis inspicienda conceptionalis hora non datur,] hæc autem hora quæ inspicienda datur, quis nescit eam esse concubitus non primæ animationis? atque adeò in priori haberi conceptionem non imposteriori secundum Augustinum, qui multis hoc ipsum latè confirmat hoc eodem loco quæ non vacat in breui hac Trutinatione referre consulatur Opusculum vel ipsemet Augustinus.

Præteri hæc si placet.

3. Sanctus Hieronymus item subscribit Augustino in quæstionibus super Genesim loquens de Iacob in hæc verba: *Obseruabat ergo Iacob eo tempore quo ascendebant pecora*, &c. *vt ex duplici eorum desiderio dum bibunt & ascendantur a maribus tales fœtus conciperent*, Vbi conceptionem comitem concubitus facit, & addit, *Nec mirum hanc in conceptu fœminarum esse naturam, vt qualem perspexerint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent*, in quibus verbis qui mihi mente captus conceptionem primæ animationi asserat conuenire secundum Hieronymum? Et paulo post: *Venebant ad potandum contra pecora, vt conciperent; & concipiebant pecora contra virgas Iacob.* Forténe dices ó quis es, nisi velis mente cœcutire quod primo animabantur fœtus pecorum, quando ea Virgas Iacob respiciebant, dum ante eorum conspectum dicuntur à Hieronymo concepisse? euidens ergo nostrum assertum est in Hieronymo.

4. Rupertus item Abbas pro hac veritate pugnat, dum 30. Genes. ait de Iacob: *Obseruabat & tempore, quo ascendebant pecora, & post calorem dies ad potandum auida pergebant discolores virgas ponebas in canalibus.* Et deinde subdit, (vt ex duplici desiderio dum auidè bibunt, & ascendantur à maribus, tales fœtus conciperent quales vmbras arietum & hircorum, desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur) & sequitur [Nec mirum hanc esse fœminarum in conceptu naturam, vt quales prospexerint, siue mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreant, (& addit) & Quintilianus in ea controuersia, in qua accusabatur Matrona, quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentatur hanc concepturum esse naturam, quam supra diximus.]

5. Pro eodem accipe Tertullian. in Apologia in primis foliis, *Nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissoluere non licet*, & deinde, *nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet, homo est, & qui futurus est, etiam fructus eius omnis iam in semine est.* Quo nihil efficacius pro re nostra, quo soluitur manifesto quod dicitur, quod cum anima non sit, homo non est; & de exhortatione Castr. *Quid ergo facies si nouam vxorem de tua concupiscentia impleueris*, qui ait fastidias educare filios, *puto nobis non magis dicere nascentem nocere, quam natum; sed fortasse illo tempore pregnantis vxoris remedium tantæ sollicitudini à Deo petere audebis quod in te positum recusasti.*] Vbi repetit non posse semel conceptum ab ortu eiici, etiam ante vitam. Hic annumera Isidorum supra citatum nec non Patres frequentes, qui prohibitam matrem ab ingressu templi dicunt quadraginta dies, si masculum peperisset, & quadragesimo octauo, si fœminam, quia in vtero habuerint eos à conceptu per totidem dies vsque ad animationem vt ex sua 3. *part. disputat.* 40. Toleto, & Maldonato notat Ouiedus *de grat. in fine.*

Reassume.

§. VII.

1. IDem sentire notatur S. Thomam & aliquos Theologos, & ius ciuile & Canonicum euidens est S. Thomam conceptionis nomine intellexisse carnalem, quia vt vidimus sequutus est Augustinum in diuidendo dies conceptionis ante animationem, & quia illam expresse

presse distinguit ab animatione in 1. *dist.* 3. & idem præstat S. Bonauentura, & alij Theologi provt late videbitur in Trutinatione de sensu eorum, & videri potest *in Opusculo præsenti* ex parte. Ius item ciuile *primo digest. tit.* 9. *de senatoribus cap.* 7. hoc supponit qui filium nobilem decidit, si tempore conceptionis Pater erat Senator, & sermo certè non est de prima infusione animæ rationalis in fœtu, provt explicant Iuris periti communissime

2. Nec suum suffragium ius Canonicum & omnes Canonistæ negant eidem sensui in primo *Decret. tit.* 17. *cap.* 8. vbi decernitur filios, qui ante diuortium concepti fuerint debere succedere in bonis paternis ac legitimi, vbi certum est pro conceptione non intelligi infusionem primam animæ rationalis, id quod etiam patet, quia conceptus abortiuus dantur ante primam animationem animæ rationalis vt vidimus, vt habetur in S. Thoma super Iob 5. nec de hac re dubitari potest ex vnanimi Casuistarum consensu itidem in hac re, cui suffragatur omnis sententia Theologorum teste Oniedo *loco citato*, licet hi quando loquuntur de Virgine & similibus humanis conceptibus in ordine ad vitam æternam vsurpent modo nomen conceptionis in secundo sensu.

CAPVT II.

Subditur Caput secundum vnde ostenditur ex dicto traditoab aliquibus Patribus, quod Virgo fuerit concepta in originali: non posse inferri vllo modo; quòd hoc possit intelligi de peccato formaliter sumpto & in re in prima eius animatione: ex eo quia in tota antiquitate concipi in peccato nunquam tale quid significauit.

§. I.

Declarantur primò variæ acceptiones peccati.

1. SI ex dicto quod Virgo fuerit concepta in peccato originali, posset inferri animam eius in prima infusione in corpore fuisse inquinatam peccato in re, & formaliter sumpto: vtique id esset quia concipi in peccato talem inquinationem firmaret; atque applicatum Deiparæ, eandem inquinationem in ipsa verè concluderet: si ergo ostendamus quod eiusmodi enunciatio dictam inquinationem non inferat in antiquitate, euidenter demonstrabimus, quod neque applicata Deiparæ, in eam possit tale quid neque probabiliter inferre.

2. Vt autem totum hoc rectius & enucleatius habeatur, oportet hic tradere breuem explicationem variarum acceptionum peccati, vt benè possit percipi quid debuerit intelligi in antiquitate per dictum hoc, concipi in peccato: quare sciendum primo quod peccatum primo diuiditur in actuale & habituale secundo in personale & originale; & tertio, in causale, seu causaliter sumptum; & formale, & formaliter sumptum.

3. Peccatum actuale consistit in actu aliquo libero hominis inordinato & contra rationem & honorem Dei, qualis fuit esus pomi in Adamo contra præceptum Dei: peccatum verò habituale est sequela quædam moralis, quæ concomitatur, & remanet in anima ex eiusmodi peccato, transacto etiam actu peccaminoso; quæ est priuatio gratiæ sanctificantis, vt causata moraliter & demeritoriè à præcedente actu peccaminoso.

4. Secundo sciendum est, quod vtrumque hoc peccatum cum actuale, tum habituale; potest esse personale & originale, personale in genere genere est peccatum quod non transit, neque habet connexionem cum alia persona, sed in illa sistit, quale fuit peccatum esus pomi in Eua, quod non propagatum est, neque transiit in posteros, non sic peccatum Adami de eodem esu pomi, quod habuit connexionem & infecit posteros, in quantum egit, vt ipsi intelligerentur peccauisse in Adamo, quia voluntates eorum continebantur in voluntate eiusdem Adæ, in qua quicquid is eligebat boni, vel mali; intelligebantur eligere posteri, in quantum vnum faciebant cum eo, & cum eodem erant vnus homo, vt habet Augustinus, de quo latè Theologi, & nos *in vltimis Opusculis* & sub hac consideratione peccatum hoc provt ad posteros pertinet, dicitur originale quidem actuale, in quantum actus peccaminosus Adæ affecit, & infecit voluntates suorum posterorum: & habituale originale in quantum propter tale peccatum actuale Adami, & originale eius, & suum; ipsi contrahunt maculam peccati habitualis, seu priuationem gratiæ sanctificantis, ex eo quod in Adam peccauerunt & cum eo recensiti sunt facere vnum; & quasi omnes in eo essent vnum, & vnus homo cum eo. Vbi nota quod peccatum originale habituale non inuenitur propriè in Adamo, quia ipsius peccatum habituale non transfudit se in posteros vt sic, imò si Deus ex peculiari gratia voluisset Adamo seruare gratiam sanctificantem, ex eius esu pomi; potuisset nisi Deus aliter voluisset, transfundi ad posteros priuatio gratiæ sanctificantis.

5. Tertiò sciendum est hic pro tertia diuisione peccati causaliter & formaliter sumpti; quod quia peccatum originale quatenus consideratur in Adamo, est causa transfusionis suæ in

posteros; nec sit causa talis, quæ id præstet immediatè & sine vllo alio delatiuo & intermedio: hoc tale delatiuum & intermedium seu instrumentum, quod habet habitudinem ad eiusmodi extensionem, & transfusionem sui, dicitur peccatum causaliter; quia scilicet est in causa, vnde propagetur suum peccatum in posteris: quóve deficiente posteri non contraherent originale in re seu formaliter, quod est ipsa priuatio gratiæ sanctificantis, causata & proueniens in ipsis propter peccatum ab Adamo commissum in esu pomi.

6. Vbi notandum est quod duplex quasi delatiuum huius peccati formaliter sumpti seu priuationis gratiæ in posteris Adæ, potest considerari; vnum extrinsecum ipsis posteris, aliud verò quasi intrinsecum. Extrinsecum est semen proprium naturæ corruptæ, quo medio inter Adamum & posteros transfunditur originale peccatum in eosdem posteros: quod quemadmodum est virtus physica generantis, ita moraliter cum sit quid ipsius, quod fuit infectum peccato, est virtus & causa moralis transfusionis originalis: nam Deus non decreuit priuare gratia nisi eos qui eius essent posteri, & procreati ab ipso, medio instrumento sibi naturali & proprio quod non est nisi semen proprium naturæ corruptæ, quodve infectum intelligitur in infectione peccati, quod resedit in Adamo. Quare si quis esset descendens ab Adamo mere secundum carnem, & non ex semine; non contraheret originale: similiter si Deus purificaret semen, & illud reduceret ad statum illum, quem habebat ante peccatum Adami: sic descendens ab Adamo, non contraheret originale in re & formaliter sumptum. Imò neque deberet proximè illud contrahere, vt videbimus, atque hæc de delatiuo dicto extrinseco, de quo *alias*.

7. Delatiuum autem veluti intrinsecum peccati originalis est illud, quod præintelligitur esse intrinsecè in quolibet filio Adami, quando primò animatur; ex quo ipse intelligitur obligatus ad habendam, & contrahendam priuationem gratiæ stante peccato Adæ, & quod ipse ex semine eius procedat: quare hæc obligatio seu obnoxietas ad contrahendum originale, qua vltimo constitutus intelligitur homo quasi dispositus ad recipiendam priuationem gratiæ, debet intelligi, quod sit delatiuum intrinsecum & immediatum contractioni originalis peccati formaliter sumpti, & quia hæc obnoxietas & obligatio residet in toto homine, potest considerari, quod resideat cum in corpore, tum in anima rationali; & in corpore quidem in quantum organizato ex vi seminis infecti, atque adeò ab eo infecto, & apto inficere animam vtpote corpore procedente ab Adamo peccante, seu tali quod afferat animæ obligationem contrahendi & habendi priuationem gratiæ sanctificantis; quæ anima simul ac intelligitur esse in corpore tali; ex hoc ipso veluti communicatam haberet obligationem eiusmodi: quæ obligatio etiam in ipsa, vocata est à nobis delatium intrinsecum priuationis gratiæ, & peccati formaliter sumpti, & est quoddam peccatum veluti causaliter sumptum, quod dicitur peccatum in debito seu debitrice potentia prout communiter nominatur à Theologis & Sancto Thoma *in* 4. *d.* 43. *q. p. art.* 4. *ad* 3. & habetur in additione *ad tertiam part. q.* 78 *art* 1. *ad* 3. & prius ipso declaratum est ab Anselmo, qui etiam declarauit quid sit peccatum originale in re & formaliter sumptum lib. de peccato originis cap. 3. dicens: [Originale peccatum non est aliud, quam absentia iustitiæ debitæ, non enim videtur esse iniustitia, nisi in natura, quæ debet habere iustitiam.] Prout scilicet talis absentia causatur in posteris Adæ ex eius esu pomi vetito. De debito autem contrahendi originale tractat illúdque explicat Sanctus Anselmus dum habet l. cit. cap. 7. [Ab ipso semine & ab ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, vt cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud, quam peccatum & iniquitas;] & nomen debiti vsurpat cap. 10. inquiens: [quoniam verò Adam subditus esse noluit Dei voluntati, ipsa natura propagandi quamuis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, & gratiam quam de se propagandis seruare poterat, perdidit; atque omnes qui natura operante, quam acceperant, propagantur; eius adscripti debito nascuntur:] vbi loquitur speciatim primo loco de debito contrahendi originale in carne; in secundo verò de eadem obligatione in homine generato & composito ex anima & corpore. Quod magis explicat cap. 22. vbi ait, [quod in illis non sit iustitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis, sicuti in Adam, (vbi habes peccatum actuale personale) sed egestas naturalis (scil. in primo statu animationis) quam accepit ab Adam:] Quæ egestas est obligatio & debitum dictum, de quo meminit Sanctus Augustinus sub nomine reatus dum dixit epist. 23. ad Bonifacium; [Traxit ergo reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando, quod traxit admissum.] Et Sanctus Thomas l. cit. [Liberari autem à malo, vel à debito absolui non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus est;] vbi distinguit deiici à debito incidendi in malum, & loquitur ibi de peccato.

8. Quod autem semen humanum cum conditionibus naturæ corruptæ, sit delatiuum extrinsecum originalis patet ex Patribus, qui illud dant, vt causam propagationis peccati originalis in posteros passim, & plures expressè ponunt hoc, debere esse naturæ corruptæ semen, vt videbitur, & posse mundificari testatur Sanctus Bonauentura *in* 3. *d.* 3. *art.* 1.

9. Atque his principaliter suppositis superadditur, quod nomine peccati, vt sic intelligitur, ad peccatum vno ex his sex modis præcipuis; vel etiam pro peccato intelligitur fomes & concupiscentia habitualis in homine, quæ radicaliter est in carne in via ad animationem primam, vel formaliter in homine in ipsa prima sui animatione, & deinceps stat etiam secundo peccatum pro concupiscentia actuali in natura corrupta, quæ cum habeat aliquam materialem deordinationem, & impellat ad peccatum veniale, vel à veniali afficiatur, dicitur etiam peccatum.

10. Vbi

10 Vbi vltimo notandum quod concipi in peccato potest intelligi de peccato vno ex dictis modis, & rursum ex sacris Doctoribus pro concipi in peccato parentum cùm habitualis tùm actualis eorum concupiscentiæ, vel inordinati affectus peccaminosi in delectatione concubitus, qui inuenitur in Patre & Matre concepti; vnde iam patet euidentissimè, quod ex hoc quod concipi dicatur, vel concepta Virgo in peccato, non potest inferri quod in prima animatione fuerit peccato formaliter sumpto inquinata: cum peccatum ita multiplicitèr dicatur, & de reliquo conceptio in qua ipsum agnoscitur, habeatur in carne, & antecedenter ad animationem provt vidimus; vt autem hoc euidenter constet, & quasi manibus palpetur; hanc veritatem probabimus ex simili modo loquendi, qui habetur in Scripturis, & deducitur ex earum contextu; secundò ex Expositoribus Sacris etiam recentioribus, & demum ex Sanctis Patribus, quo vndequaque constet hæc veritas Sole clarior.

§. II.

Traduntur secundò Scripturæ sacræ quæ demonstrant concipi in peccato conuenire conceptioni carnali, & non primæ animationi hominis.

1. EVidens est autem primò ex Scripturis Sacris Conceptionem etiam coarctatam ad illam, quæ est in peccato, & ipsum etiam dici aliquem specialiter conceptum in peccato, non distrahi ad significandum formale peccati in anima rationali hominis sic concepti: nam Psalm. 50. in quo scripsit Propheta, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea*: ex vi Hebræi nothinis ostenditur liquido Prophetam loqui de sua Conceptione carnali, non verò de prima animatione, quia verbum quod vertitur, conceptus, in Latina editione, correspondet Hebræos formatus, seu organizatus: quare apertissimè sermo Prophetæ fuit de Conceptione formali. Consequentia item verba apertius id ostendunt videlicet, *& in peccatis concepit me mater mea*; quæ vertuntur ex Hebræo dicente: *& in peccatu aluit, seu fouit me mater mea*; vel item: *calefecit me mater mea*. Ex Lorino, & aliis, quibus perspicuum sit de ea Conceptione esse sermonem, quam attingit prolem mater suo calore & alimento, quæ non est nisi carnalis: nam in infusionem animæ rationalis non exercet mater vllam causalitatem. Quibus adde quod hæc ipsa dicta exercita Conceptio à matre, præscindendo à versione Hebræa, declarat haberi sermonem de ea, quæ attribuitur matribus erga filios, quæ sola carnalis est; nec vnquam quis dixit matrem aliquam eo tunc concepisse filium, quando is primò animatus est anima rationali; quod confirmatur, quia prima animatio & infusio animæ rationalis erronee ab aliquibus tradita sit genitoribus & eorum semini, & nunquam æstimatum est matres attigisse animam rationalem, vnde solitum est dici Sol & homo generant hominem. Sumpto homine pro viro, non pro fœmina: quare Conceptio, de qua loquutus est Dauid attributa Matri, non nisi carnalis est, quod est quod proposuimus ostendere.

2. Nec sola hæc Scriptura peccatum conceptioni carnali tribuit, sed duæ aliæ in Iob. *cap.* 3. & 4. & quidem videtur clarior illa capitis 14. vbi dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* quo loco immũda nota Conceptio, & non nisi peccato infecta; nam de alia immunditia non potest loqui secundum vnanimem expositionem Patrum, nec vlla alia faceret ad rem, nec esset tam grandi vi expellenda. Quod autem hic loquatur de Conceptione carnali, & non de prima infusione animæ rationalis, patet: quia de illo esse concepto, loquitur quod habetur ex vi seminis immundi, quod certè non est illud infusionis animæ rationalis.

3. Tertia tandem Scriptura quæ Conceptioni eidem seminis, per euidentem consequentiam peccatum tribuit est ea eiusdem Iobi 3. qui maledixit conceptioni suæ non nisi carnali, & quia peccato illam agnoscebat infectam, dum dixit: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Quo loco euidens est esse sermonem de conceptione carnali: nam de carnali est sermo, quando contradistinguitur absolutè natiuitas à Conceptione, & esse natum, & natiuitatis ab esse concepto & Conceptionibus, vt patet in omnibus Scriptoribus, & patet ex S. Thoma super hunc locum Iobi, & aliis expositoribus.

4. Præterea de ea Conceptione est hic sermo quæ solet interuenire in nocte, quæ non est nisi carnalis, vt notauit sapiens de se ipso formato ex delectatione somni; & patet ex communi experientia: nam in nocte solent exerceri concubitus, & in Sacris Scripturis nocte notatæ sunt ferè semper mulieres ibidem narratæ concepisse. Tandem de ea Conceptione est hic sermo quæ solet saltem aliquando agnosci & euulgari euenisse; quando scilicet mulieres sentiunt se concepisse, vel aliquod aliud signum conceptionis habetur, quod certè nullum habetur primæ infusionis animæ rationalis, neque scitum est vnquam aliquam Matrem aduertisse illam; quæ certè non est signabilis, nec vllus Philosophus vel Medicus de tali signo animationis inuenitur communiter loquutus: nam & si solet dici quod conceptio masculi perficiatur 40. diebus & illa fœminæ 80. hoc non intelligitur præcisè tali die; sed circiter, imò vt aliqui putant, hi sunt termini longiores, nec tamen determinati; & cum nesciatur si partus sit masculus vel fœmina, semper hæc talis animatio prima & occulta, & quæ ignoratur, nec signari dicitur ab hominibus. Quod autem hic euidenter pereuidentem consequentiam Conceptio hæc notetur à Iobo peccato impleta, patet quia super illam non caderet, neque cadere posset maledictio quam circa illam ipse tulit volens eam nunquam fuisse, imò propter eam nominando & optando peritionem ipsius

noctis, dicens: *Pereat nox in qua dictum est conceptus est homo.* Et rursum, *Nolitem illam tenebrosus turbo possideat*; vbi plures maledictiones agglomerat nocti; quas Sancti Patres & expositores concernere enunciant ad peccatum conceptioni humanæ connexum: quare ad euidentiam constat peccatum à Sacris Scripturis tribui conceptioni carnali, quod erat demonstrandum.

§. IV.

Adducuntur & numerantur Sacri Scriptores exponentes sacras paginas, qui Conceptionem in peccato in eis contentam, agnoscunt eam quæ est carnalis, & non prima infusio animæ rationalis.

1. MAximam vim pro re nostra debet habere, quod sacri expositores qui fuere longè post Sanctos Patres, & ferè incœpere post primos Theologos, quando vigebat quæstio de Conceptione Virginis celebranda, vel à celebritate reiicienda: & Scoto duce incœpere Conceptionem Virginis aliquando sumere pro prima animatione, quantum ego videre potui per plura sæcula vsque ad præsens, conceptionem in peccato quam inuenerunt in Scripturis sint interpretati de conceptione carli.: & peccatum quod ei tradiderunt, non fuit formaliter sumptum, sed vel causaliter, vel vno ex modis supradictis: quo euidens fit quanto cum pondere rationum, idipsum debeat dici quod in Antiquitate sic intellectum, quando hæc mutatio seu extensio significationis ad conceptionem naturalem & primam animationem facta non erat, nec ista controuersia de peccato formaliter dando vel negando primæ animationi Virginis, erat instituta, vel expressa sufficienter.

2. Chorum ducat in hac recitatione & numeratione Sacrorum Expositorum Eminentissimus Bellarminus, alter Augustinus contra Hæreticos, & Malleus Hæreticorum qui scripsit *lib. 4 de amissione gratiæ cap. 16.* [Rursus in peccato dicuntur concipi omnes Adami filij, cum primum fœtus in vtero matris existere incipit, quamuis informis & inanimis: tametsi enim peccatum propriè non possit esse nisi in anima rationali, & fœtus conformari incipiat longo tempore ante animationem; tamen quia tunc re vera incipiat homo existere ratione vnius suæ partis, vnde dicuntur filij in vtero matris gestari nouem mensibus Macabæ 7. & pars illa ex corrupta natura originem habet, & viriata rectè nominari potest; atque ei ex vi generationis debetur, vt cum primum animam rationalem sortita fuerit, inde existat homo peccator & iræ diuinæ filius, propterea non immerito dicuntur homines, tunc primum in iniquitatibus generati.] Explicat hoc multis verbis S Anselm. *in lib. De Conceptu Virginis & peccato originali cap. 7.* Et de hac Conceptione explicat illud Psalm. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.*

Præteri sequentia.

3. Iisdem ferè verbis secundò expressit hunc eundem sensum non ex parte, sed totaliter. Incognitus super Psalmos. qui expressè Conceptioni carnali peccatum causaliter tradidit, negauit autem formaliter sumptum. Idem tertiò est concluſum à Biuario *libello de Patribus Vendicatis*, pro Immaculata Conceptione viro valde versato in ponderatione Antiquitatis, quam omnem peruoluit in historia vniuersalissima Lucij Dextri, & sensum piorum eorum admisit penitus, & addit hominem etiam dici conceptum in peccato satis aptè ratione fomitis. Hisce tribus quartò similem sensum perstrinxit iisdem ferè verbis profundus scrutator contextus Scripturarum & Psalmi 50. Iulius Mazarinus in explicatione versiculi, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Et prius omnibus istis quintò Genebrardus & sextò Titelmanus, qui omnes ferè eadem verba vsurpant, vnde præteriri rectè potest eorum recitatio verborum in hac breuitate præsenti & remittenda ad fusum opusculum.

4. Septimò subscribit eidem veritati Lorinus inquiens, non posse attribui peccatum fœtui, nisi prout materia seminum est obnoxia culpæ, & fatur loqui Psalmistam de Conceptione, vt formatione corporis post concubitum.

5. Octauò, Glossa item ordinaria & nonò interlinearis eidem sensui suffragantur agnoscentes conceptionem à concupiscentia habituali, vel actuali ortum habere, ac proinde affectam & dictam in peccato, non tamen formaliter sumpto & inhærente in concepto.

6. Subscribit decimò Nicolaus de Lyra, dum ex causalitate Patris & Matris cognoscit prouenire conceptionem, quæ non est nisi carnalis. Cui sensui vndecimò suas partes tradit Sanctus Thomas in Psalm. 50. de actu coniugali supponens prodire conceptionem; & carnalem describens super Iob. 1. Duodecimò in eandem sententiam processit Pineda super Iob eandem 3. dum conceptionem in peccato agnoscit in nocte cum Salomone, & eam dicit in peccato ex Dauid Psalm. 50. Decimo tertiò complectitur eandem expositionem Pater Ludouicus Granatensis in suis concionibus *concione scilicet 1. & 2. de Conceptione*; necnon Corderius ex Societate IESV.

7. Præter hos omnes claudunt tandem chorum quod maximè est attendendum plurimi qui in controuersia principali nobis obsistunt, vel sunt ex eorum schola qualis decima quinta est Hugo Cardinalis, qui peccatum tradit conceptioni nonnisi carnali, videlicet vt prodeunti ex fomite: & decimò sextò Cardinalis Caietanus, qui suis verbis respondet obiectis contra Immaculatam in hac re factis, quod non possit explicari Conceptio Virginis in peccato nisi intelligatur de residente in anima Sanctissimæ Virginis. Eius verba sunt quæ sequuntur super illa Psalm. 50. *Ecce in iniquitatibus*, &c. [Ecce ex parte mea miseria peccati ab initio formationis meæ, & in peccato

calefacta

calefacta est Mater mea. Hebræa circumloquutione significatur concubitus, quo Mater concipit filium per calefactionem Matris de prole. Hic est textus vnde trahitur peccatum originale, quo scilicet quilibet committione maris & fœminæ conceptus, dicitur in peccato originali, nec est opus peccatum attribuisse matri, non enim matrem intendit accusare Dauid, sed miseriam suam ab initio, quo formatus est, quando conceptus est, describere: miseriam autem non pœnæ, sed peccati. Nec oportet Patrem, aut Matrem in actu concubitus committere peccatum veniale, nisi quis desipiat, vt putet delectationem naturalem voluntariam esse peccatum;] quo nihil euidentius pro re posita & ad hominem contra aduersarios, qui rem concedunt de genere vel specie, & negant de specie, vel de indiuiduo.

Reassume.

---

§. V.

Enumerantur Sancti Patres, qui Conceptionem in peccato intellexerunt de Carnali; & Scripturas loquentes de conceptis in peccato interpretati sunt loqui de peccato causaliter sumpto, vel de alio ex dictis modis.

1. EX præpositis optimè colligi potest, quod in simili sensu ei qui traditus est, conceptionẽ in peccato intellexerint Patres in tota Antiquitate: non enim possunt supponi loquuti in alio sensu, ab eo quo loquuta est reliqua alia Antiquitas sacra & prophana, & præsertim sactæ paginæ: nec Sacri Scriptores sic turmatim, & vnanimiter in eandem iuissent sententiam, ni Patres iidem eandem semitam eis indigitassent; & per eam quasi manuduxissent. Sed vt res hæc meridiana luce fulgeat ipsissimis suis verbis recitandi sunt Patres, quorum antesignanus sit Sanctus Anselmus, qui inter cæteros enucleatius hanc doctrinam tradidit *lib. de Conceptu Virginis cap.* 7. [Videtur itaque sequi, quod aut infans statim à conceptione sua (en quomodo ex sequenti sumit eam quæ carnalis est) animam habeat rationalem, aut in eo non est originale peccatum mox vt conceptus est.] Et respondet, [quod autem mox à conceptione rationalem habeat animam, nullus humanus suscipit sensus; sequitur enim vt quoties susceptum semen humanum etiam ab ipso susceptionis momento perit, toties in illo damnetur humana natura;] Et tamen hoc tradit vt impossibile dictu & subdit, [quare hæc pars relinquenda est.] Et sequitur, [Sæpe vtique diuina Scriptura asserit aliquid esse quando non est, idcirco quia certum est futurum esse. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dixit in quacumque die comederis ex eo, morte morieris; non quod eo sit mortuus tempore, sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi.] Et deinde. [Simili modo de immundo semine & iniquitatibus concipi, potest intelligi homo, non quod in homine sit immúditia peccati, aut peccatum & iniquitas, sed quia ab ipso semine, & conceptione ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, vt cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud quam peccatum & iniquitas] Quo nihil enucleatius.

2. S. Ambrosius similiter est pro eadem rei euidentia super eundem versiculum Psalm. 50, vbi præter alia scripsit, *Merito ergo Dauid in se deplorauit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula quam vita;* quare ante animationem cognouit in homine inquinamentum, & peccatum prout concluimus.

3. Cassiodorus eandem habet expositionem super eadem verba Dauid inquiens, [Iste ergo sensus est quod dicam me modo fecisse, quæ arguor, qui iam ex originali peccato in iniquitatibus probor esse conceptus, vt ante peccatum contraxerim, quam vitæ principia recepissem;] scilicet ante infusionem animæ rationalis. S. Bernardus in meditationibus itidem cap. 2. ait de homine concepto in peccatis, *Secundum exteriorem hominem de parentibus illis venit, qui me ante fecerunt damnatum, quam natum*; id est, vt patet ex contextu, quam animatum & genitum seu natum in vtero, non ex vtero. Nam sequitur, [Peccatores peccatorem me genuerunt, & de peccato genuerunt & nutriuerunt.] Et vlterius, [Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde summa illa crescendo caro facta est.] Quo quid clarius pro signo pro quo fuerit in peccato conceptus, & ante infusionem animæ rationalis? Insigniter item huic veritati fidem adlubet S. Fulgentius de Veritate Prædest. cap. 4. inquiens, [Scriptura diuinitus inspirata testatur quod à sorde non solum nemo mundus esse possit hominum, si vnius diei sit vita eius super terram (scilicet in prima animatione) sed ipse quoque generis humani legitimus nuptialisque conceptus, non sit à culpa iniquitatis extraneus.] Quod idem fusè ibi prosequitur, vbi de concupiscentia & libidine subdit (ipsa conceptus polluit) & de S. Dauid ait, *Maculam generationis carnalis deplorat.* Et hoc ipsum habet de Incarnatione & gratia Christi cap. 4. [Omnes homines ex coitu maris fœminæque nascentes, ipsius conceptionis exordium habent originalis peccati contagione respersum;] vbi certum est pro hoc exordio conceptionis intelligere opus in carne non primam remotam animationem.

4. Rupertus etiam huc reuocandus est, qui expressè id ipsum tradit, & verba per extensum recitanda sunt *infra cap.* 3. vbi Lector ea perlegat.

5. Præter hos Patres pro eodem sensu pronunciauisse liquet Athanasium, Augustinum, Chrysostomum, Bedam, Basilium super Psalmum 50. necnon Authorem operis Hypognosticon, necnon Gregorium Magnum super cap. 4. Iob, super illa verba, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Lorinus addit

addit his super versiculum dictum Psalm. 50. Cæsarium Nazianzeni Fratrem, Euthymium, & Paraphrastem Chaldaicum, & in catena Patrum Græcorum à Daniele Barbaro adducuntur septem alij Patres. Quare hæc est dicenda vnanimis expositio & intelligentia Sanctorum Patrum, nec nos hos obuios citauimus sed magis reconditos; vnde rem videmur ad perfectam euidentiam retulisse. His Patribus adduntur à Nazianzeno pro hoc sensu Orig. *homil.* 8. *super Leuit.* in illud Iob 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*; necnon Clemens III. *Strom. fine.* Cyrill. *homil.* 12. *super Leuit.* & Olymp. *super Iob* Necnon Vrbanus IV. *in Bibl. Patrum in Paraphr. super Miserere*; qui latè in hanc sententiam, & explicationem prosequitur, & in Opusculo fusè traditur.

CAPVT III.

Annectitur dictis Caput tertium, ex quo liquet nullum peccatum formaliter sumptum animæ Dei Genitricis impingi ex nomine conceptionis ei applicato à Patribus, quia constat euidenter ex eorum verbis; eos esse loquutos de conceptione carnali, & de peccato causaliter & in debito sumpto.

1. QVANQVAM ad euidentiam demonstratum sit ex Conceptione in peccato tradita Deiparæ ab aliquibus Patribus, non posse ipsi inferri verum peccatum formaliter sumptum, quia per ipsos concipi in peccato intelligatur de conceptione carnali, & de peccato huic competibili: tamen quia posset aliquis licet vanè prætendere, quod conceptio in peccato applicata Virgini distraheretur à suo proprio sensu, & animationi eius aptaretur: ideò ad hoc effugium euitandum, & ad pleniorem assumpti probationem ex ipso contextu Patrum, & sensu eorum proprio saltem aliis locis tradito, concludum iterum atque iterum demonstrabimus.

2. Et primò pro nostro sensu inueniendus est S. Anselmus lib. *cur Deus homo*, cap. 15. qui licet dixerit, [Nam licet ipsa hominis conceptio (id est Christi) sit munda & absque delectationis carnalis peccato Virgo tamen ipsa vnde assumptus est, & in iniquitatibus concepta & in peccatis concepit eam mater eius & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit; in quo omnes peccauerunt.] Tamen ipse expressè id declarauit & hunc modum loquendi vsurpatum in Virgine fusè ostendit non importare peccatum formaliter sumptum, sed in debito & tatione carnis, vt legi potest *cap precedenti* §. 5. *initio.* Secundò hoc ipsum patet, quia illud peccatum tradit Conceptioni Virginis quod hic negat Conceptioni Christi, sed Conceptioni Christi non negat peccatum formaliter sumptum sed illud delectationis & concupiscentiæ, vt in citatis apparet, & iterum ibidem repetitur: ergo non dat Anselmus Virgini peccatum formaliter sumptum. His adde hæc verba haberi in Anselmo per modum dialogi, eáque vsurpata esse à Bonosio discipulo, & à se correcta, quia in sequentibus tantam munditiam concedit Virgini, vt ex ea etiam Christum extrinsecè denominatum voluerit mundum, quod omnino ostendit Anselmum non agnouisse in Virgine verum peccatum formaliter vt patet ex longo contextu eius adducto in Opusculo, & tandem expressè idem Anselmus in Epistolis ad Episcopos Angliæ mundam & celebrandam sanctámque pronunciat Conceptionem Deiparæ: quod dicta confirmat, scilicet ex suo sensu Bonosium loquutum, vel primum commutasse Sanctum Doctorem

3. Secundus oppugnator Immaculatæ Conceptionis videtur esse S. Bernardus *in Epistola ad Lugdunenses*, vbi ait: [si igitur ante conceptum sui, sanctificari minimè potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat, restat vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit Natiuitatem, non tamen & Conceptionem] Sed ex contextu patet non esse loquutum Bernardum, de peccato formaliter sumpto, nec de conceptione naturæ, at de carnali solùm; nam ibidem explicat se ostendens de hac loqui cum scribat, [An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, vt simul sanctificata fuerit, & concepta.] Quod confirmatur secundò, quia subdit: [Aut certè quomodo peccatum fuit, vbi libido non defuit, nisi fortè quis dicat, eam de Spiritu Sancto, & non de viro fuisse conceptam.] Quod non potest intelligi pronunciatum nisi de carnali conceptione, & fusè in Opusc. ex aliis aduertentiis pluribus constat.

4. Tertius denique oppositus nostro sensui videtur Rupertus Abbas super illa verba, *Meliora sunt vbera tua, lib. 1. super Cant.* his verbis. [Et tu veraciter dicere poteras, ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis lege non carebas; sed ante faciem huius amoris. peccatum nec illud, nec aliud stare potuit: ante faciem huius ignis omnis stipula interit, vt totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis nouem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua Dei sapientia domum æternam ædificaret.] Sed ipsum loqui de conceptione carnali patet ex eo quod scripsit *cap.* 13. *Gen.* de omni conceptione extra illam Christi scilicet, [nónne omnes & quæ sanctæ dicuntur mulieres præter vnicam Filij Dei Genitricem, in iniquitatibus conceperunt

perunt & concipiunt?] Et subdit, [non denegatur huc quicquam beatis Patrum sanctorum matribus, quæ magna fide progeniem beatam, de qua Deus & homo natus est, firmauerunt; verumtamen sicut in dolore pepererunt filios suos, sic & in iniquitate non solùm originali, verùm etiam in propriæ libidinis peccato conceperunt.] Et de conceptione Rebeccæ addit: [Itaque neque sine peccato libidinis concepit;] vbi manifestè nomine conceptionis intelligit carnalem, & de Virginis Conceptione superius loquens, intelligendus est omninò loqui de eadem carnali Deiparæ: vt ex contextu *c. sequenti* ponderando patebit explicitius.

5. Præter hos Patres & citata loca adducit Bandellus & alij ex ipso, Sanctum Geraldum Martyrem, Petrum Comestorem dicentes Virginem conceptam in peccato, & S. Anselmum in meditationibus enunciantem animam Dei Genitricis peccato maculatam, sed mentitur vt solet, nec eiusmodi loca inueniuntur alicubi tale quid pronunciantia.

6. Agglomerat Caietanus & annectit Patribus S. Thomam, S. Bonauenturam, S. Vincentium Ferrerium, S. Antonium Paduanum, & alij addunt Sanctum Antoninum Florentinum. Sed de his speciatim aliàs ostendemus loqui de conceptione carnalic; hic enim de Patribus loquimur, & antiquitate vsque ad S. Thomam & S. Bonauenturam iucluſiuè, qui euidentissimè conceptioni carnali non naturali Virginis annectunt peccatum, vt in peculiaribus Opusculis demonstrabimus; nam expressè S. Thomas 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *in corp. & in respons. ad* 1. & S. Bonauent. *in* 3. *d.* 3. *artic.* 1. & alij attribuunt carni peccatum causaliter sumptum: & loquentes de Conceptione etiam Virginis in peccato eam contradistingunt à prima sui animatione instituentes de eisdem diuersas separatim quæstiones, & idem apparet in Alberto Magnò, Alensi, & aliis Scoto anterioribus.

7. Nec mirum sit quod hæc tam fulgens & clarissima veritas non fuerit cum tanta certitudine & inductione animaduersa in Doctoribus, nam vt Danielis 12. scribitur apertè, *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*, & quo ad nos, ea potest dici peculiari quadam Dei prouidentia nobis illuxisse penè lecto iacentibus infirmis anno 1652. dum rure moraremur aëris salutiferi causa, & meditantibus si salus suppeteret id quod voto spoponderamus, de Immaculata Conceptione meditata diu conscribere, nam cum replicatis discursibus dicta Patrum & Sanctorum de Virgine concepta in peccato, non potuerimus vnquam rectè interpretari, quin contra Virginem expressè iudicare statueremus; illicò lux quædam affulsit inexpectata, quod forte ea essent de conceptione carnali intelligenda; quare cum libris destituti essemus, Sancti Bernardi Epistolas ad nos mitti egimus, & excogitatum ibidem inuenimus; quod etiam in S. Thoma inuestigauimus; & pedetentim in vniuersa Antiquitate inuentum, cum doctis viris contulimus, nec aliquis potuit animaduersionem non approbare, quam deinde notatam ex parte etiã vidimus à Bellarm. Incognito, Biuario, & aliis.

R. P. Vinc. Eſſari Trut. breu.

8. Approbauit item illam Eminentissimus Delugo à nobis consultus, & monuit quemdam libellum è Polonia missum hac via procedere exaratum à Patre nostræ Societatis; licet addiderit aliqua loca antiquitatis hanc interpretationem effugere, quæ quantum ego videre potui sunt paucissima & mens inditus ab ea videntur esse aliquantulum aliena. Sed vltimi Scriptores pro Immaculata pugnantes Christoph. de Veg. & Nierembergh. è scripserũt pro hoc sensu absolutè, & cẽsendus est meò iudicio certissimus, & ad euidẽtiam demonstratus non solùm in Opusculo fuso, sed in hac ipsa breuiore Trutina, vt qui eam videre dignati sunt, subscripsere. Nec ad eius euidentiam alia essent necessaria, sed vt quanta sit vis veritatis apparent, subdemus hic alia complurima & forticia capita, quæ illum indubitabilem & summè certum, & supra modum perspicuum reddant. Veritas enim magna, innumeris vtis patefit qualis est fulgentissima.

CAPVT IV.

Ostenditur denuò Beatissimam Virginem dici in peccato conceptam ratione carnalis conceptionis non primæ animationis; quia carni eius cæteri Patres expressè tradunt peccatum, & nunquam animæ.

1. VT pateat quartò euidenter ratione carnalis conceptionis dictos Patres proferre Virginem in peccato conceptam, & non ratione primæ animationis patere potest, quia cæteri omnes, sicuti & ipsi, nunquam ex secundo capite, seu ex parte animæ peccatum illi tradidere; & expressè alij merè & merissimè ratione carnis ei tradiderunt peccatum, & merè in carne, non in ipsa Virgine, pronuntiauerunt inueniri posse originale. Sic Sanctus Fulgentius *lib. de Incarnatione cap.* 6. [Caro quippè Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerit humana solemnitate concepta, caro fuit itaque peccati, quæ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.] Suprà autem *cap.* 4. initio explicauerat carnem dici conceptam in peccato ex coitu maris, & fœminæ. Similiter Damianus de contemptu mundi c. 19. *Ex ipsa carne Virginis quæ de peccato concepta est*, id est de concupiscentia, quemadmodum S. Ambros. in Psalm. 118. [Dominus Iesus venit & in carne quæ fuerat peccato obnoxia, militiam virtutis exercuit.] Et paulò ante; [De peccato peccatum damnaret in carne. Caro quippe peccatum fuerat, quia hæreditario fuerat maledicto damnatur, peccatum erat illecebra & ministra peccati.] Nec

aliter Augustinus *lib. 5.* Tidiamum; [Quid restat vt intelligamus, nisi excepta carne Christi, omnem reliquam humanam carnem esse peccati, & hinc apparet concupiscentiam illam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in corpore humano propagationem mali, quia Mariæ corpus quamuis inde venerit, (scilicet ex concupiscentia carnis) non tamen inde concepit.] Et *cap.* 24. [Nec Christus sumpsit carnem peccati, (scilicet ex concupiscentia,) quamuis de natura carnis peccati.] Sic paucis interiectis, [Corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagatione concepta fuerat, (& in eo statu carnis, scilicet fuerat in peccato concepta; peccato tamen causaliter sumpto vt patet) tamen, quando non sic conceptum est, quomodo fuerat illa concepta (per copulam carnalem) nec erat ipsa caro peccati.] Et in Hypogn. [De humana carne peccatrice carnem suscipiens.] Similiter Tertullianus de carne Christi *cap.* 16. [Confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cuius natura in homine est peccatrix,] scilicet ratione carnis conceptæ in peccato.

2. Quemadmodum ergo euidentissimè hi Patres de carne Virginis, provt merè compacta ex copula carnali, semper enunciauerunt originale quod Christo vt sic negarunt: Ita iis qui illud de ipsa enuntiauerunt absolutè, non nisi ratione carnis, & pro statu cõceptionis eiusdem carnalis sunt interpretandi, quod loquuti fuerint; & quæuis alia interpretatio debet intelligi aliena ab ipsis.

CAPVT V.

Quintò concluditur iterato nullam esse enunciationem aliquorum paucorum Patrum, quod Virgo fuerat concepta in peccato ad maculandam eius Conceptionem, quia vel ipsimet, vel alij multo plures hoc ipsum dictum euerterunt.

1. CONSVRGIT altius nostra probatio ad conuincendos nostros aduersarios, & Anselmo dicenti in citatis Virginem ex Benosio conceptam & natam in peccatis: opponimus ipsum Anselmum, si & quatenus, auertentem tale dictum *in lib. de Conceptione Beatæ Mariæ cap. 5.* [Vas electionis cognominatus omnes homines in Adam peccasse fateretur. Vera vbique sententia, & cui contradici nefas esse pronuntio, sed cum eminentiam gratiæ in te Maria Virgo considero, sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor; sic nec lege eorum in tua formatione, demeritam fuisse opinor, singulari & humano intellectui impetrabili diuinitatis virtute & operatio, ab omni peccati adiunctione liberrima:] & simile pluries in eodem libro, & in Epist. ad Episcopos Angliæ, [de cuius in hac re sincera auctoritate alias conuincemus, cum de auctoritate pro Immaculata agemus;] cui contradici non potest sine temeritate; modo pro ea lege Bar. in Martyr. die 8. Decembris, & si hæc auctoritas non est Anselmi, saltem alterius fuit Antiquissimi sibi proximi ex traditione Anglicana, vt videbimus *loco citato.*

2. Bernardo item ipsum Bernardum opponimus *serm. de Assumptione*, non absolutè vt in Epistolis, sed sub conditione & dubitatione ponentem, an Virgo originali subiacuerit; & absolutè illud auertentem, *de Cœna Domini serm.* 13. vbi ait, [Non est in filiis hominum magnus, vel paruus, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem immaculati peccatum non facientis.] Et super *Salue serm.* 4. [Libanus mens, qui dicitur dealbatio, signat altam præ omnibus innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis.] Et deinde citans Augustinum liberam omni ex parte à peccato facientem, ait: *Ex omni parte, hoc est ex parte originalis & actualis.* Quod si iste Bernardus non est, alius est illi coæuus Pater, vel proximus illi, vt ibidem probabimus: vel habito sermone de hoc vltimo loco, is locus dicendus erit sancti alterius Bernardi Archiepiscopi Toletani, de quo Iulianus Petrus in Chronico testatur anno 1110. [Diuus Bernardus Archiepiscopus Toletanus, fecit quoque sermonem super *Magnificat*; & alios quinque super *Salue Regina*, qui Domino Bernardo Claræuallis nouitio Abbati falsò inscribuntur. Ego enim habeo scriptos de manu ipsius Diui Bernardi, qui est in aliena benedictione, qui erat Beatæ Virgini deuotissimus, qui faciebat celebrare festa eiusdem Dominæ cum magna deuotione, & fecit celebrari deuotius festum Immaculatæ Conceptionis eius.] Quibus adde quod si quid minus dignum, Claræuallensis Bernardus de Conceptione Virginis senserit, retractauit se in cœlis degẽs, & apparens cuidam Fratri Cistercienſi; dum hæc apparitio approbata fuit in Officio Conceptionis, approbato à Sixto IV & composito à Bernardino de Bustis.

3. Ruperto Abbati tandem opponimus ipsũ Rupertum, cum, vt vidimus reprobantem originale in Virgine ex contextu ex multis; tum lib. 6. in Cant vbi scripsit super illud, *Duo vbera, scilicet tu inquam ô dilecta singularis libera es ab omni iugo peccati*; & nomen iugi maximè attribuitur originali, & originale præmonstrat & super ea verba, *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis*: addit, *Idcirco ancilla, id est Eua calceamentum serpens momordit, quia discalceata erat, ô filia Principis, bene calceata caput serpentis contriuisti. Tu maxime Princeps & Domina singularis dilecta, & sicut iam dixi, vna columba mea, vna Genitrici sua videlicet generationis liberæ, generationis non carnis, sed fidei*; vbi Christus non agnoscit in matre modum generationis carnis corruptæ, atque adeò vocat eam generationem liberam, nec ancillantem, sicut illam Euæ, imò destruentem originale, quo infecit Eua genus humanum.

4. Præ

4. Præterea tùm Ruperti, tùm Anſelmi & Bernardi dictis ſenſus inquinantis Virginem in originali, habemus euerſionem eodem tempore in cæteris omnibus ferè Patribus illius temporis circiter, & primò adducendus eſt qui primus ex Nierembergh. expreſsè hunc modum dicendi inuexit in Virgine Iſidorus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis *oratione de ingreſſu Virginis in Templum*, inquiens: [Decebat enim illius ingreſſus, qui concipiendæ Virginis cauſa fuit, primordialem & antecedentem cauſam, non eſſe aliam quam Dei congreſſum, vt quam fieri poſſet ſola puriſſima propheticum illud quoque euitare poſſit; *in iniquitatibus conceptus ſum*, poſsétque de ſeipſa ſola affirmare, ſola non in peccatò concepit me mater mea.] Et coætaneus S Bernardi, & familiaris Hugo de Sancto Victore, qui in morte particulam non conſecratam à conſecrata diſcreuit 3. *de miſcell. tit.* 113. [Primum priuilegium eſt, quod ſine ſorde, & ſinè viro concepit. In hoc enim immunem ſe in conceptu oſtendit ab illo præſcripto Prophetico, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.] Quo aduertit hunc verſiculum intelligi de Virgine, ſicuti viſi ſunt ore tenus egiſſe tres Patres dicti, quam euerſionem proſequitur item *collat. de Verbi Incarnatione.* Et *libello Epiſt. cap.* 1. vbi eam vocat vnicè mundam. Idem dictum euertit Gilbertus Pictauienſis Epiſcopus coæuus Bernardi *ſerm. de Virgine Maria*, loquens de eius ortu & formatione his verbis, [Ipſa quoque benedicta Virgo Maria & Filio ſuo præſeruata, poteſt dicere illud Iudith 13. non permiſit Dominus ancillam ſuam coinquinari;] nec in vita ſcilicet, nec in ortu, de quo loquebatur. Eidem euerſioni incubuit perſpicuè Goffridus S. R. E. Cardinalis *ſerm.* 3. ſcribens, [Chriſtus de Virgine carnem in Virgine non quidem ab Adam peccatore, ſed vnde Adam iuſtus animam ſuſcepit.] Caro ergo Virginis erat caro Adam iuſti, non peccatoris, ſcilicet ſic facta per gratiam, atque adeò ab originali illæſa, & deinde. [Habitabit in nobis, ſcilicet in carne noſtra; noſtram dico ſecundum carnis proprietatem, & non ſecundum peccati originem.] Et explicans quæ ſit iſta caro, ait eſſe illam Virginis, dicens: [Ipſe enim ſanctam in ſancta, immaculatam in immaculata ſtare, omnium ſuſcepit & carnem;] quæ prius differat ſine origine peccati. Similis in hoc ſenſu fuiſſe conſtat Romualdus I I. Salernitanæ Eccleſiæ Epiſcopus qui floruit anno 1159. quo obiit Sanctus Bernardus, & *ſerm. de Annunciatione*, dum dixit, *Eua maledictionem incurrit; Maria maledictionem euaſit*, ſcilicet originalem, quam illa contraxit. Nec abſimilis Galfridus Antiſiodorenſis Monachus Ciſtercienſis, & diſcipulus Sancti Bernardi in illud num. 24. *Orietur ſtella ex Iacob*, inquit, *mira res, humanum genus ex limo fœtum eſt etiam ante culpam, & quomodò tam inde ſtellam? quomodo ex terreno germine ſyderea proles, ſcilicet Virginis*; vbi comparat eius ortum naturæ humanæ integræ, & illum poſtponit ortui Virginis, qui omnino debuit eſſe ſine peccato: ſi enim cum peccato, ſuperior eſſet illo Virginis, vt liquet. In officio Sancti etiam Northberti, *Aue Virgo Spiritu Sancto præſernata, qua de tanto parentis primi peccato triumphaſti innoxia*, quod dictum confirmatum eſt ex hiſtoria tradita à Ludouico vndecimo 1545.

5. Beatus Ioſephus Hermanus, *Gaude Virgo nunquam aren: in ui Deo vere tota fixa manens, & immota.* Petrus Bleſenſis ſerm. 4. de Aſſumptione. [Ex communi viri & mulieris maledictione facta eſt immunis, quâ dictum eſt ei in cinerem ibis, vnde ab Angelo benedicta dicitur, quaſi à primordiali delicto liberata.] Nicolaus Monachus qui dixit Petro Cellenſi feſtum repudianti, non neganti veritatem Conceptionis Deiparæ, [Virginis ipſius animam gladius pertranſiuit, non ſolùm in filij paſſione, ſed etiam nuper in Conceptione ſuæ condemnatione.] Quo vult Virginem agnouiſſe non benè dictam Conceptionem eius in peccato. Antonius Auguſtodunenſis 2. cant. cap. 5. *Nullas cuiuſuis peccati tenebras habuit.* Adrianus I V. Anglus, qui regnauit poſt Bernardi mortem, teſte Poſſeuino *in apparatu ſacro, litt. D.* ſcripſit ante Pontificatum de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ ad Petrum Pontiniacum *libro primo*, & feſtum paulò poſt Conceptionem præcepit celebrari Comnenus Imperator Orientis, vt notat Baronius *tom* 12. *anno* 1156. *numero* 4. *fol* 686.

6. Hic autem prætereo complures alios, Petrum Comeſtorem, Fulbertum Carnotenſem, & Yuonem, Adamum Victorinum, Riccardum allegari ſolitos in hac ætate & alios plures, quos recenſet Nierembergh. præſertim Manuelem Palæologum *de dormit. Beatæ Virginis*, qui dixit, [nunquam Virgini non fuit conjunctus Deus, ſtatim atque in vtero ſterilis matris cœpit eſſe.] Et Abſalonem Abbatem anno 1120. *ſerm.* 3. *de aſſumpt.* 22. *in ordine*, [Plena fuit gratia bonorum naturalium, quam Spiritu Sancto præueniente ſecundum dignitatem primæ conditionis, (ſcilicet ante peccatum Adæ) ſola inter filias accepit.] Et *ſerm.* 44 [Sequeſtrata ab originali & actuali peccato, Spiritus Sancti mundatione fuit purificata;] qui omnes aliàs ſunt ponderandi plenius & euincendi pro Immaculata Conceptione ex contextu & aliis locis: modò tantum animaduertatur, quod ſi hi tres dicti Patres pro aduerſariis ſtarent, eorum dictum euertitur omnino à tam excedente oppoſita auctoritate Patrum Gallorum, Anglorum, Italorum, Belgarum, Germanorum circiter viginti, ipſomet ſæculo Sancti Bernardi, quibus ſi adiungatur aliis ante ſe, & circa tempora ipſius Anſelmi, [in quo ſolùm inuenitur Verbum oppoſitum ex Benoſio;] videbis innumeros pro Immaculata Conceptione, quos attendes in catena conſtruenda P P. pro Immaculata Conceptione contendentes. Interim alios complures Patres leges *capite decimo nono* apud Nierembergh.

Nec aliquis hic vrgeat contra, quod ſi caro peccati conceditur Virgini à PP. hoc non poſſit de ea verificari, niſi anima eius vero peccato infecta eſſe dicatur: nam tantundem eſſet hoc inferre ex hoc capite, quàm ex eo quod cœli

moueantur, dicatur quod baculus sit in angulo: nam si quis ab originali esset re vera præseruatus, non propterea eius caro remanente fomite, desineret esse caro peccati; & si filium generaret, vtique originali infectum generaret. & cum priuatione gratiæ, præcipuo nouo priuilegio: & per consequens non nisi carnem peccati & de sua carne peccati quare nulla ratione ex carne peccati, potest inferri originale in re in anima Virginis vt ad euidentiam patet, sed ad summum peccati fomitem non extinctum, quod modo aduersariis permittimus, nec de hoc controuertimus.

CAPVT VI.

Annectitur sextò non posse maculari Conceptionem Immaculatam ex dicto Patrum quod concepta fuerit Virgo in originali, ex eo quod bene cohæret hoc dictum, cum non inquinatione animæ eius in re.

1. IN II. item probare dictum Conceptionis Deiparæ in originali vsurpatum à Patribus circa immaculationem animæ eius in prima infusione in corpore; constat perspicuè ex eo, quia bene cohærent hæc duo dicta, nec vllam habent incompossibilitatem; videlicet quod Beatissima Virgo fuerit concepta in peccato originali, & de reliquo in prima sui animatione priuata non fuerit gratia, sed ea prædita, atque adeo omninò Immaculata in Conceptione sua naturali & primæ animationis Ergo ex eo quod Patres asseruerint primum, non potest inferri contradictorium. Secunda consequentia est manifesta: nam si vnum antecedens bene stat cum quodam consequenti, ex dicto antecedente non potest inferri contradictorium talis consequentis, sed potius ipsum consequens: quemadmodum si sensibile bene cohæret cum rationali, ex sensibili non potest inferri negatio rationalis, sed si quid posset ex hoc inferri esset rationale, & dici; ergo aliquid sensibile est rationale: similiter in casu nostro si potest euenire, nec repugnant hæc duo ex natura sua, scilicet dici Virginem conceptam in originali, & in prima animatione eam habere gratiam, & non excludere originale: ex primo non potest inferri absolutè exclusio originalis in dicta prima animatione.

2. Quod autem prima duo recta cohæreant, nec ex natura rei repugnent, patet manifestè, quia certum est quod potuit Deus ex absoluta potentia non variato ordine rerum præsenti, & stante lege de peccato originali, præseruare Virginem ab originali & in prima animatione sui illud expellere ab anima ipsius, infundendo eidem gratiam sanctificantem & in tali casu, quando ipsa habuisset debitum contrahendi originale, vt dicunt ipsi Aduersarij, in sua conceptione carnali, bene posset & deberet dici concepta positiuè in peccato originali, nec fuisset dicenda à Patribus iuxta eorum modum loquendi, præsertim in antiquis, non concepta in peccato originali, neque caro eius non infecta eodem originali: ergo in eo concepta positiuè, & per consequens rectè cohærent hæc duo dicta prout supra, quod erat probandum. Hoc vltimum antecedens patet euidenter: nam vt vidimus verum est, quod pro statu suæ organizationis iuxta modum loquendi PP. potuit dici concepta, nam verum fuit eo tempore dici eam concipi, nec potuit dici concipi sine peccato, quia si in carnali conceptione non posset dici concipi in peccato, eius caro non esset infecta, nec inficere posset animam Virginis; vnde ea non fuisset habitura debitum originalis contra suppositum & sensum ipsorum aduersariorum. Si autem dicatur, quod eius caro fuit infecta, hæc infectio non fuit nisi originalis, & sic bene potuisset ea dici concepta in originali, & Virgo ex parte ipsius. Quæ doctrina patebit iuferius euidentius ex paritate Christi Domini, & modo id potest ostendi ex eo, quia certum est quod Conceptio ista carnalis Virginis esset differentissima à carnali Christi Immaculatione; nam illa Christi esset Immaculata, contra verò ista Virginis deberet esse maculata, atque adeò in peccato, non quidem formaliter, sed causaliter. Quod sufficit ad hoc vt rectè & secundum loquutionem Theologicam potuerit Virgo dici concepta in peccato. Ex hoc ergo quod sic dicatur concepta, nullo modo nisi vano & futilissimo, possunt aduersarij inferre, quod Sanctissima Virgo in prima sua animatione fuerit in originali immersa.

§ II.

Ostenditur hæc cohærentia dictæ Virginis conceptæ in originali cum eius immunitate ab eo in prima animatione, authoritate Doctorum, & aliquorum Patrum.

1. QVod cohæreant hæc dicta & sensa eorum, videlicet Virginem dici conceptam in peccato & immunem fuisse ab originali in prima sui animatione patet, quia plures Doctores vtraque hæc dicta admisere & protulere. Pro qua re est Baconius manifeste, qui *libro terno, quodl. quæst.* 13. asseuerat, [dicere quod Beata Virgo fuerit priuilegiata ne de facto contraheret originale temerarium est;] Quare voluit ipsam omninò contraxisse, & conceptam fuisse in

in originali: & tamen sensit in prima animatione maculam veram peccati non incurrisse. nam *in 4. dist. 2. quæst. 3. art. 3.* scripsit. [Dico, quod mox per priuilegium speciale in hora conceptionis fuit cauta, & necessitas contrahendi originale in Matre Dei extincta, vt de iure priuato, illa in animatione non contraheret originale, quò notatur culpa, & macula in anima.] Quam necessitatem pluribus ostendit fuisse in Virgine ante animationem, propter quam dixit sæpè Virginem incurrisse & conceptam fuisse in originali: similiter Sanctus Thomas *Opuscul.* 8. vbi expressè in exemplaribus antiquis, sicuti *in primo sent.* immunem & extorrem facit ab originali Beatissimam Virginem, & tamen ibi repetit illam conceptam in originali peccato, quod suo loco demonstrabimus certissimum, quare hæc duo dicta cohærent in Scriptoribus Sacris.

2 Pro qua re facit id quod Bandellus dicit de Comestore, qui expressissime & ab originali immunem declarat Virginem & dicitur ab eo dicta concepta cum culpa & pœna, & simile, quid inuenitur in S. Bonauentura, Alberto Magno & Alensi nec non S. Vincentio Ferrerio, qui dicit Virginem in peccato conceptam, & tamen alibi declarant, quod eius conceptio fuit fulgida sicut lux, & sine tenebris, & idem potest aduerti in S. Antonino, & in reuelatione quæ creditur conficta, & traditur Sanctissimæ Catharinæ Senensi, provt refert idem Sanctus. id quod etiam patet ex Riccardo de S. Laurentio qui multoties dicit absolutè Virginem in peccato conceptam, & tamen alibi animam eius incoinquinatam tradit ab originali & expressè hoc declarauit, *lib. 12. pag.* 1042. dicens: *Sicut generatur quis primo carnaliter, & postea regeneratur spiritualiter in Baptismo, qui dicitur lauacrum Regenerationis & renouationis ad Titum 3. Sic beata Virgo potest dici concepta in originali, & re concepta in sanctificatione, & sub hoc respectu potest celebrari conceptio eius:* quæ omnia inueniuntur in editione Duacensi & in antiqua Argentinensi, & *lib. 1. cap. 1.* dicit eam immunem ab omni peccato, & expressè *ibidem* ab originali peccato sanctificatam in vtero, quod in ea non potest per ipsum intelligi præfuisse; quemadmodum de cæteris peccatis non potest intelligi taliter sanctificata. Sic etiam loquitur variis in locis fusè adductis à Nierembergensi & aliis, quæ addemus alibi. Hæc item duo non pugnare, potest patere extra dicta in Philippo Diacono coæuo Sancti Bernardi, qui apertè Virginem immunem ab omni peccato facit, & tamen filiam iræ pronuntiat, quam dicit esse filiam gratiæ.

***

CAPVT VII.

Ostenditur septimo benè intelligi Virginem dictam in peccato conceptam à Patribus, intellectis loqui de carnali; ex destructione primi Aduersantium fundamenti, quod non possint loqui de Virgine in tali sensu; quia ipso tempore eiusmodi Conceptionis, non erat.

1. AD firmandum septimo Virginem dictam in peccato conceptam, non esse sumendam nisi pro statu conceptionis carnalis, probatur efficacissime & destructione principalis fundamenti falsissimi, quod assumunt aduersarij consistentis in eo, quod pro tali statu, Virgo Beatissima non fuerit; atque adeò non potuerit dici concepta in peccato, nam dum aliquod ens compositum est in sua entitate; licèt non existat ratione omnium sui partium, sed ratione vnius solum; potest omnino denominari tale, & quod sit, si vna sola pars eius existit: quod verum est in omni prorsus scientia, sic apud Rhetoricos Nauis dicitur rectè construi, etiam si sola puppis carina construatur; optimè dicitur fabricari domus si parietes erigantur, & sic de similibus in omnibus artefactis, apud Philosophos, item compositum ignis in omni rigore dicitur generari, etiam si altera pars eius secundum solam materiam primam existat quando dicitur generari, apud Theologos item celebre dictum est, quod si Christus Dominus conceptus fuisset opera viri, contraxisset originale, & tamen pro eo signo non existeret nisi ratione partis materialis, & de cætero non esset in mundo nullum eius suppositum; neque diuinum communicatum humanæ naturæ, quæ Doctrina est manifesta in Scripturis & PP vnde *Genes. 2.* scribitur. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* Figurauit scilicet eum in materiam luti, quando non habebat animam, mater etiam illa Machabæorum 7. testata est nouem mensibus gestasse in vtero filium, dicens: *Fili miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus gestaui.* Et Lucæ 1. Angelus Deiparæ: [*Ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in Senectute sua, & hic mensis est sextus illi.* Vnde cum de conceptione loquatur, ex qua numerabatur sextus mensis, & non nisi carnalis hæc fuit; filius certè nominabatur esse illa caro coagulata ex semine. Sæpè etiam in Scripturis caro stat pro toto homine, sicut & anima, ambæ partes eius, vt notat Sanctus Fulgentius latè *lib. de Incarnat.*

cap. 9. Sic dixit Adam de Eua, *os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, & in scriptura hoc ipsum aliqui vsurparunt de suis cognatis, quod omnino euidenter constat in Scripturis.

Suffragantur eidem sensui in hisce Scripturis & alus locis communiter etiam Patres & Expositores, & latè pro hoc sensu in terminis loquitur S. Augustinus libro de origine animæ ad Renatum scribens: *Constabit manifestè, quod quæ partis hominis conueniunt, rectissimè dicuntur conuenire toti, tum quia quicquid conuenit etiam ipsi toti; quia totum est sua pars si non adæquate, saltem inadæquate.* Et cap. 17. *Ex parte tota natura humana dicitur quæ per mulierem nascitur, sine sola caro.* Vbi per plura idem ostendit, & deinde exemplificat de Christo, qui dicitur sepultus, cum tantum caro eius fuerit sepulta, & sic de similibus, quare cum hæc doctrina dicatur ab Augustino constare euidenter, non est immorandum in ea, & tantum aduertendum quam futiliter & temere Aduersarij eam vt falsam, quæ verissima est, prædicent: & vt nullius ponderis habeantur ab omnibus eorum verba, quæ passim sic errant, vt in sequentibus etiam apparebit in secundo, & tertio fundamento, quo nos vrgent in hac re, ac si aliquid veri & indubitati afferrent: cum vere sit mera falsitas quicquid afferunt.

CAPVT VIII.

Demonstratur octauo Conceptionem Virginis Patribus dictam in peccato, esse carnalem ex destructione omnimoda secundi fundamenti prorsus inanis, quod non possit intelligi de ea; quia ipsa non est capax peccati.

1. SECVNDVM præcipuum, & grande fundamentum, vnde nostri aduersantes hoc effatum Patrum aliquorum, quod fuerit Virgo Beatissima concepta in peccato, nolint posse intelligi de conceptione carnali, ducitur ex eo, quod non potuerunt loqui Patres dicti, de peccato residente in carne, quia caro non est subiectum peccati capax, sed sola anima: quare dum eam dixerunt conceptam in peccato, loquuti sunt de ea, vt habente animam rationalem peccati capacem.

2. Sed ruit hoc fundamentum vt vanum, & futile, & nullius prorsus ponderis, indignúmque docto viro versato in Scripturis & PP. necnon in lectione Theologorum apud quos passim notatum habetur, quod peccatum potest accipi multipliciter, & de facto videtur aperte quod sumatur a Scripturis Theologis & Patribus multipliciter; nec non in communi vsu loquendi, loquendo etiam de peccato originali, vt patet apud Doctores communissime, & dubitare de hac re, est dubitare de luce solis refulgente in meridie, & legi potest pro ea Suarius t. 2. & Nierembergius *de Except. Concil. Trid. cap.* 26. & alibi.

3. Ex quo manifestè concluditur, quod si Virgo dicitur concipi in peccato; ad hoc vt verificetur de ea talis propositio, non est necesse quod intelligatur dicta concipi in peccato, accepto peccato secundum sua formalia, & eo signato modo, quo determinatur ab aduersariis: sed vno ex pluribus modis, qui carni rectè conuenire potest; quo casu peccati solet tam frequenter appellari: quamobrem futilissima est hæc probatio & indigna Theologo, quod eo modo sit dicenda & intelligenda dicta Virgo in peccato concepta, secundum modum & genus peccati determinatum ab aduersariis; quemadmodum si de aliquo diceretur quod exiit in plateam: hæ autem essent tres, vel quatuor, & audiens intelligi vellet hoc dictum de platea sibi proxima, & præcipua, stultè hoc intelligeret si vellet ita de re intelligi, quia fortè ille exiit ad aliam plateam: non aliter in casu nostro vt perspicuum est: non solum autem pro re nostra peccatum apud Scripturas, Patres, & Theologos accipitur multipliciter, sed concipi specialiter in peccato & peccato etiam originali; multipliciter ab iisdem sumitur. vel enim stat pro concupiscentia & fomite, (quam dici peccatum definit Concilium Tridentinum) & peccatum originale etiam solet appellari, quia traditur originaliter à posteris Adæ; peccatum etiam originale dicitur concupiscentia ipsa actualis, sæpe peccaminosa, vel inclinans ad peccatum, quæ etiam originalis dicitur, quia est effectus peccati originalis, & tandem peccatum originale dicitur tale, vel causaliter, vel formaliter, & formaliter est ipsa priuatio gratiæ: causaliter verò est delatiuum & necessitas incurrendi in hanc priuationem, ex eo quod generatio hominis alicuius, est ex semine corrupto, & infectiuo animæ rationalis: Patres autem vt vidimus concipi in peccato omnibus illis modis explicant intelligi, quare non valet inferre quod quando dicunt Virginem conceptam in peccato, id de ea dicant in sensu, secundum determinatum modum ab aduersariis præscriptum. Imò ad euidentiam hoc patet, quia & si apud Patres & Antiquiores Theologos, concipi in peccatis explicetur secundum varios modos, nunquam nec ab vno Patre prorsus explicatur, hoc concipi secundum sensum signatum ab aduersariis: quare nulla probabili ratione licèt eos interpretari, quod loquantur de Conceptione Virginis in peccato, accepto peccato formaliter sumpto, sed aliquo ex aliis modis, quæ omnia sunt euidentia in Patribus, & Theologis antiquis ex relatis supra videlicet *capite tertio*, quique item semper conceptionem signauerunt in carne, non in prima animatione: atque adeò nunquam loquentes de peccato Conceptionis; sermonem habuerunt de illo quod residet in anima, pro quo recole, quæ attulimus ex S. Anselmo expressè, nec non à

Bellar

Bellarmino, Incognito *super Psalmos*, Biuario & aliis: imo & ab ipso Caietano & expositoribus omnibus Sacræ Scripturæ, ad quod etiam habes expresse in S. Thoma 1 2. & S. Bonauentura *in* 3. *dist. disp.* 3. *art.* 1. & alibi nec non in omnibus Theologis, tum antiquis tum recentioribus, qui agnoscunt & explicant peccatum residens in carne scilicet causaliter, & vnde inficitur ipsa anima rationalis, de quo Caietanus ipse scripsit *Opuscul. de Conceptione*, per totum *in variis capitibus*, & alij etiam ex aduersariis communiter.

CAPVT IX.

Confirmatur nono dictum de Conceptione Virginis in peccato originali apud Patres esse determinandum ad carnalem, non ad primam eius animationem, ex destructione tertij fundamenti, quod conceptus in peccato causaliter, ex necessitate infertur in prima animatione esse ab eo infectus formaliter, & sic ex necessitate saltem ex hoc dicto Beatissima Virgo inferretur in anima affecta Originali formaliter sumpto.

1. TRIVOLISSIMVM vltimum fundamentum Aduersantium ad probandum intentum sumitur, quia valet inferre in ceteris posteris Adæ, quod si ij concepti sunt in iniquitatibus; accepta Conceptione pro carnali ex necessaria & absoluta consequentia sint dicendi, quod quando habuerunt animam, contraxere originale formaliter sumptum in prima sui animatione: cum ergo à Patribus aliquibus Virgo dicatur concepta in carnali conceptione, sicuti ceteri in iniquitatibus: censenda est in prima animatione similiter subiacuisse peccato formaliter sumpto & priuata gratia sanctificante; sed nullum est hoc fundamentum, quia nihil prorsus inuenitur apud Patres quod excipere posset aliquem sanctum hominem conceptum carnaliter in peccato à contractione eiusdem formaliter sumpti in anima: atque adeò valet inferre 2. à 1. ab eis asserto, contra vero in Virgine pro prima sui animatione; quia illi ipsi in aliis locis quoad animam vel immunem prorsus fecere, & expresse à peccato originali: vel absolutè ipsam omni macula expertem asseuerauere, vel aliqua de Virgine Sanctissima prodidere, quæ omninò ostenderent, eos velle eam à tali maculatione in anima prorsus alienam, nec vllo modo comparabilem cum vllo ex Sanctis; quæ omnia sunt manifesta apud Patres dictos, in iis etiam, quæ de eis attulimus & patebunt ex afferendis *infra*. Vnde modus argumentandi allatus ab Aduersantibus nullus esse prorsus ostenditur.

2. In similibus item fit perspicuum eiusmodi argumentationem esse prorsus ineptam, quia incineratio est pœna necessariò connexa cum mortalitate, & Beata Virgo mortalis dicta est & morti subiecta, & de facto mortua; sed non inde potuit inferri incinerata vel incineranda. Similiter ea dicta est à Patribus corruptibilitati subiecta, cum qua sunt necessario coniuncti dolores, & sordes partus, & alia huiusmodi; nec tamen licet, vel licitum vnquam fuit, hoc inferre in Sanctissima Matre, quæ fuit omninò illius expers; afflictiones etiam huius vitæ sunt necessariò connexæ cum peccato originali, & in ceteris posteris Adæ, valet inferre ex eis originale tanquam causam ipsarum; & tamen hoc falsum & temerarium esse declarauit Gregor. XIII. *in Bulla contra Michaelem Baium*, asserere de Deipara, quare falsa est hæc vniuersalis doctrina, quod si in aliquo primo necessariò connexo cum secundo connaturaliter loquendo, Deigenitrix conuenit cum ceteris posteris Adæ; valeat in eadem inferre secundum, quare etiam si dicatur Beatissima Virgo Concepta in originali, & ad hanc Conceptionem in originali, necessariò sequatur ex natura rei maculatio originalis in re in anima: ex primo dicto non potest inferri secundum in Patribus, quod erat demonstrandum, & latius demonstrabitur ex valdè multiplici capite in Opusculo de Sacris Scripturis contra nostrum sensum adductis ab Aduersariis.

CAPVT X.

Probatur decimo efficacissimè Virginem Deiparentem ex Conceptione carnali recte dictam in peccato conceptam absque maculatione primæ suæ animationis, eò scilicet quod benè dicitur vel ab iisdem Patribus, vel ab aliis eius Conceptio carnalis sancta & munda.

1. NON benè posse vlla ratione intelligi Deiparam dictam à Patribus in peccato conceptam conceptione sumpta pro carnali, ex eo fortiter concludere putant aduersarij, quia caro veri peccati capax non est; ex quo inferunt quod quando ei tribuitur peccatum, de prima sui animatione sit sermo: atque adeò de conceptione eius naturali & in integra sui humanitate: quod falsum esse vltra adductas probationes, decima hæc concludet apertissimè: quia sicuti veri peccati non est capax caro, ita neque veræ sanctitatis vt communiter aduertunt Theologi

cum

cum S. Thoma *in* 2. sæpè citato *distinct.* 3. & ipse Sanctus Doctor specialiter habet *in* 3. *part. quæst.* 27. *art.* 2. Quemadmodum ergo conceptio ipsa carnalis Virginis dicitur rectè Sancta, pura, & munda, sanctitate puritate & munditie non accepta formaliter, sed vel causaliter, quia erat causatura sanctitatem in animam, vel vt alij loquuntur ordinabiliter directa vel ordinata ad animam: ita in omni vero sensu vsurpato in simili de peccato, potest & potuit intelligi dicta Deipara sic concepta: nec est aliquid in hac explicatione repugnans; sed congrue dictum ex hac paritate; nec repugnat quod possit dici caro sancta & concepta in peccato; nam vel hoc debet intelligi dictum à diuersis Patribus ita vt aliqui dixerint primum, alij secundum, vel sub diuersa consideratione iidem dixerint vtrumque vt supra explicauimus ex Bachonio & aliis.

2. Id quod confirmatur magis, quia vt patebit infra, quemadmodum Patres aliqui corpus & carnem Virginis pro statu carnalis conceptionis dicunt, expresse sine macula & contagio, non formali, ita & idipsum de eadem conceptione carnali potuerunt dicere quod fuerit in peccato, non formaliter sumpto, sed causaliter vel alio modo: eadem enim ratio est de affirmatiua, ac de negatiua propositione.

3. Quod autem Conceptio Virginis carnalis appellata sit sancta, munda, & pura & expresse sine macula vel contagio corporis, patebit infra ex variis & valde pluribus auctoritatibus Patrum, & ex Sancto Anselmo patuit, quemadmodum & ex Damiano potest intelligi dictum; qui Virginis carnem dixit conceptam de peccato; & carnem eandem dicit immaculatam, & maculas Adæ non admittentem; quia de peccato conceptam intellexit Virginem, in quantum à concupiscentia habituali, vel actuali parentum suorum ipsa prodierit; & maculas Adæ non admiserit, quia vel in se non admisit debitum proximum inficiendi animam, vel quia coniuncta cum anima, propriam peccati formaliter sumpti maculam excluſit ex priuilegio Dei speciali.

CAPVT XI.

Confirmatur vndecimo eiusmodi dictum Patrum de Virginis Conceptione in peccato intellecta pro carnali & ratione eius, sine vlla formali affectione peccati in anima ex auctoritate & sensu Sancti Thomæ.

1. AVCTORITAS Sancti Thomæ in hac re, qui ostenderetur verè non dedisse peccatum formaliter sumptum in prima animatione Virginis, sed Deiparam diceret in peccato conceptam ratione carnalis conceptionis, & extendentis in anima solum debitum non formale originalis; penitus Aduersantes prosterneret: qui in eo fere totaliter fundantur, atque hæc ipsa in præsenti suffragatur nostro sensui: nam & S. Thomas dum dicit, & concedit maxime ex Bernardo, Dei Matrem conceptam in originali, vel originale contraxisse & in originale incidisse; loqueretur de prima animatione Virginis, & peccato in re ab anima eius contracto, nec sermonem haberet de conceptione carnali, & mero debito; sequeretur quod ipse esset damnatus ab Ecclesia de propositione falsa, & erronea: consequens vel est falsum, vel si verum est, omnem dirimit fidem S. Thomas in hac materia, qui turpiter cum errauerit in vno, non meretur fidem in alio cum primo connexo: ergo omninò conceptio in peccato data Virgini ab ipso Sancto Thoma, non est censenda applicata primæ animationi eius, ita vt enunciet in ea verum peccatum formaliter sumptum, sed solum carnali conceptionis eius, & animæ in debito: sequela autem argumenti patet manifeste, quia ipse dixit quod contra fidem sit dicere aliquem ex posteris Adæ exceptum à contractione originalis, si autem loqueretur de actuali contractione peccati in re formaliter sumpti; ergo diceret (quod contra fidem esset) hoc tale negare de Virgine esse erroneum: quæ propositio est damnata his expresse à Sixto IV. in duplici *Graue nimis*, & pluribus Pontificibus, & eodem Tridentino vt omnes concedunt & probe tenent. Sanctum autem Thomam censurare propositionem, qua quis eximeretur ab originali extra Christum; quam admittit Sixtus IV. patet ex 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 3. *in corp.* vbi dicitur, *Respondeo dicendum, quod secundum fidem Catholicam tenendum est, quod omnes homines præter solum Christum ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt*, & alibi: Sixtus autem admittit vnam ex his, scilicet Virgnem non contrahere, & damnat damnantem hanc affirmatiuam.

2. Patet secundo hæc veritas ex S. Thoma, quia cum viderimus eum loqui de conceptione inuenimus loqui de carnali: ita quando inuenimus eum loquentem specialiter de conceptione Virginis in peccato, non nisi de carnali debemus intelligere, quod loquatur, & omnis alia interpretatio, quæ hisce vltimis verbis daretur aliena à primis, esset omnino distorta, vt vtique nisi cæco patet liquidissimè.

3. Tertio *ex* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. Vbi instituit quæstionem an Beatissima Virgo fuerit sanctificata antequam eius conceptio finiretur, quæ quæstio non poterat ab eo institui, nisi sermonem haberet de carnali, vt minimum discurrenti liquet.

4 Quarto ostenditur ex his quæ habet ibidem, vbi loquitur de sanctificatione quam Maria Dei genitrix potuit habere in parentibus & scribit: *Id quod est meritorium gratiæ, sanctificationi non repugnat; sed actus matrimonialis meritorius esse potest, ergo in ipso concubitu maritalis parentum Beata Virgo sanctificari potuit.*] & respondet *Parentes Beatæ Virginis radix eius fuerunt per actum naturæ propagationi deseruientem, vnde nisi natura in eis sanctificata fuisset,*

non

non posset ex eis sancta proles concipi, sed vitiata propter vitium naturæ in eis remaneret. Quare loquitur de conceptione habita per actum matrimonialem propagationis naturæ, quæ non est nisi carnalis.

5. Quinto idem liquet *in corp. art.* vbi dicitur: *Ad primam quæstionem, dicendum quod nullum modo in parentibus sanctificari potuit, neque etiam in ipso actu conceptionis eius.* Vbi pro actu eius, quis non videt agere de conceptione carnali & non de prima animatione, & perspicuum fit ex sequentibus, quod loquatur de actu qui sit corporalis, nam subdit: *Conditio enim personalis parentum non transit in prolem,* (quarto scilicet per eiusmodi actum) *nisi sit ad naturam corporalem pertinens.*

6. Sextò idem ostenditur ex Sancto Thoma quia subdit ibidem: *In Statu viæ parentes eius curati non fuerunt, ita vt prolem suam concipere possent sine peccato originali: & ideo Beata Virgo in originali peccato fuit concepta* Vbi nemo non videt non loqui S. Thomam de prima animatione Virginis.

Septimò item clare liquet, quia sequitur Sanctus Thomas: [Propter quod Beatus Bernardus ad Lugdunenses scribit conceptionem ipsius non esse celebrandam quamuis in quibusdam Ecclesiis ex deuotione celebretur, non considerando conceptionem sed eius potius sanctificationem, quæ quando determinate fuerit certum est.] Si autem loqueretur de conceptione sumpta pro prima animatione: sanctificatio eius & conceptio in tali sensu, posset pro eo tunc, celebrari, quia fuit sanctificata vel immediate post animationem primam vel eadem hora, vel die, vt solet dici.

Octauo hoc ipsum euidentissimè liquet, quia respondens quæstioni ait, hic Sanctus Thomas: *Ideò ante infusionem animæ rationalis Beatissima Virgo sanctificari non potuit.* Ac proinde infertur vt in peccato concepta: quare de conceptione loquitur antecedente ad animationem, quæ non nisi carnalis est quæst. & 9. quia ibidem loquitur de ea conceptione, quæ erant incapax sanctitatis, quæ non nisi carnalis, id quod repetit 3. *part. quæst.* 21. *art.* 2. Vnde indubitata est mens S Thomæ in hac re.

CAPVT XII.

Confirmatur duodecimo Conceptionem Virginis in peccato dictam esse meram carnalem, vel mere ratione carnis ex auctoritate principaliũ Thomistarum, atque adeo concluditur non attributum peccatum formaliter sumptum, eius primæ animationi.

1. CErtè non video nec aliquis ex Doctoribus non aduertet, quid amplius desiderari possit ad præscriptam veritatem pro indubitata tradendam, quando Præcipue ipsi aduersantium primates, & magistri, subscribere illi ostenduntur, eumque probare, cum ex proprio sensu, tum ex illo tradito S. Thomæ, quem propositiones illas enunciantem, videlicet omnes posteri Adam contrahunt, incurrunt originale, vel similes; interpetrantur & asseuerant esse interpretandas de contractione non in re, sed in debitrice potentia, atque adeò omninò vel in conceptione carnali Virginis, vel ratione eiusdem.

2. Vt hoc omnium oculis pateat adducemus primo ipsissima verba Caietani cæterorum magistri, qui primo allegata S Thomæ verba in prima ratione afferens eidem doctrinæ subscribit dicens: [Quod dictum non est intelligendum aliter, ad de morte quæ est pœna peccati originalis, quod sicut omnes mortem, id est necessitatem moriendi; ita omnes incurrunt originale, id est, necessitatem habendi originale, & sicuti non spectat ad fidē an singuli moriantur actualiter, an diuina dispositione aliquis non moriatur: ita non spectat ad fidem an aliquis ex speciali prærogatiua gratiæ, non incurrat actualiter originale peccatum: de vtroque enim simul dicit Apostolus ad Rom. 5. per vnum hominem intrauit in mundum, & per peccatum mors.] Secundus comentator S. Thomæ Ioannes Perrecta in idem recidit cum Caietano super *q.* 27. *S. Thom. art.* 3. dicens: [His concipiatur scilicet Virgo sine peccato originali, scilicet quantum est ex vi conceptionis, loquitur enim formaliter, vt decet illustrem Doctorem maximè Scholasticum; quod verbum sic esse glossandum comonet etiam, præter solum Christum: comparatio enim supponit terminos comparatos teneri in eodem sensu, alioqui non esset bona, sed derisibilis seu abusiua comparatio, vt patet. Cum ergo de conceptione Christi ex vi conceptionis, verificari sciat S. Thomas, quod est sine peccato originali, non mirum imo valdè congruum, sed & necessarium fuit, quod conceptionem cuiuscumque alterius comparando conceptioni Christi (hanc solam scilicet dicendo sine originali) acceperit aliorum quorũcumque conceptionem in hoc eodem sensu ex vi scilicet conceptionis:] Vbi idem est Virginem ex vi conceptionis contraxisse originale, at non de facto contrahere, sed debere contrahere per ea quæ ex vi sua affert conceptio, licet ea in actu non prodierit ex diuino priuilegio.

3. Et tandem scrutator & perpensor omnium locorum Sancti Thomæ in aliqua re controuertibili de sensu & probabilitate eius dicti, Ioannes à Sancto Thoma *articulo* suo *secundo*, quo mentem Sancti Doctoris in hac re inuestigat; docet id ipsum in hæc verba, *numero decimo septimo. Secundò pondera, quod ad liberationem per Christum disiunctiuè postulat Sanctus Thomas vel debitum, vel culpam in eo, qui redimendus est: ergo si sufficienter saluat Sanctus Thomas redemptionem per Christum in aliquo qui solum nasceretur cum debito, non amplius requirit quando loquitur de Virgine, nec infertur pro inconueniunti de Virgine,* (& per consequens vult Ioannes, quod aliud quam debitum, in Virginem non affigit, dum eam dixit conceptam in originali,

vel incurrere in originale, *Quia alias non indigeret redemptione per Christum: intelligit enim, si conciperetur sine debito, aut sine peccato, non tamen si conciperetur sine peccato, dummodo conciperetur cum debito, in persona, & quoties Diuus Thomas infert quod non indigeret redemptione, his non indigeret, est; quia excluditur etiam debitum; hoc enim si daretur, sufficit ad indigentiam liberationis, vt ex isto loco colligitur.* Quando ergo per Sanctum Thomam & Ioannem dicitur Virgo Concepta in originali, quia alioqui non esset redempta, neque per Sanctum Thomam neque per Ioannem intelligitur ipsa in re habuisse originale formaliter, sed merum debitum, quia si intelligeretur vt in peccatum formaliter sumptum prolapsa, non benè hoc diceretur de ipsa ex dicta causali, quæ quid tale non infert; nam indigentia redemptionis debitum infert, non actualem contractionem peccati formaliter sumpti: notat ibidem Ioannes non solum Caietanum esse huius sensus de debito solum adscripto Virgini circa originale in eiusmodi dictis: sed etiam Medinam, & addit quod ceteri commilitones Caietani explicant Sanctum Thomam quando ait, quod omnes posteri Adæ contrahunt originale, quod sit intelligendus de lege communi loqui, relinquendo semper locum priuilegio, & id quod dicit Caietanus quod dictum vniuersale sit de mero debito; ipsi interpretantur ex vi legis ordinariæ, quod in idem recidit & pro hoc sensu citati Ferr. 4. *cap. Genes. cap.* 50. Zumel. *parte secunda, quæst.* 81. *articulo tertio, quæstione vnica*, Lorca & Aluarez *ibidem* Azor. *tomo primo, Institution. libro octauo, capite trigesimo quarto*, Salas *tomo secundo, in primam secundæ, articulo decimo tertio, disputatione vndecima, sectione quinta, quæstione vndecima*, Val. *parte secunda, disputatione sexta, quæstione vndecima, puncto secundo*, Montesin *parte secunda, quæstione* 81. *articulo nono, disputatione vndecima, quæstione octaua, numero* 124. Cornelius à Lapide *super Epistol. ad Rom. cap.* 5. Vbi pro simili citat etiam Parmam Bellarmin. Ægidium à Præsentatione, Suarium, & Vasquem.

CAPVT XIII.

Concluditur idem assertum, quod supra de dicto Conceptionis Deiparæ in peccato, ex auctoritate Sancti Bonauenturæ, & aliorum Theologorum antiquorum Alberti, & Alexandri de Ales.

1. DICTAM Conceptam in originali Deiparam absolutè; nec non à Patribus, solum attenta conceptione carnali, patet similiter ex Sancto Bonauentura, quia ipse instituit quæstionem, priùs de Conceptione Virginis, & deinde de prima animatione eiusdem: quando ergo eam in prima concluſit conceptam in originali peccato aperte, & pro hoc asserto affert Sanctum Bernardum: hoc dictum absolutè & à Patribus sumptum, voluit omninò attenta Conceptione carnali; videndus est Sanctus Bonauentura *in* 3. *tractat. disp.* 3. *articulo primo, quæstione prima, ad tertium*, vbi habet: *Ad illud quod opponitur quod Conceptio Virginis fuit ex legitimo matrimonio: primo est dicendum quod totum illud est probabile, videlicet quod concepta fuerit ex sterili, & coitu coniugali absque tamen culpa.* In quibus verbis loquitur de Conceptione, quæ fit ex copula carnali & vacauerit probabiliter culpa veniali, quæ euenire solet in eiusmodi copula, vnde non potest neque cogitari quod loquatur de Conceptione primæ animationis, & alia à carnali; hæc enim non carnali competunt solum.

2. Porro patet hoc ipsum ex argumento sed contra, vbi habet: [Sed contra Bernardus in Epistola ad Lugdunenses, ante conceptionem sanctificari minimè poterat, quia non erat, sed nec in ipso conceptu propter peccatum quod inerat, (& sequitur,) sed constat quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus, quia potuissent eam concipere sine peccato, (vbi non potest loqui de concipere quod est primo animare, vt patet:) Ergo dicit propter causam peccati quæ erat in carne: ergo videtur quod sanctificatio non fuerit ante infusionem animæ.] Atque adeò non in conceptione, quæ per consequens per ipsum esset carnalis, & in qua carne ipse agnouit peccatum, quod explicat esse peccatum causaliter, quódve ipse dicit causam peccati, vbi similiter cum Sancto Thoma interpretatur Bernardum loquutum de conceptione carnali.

3. Tertiò item liquet id ipsum, quia ipse distinguit quæstionem an Virgo fuerit concepta in peccâto, vel sancta; ab alia quæstione an fuerit sanctificata in prima animatione: quæ distinguit hæc duo, & dum peccatum tribuit Virgini in Conceptione non loquitur nisi de peccato causaliter.

4. Hos item & similes modos loquendi, quos vsurpat de Conceptione Virginis in peccato, quos latius proferemus in Opusculo de hac re, ipsissimos habes apud Albertum Magnum & Alensem, qui ibidem etiam notabuntur; vnde hic breuitatis causa prætermittuntur & solum aduertitur hos Auctores apertè distinguere Conceptionem, & primam animationem Virginis & instituere de eis diuersas quæstiones sicuti conueniens ratione Conceptionis carnalis, non verò proprium & in re, & secundum sua formalia, quod intendimus maxime in hac prima Trutinatione. Quod autem Patres mere Conceptioni Christi negent peccatum causaliter sumptum patet manifeste, quia ipsi dicunt vnanimiter, quod in tantum Christus non contraxit originale quia non fuit conceptus ex semine viri; & Virgo in tantum contraxit quia concepta fuit ex semine; sed peccatum,

quod

quod agnoſcitur prouenire ex ſemine, & in ſemine; eſt peccatum cauſaliter ſumptum, vel in debitrice potentia: ergo hoc ſolum datur, & affirmatur Virgini, quia hoc ſignate negarut in his dictis Patribus Chriſto: id quod patet manifeſte quia certum eſt quod Patres peccatum cauſaliter ſumptum negant Chriſto, vt omnes Theologi & aduerſarij ipſi concedunt, & non niſi in his maximè locis illud ei negant: ergo hoc vere ibidem negant, atque adeò, hoc ipſum cenſendi ſunt affirmare in Virgine.

3. Si autem lector hanc vniuerſalem doctrinam velit in Patribus annotare, legat in Auguſtino *libro primo, cont. Iul. capite tertio*, ſenſum Hilarij ab Auguſtino allegatum qui habet: *Venerandum quis ignorat Hilarium Epiſcopum Gallum, qui de carne Chriſti agens, attende quod dixerit*: & addit ex eodem: *Ergo cum miſſus eſt* (ſcilicet Chriſtus) *in ſimilitudine carnis peccati, non ſicut carnem habuit, ita & peccatum; ſed quia ex peccato omnis caro eſt à peccato, ſecundum Adam parentem deducta, in ſimilitudine peccati eſt miſſus, exiſtente in eo non peccato, ſed ſimilitudine carnis peccati*: Vbi peccatum carnis cauſaliter ſcriptum negat in Chriſto Hilarius, quod patet ex ſequentibus: *Non enim virilis coitus vulua Virginalis ſecretum reſeranit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit, & capite quarto*, Sanctus Auguſtinus adducit eam Ambroſius *libro primo, de Nupt. & Concup. capite trigeſimo quinto*: qui dixit: *Seruatum eſt igitur, vt ex viro & muliere, id eſt, per illam corporum commiſtionem nemo videatur eſſe expers delicti: qui autem expers delicti, expers eſt etiam huius conceptionis.* Vbi delictum tradit corporum commiſtioni; & negationi eius in Chriſto; poſita ſcilicet conceptione carnali ſine ſemine, tribuit negationem peccati, quare non eſt eius ſermo, niſi de peccato, quod non eſt niſi cauſaliter tale, & reſidet in carne ſicuti diximus de Sancto Bonauentura, qui ex hoc ipſo oſtenditur aperte ſuffragari noſtro ſenſui.

CAPVT XIV.

Probatur decimo quarto à pari de Conceptione Chriſti, intelligi dictam Virginem in peccato conceptam, non habito ſermone niſi de carnali.

1. VIDETVR vſque modo, ni fallimur & cæcutimus, tot tantoſque gradus probationis pro aſſumpto aſcendiſſe, vt non appareat plures poſſe probationes aſſurgere, ſed hæc veritas tanta eſt, tamque ſublimis, & certa, vt ſemper nouos gradus nobis offerat & miniſtret; & pro Virginis gloria non ſunt hi prætermittendi, licet breuiſſimè perſtringendi: decima quarta ergo hæc probatio ſumi debet ex Conceptione Chriſto applicata & in eo cognita; quæ licet miraculoſè fuerit ſimultanea cum prima Chriſti animatione, vt teſtantur Theologi, *tertia parte, quæſtione mox citanda*, apud Sanctum Thomam cum Patribus & Conciliis; nihilominus ſemper eis in tota antiquitate pro organizatione corporis Chriſti ſtetit, nec aliud ab ea ſignificauit: quæ doctrina eſt indubitata: *tertia parte, quæſtione trigeſimo ſecundo, articulo primo*, apud Sanctum Thomam qui ſcripſit: *Opus Conceptionis commune eſt tois Trinitati.* Et deinde, *Spiritui Sancto tribuitur formatio corporis*, (quæ eſt explicata pro conceptione,) *quod aſſimilatur à Filio*, (quod magis explicat Sanctus Doctor ſequens: *Sicut virtus animæ, quæ eſt in ſemine per ſpiritum qui in ſemine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum, ita virtus quæ eſt ipſe Filius, ſecundum illud* primæ Corinthior. primo, *Chriſtum Dei virtutem, per Spiritum corpus formauit, quod aſſumpſit, & hæc verba Angeli annuntiantis demonſtrant dicentis, Spiritus Sanctus ſuperueniat in te, quaſi ad præparandam & formandam materiam corporis Chriſti*, & articulo ſecundo, in corpore. *Reſpondeo quod conceptio non attribuitur tantum corpori Chriſti; ſed etiam ipſi Chriſto ratione ipſius corporis.* Et per conſequens non ratione animæ, vnde prima animatio eius non ingreſſa eſt rationem conceptionis, quod item patet ex aliis innumeris locis Sancti Doctoris.

Doctores item & Patres frequentiſſimi ſunt pro hoc eodem ſenſu, qui eas conditiones conceptioni tribuunt Chriſti quæ ſunt impertinentes primæ eius animationi & omninò competentes organizationi corporis Chriſti, quæ eſt eius carnalis conceptio. Sic Chryſoſt. homilia quadrageſima quarta in Geneſim de modo Conceptionis Chriſti loquens, ait, *Ne quæras nunc à modum, quando ſupernaturam ſunt quæ fiunt.* Sic Virgini ſcribitur à Patribus & Theologis tributa a Spiritu Sancto virtus concipiendi Chriſtum, quod non poteſt intelligi de alio, quam de organizatione: rurſum de ipſa conceptione ex miraculo dicitur, quod fuerit momentanea, quod non poteſt intelligi de prima animatione; tertio exaggeratur & mitis modis extollitur à Patribus puritas & ſubſtantia Conceptionis, quæ ſic facta ſine opera viri, quod eſt quid impertinens ad primam animationem. Quartò denique per miraculum dicitur Chriſtus conceptus de Spiritu Sancto, quod ei non competiit, niſi propter operam, quam exercuit idem Spiritus in organizatione corporis eius, non vero in prima animatione, in qua nihil peculiare geſtum eſt. Longum valdè eſſet recitare Patres pro hac re. Eos videre quis poſſet in Opuſculo & in libris communiter obuiis, qua doctrina ſtante, dum conſtat apertiſſimè in

Antiquitate nomen conceptionis Christi, significari mere carnalem vel saltem communissime, quis in ancipiti maneat de ipso tribuendo Conceptioni Deiparæ ex alio capite.

CAPVT XV.

Superadditur asserta decima quinta probatio, ex eo quod de ea Conceptione & peccato tributis Virgini, debent intelligi Patres, de qua & quod negatum est Christo in eadem antiquitate.

1. AD ostendendum quod omni euidentia debeat constare, quod peccatum tributum & affirmatum à Patribus Conceptioni Dei Matris, sit ea affirmatum, & tributum ratione Conceptionis carnalis, sermone habito de peccato causaliter, & non formaliter: videtur hoc decimum quintum caput supra quam dici potest debere conferre: quia aduersarij ex eo quod Conceptioni Christi soli, negatur à Patribus, affirmant illud de Conceptione Virginis: vnde benè nos hinc etiam ad euidentiam arguemus, notando quod illud peccatum debet intelligi affirmatum de Conceptione Deiparæ, quod est negatum maximè Conceptioni Christi ab iisdem Patribus, vnde subsumimus: sed à Patribus maximè negatum est Conceptioni carnali Christi peccatum causaliter sumptum & non formaliter in aliquibus saltem locis, vel vtrumque simul ad summum: quia hoc secundum est illi incompossibile in casu quo ipsi aliquando loquuntur: ergo Patres Virgini non concedunt nisi peccatum idem causaliter sumptum & proueniens in carne, pro eodem etiam refertur Augustinus *libro de pœnit. capite secundo*: ex Ambrosio *capite nono*, & scribens ad Bonifacium *libro quarto, capite vndecimo*, citat eundem pro eadem re. Ambrosius *libro de Apol. capite vndecimo*, vbi ait: *Dignum fuit vt qui non erat habiturus corpore peccatum propagationis, nullum sentiret generationis naturale contagium.* Quo loco omninò de peccato residente in carne, quod non est nisi causaliter sumptum, agit certe Ambrosius. Sic idem Augustinus ex se ipso, & alij.

CAPVT XVI.

Adducitur probatio decima sexta ad ostendendum dici Virginem in originali conceptam; ratione carnalis Conceptionis, & quia illud contraxit tantum in debito; ex eo quod à Theologis & Patribus dicitur quod Christus contraxisset originale si ex semine humano productus fuisset.

1. ADHVC altius assurgunt decimæ sextæ nostræ argutiones ad idem conclusum confirmandum, & cum ex negato originali Conceptioni Christi Domini, ostenderimus affirmationem de illo factam Virgini, esse de simili de peccato causaliter sumpto & in debitrice potentia, vt visum est: modo ex eodem peccato attributo & affirmato in Christo pro casu, pro quo ipse conceptus fuisset opera viri: quod est iam dictum; ostendemus similiter ad euidentiam indubitatissimam, quod Beata Virgo dicatur concepta mere ex conceptione carnali & propter peccatum causaliter non formaliter sumptum.

2. Argumentum autem quod ex hoc capite ducitur, est eiusmodi, illud peccatum & ratione illius conceptionis contendi à Patribus Virgini est intelligendum; quod contraxisset Christus & quod dicitur contracturus Christus Dominus, si ex semine humano procreatus fuisset: sed istiusmodi est peccatum causaliter sumptum, & ratione conceptionis carnalis, seu peccatum in debito si consideretur in anima Christi: ergo hoc ipsum affirmatur de Virgine à Patribus & non illud, quod est tale formaliter & in re, & coinquinat animam, eam priuando gratia sanctificante. Maior huius argumenti patet tum, quia ipsi aduersarij tradunt hanc doctrinam dum dicunt Christum solum excipi à Patribus ab originali, atque adeò Virginem ex eo intelligi coinquinatam à Patribus, nec non etiam quia Patres expressè eam rationem tribuunt ad ostendendam Virginem in conceptione coinquinatam peccato, quam adducunt ad ostendendum, quod Christus illud contraxisset, quæ videlicet est procreatio ex semine negata Christo: ergo de illo peccato loquuntur in affirmando de Christo, de quo sermocinantur, illud ipsum affirmando de Virgine; alioqui si aliud esset peccatum non valeret hæc ratio, nec pari modo esset affirmatiuum hoc dictum vsurpandum de vtroque. Minor autem item est manifesta & euidentissima, quia quando Patres & Theologi omnes dicunt, quod si Christus fuisset genitus ex semine humano contraxisset originale, nemo

dubitare

dubitare potest quod negatiua affirmatiua sit de peccato caualiter sumpto, nam si sermo esset de formaliter sumpto, ea esset falsissima: nam saltem temerarium est, dicere quod Christus, suppositum diuinum si assumpsisset carnem procreatam ex semine, contraxisset originale in re & formaliter sumptum: cum incompossibile sit peccatum in re cum hypostasi Verbi vt est manifestum. Quid ergo blaterant aduersantes?

CAPVT XVII.

Declaratur & concluditur apertissimè decimò septimò non posse intelligi dictam vel volitam Dei Matrem esse in peccato formaliter sumpto carnaliter conceptam; quia valdè plures Ecclesia Latina, & tandem Romana celebrant vt sanctam eius Conceptionem carnalem.

1. EX eo quod Conceptio Deiparæ, dicta sit in peccato à Patrum sermone habito de ea vt mere carnali & seminum, non verò naturali & primæ animationis, solum videtur euersum funditus præcipuum fundamentum aduersariorum, in quo cætera omnia fundantur; nec quicquam est deductum, quod eos prosternat & politiuæ probet Immaculatam Conceptionem Deiparæ; restat modo ad complementum omne desiderabile harum probationum, vt aliquæ si possent superaddantur, quæ hoc ipsum confirment, & præterea directè conuincant & manifestent nostrum assumptum: certámque reddant conclusionem Immaculatæ Conceptionis Dei Genitricis, quod in præsenti & sequentibus fiet quatuor aliis probationibus validissimis; & decima septima præsens est, quia compluribus Ecclesiis circa finem decimi sæculi, vel vndecimi conceptio hæc carnalis Deiparæ cum ordine semper ad naturalem, fuit celebrata & laudata vt sancta, vt aliàs latè ostendemus, & constat ex Ecclesia Anglicana & aliis, quod non negant Aduersarij: meminit de ea & refert Concilium Oxoniense celebratum anno 1220. in qua re certum esse debet hoc asserente Concilio Cantuariensi celebrato 1320. prout refert Bach. *in quodl.* 3. *q.* 13. circa tempora scilicet Sancti Anselmi celebratum esse festum Conceptionis in Anglia, eámque appellatam sanctam, & dignam laudibus; nempe Conceptionem eius, iuxta responsorium lectionis octauæ officij natiuitatis, quod mutato nomine in festo Conceptionis, vsurpabatur.

2. Quod autem eo tempore nomen Conceptionis Virginis staret pro illa seminum, primò patet ex dictis, & præterea quia illam distinxit Sanctus Nicolaus apparens Herliuino seu Helsimo Abbati, à creatione Matris Dei, quæ constitit in prima eius animatione, nam dixit: [Promitte Deo, & mihi, quod diem Conceptionis & creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis.] Patet tertiò, quia S. Anselmus vel alius Angliæ Archiepiscopus, qui ordinauit Officium, & scripsit ad Episcopos Angliæ, hoc ipsum explicauit dicens: [Conceptio Mariæ carnalis, vt prædestinata ad Conceptionem Filij Dei, fecit vnum fundamentum; & Spiritus ipse Sanctus aliud de quibus Psalm. 86. & *Fundamenta eius in montibus sanctis*, & hoc totum fuit priuilegium: ex priuilegio enim eius carnalis conceptionis, fuit sancta ordinabiliter.] Et in medio Epistolæ complura pro hac re scribit, & expressè tradit in fine: [Celebremus ergo hodie dignis Officiis Conceptionem eius, scilicet spiritualem; (id est naturalem primæ animationis, vt ipse ibi se explicauerat) & humanam seu carnalem, (quam distinxerat à prima) vt ipsius meritis & precibus à sæcularibus curis, & cunctis vitiis mereamur eripi, & ad æterna gaudia Paradisi perduci.] Quartò de ea Conceptione celebritas erat Ecclesiarum antiquo tempore, de qua Theologi sequentes negauerunt esse vsurpandam, sed ij vt patet de Sancto Thoma & aliis, loquuti sunt de carnali: ergo hæc celebrata est ab aliis Ecclesiis Latinis extra Romanam; nam in officiis Sancti Anselmi notatur aliis in locis & regnis celebrari idem festum. Quare cum deinde idem festum celebrauerit Ecclesia Romana, constat quod ea, tunc & modo quando nullam in hac re mutationem fecit, vt liquidum est, & alibi demonstrabimus; celebret, & sanctam prædicet conceptionem carnalem, saltem ratione sanctitatis illi destinatæ in suo termino, seu in prima animatione. Id quod quintò euidenter ostenditur, saltem in sensu aduersantium, quia festum institutum de mera Conceptione Virginis, asseuerauit Sixtus IV. in *Præexcelsa*; & Aduersarij explicant, sicuti explicat expressè Caietanus Pontificem institutum dixisse festum de Conceptione mira, propter miraculum in ea habitum de sterilitate matris fœcundata; quare apertè confitentur festum institutum de Conceptione carnali ab Ecclesia Romana, & sanctam ab ea dici, sicuti dicetur in Responsorio octauo Officij Conceptionis.

3. Ad ipsum sextò ostenditur de Romana Ecclesia, quia expressè in Officiis approbatis à Sixto IV. vt patebit, Conceptio etiam carnalis, Virginis celebrari declaratur, & per consequens vt sancta declarari: nil enim non sanctum celebrat Ecclesia Romana, vel præcepit celebrari, vt in Epistol. Sancti Anselmi ibi allata dicitur.

4. Quod autem hæ celebrationes, indubitatum moraliter fidem faciant etiam contra sensum decem & viginti Patrum, & positiue probent: *Adimente omnem formidinem oppositi saltem actualem*; quod conceptio etiam carnalis sit celebranda vt sancta modo dicto, patet,

quia cum Ecclesiæ Latinæ ante Romanam eo tempore legitimè possent instituere festa Sanctorum, auctoritate Episcoporum qui poterant eo tempore canonizare Sanctos, nec modo Ecclesia Romana, & Pontifices aliud exquirunt ad declarandum Sanctos esse legitimè canonizatos, eósque ex hoc solo ponentes in catalogo Sanctorum, & Martyrologio, vt paucis abhinc annis liquidò constitit in Sancta Rosalia & aliis. Sequitur hinc manifestè, quod indubitatam fidem proxumam illi, quæ habetur in definitis de fide, & quæ inuenitur in cæteris canonizationibus celebratis ab Episcopis, obtinuerit hæc celebratio, & sensus sanctitatis & debitæ celebrationis agnitus in Conceptione etiam carnali Virginis; in qua constat authentice processisse dictas Ecclesias ex miraculis adhibitis in confirmationem eius veritatis examinatis & approbatis ab Episcopis, & quemadmodum firmiter quis modo miracula examinata & approbata ab Episcopis debet habere pro vetis, non aliter imò firmius veritatem dictam approbatam & examinatam à tot Ecclesiis ante Romanam debet habere pro certa & indubitata, & proxima certitudini fidei: & quis nisi fatuus diceret, quod miracula quæ scripsit S. Anselmus, vel alius Sanctus Episcopus in confirmationem veritatis Conceptionis Sanctæ Virginis, vt notat Baronius *in Martyrologio* die 8. Decembris, quæque tota recepit Anglia, non fuere rectè examinata, & malè approbata: si enim hoc verum esset, posset idem in quem verti, quod Sancti canonizati ab Episcopis in Anglia stare debeant sub dubia fide sanctitatis, quod temerè quis diceret, & Ecclesiastica omnia perturbaret: ne ergo in hac absurda ruatur tenendum est firmam fidem obtinere debere veritatem Conceptionis Sanctæ Carnalis Beatissimæ Virginis.

5. His tandem cum accesserit authoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ non sine examine & approbatione antiquorum & nouorum miraculorum festum hoc celebrauit, & celebrari hortata est, & tandem mandauit; licet hanc veritatem non definierit de fide; à proximitate tamen certitudini fidei illam non remouit; quamquam iusserit Sixtus I V. & alij Pontifices, hanc sententiam affirmantem, quæ maculat Conceptionem Virginis non esse censurandam: potest enim vna veritas habere certitudinem proximam fidei. & per consequens contraria enunciatio falsitatem censurabilem licet Summi Pontifices statuant & iubeant sub anathemate, quod non sit censuranda. Pro qua re legatur directorium inquisitionis, vbi inuenietur quod Clemens V I. præcepit Inquisitori Tarcinonensi, vt pro erronea declararet sententiam illam quam alij tenebant de sanguine à Christo effuso quod à diuinitate triduo passionis dimissus fuerit. & post aliquos Pontifices hac controuersia denuò exorta Pius I I. prohibuit, vt hæc sententia, quemadmodum & opposita non censuraretur, licet eam paulo post, definierit. Quod ostendit manifestè posse constare de veritate vnius sententiæ etiam apud Sedem Apostolicam, & tamen præcipere ea potest, quod filia non censuretur: vnde bene Suarius, Vasquez, Salazarius & communis Schola Theologorum aduertit quod ita prohibita sit censura sententiæ affirmantis maculã in Conceptione Beatissimæ Virginis, vt nullo modo data sit illi probabilitas ab vllo Pontifice in aliqua Bulla, vel decreto Pontificis; quo bene potest constare, quod Ecclesia permittat aliquam opinionem opposita veritati, quam censeat vt diffinibilem, & re vera sit indubitatæ fidei; si talibus testimoniis indubitatis ea confirmetur, & in examine inueniatur ab illis firmiter testificari, qualis visa fuit nostra de Immaculata Conceptione primum ab aliquibus Ecclesiis, & postmodum à Romana, primum videlicet Pisis ab Alexandro V. anno Domini 1411. & deinde Romæ à Sixto I V. qui adhibuit in consilium doctiores viros ex omni Sacro Ordine Religioso in Italia, vt refertur à Cismontana familia *in armam. art. 2. untio*, & aliis: & siquidem Bernardus reprehendit Canonicos Lugdunenses propter celebritatem Conceptionis in Anglia vsurpatam; neque id resciuit, nec propterea poterant id præstare Canonici illi sine Episcopo, quem par est existimare, quod non habuerint, & propterea Sanctus voluerit hoc debere fieri consulto Summo Pontifice; vel quia eo tempore huiusmodi festa, & causæ ad Sedem Apostolicam erant reuocatæ; quod autem particulares Ecclesiæ potuerint simile quid præstare, patet ex Ecclesiâ Græca, quæ id gessit, vti videbitur, ante Latinam, & nemo ausus est eam propter hoc festum reprehendere. Quod tot grauissimi Patres sequuti sunt, & suis scriptis illud celebrauere, & vt de re sancta festiuum; vt paulò post videbimus. Nec quicquam obest quod Ecclesia Romana festum Præsentationis per aliquot tempus ademerit quasi putaret dubitabile esse an mysterium aliquod celebratum semel ab ipsa esset celebrabile; quia abstrahentium non est mendacium quia nihil affirmant neque negant, & rectè potuit hoc festum suspendi, vt locus daretur oppositionibus & magis clarescceret, non quod dubitauerit Sedes Apostolica de veritate Præsentationis, aut senserit ipsam posse errare in festis instituendis: quemadmodum etiam abstulit officium Nuegarolicum propter alias causas, & primò laudatum diuinitus introduxit sine ostensione dubij veritatis eius; vnde illud concessit positiue Ordini Franciscanorum per vniuersum orbem latissimè diffusum in Religiosis, & Monialibus; de quibus omnibus latè disserebamus *in Opusculo de sensu Ecclesiæ.*

6. Solùm hoc obseruandum est Episcopos eo antiquo tempore non potuisse errare, moraliter loquendo, licet non statuendo de fide, in similibus festis instituendis, si ea instituissent iuxta præscripta à Sede Apostolica, sacrisque decretis quæ hoc ipsi concedebant, adhibito consilio & præuio examine attento & conformi grauitati rei: vnde si aliter ij processissent, cum non secundum facultatẽ sibi traditam & permissam agerent, nulliter agerent; vnde propterea vt dicitur Alexand. III. prohibuit canonizationem Sanctorum ab Episcopis perfici, & declarari, quia fortè aliqui in hoc peccarant & nulliter operabantur: Sedi autem Apostolicæ soli traditur, vt quicquid ipsa definiat, etiamsi per impossibile non præuio debito examine,

examine, validè & secundum veritatem definiat propter specialem assistentiam Spiritus Sancti sibi exhibitam, & promissam.

CAPVT XVIII.

Ex eo quia ab antiquissimis temporibus Ecclesia Graca declarauit vt puram, & Sanctam, Conceptionem ipsam carnalem Virginis; concluditur non posse dici conceptam in peccato formaliter sumpto, sed omnino in gratia primo infusam eius animam in corpore.

1. REALVM hic esse notandum est, id quod Aduersarij dicunt quod Ecclesia Græca celebrationem vsurpauit in aliquo non Sancto, atque adeò celebrauerit conceptionem Ioannis Baptistæ maculatam in prima sui animatione à peccato formaliter sumpto; nam non de tali eius conceptione & animatione festum instituit, sed de annunciatione & apparitione Angelica Sancto Zachariæ, quemadmodum Ecclesia Romana celebrat festum apparitionis Sancti Michaëlis, & similium, & celebrauisse Ecclesiam Latinam idem festum conceptionis Sancti Ioannis habetur in quodàm Martyrologio Romano peruetusto citato à Calderonio *cap. 5. de tut. concept. §. 32. n. 248.*

2. Secundò, certum hic debet esse quod Ecclesia Græca celebrauerit Conceptionem carnalem Sanctissimæ Virginis, & de ea maximè meminerit, eámque dixerit puram, & sanctam, atque adeò omninò à Virgine excluserit in prima sui animatione saltem peccatum formaliter sumptum, ex debito proximo promanans & sequens.

3. Tertiò, pro certo haberi etiam debet, quod non celebrauerit festum Conceptionis Virginis merè actiuæ sumptæ, & provt actiuè concepit Sãcta Anna miraculosè, Sanctissimam Virginem: sed etiam passiuè; provt talis conceptio erat Conceptio Beatæ Mariæ, eáque sancta, quæ omnia debent patere ex ipso Canone Ecclesiastico & Rituali Græco contento in Meneis, & translato à Francisco Combefis Immaculatæ Conceptionis licet aduersario, nec non à Patre Simone Vvanxherchio Societatis IESV, qui corrigit aliquos eius errores dum malè transfert mutilando verba, vel propriè correspondentia relinquendo, vt nos notabimus alibi.

4. Et quidem certum est, quod Ecclesia Græca celebrauerit conceptionem Beatæ Annæ actiuè sumptam; vnde infertur quod certè de carnali Virginis passiua sermonem & celebritatem habuerit, non de sola eius prima animatione Sic Ode prima Canonis dicti habetur: [Annæ hodie concipientis festiuitatem celebramus, ô Anna, quando sterilitatis ex soluta vinculis, nunc concepisti illam, quæ comprehenderet eum qui nunquam comprehendi potest.] Et Ode 4. [Exaudiuit Deus Annæ suspiria, atque ad eius orationem dignatus est attendere, simul sterilitatis eius nebulam dissipaturus, admirando eam lumine fœcunditatis illustrauit] Et rursum ibidem. [Concepi in vtero cœlum nouum, ex quo breui orietur salutis auctor.] Et Ode 6. [Nona die concepit Anna Mariam Deiparam,] & sæpè alias; quo patet primum celebratam fuisse conceptionem Annæ actiuè sumptam, nec non vt patet passiuam laudatam Virginis, eámque consistentem in carnali.

5. Quod secundum patet expressius, videlicet quod celebrata fuerit puritas, & perfectio conceptionis passiuæ, & carnalis Deiparæ. Nam Ode 8. dicitur de Sancta Anna, [Ecce nunc in vtero concipio Reginam, exclamat Anna.] Et paulò post: [Terram quam inhabiter olim ipsius terræ conditor incipit pullulare.] Et Ode 6. [Quomodo potuit vtero comprehendi, &c. & quando generari potuit illa, quæ Christum generauit.] Et deinde. [Anna in vtero concipiens Columbam Immaculatam. Et Ode 7. [Regalis purpuræ nunc intexendæ (seu organizandæ vt patet) in ventre tuo fit initium, ô Anna.] Et deinde. [Suauiter fragans vnguentum concipitur in vtero tuo, Anna.] Et in clausula Ode 9. [Operum diuinorum cognitione pollens Anna, accipe nunc gaudium singulare ob conceptum à te fontem.] Et die 20. Iulij in dormitione Beatæ Annæ. [Velut Sol quidam cum Luna inclusus Ioachimus cum Anna radium Virginis produxit.] Et in Vesperis eiusdem diei. [Legis gratiæ prima lineamenta pro omnibus duxisti, dum nimirum vincula sterilitatis per Virginis tantæ natiuitatem dissoluis;] In quibus locis nemo non videt celebrari Conceptionem Virginis passiuam.

6. Quod autem celebretur vt pura ab omni macula veri peccati, & sancta, patet manifestè; nam primò nominatur in eodem Canone: [Conceptio munda Beatæ Annæ Dei & Domini nostri Auiæ.] Et de Angelo nunciante Sancto Ioachimo dicitur: [Puræ Dei Matris Sanctam Conceptionem annunciauit.] Et Ode 6. [Sancta Conceptio Deiparæ puræ seu immaculatæ.] Et in Odis 3. fest. tom. 4. Angelici chori. [Eius nos Sanctam Conceptionem colimus.] Cui æquipalens dicit S. Methodius 20. Iunij Ode 9. dum vult Virginem fabricatam & conseruatam à Deo. [Ab ipso numine sculpta, vt Conceptionis Mariæ Matris non nisi Deus opifex fuerit;] quod non potest intelligi de sola prima infusione animæ, conceptæ præsertim in originali; nihil enim in ea peculiariter actum fuisset à numine. Et patet etiam ex Ode 4. vbi dicit Sancta Anna [concepi in vtero nouum cœlum;] atque adeò si tale, non quid impurum pro eo statu, & pura per consequens

Virginis, [ô filia quale ex meo semine germen surrexisti, qualem ramum virentem condidit natura mea, qualem benedictionis florem efloruit.] Sanctus Damascenus carnem Virginis in organizatione corporis sitam dixit sanctissimum festum, nec non ex immaculato semine fluxisse. Ioannes Geometra qui aliàs euidenter ostendit Virginem sine originali, scripsit de illa in carne: [Ex purissima radice, atque orta à Trinitate.] Anepigraphus in Canticum *Magnificat*: [Propterea etiam Spiritus Sanctus superuenit, vt cùm Conceptio sancta fuerit (vbi non loquitur de conceptione Christi pro eo sermone futura,) sanctum quoque partum efficiat.] Et Idiota: [Tota pulchra es in Conceptione, ad hoc solum effecta vt templum esses Dei Altissimi.] Germ. in sing. 23. [Hodie in visceribus castæ Annæ concipitur Maria Dei filia.] Non ergo futura filia Diaboli. Arator in Acta Apost. [A nato formata suo, mala criminis Euæ, Virgo fœcunda fugat.] Sanctus Fulgentius de duplici natiuitate, [Gratia Dei, & mentem integram seruauit, & carnem.] Vnde si concederet ruptionem originalis in Virgine, non posset illam integram in carne notare, cuius ruptio & corruptio præcipua est originaria. Giselbertus in disp. contra Iudæos, ait: [Vellus illud (scilicet Gedeonis) Sacratissimæ Virginis corpus est, sine omnis carnis macula;] quod certè excludit maculas, quæ inueniuntur in qualibet carne, in qua certè originalis maximè, & primo, & principaliter, & vniuersaliter inuenitur. Sanctus Amphilochius à Hieronymo Nazianzeno habitus summus in doctrina, oratione in Sanctam Deiparam: [Qui cum antiquam illa Virginem sine probro condidit, & secundam sine nota, & crimine fabricatus est, quique quod deforis pulchrè fecit, etiam quod intus est ad domicilium animæ sanctæ perornauit.] Ornatus autem corporis omnino supponit expulsionem peccati. Luithprandus Ticinensis in Chronico ad annum 676. clarissimè appellat, [Conceptionem Virginis Immaculatam.] Faustus Rhegiensis in Epist. de ratione fidei, ad aliqua obiecta: [Quæ absque omni peccato concepta est in vtero.] Antiochus Episcopus Ptolemaidis aduersus Iudæos, ait: [Christus ex terra & puro luto fictus.] Et Theodorus Ierosol. Patriarcha in exemplari Synod. [Primitias nostræ massæ (scilicet similes) carni Adami ante peccatum.] Et deinde. [Non seminatam (scilicet modo communi) sed conditam à Spiritu Sancto.] Quod dictum confirmant plurimi Patres approbantes eius epistolam.

* * *

R. P. Vinc. Fassari Trut. Brev.

CAPVT XX.

Demonstratur vigesimò & vltimò primam animationem Virginis non solùm non esse dicendam neque dictam à PP. inquinatam peccato formaliter sumpto; sed eo omninò liberam positiuè., ex eo quod, indè à tempore Apostolorum fuit celebrata in Ecclesia Conceptio Deiparæ etiam carnalis.

1. SI celebrata fuit Conceptio Virginis vsque à temporibus Apostolorum certum esse debet, quod fuerit celebrata conceptio eius etiam carnalis, licet prout associata, & annotans & includens primam animationem Dei parentis, quia vt vidimus nullum est vestigium in antiquitate, quod conceptionis nomen steterit pro prima sola animatione corporis: secundò, quia cum conceptio Christi omninò diceret eo tempore eandem organizationem: existimandum omnino est quod eandem significarit & attulerit nomen Conceptionis in Virgine. His tertiò adde, quod si tempore Apostolorum fuit celebrata Conceptio Virginis, ex traditione eadem Apostolica credendum est quod vel continuauerit vel instituerit Ecclesia Græca festum eius Conceptionis, & cum ea vt vidimus expressè celebrauerit Conceptionem eius carnalem, eandem celebrauisse certè constat Ecclesiam tempore Apostolorum. Quartò hoc ipsum constare debet, quia cum bene possit dici, quod dicta Patrum de primo ortu Virginis, ex hoc festo seu sensu ab Apostolis proueniente, deriuauerint, & inde eius munditiem omnimodam proclamauerint: signum est quod eam prædicauerint mundo corpore, & anima, & sine contagione corporis, & corpus eius formatum voluerint virtute Spiritus Sancti, & diuina; omnino attenderint ad puritatem conceptionis eius carnalis ab Apostolis signatam, & eulgatam. Quintò denique stare debet hæc veritas, quia maximè in ea Ecclesia Latina ortum & firmamentum tutum habuerit, ex dicto Sancti Andreæ Apostoli legitimè annunciato à Diaconis & Presbyteris Achaiæ, quod Beatissima Virgo fuit terra nunquam maledicta, ex qua prodiit Dominus IESVS, sicut Adam à terra

antequam haberet maledictionem, cum Christus Dominus ab ea sumpserit carnem, non animam, & eadem caro supponitur a Sancto Apostolo ab omni maledictione facta immunis: vel provt destinata immediatiuè sanctitati, quæ residere deberet in prima animatione, vel ex remotione debiti proximi ad contrahendum originale. Ex quo extra dubitationem debet esse, quod si celebrata fuit Conceptio tempore Apostolorum, vel vt celebrabilis data, à tali celebritate non fuit exclusa Conceptio carnalis Virginis, annotans licet & includens primam eius animationem verè sanctam & gratia præditam; etsi enim Authores recentiores pro Conceptione Virginis in vltimis sæculis sumpserint solam primam animationem eius in disputando & asserendo plura de ea; nihilominus ante ipsos nihil tale inuenitur, atque omnino standum concluso, & modo supposito de Concepione in tali antiquitate stante pro carnali

Quod sextò patere potest, quia cum in antiquitate dictum fuerit quod à primo instanti Conceptionis Virgo præsentata fuerit, & primæ animationi non signetur tale primum instans, cum vnicum ei, & solum instans sit assignabile: videtur patere quod in ea antiquitate sermo fuerit de conceptione carnali, quæ primum & posterius & media instantia potuit habere; nec quicquam obest quod conceptioni Christi assignetur primum instans & dicatur à primo instanti suæ conceptionis, egisse vel habuisse hæc vel illa dona; nam hoc ideo dicitur, vt bene dixit Sanctus Thomas 3. *parte quæst.* 33. quia conceptio Christi ad similitudinem aliarum conceptionum, consideratur vt durans pro aliquo tempore ratione immediatæ augmentationis, & organizationis maioris sui corporis, & sic traditur illi instans, quod non habet locum in Virgine, cuius Conceptio durauit pro aliquo tempore sicuti & in cæteris; & absolutè in ordine ad præcisam, & veram conceptionem consideratur in ea primum & vltimum instans. Iam posito quod celebrata fuerit & laudata à tempore Apostolorum Conceptio carnalis Virginis nemo est qui dubitare possit, quod hinc prima eius animatio positiuè & efficacissimè concludatur, in eo non inquinata originali in re; cum minimè & nulla ratione posset esse celebrabilis, si ordinata fuisset ad primam animationem impuram & infectam vero peccato formaliter sumpto.

2. Quod autem in prima antiquitate pro tempore Apostolorum fuerit celebrata Conceptio Virginis, debet constare primò, quia non valet responsio aliquorum & præcipuè Binarij, qui Conceptionem eiusmodi Virginis, tali tempore celebratam, explicat pro actiua; nam euidentissimè in ea Virgo ipsa concepta ponitur & refertur celebrabilis, & celebrata, vt notauit Salaz. *in primo sæculo Patrum à se recitatorum*; In nomine autem Deiparæ conceptæ non potest dici quod veniat Conceptio eius actiua, sed omninò passiua. Vnde alioqui oculatus Auctor huic aduertentiæ non dedit locum: neque quicquam valet alia responsio, quod hoc dictum non fuerit verè scriptum in illa denotata antiquitate; nam esto, id verum sit; sufficit quod fuerit scriptum proximè ad illa tempora, & certè valdè ante nostra hæc sæcula.

3. Nec dicas in eiusmodi dictis inueniri aliqua dubiæ admodum veritatis, quasi confirmatæ ex dictis Apostolorum, nam non repugnat eorum discipulos, vt innui, in aliquo errasse sicuti Sanctus Papias discipulus Apostolorum, qui millenarium inuexit ab Ecclesia damnatum, & errare fecit complures ex Sanctis Patribus; propterea quod malè interpretatus est aliqua dicta Apostolorum, vt notauit Niceph. *in fine, lib. 3. Histor. Eccles.* nec contextus antiquitatis, qui est de virginitate comprobanda Beatissimæ Virginis quicquam obstat, quo minus congruè potuerit ad primum peccatum Adami, & propagationem eius in posteras mulieres conuerti sermo; cum alij etiam Patres, & Theologi ex eo quod Virginem immunem fecere ab ærumnis & doloribus partus, recurrunt ad originale non contractum à Deipara, de quibus latè *alias* disseremus; & modò sufficiat rem prælibasse.

4. Confirmat hanc veritatem secundò auctoritas Flauij Lucij Dextri, qui in historia sua vniuersali ad annum Christi 308. scripsit: [A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ & Illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ:] non enim fas est dubitare de genuinitate libri, de quo tot varia exemplaria recte congruentia, inuenta sunt à fide dignissimis viris, vt benè ostendit Binarius in suo Apologetico pro historia Lucij eiusdem. Et rursum valde tenuis, & nulla est coniectura eius, quod sermo ibi sit de Conceptione actiua Virginis, quia aliquando apud Patres Conceptio Virginis sumitur pro actiua. Nam primo hoc est in ipsis rarissimum, & textus quos ipse allegat, excepto illo Bernardi, pro passiua, citantur à pluribus: isque pauci sunt; Secundò, quia hoc bene dicitur in aliquo textu ex circumstantiis & adiectis in sermone & eius annexis: dum autem absolutè profertur à Patribus Conceptio Beatissimæ Virginis Mariæ, vel conceptio Sancti Ioannis Baptistæ, aut aliorum Sanctorum, pro passiua solet intelligi in antiquitate, vt *alibi* demonstrabitur, & ex parte visum est, præsertim in Ecclesia Græca; quæ licet celebrauerit Conceptionem passiuam Virginis sub nomine Conceptionis Beatæ Annæ; hoc tamen expressit in titulo, & addidit, munda; & rursum explicuit loqui de ea quæ fuit Auia Christi Domini, quo expressit actiuam: in ipso autem Canone Ecclesiastico repetendo Conceptionem Virginis, de passiua semper loquitur.

5. Tertiò, si sermonem haberet Flauius de Conceptione actiua Virginis, vt de principali mysterio nostræ fidei sub festo celebrato, vel de eo non debebat meminisse, sicuti non meminit de aliis festis Pentecostes, Ascensionis Domini, Circumcisionis, Natalis, & similibus: vel de mysteriis aliis necessariis sub festo celebratis ab Apostolorum tempore debuisset etiam meminisse: cum ergo non meminerit

nerit eorum, signum est quod de mysterio celebrando loqueretur, quod non erat expertè notis vt talibus, quódve indigebat peculiari commemoratione; quartò, sicut peculiare festum hoc conceptionis actiuæ Virginis à Dextro, dicitur peculiariter celebratum, vt vult Biuarius, quia deuotus eius specialiter fuit S. Iacobus, deberent assignari specialia huius festiuitatis in Hispania supra cætera aliorum grandium Mysteriorum Ecclesiæ, quam ostenderent proprium Hispaniæ: nihil autem peculiare scitum de ea in hac celebritate, quod non sit simile in aliis regionibus: & festum expectationis partus, in ea non est antiquissimum.

6. Quintò cùm in Hispania grande hoc mysterium celebratum sit in diebus Quadragesimalibus sicuti in aliis locis cum minori solemnitate diuinorum Officiorũ, & similibus; nõ apparet, quid peculiarioris festiuitatis habuerit vel potuerit habere, cuius nulla extat memoria.

7. Sextò, si festum hoc erat celebre de conceptione Christi Domini passiua, non erat tam signanter ea exprimenda vt celebrata sub ratione immaculatæ & illibatæ à Lucio Dextro, nam posito quod erat conceptio Christi, non nisi vt illibata poterat æstimari, nec signanda tam specialiter talis.

8. Septimò, si de nostro & grandi & forte primo inter omnia mysterio erat hæc festiuitas peculiaris celebrata à Iacobi prædicatione, non eam notauisset Lucius Dexter in anno 308. Christi in fine ferè suorum Annalium, sed in principiis suæ historiæ, vt ordo rei poscebat: quæ omnia cum compluribus aliis argumentis positis & ponendis coniuncta, videntur de rem oppositum persuadere si præsertim cum iis comparetur futilis & sola coniectura quod aliquando Conceptio Virginis in aliquibus circumstantiis steterit pro actiua.

9 Consonat item pro hoc sensu Marcus Maximus paulò posterior Dextro, qui cecinit de Virgine Iacobo visa in columna Cæsaraugustana, [Ostendit se hilarem, suóque natalitio conceptionis aureæ, templo manent encænia;] vbi apertè loquitur de natali Virginis, quod non potuit dici nisi de conceptione passiua; nam actiua non fuit natalis Deiparæ, sed Christi, & aduertit hanc veritatem prædicauisse Iacobum sicuti eam prædicauerunt cæteri Apostoli, quod non aduertisset, si ea fuisset vna vt dicitur de principalibus & primis mysteriis sanctæ fidei. Verba Maximi sunt [Conceptionis hinc diem Iacobus Hispanos docet; & prædicat seu cæteri ab omni labe liberatam;] neque quid notandum erat, quod Conceptio actiua Virginis fuerit ab omni labe libera, & præterea nihil grande est, & valde sublime, loquendo de conceptione actiua alicuius Sanctæ Mulieris quod fuerit ab omni labe libera; nam hoc etiam dicunt & aduertunt Patres Græci de Conceptione actiua Sanctæ Annæ. Id enim, quod pro miro debet notari, est quod quis concipiatur passiuè, & quod conceptio passiua sit omni labe libera, nam hoc modo excluditur ab ea peccatum originale, quod solet & necesse est intercenire secluso priuilegio; ad hoc autem est conceptio actiua dici possit ab omni labe libera, solum requiritur, vt ea sit sine vllo peccato matris, quod potest euenire & euenit facillimè in mulieribus compluribus etiam in peccatis aliis inuolutis quando nollent reddere debitum, si possent sine viri molestia, quod passim pluribus ex eis contingit. Vnde vel nulla vel valdè parua laus est concipientis mulieris & conceptionis eius, si sit sine vero peccato; quod multò magis vrget in Virgine quæ concepit ex Spiritu Sancto, nec occasionem habuit in eiusmodi conceptione deficiendi, neque mentaliter, & maximam habuit laudandi Deum, cúmque ardentissimo amore prosequendi: quare videtur vanum laudatam fuisse & celebratam eius conceptionem actiuam summa festiuitate, quia fuerit sine peccato; atque adeò signum est quod in tantum celebrata fuit in quantum passiua erat, quæ non contraxit originale generalissimum in cæteris conceptionibus. Quod argumentum, meo iudicio, euidenter euincit.

10. Et rem pene videtur concludere traditio, quæ extat in sacello Virginis Cæsaraugustanæ, in quo seruatur imago formæ Deiparæ sub qua apparuit Sancto Iacobo, cuiúsque mysterium prædicandum commisit, videlicet Conceptionis suæ: nam vt eius imago exprimit, picta ibi stellis coronata Sole vestita & Luna calceata, quemadmodum solet depingi pro significanda eius Conceptione, quæ omnes tenebras peccati excludat, omnéque propterea lumen cœli in se recludat.

11. Tandem traditionem Ecclesiæ, circa festum Conceptionis, quod scilicet ab Apostolis emanarit, potest efficaciter colligi ex Ecclesia Græca, quæ ex Hymnis & scriptis à Sancto Sabba Abbate compositis in Canone Ecclesiastico ante mille & ducentos annos celebrauisse scitur Conceptionem Virginis etiam carnalem, vt patet ex dictis: & rursum inuenitur, vt vidimus quod antiquiores Patres Græci etiam ibidem scriptis nec non Officiis Ecclesiastici celebrauere: ex hoc enim ita licet arguere, impossibile est quod ex mera peculiari deuotione orta post quadringentos vel quingentos annos à Christo nato celebrata fuerit Conceptio dictæ Dei Matris, cum non potuerit Græcis Patribus patere dies proprius huius festiuitatis, nisi vel per traditionem, vel per reuelationem, vt liquet; cum ergo ipsi celebrauerint proprio die, certè altero ex his modo rem perceperunt: non videtur autem verisimile, quod ex reuelatione hoc habuerint; nam eius omnino meminissent, quemadmodum contigit in Ecclesia Latina. Et rursum ea controuersias habuisset, & aliquis saltem ex Patribus dubium rei innuisset, licet illud dissoluisset. Quare omnino consequens videtur, quod ex traditione ipsi habuerint diem Conceptionis Deiparæ, & per consequens vel vsurpatam vel debitam celebritatem eius: quæ item tam certo & signanter seruata apud posteros non fuisset, nisi vt digna celebritate. Et si velis quod non ex traditione, sed ex reuelatione sit agnitus dies Conceptionis Virginis, cum eius celebratio fuerit tam vniuersaliter & sine controuersia acceptata à tot dictis Patribus cum attestatione & euulgatione

tione sanctitatis quæ in ea esset, vt dicitur in Canone illo Ecclesiastico, ex diuina institutione constabit itidem conceptionem ipsam carnalem fuisse celebratam, & datam vt sanctam, atque adeò positiuè inferentem sanctitatem in prima animatione Virginis, & auertentem ab ea omne verum peccatum vt vidimus: quod erat intentum vltimum probationis nostræ. Quódque magis patebit ex his ipsis alibi latius & efficacius ponderandis non strictim & cursim vt actum est congruè in breuiori hac Trutina.

FINIS TRVTINÆ BREVIORIS,
eiusdémque Trutinationis primæ.

SCOPVS
ET
IDEA THEOLOGICÆ
TRVTINÆ, CERTITVDINEM
IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS
Deiparæ expendentis librâ Scholasticâ.

§. 1.

Ostenditur aptè posse conscribi noua Volumina de concernentibus ad hanc materiam sine molestia & nausea repetitionis similium.

1 IN tam præclara eruditione, omnigena varietate & excellenti doctrina Scriptorum perillustrium, qui de Immaculato Virginis Cõceptu immensa & innumera edidere Volumina, quid sine fastidio decantandi sæpius repetita, possit, intendat, & præconceperit paucitas nostra in hoc insumpto opere, mente agitabunt dubia optimi quique Lectores, qui nostris hisce multiplicibus Opusculis obuij fuerint, dum quotidianis non infimæ plebis, sed togatæ sapientiæ interfunt querelis, quibus clamatur & scribitur nihil posse vlterius in tritis & protritis quæstionibus qualis est notata de Concepta Deipara, de nouo afferri, quod fugerit Scriptores præteritos, nulla excogitari argumẽtorũ acuta solutio, quæ non sit frequenti repetitione à prioribus vsurpata & adhibita, nec vlla eruditio in Democriti puteo vsque ad nostra seruata tẽpora, quæ in Doctorum Voluminibus non sit è tenebris ad effulgentem lucem protracta. Nihil non scriptum, quin etiam & non rescriptum pluries: nihil non typis datum, eisque semel iterumque commissum: variata veluti figuris cũcta proponi in similibus, vt quadrata in circulares, circulares in alias angulares figuras inuerso paulisper ordine redigantur, & Tomi pergant & traducantur in Tomos; aut quæ varia edidere Volumina: vel vnum grandius recolligat cuncta, vel aliud ea omnia strictius compendiosè pertractet. Vsque enim à Ruperti temporibus, vt ipse testatur in Prologo super Apocalypsim, vox illa clamitabat è triuio. [Illicitum est, temerarium est, adiicere quippiam ad eaquæ à nominatis Catholicisque Patribus dicta sunt, atque ita fastidium legentibus facere augendo multitudinem Commentariorum.]

2 Sed his latratibus & querelis illico occurrimus cum Chrysostomo primum, & cum Nysseno deinceps. Et Chrysostomi quidem in hac re subsumimus verba, *ex hom. 1. de fide Annæ*, cunctis Lectoribus prænunciantes atque humiliter ab eis exposcentes. [Nolite molestè ferre, si rursum idem argumentum tractare incipimus neque enim vetera dicemus, sed noua quædam, ac recentia.] Liceat hic nobis addere quod non solum noua & recentia, sed valdè recẽtiora & nouissima proferemus in medium, sicuti noster mos fuit in alijs elucubrandis operibus. Cum Nysseno autem contra Vsurarios à Magno Nazianzeno exagitatos, insuper subdimus: [Semper cum grandioribus videntur nonnulla humiliora, nam mercium nauem, quæque millenis mercibus est referta, sequitur exigua quædam cymbula idem secans æquor; viriisque, athletico more pugnantibus, digladiantur & pueri.] Quemadmodum sublimis Arcis constructioni non meri aptandi sunt grãdes lapides, ijque perpoliti, & quadrati; sed necessarij etiam sunt lapilli ijque parum sæpe compositi: nec grandi & rectè instructæ Classi magnarum Nauium ad expugnandas maritimas Arces, & Vrbes, deesse debent paruæ nauiculæ quæ vectigalia in dies subministrent, aliæque cymbulæ, quæ pro re nata, huc illucque discurrant, expeditissimæ ad varias terræ obsidioni traditæ oras explorandas.

3 In arcem extruendam grandem Theologia nostra temporibus hisce vehementer incumbit, ope magnorum alumnorum, qui grandia & perpolitissima saxa abhibent, exquisitorum & robustissimorum argumentorum, validaque eidem inferentes præclararum auctoritatum iacula: similique robore ita eam construunt, vt ad oppugnandam expugnandamque sententiam maculatæ Conceptionis abunde instruant, claf-

fis etiam modo videtur magnorum ingeniorum ad eundem scopum dirigi; quare mirum non sit si ad hoc grande opus, & ædificium lapillos rectæ ratiocinationis nobis afferre contigerit, nouarum videlicet & aptarum animaduersionum, & frequenter forte cuincentium; rursumque cymbula pariter nostra accedat exploratoria multiplicis doli & technarum, quas frequenter adhibent in Arce seruanda sua pugnantes contra Conceptionem purissimam vt ijs detectis pro Deiparæ gloria victoria conclametur.

4 Hoc autem veraciter & congruè à nobis præstitum ex eo persuasum sit, quia non cuncta quæ dici potuere in hoc sacro Mysterio, omnia iam fuisse prædicta à prioribus, est censendum, vt cum Anselmo loquar in præfatione ad librum de incarnatione, [nam & illi, (ait Anselmus,) quia breues dies hominis sunt, non omnia quæ possent dici, si diu vixissent dicere potuerunt; & veritatis ratio tam ampla, tamque profunda est, vt à mortalibus nequeat exhauriri.] Quæ ergo priores si vixissent potuissent addere, nec addiderint quemadmodum noua fuissent eo tempore propalata, si in præsentiarum inueniantur ab aliquo posteriore; ab eoque propalentur vti vlu venire solet, pro nouissimis & recentissimis sunt habenda, nec dum promittuntur à quoquam, qui stare solet promissis, minùs sunt expectanda, vel iudicanda pro nullis, & ideirco abijcienda & stomachãda.

5 Quibus addendum quod non omnia possumus omnes; & quod frequenter complures rectè oculati quærentes non inueniunt, illud idem nonnullus pene ignauus homo, vel puer, aut mulier reperit; eique frequentissimè ex fossoribus thesaurus ostenditur, qui nec aptè, nec illum quærebat, cum mille viris longissimæ fossioni deditis fuerit perpetuo absconditus; nam vt in idem recidens inculcat Damascenus. [Plerumque vsuvenit, vt quod homines adulta ætate fugit; hoc puer inueniat, & quod eruditos præterijt, indoctis in mentem veniat, & quod magistros fefellit, discipulis occurrat.]

6 Tertio, vnaquæque grandis materia, si, veluti latus campus & ager, vndequaque percurratur & peragretur: non ita tamen solet ab humanis ingenijs comprehendi, quin in aliqua sui parte negligatur exagitari & perpendi; & ingenia posteriora aliqua non obseruata à prioribus indigitent apertissimè; sicuti ipsa cuncta agri magni planities non vbique pede deambulantis proteritur, nec vllæ sunt diuites celebratæ vindemiæ, lata sata demessa, depasti fructus & flores à cultis & ampliſſimis agris, quin vuæ frequentes, innumeræ spicæ, & poma floresque relicti fuerint, frequentissimi; licet ab industtrijs apum examinibus vndique lustrati & exquisiti. Id quod Damascenus aduertit & protulit, & nos aptamus in simili. [Quamquam ne hac quidem oratione ad vos vti licet, (ait Damascenus) quin potiùs, vt qui racemulum aliquem post vindemiam relictum, aut spicam post demessas segetes, ob ingentem fructuum copiam neglectam, aut denique poma aliqua post collectos arborum fructus obliuione transmissa, congesserunt, ita nos Deo iuuante, eos qui voluerint epulis excipiemus.] Cui consonat & Ricardus à Sancto Victore concludens in tractatu citando, [Nemo itaque indignetur si de messe Domini spicas, & quæ messorum manus effugere poterant, colligantur.]

7 At vnica & simplex & breuibus constricta finibus videtur esse materia præsens, Momus aliquis suggeret; de prima scilicet infusione animæ Dei parentis prædita vel exuta sanctificante gratia; acutissimis lustrata oculis, innumeris agitata Scriptionibus, subtilibus discussa quæstionibus, nec valde plura supra ea quæ excogitata sunt, potest quis inuenta subministrare: & Momo sapiens contra responsa parabit, & pro re assumpta arguet. Videlicet arte sculptoria innumeras nouissimas, nimiumque spectabiles efformari solitas statuas ex vnica massa ærea, vel marmorea: à bellica ex eodem ferro, armamenta semper erui varia eaque fortissima: à pictoria ex eodem penicillo & coloribus exprimi simulacra inmaginesque numquam aliàs visas, vel vlli phantasiæ occurrentes. Quemadmodum enim ab vno obsonio, vnoque auro quisquis notabit, varia edulia, & numquam exhausta arte facta componi, qualia certe animaduertit Chrysostomus pro nostro proposito dum scripsit. [Nam in conuiuio corporali ex eodem obsonio, multa eduliorum genera potest aliquis conficere; quin & artifices videmus ex eadem auri massa, & armillas & inaures, aliasque multas res aureas fingere: quamquam enim eiusdem generis est materia, ars tamen est varia, neque coarctatur similitudine materiæ subiectæ quod ipsa sit copiosa varijque Artificij.] Cùm præsertim mirum non sit si vni inuento plura superaddere apte contingat, dictante Ricardo à Sancto Victore de Tabernaculo fœderis in Prologo primi Tractatus: [Non est magnum, nec mirum, si in vno aliquo aliquid possumus addere, quod ad maiorem vel pleniorem intelligentiam possit proficere;] Et reddit rei rationẽ, quia. [Qui producit assiduè nouos fructus ad recreationem exterioris hominis, numquam credendus est nullos de cætero scientiæ profectus impartiri ad innouandos sensus interioris hominis; vbi est ergo illud quæso. Pertransibunt plurimi & abundabit scientia.]

8 Quinto, quamquam vnicus sit præsentis nostræ controuersiæ punctus, vnaque & simplex præcipua materia momentaneæ Conceptionis naturæ Dei Matris (quam oppositi antiquiores Scholastici paucis attendentes duobus vel tribus articulis absoluere posse sibi visi sunt) ea tamen grano sinapis Euangelicæ similis facta est, quod more seminum quidem satum, radices figit cæteris similes plantis; truncũque extollit & firmat in agro, quem sublime ferens in fortes deinde protendit ramos, & multiplicia germina, vnde tandem excelsam ea excrescit et gigiturque in arborem, quæ domos auibus paret & pandat apertas, vt in Euangelio dicitur. [Simile est regnum Cælorum grano sinapis, quod minimum est quidem omnibus seminibus, cum autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt veniant volucres, & habitent in ramis eius.

9 Nec secus vnica quæstio de prima infusione animæ Beatissimæ Virginis sanctitate prædita vel experte, quæ patuo semini assimilari visa est; antiquiori tempore radices quæsiuit & traxit latissime ex solito modo contractionis originariæ labis in posteris Adæ vsque ad ipsius

Adami

Adami & Euæ culpas primæuas, à quo Sanctissima Mater prædicanda fuit extranea; truncum firmauit in pacto diuino cum eodem primo parente contracto, à quo peculiariter fuit Deipara extorris, & in sublimem erecta est arborem, dum comparatur gratia immunitatis eius ab omni originis culpa, altitudini & æquationi consimili cæterarũ eius prærogatiuarum sublimium, incorruptionis scilicet eius naturæ, exemptionis à fomite, indemnitatis à pœnis originis, præseruationis ab omnibus morbis & infirmitatibus corporis, libertatis ab omni maledictione gestãtis in vtero & parientis, abalienationis à qualibet ignauiæ labe, singularis incorruptionis ab incineratione carnis, doni supereminentialis viuificæ resurrectionis in similitudinem filij, Integritatis perpetuæ Virginitatis omnimodæ, supremæ Sapientiæ Dotis, Immensitatis thesauri gratiæ & sanctitatis, plenissimi cumuli omnium priuilegiorum, cumulatissimæ beatitudinis diuinorum omnium aggregatione donorum, & tandem Maternitatis eius Excelsissimæ ac incomparabilis sublimitatis super cuncta creata, Eleuationis ineffabilis, nec non intimæ propinquitatis ad Deum, supremæque assumptionis ad metas & ordinem Deitatis & incomprehensibilis eius connexionis cum supersubstantiali sacrosancta Triade & infinitis eius attributis personalibus: quæ omnia erexerunt Deiparam in Conceptione hac sua incomparabilem, in similitudinem palmæ, provt eadem Virgo de se loquuta est Ecclesiast. 24. [Quasi palma exaltata sum in Cades] eidemque teciniſſe diuinum sponsum agnoscimus, dum illi respondet 6. Canticorum, [Statura tua assimilata est palmæ] nec non in altitudinem cedrinam quod bene Ricardus à sancto Laurentio lib. 12. de laudibus Beatissimæ Mariæ declarat, [In arboribus quæ hic enumerantur signantur virtutes Virginis & charismata, quibus non sosum plena est, sed eisdem implet humiles.] Et palmæ quidem & cedro recte comparatur Deipara ex hac ipsa Conceptione sua; palmæ & cedri similitudinem exprimens; etenim de palma scribit Philo. [Palma arborum præstantissima & aspectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum:] cumque ita multiplicem, vt teste Plutarcho in synops. cap. 5. [Babylonij palmam hominibus fructus ferre trecentos & sexaginta asserebant, vt ideo anni qui tot circiter diebus cõstat, symbolum esset.] Sic de concepta Virgine scripsit Sãctissimus vir Dionysius Carthusianus. [Numquam per culpam est incuruata, sed in omni virtute & sapientia iugiter stetit erecta, ac glorioſissimè de hostibus inuisibilibus triumphauit victoriæ palmã debuit insigniri;] & Ricardus à sancto Laurentio ibidem. [Beatissimæ Virgini nulla defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec scientia Prophetarum, nec Zelus Apostolorum.] Qui veram vt altissimam Cedrum Virginem Matrem vsque à suo ortu obseruat & tradit, dicens, [Cedrus arbor est procera, & eminentissima super omnes arbores, vnde à quibusdam dicitur Rex arborum; & bene competit dignitati Mariæ, ideo dicit quasi Cedrus exaltata sum in Libano Eccl. 24. alta fuit Maria quæ instar Saulis ab humero & sursum sanctis supereminet vniuersis.]

10 Nec tandem prætereundum est quod hæc vnica Conceptionis Deiparentis materia, & singulare mysterium penè ineffabile, ita profundum & inexhauribile, vt ita dicam, reperiri contingat vt nulla superueniens multitudo librorum, nec vlla continuata ingeniorum feracitas, possit illam vndequaque ne dicam explere, sed nec ex proximo fines eius appellere. Quare, quod bene dixit Sanctus Leo sermone 10. de Passione, & nos dicere in hac re possumus; [Ipsa materia ex eo quod ineffabilis est, fardi tribuit facultatem, neque potest deficere, quod dicatur, dum non potest satis esse, quod dicitur:] quippe quæ comparari æquissimè potest pretiosis fodinis auri, & timpidissimis fontibus sicuti & de doctrina Pauli in epistolis signauit Chrysostomus, & nos Sanctæ aptamus Conceptioni Dei genitricis, videlicet [fodinæ metallorum & fontes sunt in Conceptione hac diuinissima: metalla quidem, quia quouis auro pretiosiores nobis præbent diuitias: scilicet scientiæ & intelligentiæ cælestis: fontes verò, quia numquam deficiunt, sed quantumlibet exhaurias, tantumdem & multò ampliùs rursum affluit. Et hoc euidenter declarare potest totum tempus quod præteriit, siquidem ex eo (quod hæc alma Conceptio exagitata fuit fere septingenti anni iam elapsi sunt) totoque hoc tempore cùm Cõmentatores, cùm Doctores & alij Scriptores Ecclesiastici multa sæpe inde hauserunt, nec tamen repositas ibi diuitias exhaurire potuerunt] cuius rei rationem reddens subdit, [Non enim est sensibilis Thesaurus, & ideireo non consumitur à multis effodientium manibus, sed augetur, & multiplicatur.

11 Et quidem quanta sit profunditas & eminentissima altitudo huius materiæ Cõceptionis Immaculatissimæ instrospiciet perspicax Lectoris ingenium, dum mysterium huiusce eximiæ puritatis in peccati sordibus filiorum hominum, coniunctum aduertet cum illo Conceptionis Christi, eiusque altissimæ Prædestinationis æternæ in mente Patris annexum: in prædestinatione enim & cum prædestinatione filij Conceptio Matris inuoluta dignosci debet & recoli; ac propterea in primis de mundo cõdendo Deitatis supremæ decretis agnoscenda & admiranda signanter, vel quia cum Christo ante decretum conditionis cæterarum creaturarũ fuerit Virgo decreta vel quia si post Adæ creationẽ eiusque in originale prolapsũ, fuit præuisa antecedẽter, ex conditionali alio priori decreto fuerit ab incursu in peccatũ præseruata & præuenta, vel vltimò, quia extra numerum cæterorum omniũ ab Adamo procreandorum fuerit abstracta ab altissimo Conditore. Neque hæc controuersia figit hic terminos, sed conuocat illam; an si Adam non peccasset, Christus incarnatus fuisset, & ex consequenti, an Deipara fuisset Maria in eiusmodi casu, sinon ex vi præsentis decreti, & serie in præsenti constituta; saltem ex alia antecedente & magis in dependente Dei voluntate, qua tunc Deus mundum sine Christo & Virgine decreuisset creare.

12 Iterum atque iterum huic grandi Conceptioni annectitur quinam modus præseruationis ipsi contigerit, an mere in actu infusionis Sanctissimæ animæ Dei matris, in posteriori tamen ad corporis eiusdem informationem, vel antecedenter ad illam, & si antecedenter an ex

extractione eius à pacto cum primo parente, vel cum aliquali inclusione & cuius rationis ?

13 Qui item modus redemptionis apte ei obuenerit, an præseruationis cum debito in carne, & in anima? vel in carne & non in anima? vel neque in anima neque in carne, cum eo solo in vtriusque remoto? vel cum emundatione immundi seminis pro prima eius coagulatione ad formationem corporis? vel pro tempore prosequutionis eius ante finem formationis fœtus Rursum an post tres circiter menses more cæterorum partuum fœminei sexus fuerit corpus eius formatum, an breui aliqua mora temporis intra diem à prima suarum partium organizatione, quæ est quæstio nuper à Doctoribus aliquibus introducta, licet ante triginta annos à nobis exagitata fuerit ? an etiam cum corpore ad mensuram & pondus fuerit procreata sanctissima vel compassa in eo sit humorum intemperiem aliquam atque discordiam, seu vitiatæ Conceptionis initium ? quemadmodum, an cum fomite extincto, vel merè ligato, an in vsu rationis pro primo instanti creationis & sequenti tempore vel sine illo, pro tempore pro quo morata est in vtero matris ; quem ei absolutè negauit Sanctus Thomas, certè valde minus probabiliter? an etiam beata visione perfruens, vel tantum in excessu gratiæ summo ?

14 Quid quod hoc grande mysterium in innumeris ferè sacræ Scripturæ locis est effodiendum, & purissima aquæ eius doctrina ex hisce inexhaustis fontibus est haurienda ; ad quorum peruentionem multiplices semper putei sunt effodiendi, nec vnquam propter aquæ perennitatem & vastitatem, eis præfigendus est numerus. Vnde Scriptores Ecclesiastici sunt maxime hortandi ad alios semper effodiendos: & firme æstimandum semper ex eis, iura & noua fluenta scientiæ pro Immaculata Conceptione proditura esse, scribente Ruperto in simili super Apocalypsin, in prologo. [Quis namque recte indignetur eo quod in eadem possessione post vnum aut alios puteos, quos foderunt Patres præcedentes; plures proprio fodiant labore filij succedentes? denique Isaac & alios puteos fodit, præter illos quos foderunt serui Patris sui Abraham, quos illo mortuo obstruxerant Philistijm. Nam postquam & illos fodit, appellauitque eos eisdem nominibus, quibus ante Pater vocauerat; sequitur Scriptura & dicit, foderunt in torrente & repererunt aquam viuam. Item foderunt & alium. Itaque iuxta hanc regulam nobis quoque concedant post illos puteos, quos foderunt; idest post illos tractatus, quos tractauerunt Patres & priores nostri, & alios fodere puteos proprij vomere ingenij, dummodo viuam & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti.]

15 Profundam etiam scrutationem & solertissimam inuestigationem habet præsens materia in traditione puræ Conceptionis Apostolica; cui scrutationi nullus oculorum satis est numerus, sed perspicaciores & noui sunt continuo aduocandi, vt liquidò nobis eam constare faciant; quemadmodum in dies fieri clariorem cum exultante gaudio aduertimus, & nos maximè huic negotio in præsenti opere studium impendisse arbitramur.

16 Nec minùs ea venanda est in obuijs, vel abditis sanctorum Patrum monumentis, quod vtrumque requirere nouorum Scriptorum operam experimento eorum quæ de nouo in hac re adducemus, luce clarius apparebit. Nam si profundè, etiam obuia Patrum dicta pensentur, ad euidentiam commonstrabunt intentum; quod euidentius ostendetur ex abditis in antiquitate Patrum scriptis, reseratis tempore præsenti, & ex Græco vel alio Idiomate, translatis in Latium quæ apertè pro Immaculata Conceptione pronunciant.

17 Quantum itidem certa & vasta hæc sit veritas apparere potest ex his ipsis quæ scribimus; nam tot tantaque suggerit & suggessit nobis noua argumenta, vt ex communibus fere Patrum dictis, supra viginti capita eruerimus, vnde Immunitas Mariæ Conceptionis à macula efficacissimè concludi sæpiùs & firmiùs possit, integrumque Opusculum rationibus alijs multò pluribus assignabimus, quæ nostro iudicio rem videntur euincere. Quæ certè non euenirent nisi ex se veritas hæc latè patens cum pluribus aliis coniuncta, ex ijsdem valdè multiplicibus in lucem tradi possit & demonstrari frequentiùs.

18 Admirabilis etiam & innumera magnatum & veracium Reuelationum, eximiorumque Miraculorum congeries, quæ in dies noua suscipit & fortia incrementa; quamquam ab Aduersarijs prædicetur satis temere & erroneè conficta; majestatem & altitudinem, amplamque latitudinem tanti mysterij attestatur, & quid ineffabile pro sua dignitate numquam satis propalatum ostentat, & ad sui scrutationem, non satis impigrè & intimè, quantùm ad expugnandos contradicentes fortè oporteret vsque modo adhibitam, Scriptores complures & nouos requirit & prouocat, qui veritatem irrefragabilem agitent & proclament.

19 Quid quod immeritò affirmatur vel potiùs falsò, & ignauè accusatur Sancta Patrum aliquorum antiquitas, quod scilicet pro maculis Mariæ Conceptionis steterit, nec ea videatur satis plenè à tanto errore purgata, nonne meritissimè monumenta recentiora postulat, quæ eam acriter vindicent ab hac ignominia & veluti insciția; quod pro virili non tam soluendo dicta & obiecta ex Patribus sumpta, quam eorumdem inanitatem ad probandum contra Sacram Conceptionem, repetitis vicibus ostendemus, non respondentium, sed valide arguentium partes suscipientes: quodue simile negotium in quibuscumque aliis obiectis soluendis, siue ex sacris Litteris, siue ex rationis lumine deductis, si peragatur vt verè in hoc opere maximè peragitur, nonne satis ostendit quantum hæc profundissima veritas aperitur latissimè, & tenebras falsitatis vndequaque disijcit, & nouis defensa modis cum admiratione prospectari se faciet ?

20 Et tandem cum Sanctus Thomas & prisca Scholasticorum Theologorum sententia sine veritate dictitatur puritati supernæ Conceptionis assertæ aduersaria impigrè atque robustè: si ij & cæteri eius cuncti Theologi videbuntur in eam nihil veræ maculæ inuexisse, sed pro eadem vere & faustè pronunciauisse, idque præsenti scriptione nouo & longo labore constiterit: nonne & mysterij sublimitas à tam multis

&

& doctis viris non plenè percepta & rursum indigens noua recentium scriptione Librorum commonstrabitur aperte? Quod cum in præsenti Trutina seriis & propriis Opusculis singula expendentibus, fiat: quis eam de veteri & inutili repetitione iampridem dictorum arguet? & præcipuam nec non communem eius nouitatem non amplectatur & exoptabilem prædicet?

21 Septimo Lectorem fortiter persuadere poterit noua & numquam alias scripta proferri facile posse in recentibus typis, propterea quod non omnia, quæ antiquiores priores excogitauerint, aliis propalauerunt, seu quæ mente conceperint, vel verbo vel scripto protulerint; & rursum etiam sæpe parta & rescripta ad posteros traducta non fuerint: sic de Theophrasto scribitur trecentos composuisse Libros, nec non de Chrysippo refertur septingenta exarasse Volumina, Aristarchum edidisse mille Commentaria, Dionisium Grammaticum quingentos super tres mille Libros impleuisse, & de Trismegisto Iamblicus affirmat, si fas est rei fidem omnem præstare, triginta sex millia quingenta viginti quinque seu Librorum seu Libellorum; & sacra auctoritate Epiphanij de Origene constat, ad sena Librorum millia peruenisse quæ scripserit, quemadmodum & de Salomone narrat Iosephus *lib. 8. antiquitatum cap. 2.* scriptos fuisse Libros Odarum & Carminum quinque supra mille, & Parabolarum Libros tres mille. Quæ dictata omnia cum perierint, nec credenda sint repetijsse quæ prius dicta fuerint, perspicue demonstrant posse cæteris posterioribus in mentem venire, ac proinde in Libris quæ de nouo eduntur, nouiter posse tradi perpetuo: cùm perennis ingeniorum vis, & intelligentiæ facultas fœcundissima sit, & numquam fine aliquo circumscripta; quæ quicquid cæteri inuenerint, ea ipsa in posteris possit iterum tradere. Complura etiam mente concepta & verbo prolata Libris commissa non fuisse quis nesciat, quot enim disputationes diuturnæ Patrum cum Hæreticis, vel in Conciliis exagitatæ de rebus fidei & similibus controuersis ore habitæ, scripto non sunt exceptæ? Nouissima etiam quis nescit scripto negata, & non optaret habita in Concilio Tridentino, præsertim à magno illo Iacobo Laynio ætatis suæ prodigio inter doctissimos illius sæculi viros, & societatis Iesu Præposito Generali secundo post sanctum Ignatium, & ab eo in præpositura eadem prædicto; quæ per ternas & quaternas horas cõtinuas vnus ipse solus promebat ad Patres Concilij in vnaquaque controuersia decidenda è suggesto sibi solũ cõcesso in medio loco Concilij, vt ab omnibus sitibundis auribus facile percipi posset, vt refert Sacchinus quæ omnia scripto expressa non fuere? quemadmodum nec illa plurium horarum optabilissima dissertatio, qua euicit, & à Concilio obtinuit apponi ad decretum de peccato Originali, non fuisse eius intentionem in eo includere Sanctissimam Dei genitricem, quæ eo die ipsi quartanam febrem abripuit in perpetuum. Nec item omnia mente concepta & rectè apprehensa litteris consignata vnquam fuisse quis dubitet, vnde plura huius generis posteritatem amisisse ex obitu in ætate non admodum prouecta nec supra quinquagenaria Sãcti Thomæ, Sancti Bonauenturæ & Scoti communis est dolor & certa scientia. Si de Sancto Ignatio Societatis Iesu fundatore scimus vnica breui visione cælesti, tot tantaque didicisse diuinitus, quæ pluribus annis comparare non poterat, nec certè cum tantâ assequutæ veritatis certitudine. Et quid simile de Sancta Catharina Senensi refertur, & refertur itidem in vita admirabilis illius & Sanctissimi viri Gregorij Lopez qui eremiticam vitam duxit. In Indiis, omni humana diuinaque scientia præditus nihil exarauit in paginis nisi breui libello virtutes herbarum ad Neophytorum illorum iuuamen, & breuem Apocalypsis explanationem, cum ipsæ sanctorum omnium Patrum historiæ, prophanæque Imperatorum vitæ gestaque præsertim circa Dei Sanctos & Martyres eius menti paterent, nulla vmquam adhibita lectione Historiographorum: quæ omnia alte firmant meritò in grandi aliqua materia, Deo præsertim fauente, semper sperari posse ab Auctoribus nouissima inuenta, cum maximè Sapiens in Ecclesiaste *cap. 12.* asseueret indubitatè, ita futurum in sæculis subsequentibus: [Faciendi Libros nullus est finis,] nec de Libris inutilibus inepta dicta promentibus sermocinatur, dum de similibus scripserat paulò antè; [Inuestigans composui parabolas multas, quæsiui verba vtilia & conscripsi sermones robustissimos, & veritate plenos.] Vnde apte Chrysostomus hoc idem argumentum ostendit ad cæteros qui post nos sunt scripturi, qui noua omnino inuenient & tradent, quæ potiori iure ab antecedentibus ipsos, omnino prætermitti possunt, & dum à nobis proponi dicuntur, fidem synceræ veritatis expostulant, nam indubitanter loquitur aurea lingua magni Oratoris Christi *Ser. 25. tom. 5.* [Quid dico de ijs qui ante nos fuerunt, quam multi post nos dicturi sunt? & rursus post illos alij, nec tamen deficient fontis in modum, scatentes diuitiæ, neque metallorum hoc genus exhauritur.]

22 Octanò cùm in dies de Conceptionis mysterio noui Libri cudantur, qui noua semper afferant, id ipsum aliis Scriptoribus obuenire posse efficaciter persuader; laborauit enim & in vnum labores plurium quatuor grauissimorum Doctorum collegit numquam satis laudata cismontana familia Sancti Francisci, & Anonymos quosdam acriter perstrinxit, & quæ nerueosa possent ex eruditione firmare, argumenta; pro Sanctissima Cõceptione luculenter tradidit, nec non eamdem contra Anonymos pugnam Calderonius repetens peculiaribus telis & nouis inuentis, de fuit eos impetere. Auctoritates à Caietano allatas à Patribus pro maculanda Conceptione intaminatissima; in nihilum redigit & nullas ostẽdit nouiter Hippolytus Maracelus pluribus animaduersionibus recẽtibus & manifestis; & rursum quis crederet? Pater Ioannes Antonius Velasquez ex innumera eruditione nuper anno 1653. Tomum integrum de Conceptione Santissimæ Virginis in lucẽ protulit, qui ad nos nunc primum in fine anni 1656. peruenit, qui omnem redolet nouitatem; ita vt Pater Ioannes de Vileamar censor eiusdem libri, veluti pro censura posuerit summas de doctissimo viro laudes, in hæc verba, [Quis verò putaret huic de Mariæ Immunitate argumento, aliquid iam posse nouum adiungi, cum tot Scriptorum

rum immensa Volumina omnes doctrinæ fontes videantur exhausisse? verum hic aureus libet ita tritissimam materiam expolit, vt possit esse experimentum nihil adeo absolutum esse vt habere incrementa non valeat à magnis ingenijs. [Sed quid is vel alius sensatus vir diceret, qui post Velasquez aduertat Christophorum Vega supra Velasquez dicta, nouas de Conceptione Virginis & rationes & commentationes & auctoritates submministrasse; nec non post ipsum nouissima & plura & fortiter euincentia protulisse Heribergh? Nulla ergo ratione mirum sit, si recentiora numquam prolata promittantur à nobis de concepta Deipara

23 Nono denique & noua à nobis depromenda, & alia item nostra occasione, semper in dies recentiora promittat sibi lector ex variis insolitis fodinis, quæ hic aperientur scientiæ; ex quibus nec nos omne doctrinæ argentum & aurum exhaurire posse confidimus, atque ex aliis quas pretiosissima & fœcundissima Virginis terra, vnde erui debent, semper noua aperiet, ex quibus possint thesaurorum eius scrutatores, indeficientes haurire doctrinæ diuitias, & apertiùs magis & magis humanis sensibus demõstrare puritatem omnimodam Conceptionis huius Deificæ. Nam cõpertũ esse quis dubitet, superexcedere omnes cælestes, nedum humanas mentes, ac terrena eloquia, celsitudinem prærogatiuarum Deiparæ, dum omnis Sanctorum Patrum Chorus ita illi occinit. Dum Bernar. Serm. 2. super *Salue* scribit Virginem ipsam Sanctissimam alloquens, [Eleuata est magnificentia super cælos, & super omnem terram gloria tua, ita vt neque in cælo inueniatur creatura quæ tuam digne laudare queat magnificentiam, nec in terra sit quæ gloriam tuam exprimere valeat? Nemo enim neque in cælo neque in terra inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum & digne soluere signacula eius:] & concinit Bernardo Damasc. orat. 1. de Assumptione qui ait. [Hanc non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mensa dignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam perspicuè nobis intueri datum est] & Damasceno cantu consimili & nouæ vocis gratissimo sono associatur Sanctus Theophanes nouiter auditus in Menæis Græcis 9. Feb. Ode 1. de Sancto Nicephoro quæ habet [Cælestis intellectus ad incomprehensum tuæ dignitatis mysterium pari subtilitate penetrandum verè se hebetem sentit.] Theophani consonat Damianus expressiùs super omne eloquium expertus Virginis prærogatiuas excelsas & inauditas subdens, [Cum beatissimæ Genitricis Dei laudes scribere volumus, cum noua & inaudita sunt, quæ tractanda suscipimus, nulla inuenimus verba quibus ad hæc digne exprimenda sufficere valeamus; tollit enim facultatem sermonis materia singularis.] Damiani nouo choro concinnè additur itidem recenter Sanctus Ioannes Eucherius in Menæis Græcis 1. Ian. Ode 9. can. 2. qui fatur, [Maximarum laudum tuarum potentissimus campus me in angustias redigit Domina, & orationem meam vbertate rerum dicendarum suffocat, sicque mihi præter omnem modum & morem, ipsa paupertas ex abundantia nascitur.] Et Leo Imperator de dormit. Deiparæ, [Quæ linguæ facultas, quod orationis flumen ad hoc argumentum aliqua saltem ex parte dignè tractandum, quod laudatissima illa & bonis omnibus cumulatissima hominum Angelorumque Domina exhibet:] Sic Ecclesia Græca in Menæis dictis die 11. Maij Ode 9. de Sancto Epiph. in clausula, [Omnes Rhetorum leges ad rite laudandum inuentæ, magnitudine gloriæ tuæ vincuntur.] Iterato his cantibus se immiscet & idem de alijs prædicat Germanus Constantinopolitanus de Natiuitate Virginis his verbis, [Quis te glorificans, non vsque te celebrauit, simul egregiè incipiat, ac non denuo ad laudum tuarum præstantiam celebrandam reuertatur? pro dignitate enim deprædicare te nemo potest.] Altiori etiam quodam tono bene consonat Philippus Abbas lib. 4. in cant. cap. 1. Angelicum sensum exprimendum in sequentem modum, [Hærent Angeli, stupent, neque dignè sufficiunt admirari, nec inueniunt quibus laudibus possint congruè Virginem venerari:] Et altiori quodam modo & sonoro tono S. Iosephus Confessor Die 18. Augusti Ode 9. de Beata Virgine eumdem sensum exprimit pressiùs de Concepta Virgine loquens illis verbis, [Illa creatura vnica ab omnibus nævis intacta, quam omnes hominum linguæ in vnum collectæ Angelorum item omnium ora prædicatione digna prosequi nequeant.]

24 Quapropter si infinitum fere pelagus dicendorum in Virgine nemo est qui negare pertentet, nec vllus sit qui indubitanter & vltro non profiteatur hunc sensum, noua hic de Conceptione Deiparæ dici & inueniri semper posse; & rursum inuentum iri non speret, cum maximè diuina eius Conceptio supra cæteras habeat prærogatiuas, quod sit cæterarum prærogatiuarum eius radix & fons, cum qua omnes communicent, & vitalem Deificumque trahant humorem, ex his quæ hactenus habuit; legat, audiat, suboderetur, gustet & palpet singula quæ tractantur, & cum prioribus in antiquitate vulgatis conferat & mox atque in cunctanter scopum præcipuum nostrum quem collimamus, nec fere Doctorem alium collimasse censemus, aduertat; quod in his quæ sequuntur apparebit illico.

§. II.

Perspicua fit secundo necessitas huius Operis, ad disiiciendum ab omni probabilitate sensum Immaculatæ Conceptioni aduersantem.

1 NEc tamen his dictis patuit adhuc intentum præcipuum nostrum, nec Idea Operis satis aparuit, nec ex mediocri quidem parte; non enim in eo solùm laboramus, Immaculata Dei matris Conceptio quoquomodo nouis inuentis magis illucescat & doctrinæ noua decora adipiscatur inclyta gloria, sed eo nostet est fixus obtutus, vt non tam eius decus & gloria protendatur, quam eiusdem certitudo firmetur, summa incrementa veneretur, vel potiùs eam quam vere habet in gradu supremo aperte commonstret, & primo ita certa agnoscatur à cunctis, vt ab omni probabilitate

habilitate cognoscatur oppositus sensus fuisse dissectus. Quod negotium etsi in actu exercito vt dicitur, visi sunt impleuisse Scriptores innumeri, ex adductis perquàm efficacibus rationibus, auctoritatibus sacris, Scripturæ locis, aliisque permultis quemadmodum & ex solutione contra obiectorum: nihilominus neque in actu signato animaduertimus quemquam id ex professo peregisse, & multo minùs ad hoc album tela omnia direxisse, quod nostræ Trutinæ munus est peculiare & vehementer intentum. Hoc enim obtento & à Doctoribus cunctis plaudentibus in Ecclesia Dei cõmuniter prædicato: etiamsi non proinde vt damnabilis sensus maculatæ Conceptionis prædicari possit vllà censurâ ex præceptis Pontificijs, quæ nullo modo hoc iudicium interdicunt; nam improbabilitatis nota non est censura, vt omnes Doctores affirmant: facili gradu fiet ad altiora progressus, & meo iudicio definitioni dabitur locus propinquissimus, & quæ infra definitionem exoptantur (dum ea non habetur) nullo fere negotio consequi poterit pietas populorum & totius Orbis acclamatio à Sancta Sede Apostolica. Censent enim aliqui quòd esset optabile Summum Pontificem declarare, imò postulandum vt declarare dignaretur Romanam & vniuersalem Ecclesiam celebrare festum Conceptionis sub sensu Immaculatæ, non quia id luce clarius non sit, & hac declaratione indigeat, vt in quadam Collatione de hac re facta responsum esse refertur in quodam scripto, cuius auctor publicè dicitur fuisse Illustrissimæ Dominicanæ familiæ Generalis Pater cognomine Turcus, quodque scriptum circumfertur simul cum libello tertij Anonymi, quem nos sæpe citamus; vbi numerantur variæ Collationes de hac re factæ à Sacra Congregatione Cardinalium, & in vna ex eis ita decisum fuisse, refert idem ipse Pater dictus Turcus, sed vt sentientes in oppositum desinant id negare pertinaciter, & erubescant in suis ineptijs, ne dum in falsis & temerarijs dictis, quorum vnum hoc esse, Doctores scribũt & vox vniuersalis Ecclesiæ proclamat. Qua propter bene Calderonius scribit hanc veritatem ipsa luce clariorem non maximè expeti declarandã à Summo Pontifice, vnde scripsit in fine sui eruditissimi libri Innocentium X. Summum Pontificem alloquens. [Non oramus vt declares festum Conceptionis, quod Ecclesia Romana celebrat, esse de Immaculata Conceptione; quid enim opus est declaratione in re Sole ipso clariori? audiant hoc aduersarij qui fingunt hæc nos aliquando petijsse à Sede Apostolica, aut his certe concessionibus inhiare. Fingunt callido consilio vt videatur rem, nobis etiam fatentibus in eo loco esse, vt his declarationibus egeat, aut his fauoribus promoueatur. Sed nihil eiusmodi optamus: nam tam certum est Ecclesiam Romanam colere Conceptionem Virginis à peccato originali præseruatam quàm est certum festum Conceptionis celebrare.]

2 Alijs in mentem venit exorari posse Pontificem suum vt Officium Nugarolicum quo centum fere annis vsa est Ecclesia Romana, iterum in ea restituatur, quod numquam à Franciscana familia amotum est à sua prima institutione, vel quod in Romano adderetur titulus Immaculati nomini Conceptionis expresse; non quia vox *Sancta*, quæ in præsenti vsurpatur Romano non æquiualeat voci *Immaculatæ*; imo plus aliquid dicat quod *Immaculata* non dicit, nam positiuam sanctitatem exponit supra maculæ abiectionem.

3 Ipse etiam Calderonius cum alijs aliud exquirendum proponit, & optat postulatque à Pontifice, vt præcipere dignaretur omnes in Ecclesia, nullo excepto, celebrare sub sensu omnino Immaculatæ Conceptionem Sanctissimam: quare ait cap. 16. num. 6. [Illud ergo enixe oramus, vt si velis antiqua dissidia sopire, malo præsenti occurrere, decreta Pontificum, festum Conceptionis & Officium Romanum ab iniquis interpretationibus tueri, Conceptionem Immaculatam inter fidei dogmata colloces,] & deinde subdit; [Quod si iudicas aut nondum reseratum esse mysterium, aut nondum deuenisse tempus definitioni opportunum; præcipe saltem, vt omnes Christi fideles sententiam de Immaculata Conceptione amplectantur. Prohibe contrariam, namque potes etiam ante definitionem. Non desunt qui asserant id olim præstitum fuisse ab Alexandro V. prædecessore tuo. Sed quidquid ille fecerit, ac id posse dubitandum non est, iustasque esse causas vt facias: multa sunt quæ fides Catholica non docet, nec Ecclesia definiuit, & tandem assensum eis præberi ipsa præcipit, neque permittit cuiquam sentire contrarium.

4 At his omnibus Aduersantes semper obsistunt, & obsistere non cessabunt, hoc vno scuto probabilitatis propriæ Sententiæ obiecto, quam ei seruauisse & debuisse seruare Romanam Ecclesiam audacissimè contendunt; vnde cum ijs petitionibus, quæ annuimus, obtentis ab hac probabilitate omnino aperte disijci videant, & conentur ostendere quod hæc illi probabilitas eximeretur immerito; pertinacissime & omni cum audacia veluti ipsis ab Ecclesia Sancta concessa; nihil tale posse in ea innouari clamant, exagerant, & per compita prædicant. In hoc etiam filo probabilitatis propriæ sententiæ confisi, dum eam in hac vtpote bene constante probabilitate volunt maximè seruari; erumpunt sæpe in aliqua fidelibus scandalum afferentia, & contra præcepta summorum Pontificum in Bullis, propter quæ vt pote continuata nec satis aliter fortiùs extirpanda, rei definitio vltima exposcitur efficacissimè: quæ si ita esse, à scriptoribus videri velint, legantur quæ hi vltimi tres Anonymi apud Cismontanam familiam & Calderonium citatos, habent: nam primo libello numero primo scribitur ex dicto Vrbani VIII. Romanos Pontifices. [Vtramque sententiam in sua probabilitate reliquisse] & numero 4. [Cogitur Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendam opinionem adeo in sacra Scriptura fundatam,] videlicet illam quæ Conceptionis Virginis maculat. Et libello secundo dicuntur num. 1. expressius [summi Pontifices à definitione abstinentes & vtramque sententiam in gradu probabilitatis reliquentes,] & aperte in fine libelli in hac pretensa probabilitate propriæ sententiæ Aduersantes fundantur ad quodcumque pro Immaculata Conceptione faciens auertendum; nam dicunt cum libella-

tore

tore. [In re tam graui sola dubitatio sufficere potest, vt nihil vlterius innouetur, cum nihil præter decisionem agendum supersit.]

5 Quare si ad hanc radicem Aduersantium securis apponitur, quæ eam præcidatimis ex meo iudicio, magnum quodcumque incrementum protinus consequetur Immaculatæ Conceptionis gloria, facili negotio quicquid pro ea expetitur, consequi poterit Christiana pietas à sancta Sede Apostolica Magistra Veritatis,& omnis pietatis promotrice & arbitra dignissima: hoc enim præstito, quam bene quadrabit petitio quod omnes sub sensu Immaculatæ Conceptionis celebrent, quod sub titulo Immaculatæ festum agatur? quodve ad ejciendum penitus improbabilem sensum,Officium Nugarolicum quoad Immaculationis repetitionem vsurpari concedatur? Quam proximum item definitioni gradum ascendit Immaculata Conceptio, si ita firmetur, vt probabilitatem amisisse contrariam sententiam compertum sit: ipsimet Aduersarij concident omnino viribus, & nec eis aperire os vltra licebit; quod si velint loqui, fere quicumque poterit eis illud obstruere; nam ex probabilitate non potest hæc opposita sententia omnino cadere, nisi magna patens certitudo accedat Immaculatæ Conceptioni, quæ ex hoc ipso ipsam magnopere faciat definibilem: quod & ipsi Aduersarij hoc maxime timent, & huic defensoriæ sui machinæ omnem conatum adhibent, dum cum primo Libellatore scribunt. [Cum igitur opinio præseruationis Deiparæ à peccato dubia sit, (atque adeo inferre volunt probabilem oppositam)& oppositum possit ab Ecclesiæ definiri, & nihilominus Romani Pontifices iustis de causis iudicauerint silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt nec etiam in priuatis colloquijs cum sæcularibus liceat ipsis de hac maximè differere; insensibiliter eo deueniret negotium vt uniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum, veritatem præseruationis tamquam certam & ab Ecclesia definitam æstimaret.] Ac propterea summopere exquirentes in propria sententia probabilitatem seruare, Ecclesiæ audaciter tribuunt, quod velit eam varijs sustinere cautelis,vt retulimus scilicet in sua probabilitate: quare nullum aliud habent effugium vel asylum quo se recipiant, dum premuntur à strenuè militantibus pro puritate Conceptionis.

6 Hoc ergo omnino effugium eis præcludendum esse nemo est qui non videat, vt ad optatum intentum res concupita deueniat. Quamquam enim in definitionibus fidei, vel similibus declarationibus Pontificijs, quibus aliqua veritas firmari velit vt certa, non sit necesse vt prius in Ecclesia sensus oppositi habeantur, propalati vt improbabiles manifestè, cum ex statu probabilitatis excerptæ multæ sint damnatæ sententiæ à Sede Apostolica, vt patet de confessione facta & absolutione data ab absente, quæ à grauibus defendebatur eo tempore Auctoribus sine nota improbabilitatis, & apertiùs patuit in sensu de matrimonio clandestino non irritabili, qui pro valde probabili discussus in Concilio Tridentino, & per definitionem oppositam post vota Patrum cuasit hæreticus, & contra fidem Catholicam sequuta approbatione Concilij à Pio IV. Nihilominus dubitari non potest, quod si ante definitionem in Ecclesia Dei constet communissime aliquem sensum esse improbabilem atque adeo falsum; sine vlla fere momenti alicuius difficultate, oppositus certi obstinet definitionem, & si aliqua alia concurrunt, quæ certe concurrere perspicuum est, si à probabilitate reijcitur dicta sententia; incunctanter poterit gradum certitudinis fidei obtinere.

7 Sed contra hæc arguet fortasse quis scribens, & annuens, vanam hanc operam euasuram, eamque audacem, quia scilicet intendere curet censuræ notam impingere volentibus maculatam Conceptionem Dei Matris contra decreta Pontificum, quam ipsi pro probabili tradiderunt & seruauerunt: at nihil horum vlla ratione subsistit; nam certum est, & apud Auctores indubitatum, quod falsam & improbabilem signare sententiam, non afferat illi censuram vllam Ecclesiasticam, atque adeo nũquam ei improbabilitatis notam vitasse sum. mos Pontifices, qui item falso dicuntur probabilitate eam donasse, vt recte Suarius olim aduertit tom.2.3.p.art.disp.3.sect.6.qui ait.[Obseruandum est falso Medinam hoc loco docere Ecclesiam, vel Pontificem tradere hanc opinionem esse probabilem; numquam enim hoc dicunt, sed solum non esse erroneam, neque esse peccatum mortale illam asserere quod valde diuersum est. Adde quod in vno tempore id quod est probabile, decursu temporis certum est posse improbabile fieri:] sic omnes Doctores communiter; id quod est euidens, quia id quod in Ecclesia aliquando opinatum est, decurrente tempore ab eadem damnatur vt falsum. Pontifices autem in hac re nostra nihil decreuerunt; id quod ita certum æstimauit Calderonius, vt cap.5.§.2.veluti ad aures Anonymi confidenter ille aduertat hanc esse perspicuam veritatem dicens num.5. [Sed mihi crede, nullus Pontificum qui de Conceptione statuerunt, dixit vnquam tuam sententiam esse probabilem:] & deinde. [Itaque falsum est Pontifices vtramque sententiam in gradu probabilitatis reliquisse, aut sua decreta ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandum direxisse, aut vtramque sententiam in sua probabilitate confirmasse. Hoc vel inde manifestum est, quia nullus circa qualitatem vtriusque sententiæ pronunciauit, nisi quod neutra est hæretica, aut erronea; an vero vtraque vel earum aliqua probabilis sit, an certa, vel dubia, de hoc ne verbum quidem, vt eorum decreta legenti patebit. Cum ergo nihil de probabilitate pronuncient ex cerebro tuo fingis earum probabilitatem confirmasse, & ad eam seruandum decreta sua direxisse.] Id quod notat item Cismontana familia, & Theologi antiquiores.Nec item obstare potest huic dicto, quod veluti *opinionem* nominauerint Pontifices huiusmodi sententiam contra dicentem puræ Conceptioni, & de eiusmodi sensu opinandi liberam concesserint facultatem; quia hoc etiam improbabilibus potest ab Ecclesia concedi sententijs, dum præsertim aliquod maius malum timetur, & de facto compluribus concessum fuisse ostendemus latè, cum ad decisionem huius improbabilitatis sententiæ peruenerimus, vbi à fortiori demonstrabimus hoc item

fuisse

fuisse concessum sententijs censuræ dignis, eaque notatis ab ipsa etiam Sancta Sede Apostolica, licet extra decretum vniuersale datum Ecclesiæ vniuersæ.

8 Quibus perstantibus, vt omni cum iure, & se ipso appareat ab omni probabilitate decidisse sensus Conceptionis Virginis in peccati macula; nostra adhibenda est & adhibetur Trutina, quæ subtiliter, fideliter cuncta quæ pro probabilitate huius sensus vsque modo allata sunt, quæque etiam allata adhuc ab vllo non sunt, sed à nobis in eius gratiam sunt excogitata & inuenta; ponderet, & expendat; ac cum apertè oculis omnium in libra Scholastica nihil ponderis in contrario sensu, & fundamentis eius, inueniatur, ita vt quæ pro eo contra ipsi Aduersarij ponant in medium, alia cui cogantur tollere è medio: ad omnem euidentiam constabit certe doctis & æquis viris, quod nos constare volumus; & merito omnium votis poterit oppositum improbabilitate damnari. Quare prima parte huius tractatus per sex Opuscula fundamenta omnia improbandi sensus, Trutinæ nostræ committemus quæ ex Scripturis, Patribus, rationibus S. Thomæ, & alijs antiquioribus Scholasticis eruuntur, eaque inania esse replicatis vicibus commonstrabimus dicente Suario loco citato; [Contraria sententia nullo vel firmo vel satis apparenti fundamento vti potest;] vbi etiam ipsosmet præcipuos ex Aduersarijs in singulis adducemus pro nostris solutionibus ad oculum subscripsisse; pro cuius rei euidentia ipsorum verba & contextus fidelissimè exarabimus: quæ omnia ita promittimus, vt primis initijs vnum quoddam fundamentum firmiter construere nobis visum sit totius circumlustratæ antiquitatis luce perfusum, quod vnico dicto, velut Tubæ sonitu in Iericho, concidant omnes muri, & fundamenta contraria. Erit autem hæc tubæ vox, quod Conceptio & Conceptionis nomen cum absolutè, tum Conceptionis in peccato, & tandem Conceptionis ipsius Deiparæ vsque ad Sanctum Thomam pro actione sumptum sit in tota antiquitate Prophanorum, Sacrorumque Scriptorum, quæ antecedat animationem, & in sola prima organizatione corporis sistat. Quo simul corruent auctoritates omnes antiquorum Scholasticorum S. Thomæ rationum quarumlibet pondera, & maxime Patrum patrocinia in quibus est omnis spes probabilitatis huius sententiæ: vnde ex consequenti sactæ etiam Scripturæ loca, quæ pro illa afferri solent, quam veritatem confirment, & intactam relinquant Deiparæ omnimodam puritatem, patebit clariùs luce. An autem hunc scopum vere collimet nostra Trutina, sapiens iudicet Lector percurrens sequentia Opuscula, & si in aliquo ipsa deficiat suppleant auctiora ingenia, quæ vel nostra corroborent vel fortiora tela contorqueant ad hanc improbandam sententiam, ex cuius improbatione Immaculata deinde Conceptio liberè in omnem ascendat certitudinis gradum, quem illi communi sensu in Ecclesia prouenturum breui, faustè, & fœliciter auspicamur, ni iam verè peruenerit, vt verius iudicamus.

Nec te vlla ratione terreant aliquorum antecedentium Doctorum scripta, quæ probabilitatem dedere sensui impuræ Conceptionis, nam in hoc nostræ insudabit operæ Trutinæ, vt ostendatur hoc tempore euenisse (quod cuncti aduertunt solere euenire Doctores) quod scilicet notata sententia quæ antiquo tempore vt probabilis processit cum cæteris, alio consequente & posteriori è probabilitate excidisse monstretur.

---

§. III.

Commonstratur scopum nostrum extendi ad euincendam certitudinem Conceptus purissimi in gradu sublimiori infra illum fidei.

1 ATque hoc obtento non sistit vltra progredi Trutina nostra, sed his egressa finibus procedit vlterius quærens in Immaculata Conceptione, vel inuenire vel etiam ex parte aliqua tribuere certitudinis gradum amplissimum, eumque fortè qui minimum distet ab illo fidei; cui nihil oberit sanctæ prohibitio Ecclesiæ, ne altera contraria pars vllam subeat hæresis vel erroris, aut peccati mortalis censuram; etenim non quia vnus sensus habeatur vt certus communiter, non potest prohiberi exterior censura contrarij, propter extrinsecas rationes, dum maximè Sancta non decernit Ecclesia eiusmodi certitudinem exteriori decreto, & is gradus certitudinis ei aliunde prouenerit, quod quæ paulo ante diximus de propositione in particulari Ecclesia damnata, & in reliqua opinioni permissa, concludit apertè. Scimus enim Barcinone ex commissione Pontificis Clementis VI. vt temerariam & erroneam fuisse declaratam sententiam, quæ sanguinem Christi è corpore separatum in sacrosancta passione asserebat ab hypostasi diuina seiunctum, qui Pontifex anno videlicet millesimo trecentesimo quadragesimo 1. fuit electus: & nihilominus pro vniuersa Ecclesia Pius II. Pontifex anno 1458. electus tempore longè posteriori mandauit propter rixas inter fratres aliquos Minores & alios Prædicatores, vt vnusquisque abstineret à censura vtriuslibet sensus. Quo impedimento sublato liquet perspicuè rectè nos in hac materia progressuros, si assertam certitudinem velimus Immaculatæ Conceptioni firmare, omni alia dubitatione sublata. In qua re merito videtur notandum quod parum interierit si tota Ecclesia extra vnicam familiam, eamque diuisam, certo assensu infra illum fidei prædicet & celebrari profiteatur Sanctissimam Dei Conceptionem cum vniuersali Doctorum omnium simili sensu, & gradu certitudinis quo colitur sanctitas Natiuitatis, vel Assumptio in corpore & anima Deiparentis; esto de reliquo vna quædam dimidiata familia vel forte etiam minor dimidia, in hoc sensu separari se velit à tota reliqua Ecclesia; nam certè hoc animaduerso, ipsique ostenso & promulgato

vulgariter non poterit non erubescere & ad rectum sensum Sapientis & Sanctæ Matris accedere.

3 Notant Sancti Patres & sacri Scriptores ex dictis Sancti Apostoli, quod Iudæi à Christo Domino alieni & abhorrentes, cum tempore futuro viderint plenitudine Gentium in Catholicam Ecclesiam ingressuram, ad æmulationem prouocati & suorum errorem vniuersaliter damnatorum erubescentes ignauiam; tunc demum Dominum Iesum confessuros vt Deum & vt verum Messiam recepturos. Multò ergo magis homines Religiosi perpauci solidæ doctrinæ non ignari etsi in præsenti, ne eorum Religio ignominiosè ab hac causa caderè videatur: persistunt in proprio sensu, existimantque inquadam dubitatione ab ipsis inuecta, posse in Ecclesia remanere maculatam Conceptionē, eamque omni nisu conantur quantum possunt, firmiter sustinére. Nam si in oppositum pro sua grandi certitudine infra etiam illam fidei, videant reliquam Ecclesiam vna voce conclamare, vel item modo aduertant, in his circumstantijs rei statum morari; valde credibile est quod sponte sua in sensum ceteræ vniuersalis Ecclesiæ itura sint manibus pedibusque; quod certe non ignominiosum eis erit vlla prorsus ratione, imo glorioſissimum & prudentibus, sapientibus, pijs & sanctissimis viris dignissimum, qui noluerint sapere plusquam oporteret sapere, sed sapere ad sobrietatem ex Apostoli sensu, & illucente eis veritate ex tam grandi testimonio, nolint Ecclesiasticis decretis ad eam amplectandam togi, sed vltro illi & omni spontanea voluntate subscribere.

4 Nec certè ab hac re quantū coniectari licet, æstimandi sunt valde multùm in præsenti distare nam ipsimet in prolatis libellis, huic progressui, certitudinis veri sensus attendentes, finxerunt Sanctam Ecclesiam ab ea omnino alienatam, sollicitamque seruandi in sua probabilitate Conceptionem Beatissimæ Virginis in peccato atque adeo obstantem ne titulus Immaculatæ tribueretur: illi liberrime in publicis tabellis, in trivijs, in erectis Columnis, in librorum frontibus, & similibus, quia scilicet ni ita fieret, res eo esset deuentura vt Immaculata Conceptio se ipsa sine vlla etiam definitione Pontificis propter vniuersalissimū consensum totius Ecclesiæ, pro certa esset habenda & omnis prorsus dubitationis experte. Sic aperte scripsit primus libellator eorum num. 4. [Insensibiliter eo deueniret negotium vt vniuersa Ecclesia præter ordinem Prædicatorum haberet veritatem præseruationis tanquam certam & ab Ecclesia definitam. Cogitur ergo ipsa Ecclesia vti huius modi cautelis ad sustinendam opinionem adeo in scripturaa fundatam] Quæ omnia cum confecta fuisse ab Aduersantibus putæ Conceptioni perspicuum fuerit, ipsique soli non Ecclesia contenderit titulum Immaculatæ præripi Sanctissimæ Conceptioni, quæ contra (ita decernente post varias discussiones Santissimo Innocentio X. vt in fine primi Opusculi fusè & fideliter narrabimus) statuit omnino seruandum & illi tribuendum hunc titulum ex ea nobili ratione quia is omnino est imbibitus in festi eius celebritate, & dum Conceptio Virginis ab Ecclesia celebratur, cum ab ipsa non celebretur, nisi sanctum; ex hoc ipso vt Immaculata censetur, & colitur atque hoc omnino titulo insignida. Sequitur ex his manifestè, quod ex Aduersationū ipsorū dicto præposito, cēseri debeat quod dum Ecclesia non solum non curat probabilitatēm sententiæ oppositæ prohibendo titulum, sed censet illum Conceptioni deberi, & in ipsa omnino celebritate aperte prædicari, iam eo deuentum esse negotium constare videtur vt vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum habeat veritatem præseruationis tanquam certam & ferè non verè tamen ab Ecclesia definitam.

4. Rectè ergo his constantibus, & nihil obstante quo minus possit à nobis inueniri certitudo istius modi in Immaculato conceptu, recte Trutina nostra progreditur ad eius modi absolutum gradum certitudinis demonstrandum, qui vt ei legitimè & iure cōcedatur minutā indiget ponderatione sacrarum Scripturarum, Rationum, Auctoritatum, Reuelationum, Miraculorum, proprij Ecclesiæ sensus, & similium de quibus videndum an merito ea prædicatum gradum illi obuenire faciant omni prorsus dubitatione disiecta & si quidem Cæteri Doctores optimi hoc præstiterint satis abunde, Trutinæ proprium erit longe subtiliùs, recentiùs, & abundantius in singulis hoc præstare profuse, vt tandem exoptata claritas & fulgentissima hoc præfatæ certitudinis in Diuino Virginis conceptu omnium oculis pateat, omnium linguis iteretur, omnium plausibus excipiatur, & omnium sensu indubitato firmetur. Quod est secundum nostri huius Operis intentum singulare & præcipuum.

5 Quid autem in hac re Trutina hæc peculianis operæ vehementer impendat ex eo dignoſtendum Lectori est, quod attentè à nobis consideratum & meditatum sit, quid tandem esset illud, quo Aduersarij maxime vtantur ad hanc certitudinem vel aduertendam, vel obnubilandam ab Immaculato Conceptu, & qua inquisitione facta animaduersum à nobis est eos vti præsertim quadam exaggerata attestatione, quod eius modi priuilegium immunitatis à macula in Dei Matris Conceptu non possit ipsi Virgini attribui, nisi ipsum sit in sacris scripturis satis expositum, cuius nullam esse expositionem sufficientem vel etiam mediocriter habitum iactitant esse quid apertissimum neminem etiam Patrum pro ea euidenter stare, fines obstinatissimæ audaciæ super gredientes proclamant, rationes omnes obloquuntur indubitanter esse summopere inanes, & vacuas, easque irrident: & quo fortiores sunt, ex hoc ipso magis eas dedignantur responsis: nec verbum audent proferre, quod reuelationum & miraculorum vim expendere vel perpendere valeat vel quoquo modo eorum veritati nec etiam ares porrigere: sperare tandem se adijciunt petulanter Sanctam Ecclesiam vniuersam ad suam priorem sententiam regressuram, quemadmodum Orbis terrarum ingemiscens vidit se esse Arianum ex Hieronymi scriptis, & resipuit prout vnus ex citatis Anonymis scribere ausus est *in libello. 2. num. 16.*

6 His vero Aduersariorum potius dolosis quam scientificis modis Trutina hæc videbitur opportunè resistere, quia dum tota in cunctis librandis aptatur, & erigitur, ita primum

mum, Scripturas sacras multiplices singillatim adducit, vt non satis sit illi quemadmodum vsque modo alij vsurpauere Scriptores, eas pro purissimo mysterio afferre, & enucleare vt illi decenter aptatas; (quod etiam quantum hoc satis sit ad euincendum nec adhuc meminere, quod ipsa præstabit valde sedulo & recentissimè,) sed præterea longa serie disputationis & contextu earum ad amussim perpenso enixe quærit efficaciter syllogisando intentum concludere. Respósa item quæ dari possent, iterum atque iterum conuellere prosequitur & ex paritate similium veritatum quæ ex alijs Scripturæ locis certe deductæ sunt, euincere & veluti digito commonstrare. Et rursum ipsas sententiam nostram sine formidine commonstrabit inferre; id quod suis proprijs assignatis Opusculis prosequetur. Luculenter etiam in Patrum sensibus inuestigandis & nouissimis rationibus congerendis, nec non in ostendendo absolutè sensu Ecclesiæ pro eo & in reuelationibus & miraculis frequentatissimis pro eadem certitudine puri Conceptus expugnantibus. Trutina itidem hæc erit armamentarium in suas veluti classes distribuens, & secernens varia telorum genera, quæ sunt certamini necessaria, peropportuna & ad satietatem abundantia: cui sic cuncta arma suo congruo ordine disponenti, illud commodi accedet, quod vel nostra alia vlteriori opera, vel aliorum, nostro etiam tempore, vel post nos, veluti quædam aperientur nundinæ, ad quas ingenia cuncta perillustria noua alia fortiora tela congerant, & saltem ni nostra Trutina intentum firmæ & sublimis certitudinis obtineat, illum saltem consequantur alia sequentia quæ pro nostris amabimus, & supra nostra extolli cupiemus hilariter, vt pote quæ speramus auctiora & in dies euincentia magis; cum huic sensui vsque ad definitionem & vltra, lux effulgebit semper latior atque sublimior iuxta illud supra allatum, [plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.]

In quare valde nimis rogandi & obseruandi videntur Sacri Scriptores Theologiæque Magistri, vt in quibusque suis monumentis & scriptis, cum de probabilitate vel improbabilitate sententiæ nobis oppositæ iudicium suum dignentur expresè propalare, tum de asserto gradu certitudinis puri Conceptus pronunciare; vt si quid desideretur ad primum vel secundum quod nos consequi non potuimus, nostri consequantur posteriores, & gloria Virginis optata ei proueniat tempore præordinato, vt sancta scripsit Brigitta ab eadem Virgine edocta.

§. IV.

Scopus alius huius Trutinæ ostenditur esse persuadendi contra oppositum more Aduersariorum, Ianuam mox futuræ definitionis appuliſſe Conceptionem Virginem Immaculatam.

1 DVm tria iam dicta maximè in hac Trutina intendimus, ex hoc ipso ad ea firmanda alia tria nobis facessunt negotia in hoc Opere, quæ eo collimare debent, vt quæ potissimum Aduersarij nostri in hac controuersia sollicitiùs & ardentiùs assumunt & vsurpant ad demoliendam hanc proximam definibilitatem, quæ ab omnibus communiter Immaculatæ Conceptioni proclamatur; hæc inquam omnia à nobis apertè retegantur & radicitus eijciantur. primum autem quod ipsi maximè quærunt ad priora modo intenta deijcienda, est in desperationem scilicet inducere fideles doctosque viros, ne eorum animi erigantur ad sperandam vllo futuro tempore definitionem fidei circa Immunitatem Virginis ab originali, & pro certo habeant eam non esse, neque posse existimari in statu in quo sit vel etiam progressu temporis definienda. Persuadere autem sibi videntur hoc, & fere ad oculum demonstrare, quia quicquid summa contentione summo conatu omnibus viribus totius Orbis per plura sæcula obtineri non potuit, non est censendum quantum humana ratio potest coniectare, quòd futuro alio tempore obtinendum sit. Quando præsertim defatigati sunt conatus Vniuersitatum, Regnorum, Regum, & Ecclesiarum in hac expostulanda definitione, nec tamen vllus vnquam Pontifex definitioni adhibet animum. Signum ergo est aiunt manifestum, quod ea definibilis non, sit si enim potuisset definiri, vtique aliquis Pontifex ex numeris omnibus qui post Sixtum IV. Sedem Petri consequuti sunt, & eamdem coluere; illam certe definiuissent: ita enim argutant apud Salazarium in præfatione ad Regem Catholicum § 12. de Summo Pontifice, [Qui toties Rogatus & compellatus à definitione abstinuit; eam à se fieri, & condi non posse facilè demonstrauit:) atque ex hoc eodem capite & fonte deducunt & inferunt, quod ex ipso magna vis & solidum pondus apparet contrariæ, quæ numquam à sancta Sede vel sit improbata, vel è sua probabilitate eiecta, licet omni vi & machinis à toto terrarum Orbe oppugnata: vnde subdidit ex mente Aduersariorum Salazarius, [Quicquid enim piæ sententiæ inter tot vota, & obsecrationes non dedit; contrariæ contulit. Hæc & alia Aduersarij modo importune ingerunt.

2 Similes prorsus in hac re sunt Aduersarij nostri digladiantibus, vi validoris brachij contra pugnantium in terram eiectis, quibus gladij imminentes suorum hostium mortem instantem præmonstrant, sed vel benignitate & clementia ab enecando abstinent, vel quia Summi Imperatoris nutu & voce deterrentur ne iam eiectos & victos perimant, sed satis sit eos interram prostrauisse, & morti obiecisse proximæ; qui tamen temere audaces se non emortuos clamant, & viuere adhuc dictitant, nec vulnus lethale vllum sibi inflictum fuisse magna voce clamant, inaudita impudentia, saxea pertinacia & arrogantia singulari. Nec certe aliter nostri Aduersantes, qui vi sacrarum Scripturarum, sanctorum Patrum, rationum, autoritatum aliarum etiam congruentiarum absque numero, sensus Ecclesiæ & vniuersalis Doctorum consensus per omnia compita, ne dum scholas, circulos, doctos cœtus & templa, euicti & in ter-

ram eiecti sunt populi totius Christiani acclamatione, qui si non censuris appetuntur temeritatis, exoris à sacris Doctoribus; id ideo sortiti sunt, quia ab Arce Apostolica Summus Romanus Antistes proclamat neminem vlterius victoriam prosequi, sed bene velle, vt decet, contrapugnantibus oppositæ sententiæ, & bonam mortem expectare adhuc contrasentientium fratrum, vt si ipsi cedentes veritati, à veritate amplexentur, eiusque amplexus potiùs eligant quam internecionem & vulnera.

3. Sed ecce, Lectores optimi, ex ijs ipsis quæ Aduersarij in hoc eorum asserto negare non possunt, & fateri coguntur, constabit Trutinam nostram album sibi propositum collimaturam; etenim quia tot præteriere sæcula, & omnia quæ pro maculata Conceptione poterant afferri ad eam sustinendam, sint penitus conuulsa. Conijcere satis recte & persuadere nobis ipsis & cæteris possumus, Ianuam definitionis Immaculatam Conceptionem vel ingressam fuisse, vel ad fores ita fortiter pulsare nemine contradicendi vim habente, & intercluſa in faucibus Aduersariorum voce; vt non possit multum immorari Pontifex ad eas aperiendas & definitionem promulgandam, vel si is immoretur, ipsæmet fores eodem merè conniuente se ipsis aperiantur, & vndique pro certa omni Theologica certitudine habeatur Immaculata Conceptio.

4. Sed ne verba videamur promere, non autem apta argumenta, à suis initijs res hæc retexatur: & prænotentur in hac tota rerum serie, primum Immaculatam Conceptionem ab eo tempore, quo ad sanctam Romanam Ecclesiam ablata fuit, semper magis & magis ab ea fuisse amplexatam, & in gradibus certitudinis incrementa suscepisse, contraria sententia de gradibus probabilitatis continuo deficiente: quo perspicuè fit stultè, & ignauè inferri imposterum definitionem obtentum non iri; quia obtenta non fuerit, dum semper ad eam factus sit, erit maior & maior accensus. Et secundò item animaduertatur hanc definitionis, iniuriam maximè habitam technis, dolis, multis artibus & innumeris repetitis contumacijs, falsisque doctrinis Aduersantium, quibus sancta Mater Ecclesia protinus obsistere coacta est, & leni suauitate Matris, auersantes filios puræ doctrinæ lac sugere præstolari & tempori tempus adijcere, vt libentibus posset illud propinare. Ad rem veniamus ante Sixtum IV. purissima Conceptio pro hæretica accusabatur, ab Aduersarijs & ab Ecclesia merè tolerata, non vt probabilis admissa. Coram Alexandro I. Pisis controuersia omnis discussa est, & de eo scripsit Bernardinus de Busto, [Hanc opinionem de Immaculata conceptione dicitur terminasse in Ciuitate Pisarum anno Domini 1411. atque statuisse vt ab omnibus teneri deberet;] & Magister Ioannes Varro lib. 1. d. 3. inquit, [Sanctissimus Dominus Papa Alexander V. approbauit opinionem Minorum quod ad Immaculatam Conceptionem attinet:] qua sententia licet non Bulla aut Breui aliquo edita, nemo non videt quantum accessit auctoritatis, & soliditatis sensui immunitatis à culpa originis Beatissimæ Virgini, quantum hac proijci incæpit eiusdem oppositum. Vnde Ecclesia Romana etiam ante Sixtum IV. teste Bachonio grauissimo viro, eam celebrare instituit. Sed iterum pugnæ & censuræ contra nostram sententiam, ad quas sedandas & vitandas Sixtus IV. anno 157. conuocauit vndique doctos viros ex omni Ordine, & complures disputationes indixit, quarum etiam testis auritus & oculatus esse voluit, & pro Immaculata Conceptione conclamauit victorem Ioannem Insuper, quem dixit esse verum Samsonem, vt historiæ scribunt, & habes in eis montana familia.

Vnde edidit Bullam, *cum hac excelsa*, qua hortatus est, incitauitque fideles ad celebritatem festi Conceptionis Virginis, non nisi quia Immaculatum eius Conceptum agnouerit Romana Ecclesia, licet non de fide definitum; quem expressè professa est sine vlla labe in Officio à Leonardo de Nuegarolis composito, & ab eodem Sixto IV. approbato, & recitationi Ecclesiæ Romano traditæ.

5. Aduerte hic, Lector quantum soliditatis, grandis certitudinis, & apertæ veritatis accessit sententiæ Immunitatis Virginis ab originali; quantumque ab Ecclesia reiecta sit opposita vt non sua, nec digna, imo indignissima quæ audiretur. Ex censuris contra puritatem Conceptionis ab ea frequenter iniectis. Recte in hac re Caldaronius in fine sui Libri contra Anonymos scribit, [Quis non crederet omnes auolaturos in eum sensum quem Romana Ecclesia honore officij diuini cumulauit?] sed, ô penè infinitam audaciam, Aduersantes complures in partibus Lombardiæ hæresis notâ adhuc inusserunt Immaculatum Concept. tum', & Romanam Ecclesiam non de naturali Conceptione festum instituisse, sed de spirituali ac de pura sanctificatione Virginis; quæ scilicet peccatum in prima animatione secundum eorum sensum admitteret propalarunt. En quomodo aditum ad definitionem, qui aperiebatur ex celebritate Romanæ Ecclesiæ, tentauerunt præcludere: [sed omnino prostratos & fulmine anathematis percussos & plagis affectos quis non aduertat, dum erroneos hos sensus declarauerit Sixtus IV. in prima Bulla, *Graue nimis & molestum*? sed non propterea victos esse professi sunt, sed in pristina audacia persistentes, sic percussi sic vulnerati, socios colligunt, nec in Lombardia solùm, in qua primi dicti errores prodiere, sed vniuersim ex alijs partibus alijs collectis in vnum, proposuerunt verbo tenus asserere Sanctam Romanam Ecclesiam celebrare solum Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem, ne scilicet viderentur meridianam lucem Solis negare, alios prætextus erroneos assumentes, in eadem damnatione celebritatis sanctæ persisterunt, & vitare volentes primum anathema primæ Extrauagantis, *Graue nimis*, non absolute hæreticos dixerunt asserentes Beatissimam Virginem conceptam, sine culpa originis, sed hæreticos esse, vel si non hæretici essent saltem mortalem committerent. (*Nost.*) scribit Calderonius loco citato Innocentio X. quantum debachati fuerint nonnulli in ipsum festum Ecclesiæ Romanæ, vt iuste stomachatus Pontifex in illos detonuerit, indignationem suam illis verbis testatus, Graue nimis & molestum est, audaces conspicuit errores, damnauit) & rursum,

sum, vt patet in Bulla, expressè declarauit Romanam Ecclesiam Celebrare & celebrauisse festum Conceptionis & instituisse proprium Officium de ea à Leonardo dicto compositum, & à Sancta Sede approbatum. Nõne hæc nouæ proiectiones, noua vulnera & insolitæ plagæ fuerunt, quæ morti destinabant aduersam sententiam? sed adhuc Aduersarij plagis his à se ipsis etiam exulceratis, non pœnitentiâ medicatis, alias temerarias interpetrationes Bullis Pontificijs tribuerunt, quod scilicet hæc omnia à Pontifice vt à priuato Doctore prodijssent, vel quod in hisce quæ definitiue ab eo tritum proditent, errori essent aperto exposita, qualia testatus est Catherinus.

6. Et notauit ea Vvadingus Paulo V. Pontifici Maximo, qui ad hæc narrata & dictata à Bandelo exhorruit, vnde scribit citatus Calderonius [Nihil profecit Sixtus IV. vt necessarium fuerit Alexandro VI. iterum fulminare & in eos, qui etiam Sixti constitutionem perperam interpetrabantur, animaduertere]: id quod egit præcipiens Ecclesiarum Præsulibus vt publicè ex communicarent eos, qui contra Sixtia decreta aliquid agerent & Immaculatæ Conceptioni notam impingerent, vel minus Sanctam eius celebritatem asserterent, nec anathemate vnquam soluerentur nisi ad cor reuersi Sanctam Sedem Apostolicam adirent & à Romano Pontifice absoluerentur. Verba Alexandri VI. sunt quæ sequuntur [omnes & singulos, quos dictam sententiam eis incurrisse constiterit, & eorum quemlibet, in Ecclesijs, dum maior ibi populi multitudo ad diuina conuenerit, excommunicatos publicè nuntient, & faciant ab eis nuntiari, ac ab omnibus arctiùs euitari, donec ad cor reuersi, & pœnitentia ducti, ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium ab eadem Sede Apostolica meruerint obtinere, ac legetimis uper his habendis seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas huiusmodi, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus, priuilegijs, exemptionibus, indultis & litteris Apostolicis quibussuis personis sæcularibus quorumcunque Ordinum etiam mendicantium & de obseruantia nuncuparorum professoribus ipsis, & ordinibus, per Mare Magnum & Bullam auream nuncupatis, quam per quascunque litteras aliàs Apostolicàs etiam à nobis emanatas, & iteratis vicibus approbatas etiam ex quibusuis vrgentissimis & maximis causis.]

7. Hac via Aduersarij præclusa, qua tentabant aliqua licita sibi approbatione Immaculatam Conceptionem notare; nouam iniere, qua non reprobantes festi eius solemnitatem, eam tamen non reciperent, & eius loco festum sanctificationis Beatissimæ Virginis in Ecclesia quantum possent inuehere quærerent: vt eam scilicet in pura Conceptione celebratam euerterent; sed à Deo permotus Pius V. Pontifex Maximus celebritatem Conceptionis sanctissimæ ab Ecclesia Romana in Ecclesiam inductam, & in eadem Romana longo tempore seruatam, extendit ad vniuersalem, & ab vniuersa Ecclesia coli præcepit, propriumque ei Officium destinauit, sanctam illam prædicauit & celebrari iussit.

8. At quia nullum super hac re peculiare Breue edixit, ausi sunt Aduersarij in pristina persistere consuetudine, & continuata audacia Immaculatam Conceptionem impetere in concionibus, & conuentibus publicis. Quare Paulus V. sensum maculatæ Conceptionis promere in quolibet publico conuentu prohibuit sub seuerissimis pœnis, professus scandala oriri ex hac affirmatiua assertione, & vt scandalosam in publicis actibus declarauit: quæ certe declaratio, & præceptio maximum eiusmodi sensui præiudicium intulit, & facto expressit eam non bene sonare si in auribus fidelium publicè ederetur; nec has solas plagas & vulnera perpessa est sententia nobis opposita, sed vsque ad internecionem prostrata & faucibus intercluſis morti & obliuioni destinata visa est; seuere interdicto illi omnimodè sermone etiam priuato à Gregorio XV. qui vlterius præcepit Immaculatam Conceptionem sub nomine Conceptionis, excluso illo sanctificationis & quolibet alio, qui eius immunitatem à macula in celebritate non exprimet; ab vniuersa Ecclesia coli & celebrari debere. Quo decreto omni & cuique tergiuersationi aditum præclusit, ne dubitari possit quin Ecclesia Catholica vniuersim sub Pontificio præcepto celebraret Conceptionem Virginis sine macula, vt proinde sensus hic censeretur & comprobaretur verè esse sensus totius & vniuersalis Ecclesiæ: quo omnino firmum extaret eos qui aliter sentirent, nec vt liberam originali macula celebratent Conceptionem Virginis, sed eam affectam sentirent: contra sensum vniuersalis Ecclesiæ celebrare & in suo probe tenerentur sensu persistere; qui si non esset hactenus ab ea damnatus, esset tamen illi oppositus, & contra eius decretum retentus in celebritate; esto, de relquo esset extra celebritatem permissus, & toleratus.

9. At non propterea se victos fassi sunt Aduersarij, & vocibus intermortuis, alijsque dolosis actibus exprimi tentarunt vniuersalem Ecclesiam Pontificio præcepto non celebrare vniuersim, præcisè Immaculatam Conceptionem, sed in genere sanctificationem Virginis & ad libitum concedere eam celebrari in primo instanti animationis sanctam, vel in alio sequenti atque ad eo cum originali in primo; vnde ad hunc sensum sustinendum, titulum Immaculatæ Conceptionis totis vitibus præripi curauerunt in vniuersali Ecclesia, præsertim in triuijs & locis publicis, qui scilicet si persisteret, vniuersalem Ecclesiam demonstraret metè colere & velle primam eius animationem sanctam, & absque originis culpa, quod ipsi soli contra totam Ecclesiam agnoscerentur aperte sentire. Quæ omnia summo studio & conatu ab Aduersarijs curata fuisse testantur libelli supplices typis editi, & penitus contusi à Cismontana familia Minorum & Calderonio sæpe citato alijsque Doctoribus. Et apparere clariùs potest ex alio, qui circumfertur sub nomine Reuerendissimi Patris Generalis Dominicanæ familiæ supra cognominati vbi decursus omnis celebritatis & sensus Immaculatæ Conceptionis à tempore Sancti Anselmi refertur & repetitur, omniaque fere ac, & collationes recensentur circa hanc materiam, vsque ad annum Millesimum sexcentissimum quadragesimum quartum

victis (fauciata vulneribus vita reseruatur ad tempus) aliquod etiam ad viuendum subministratur subsidium.

12 Is autem glorioſior triumphus de maculata Conceptione reportabitur, quia magnarum rationum vi, & auctoritatum pondere, aliiſque Diuinis teſtimonijs à ſacris Doctoribus allatis continuoque magis & magis expenſis, & de nouo inuentis, ita in omnium conſpectu concidere & perire videbitur, vt ipſi eius ſectatores nec ei poſſint vllum præſtare præſidium, quod eam vel etiam ſemiuinam relinquat, nec niſi balbutientibus aut intra dentes morientibus verbis, negare poterunt, quòd falſitatis conuicta ex innumeris ictibus confoſſa iaceat, & proſpectet in excelſum gradum certitudinis in Eccleſia Dei etiam ante definitionem Pontificum, Immaculatam Conceptionem euectam. Ad quem ſcopum noſtra hæc qualiſumque Trutina collimat, & excitat vehementer Doctiſſimos viros vt pro eo quod videant rei maximè conferre, de ſuo ſemper nouiter addant, ad ſuper plene obtinendum intentum; nam valde congruum eſt quòd ex inexhauſto fonte oppoſitorum validiſſimorumque argumentorum, meliuſque perpenſarum & de nouo inuentarum auctoritatum, maculantem ipſa obruat emaculans ſententia, & è Chriſtiano & Catholico Orbe oppoſitam æmulam eradicet. Cui deinde Sancta Sedes Apoſtolica ignem inijciat, & ſal ſuperſeminet decretorij fidei dogmatis, ne vel germen vllum alicuius dubitationis decontrario ſenſu repullulare poſſit vnquam in poſteris ſæculis.

13 Ne autem hæc, morem Aduerſariorum ſequentes videamur audaciter & vane in auras proijcere, ita euenturum eſſe probant ipſamet Aduerſariorum dicta paulò antè in adducto ſcripto allegata; quibus ex eo acriter arguebant titulum Immaculatæ Conceptioni præcipiendum, quia ni à Sancta Sede præriperetur, & liberè volitare poſſet eiuſmodi titulus in compitis, & in triuijs; præiudicium fieret ſententiæ tribuenti Virgini culpam originalem, rurſumque implicitè & per poſterum videri definiri ſententiam Immaculati Conceptus, & ad illius determinationem trahi ſenſim ſine ſenſu; aditumque ei dari ad maiora petenda. Qua propter cum ſubſumi modo liceat, quod per Sedem Apoſtolicam prædictus titulus ſactæ Conceptioni fuerit libertime conceſſus; ex præmiſſa maiore abeis facta, & minore ex euentu rei comprobata, infertur euidens conſequentia, quod ad id iam peruenerit Immaculata Conceptio, vt conculcata ſententia oppoſita veluti ſuperaſpidem & baſiliſcum ipſa ambulans & conculcans leonem & draconem originalis peccati, definitioni proximæ ſibi locum parari videat, & videant ipſimet eius Aduerſantes, & auerſantes. Sileant ergo, & obmuteſcat & rubore perfuſi, qui ſuis ipſorum dictis & euentu rei coguntur ea effata retractare quibus conabantur oſtendere ſordidam Conceptionem in ſuo vigore & prima probabilitate conſiſtere, nec definitioni Immaculatæ præſtare locum, omnemque ſpem eam habendi imposterum ipſi omnino præcludi. Vnde alacres & lætabundi ſacricultores Immaculati Conceptus alia ſpe definitionis conſequendæ ſublimiter erigantur & ad eius expoſtulationem conſequutionem que fidenter incumbant.

§. V.

Nihil Prorſus obſtare poſitis maxime quæ poſita ſunt, vltimæ definitioni auctoritatem antiquorum adductam contra Immaculatam conceptionem Trutina noſtra contendit, & pro ſcopo habet euincere.

1. QVantum itidem neceſſarius ſit hic noſter labor conſtabit vltimo ex validiori & principaliori medio, quo Aduerſantes vtuntur apud Purpuratos Patres ſanctamque Sedem Apoſtolicam, ne definitioni Immunitatis Deiparæ ab originali aures præbeant obſecundantes, quia ſcilicet non eſt duiſioni dandus locus in ea controuerſia quæ ex vna parte habet Doctores omnes antiquos pro vno ſenſu, & pro alio fere cæteros recentiores. Cum præſertim pro priori ſtet Sanctus Thomas cuius doctrinam ſemper venerata eſt, & quam veluti canonizauerunt Summi Pontifices: etenim monſtruoſum quid eſſet præcipuam eam Sãcti Doctoris doctrinam dãnare, quam reiteratis vicibus approbauit Sãcta Sedes Apoſtolica: & maioris certè ponderis ſint antiqui Doctores ceteris paribus, quã poſteriores, ſolemne enim eſt Sanctæ Eccleſiæ Dei priorum veſtigia ſequi, nec nouitates amplecti. id quod quantum exaggerat Caietanus, quantumque recentiores amplificant, teſtis eſt Romana Curia, quæ hiſce dictis dedit hactenus aliquem locum definitionemque diſtulit vſque quo hi clamores maiori ſtudio & eruditione ſilerent. Qui meo iudicio hiſce vltimis temporibus merito exiſtimandi ſunt vel filuiſſe, vel eis ora omnia obſeruanda ex ijs quæ tradidere Auctores doctiſſimi, quæ in hoc opere à nobis erunt commoſtranda & adaugenda; ita vt penitus inposterum obmuteſcant ſaltem poſt aliud breue tempus, poſt quod Scriptores eruditiſſimi rei huic ſerio manum imponant, quæ plus quam dici poteſt remorata eſt, & remoratur adhuc aliquantulem exoptabiliſſimam definitionem Cuius rei monitos eſſe precor omnes extra Romanam Curiam degentes qui fortaſſe non agnouere magna ex parte hinc ortam fuiſſe huiuſce definitionis elongationem & moram. Qua propter eos precamur obteſtamurque vt ſerio huic impedimento radicitùs tollendo ſcriptis incumbant quemadmodum pro modulo noſtro nos hic omni ope incumbemus vbi fuſiſſimè variis Opuſculis & Sanctum Thomam antiquoſque Doctores pro ſenſu Aduerſariorum vel nihil vel parum facere oſtendemus, omnia rorſus eorum verba, & fere ſyllabas perpendentes, & quamquam omnimodæ puritati Sanctiſſimæ Virginis ij obſtiterint acerrimè; arguemus nihil eorum auctoritatem obeſſe vlla ratione poſſe magnis & maximis ponderibus rationum & auctoritatis, quæ modo ſit in vnanimi conſenſu Doctorum Eccleſiæ. Liceat hîc ex ijs quæ trademus in Opere aliquid prælibare.

2. Demus

6 His adde, quòd quamuis auctoritas Sancti Thomæ & Bonauenturæ & allegatorum non sit contemnenda, nihilominus si ea comparetur cum illa Doctorum totius Ecclesiæ; vel in suis Ecclesiæ, licet non decretiuo, sed tantummodo assertiuo modo procedétis, æstimanda est æquiparari ponderi vnius pennæ respectu ponderosissimi montis: quare cum hæc vtraque obsistat auctoritati priscorum, in tantum hæc diminuta apparet vt sit veluti nulla, ipsomet Sancto Thoma & Augustino subscribentibus, vt suo loco videbitur.

7 Nec dicas, S. Doctoris doctrina est veluti canonizata ab Ecclesia & Summis Pontificibus, ita vt non licat ei contraire; nam in insaniam ibis, si hæc in medium proferas, cùm valdè plura indigitentur ab Auctoribus nullo modo subsistentia in præsenti & reiecta cómuniter ab omni Theologia, æque dicto loco cógeremus atque in exorbitantm excrescere numerum, animum aduertemus, nec ea vnquam in omnibus approbata aliquo modo fuit, sed ad summum vt plurimum, & prout antiqua ferebant tempora secundum illud lumen quod eo tunc effulgere videbatur apud Theologos. Pro qua relege Ioannem ipsum à Sancto Thoma, qui insudat in innumeris, vt in ijs probabiliter enunciasse S. Doctorem sustineri posse demostret. Improbabiliter autem eius; lura dicta recense apud Ioannem à S. Thoma qui eum defendit & alios; quæ nos in Opusculo de eius sensu recensebimus: hæc autem omnia peragere debet nostra Trutina ita luculenter, vt singula ex his ita tractentur, ac si super eorum quolibet solitarium esset nostrum negotium, vnde patebit quam nulla sint omnia quæ definitioni Immaculatæ Conceptionis iactant obsistere.

§. VI.

Trutinæ huius item proprium est seriò & ad amussim omnes dolos & technas detegere, quibus aliqui, imo complures ex Aduersarijs veritatem Immaculatæ Conceptionis quæsiuerunt vel quærunt.

1 REmorari præterea egerunt nostri Aduersantes, Diuini Numinis sublimi & inexcrutabili dispositione, definitionem Pontificiam de Conceptu Sanctissimæ Virginis immuni à peccato, probabilitatem sui sensus vtcumque sustinere nisi, nec non omnem gradum certitudinis ab eo auertere volentes, alijs malis artibus & dolis, quibus Trutina nostra dum opponitur, eosque aperit, fraudesque detegit, & funditus deijcit, suum scopum collimat rectissimo cursu. Quando autem technas & malas artes interpello, non prauas vllo modo voluntates accuso piorum alioqui virorum, quos num quam vitij alicuius, aut veri criminis reos vituperare in quacunque re minima intendo sed semper excusans sub licito integumento; bonorum prætextuum eorum omnia gesta, improbo tamen omnia malè materialiter acta in hac materia, quas malas artes & dolos nomino dum his falsitatis præsidiarijs animaduerto, & animadvertunt in præsentiam frequenter nostri Commilitones, tantum bonum Ecclesiæ Sanctæ, cunctisque fidelibus præripi, quod ex nobilissima definitione & certitudine omnimoda Sacræ huius Conceptionis, omnibus proueniret.

2 Eas autem generaliter liquidò constat innumeras esse, ex eo quod perpetuus eorum mos fuit audacissimè proferre in hac materia incerta pro certis, falsa pro veris, explosa pro receptis, ipsorum propria pro communibus, suppositicia pro sinceris adulterata pro legitimis, dimidiata pro integris, inania pro solidis, vacua pro plenis, & cumulata pro mensuratis in æquitate, quibus omnibus, immaculatæ Conceptionis obnubilata veritas, & cum falsitate permista, pulchritudinem, decorem, splendorem & lucem suam fulgentissimam non effundens, huc vsque distulit cos certitudine fidei. Quibus malè factis id accessit cérinuò, quod cùm Aduersantes nostri ad aures perpetuò assistant Summorum, Pontificum, aliorumque Purpuratorum Patrum & sacrorum Præsulum, dum ijs maximè vtitur Sancta Romana Ecclesia in rebus fidei explicandis & decernendis: ijque ex multitudine grauiorum aliorum negotiorum vehementer vrgentium distineantur ab examinandis eorum dictis opportunè importuè intrusis, & si obtinere non potuerint aliquid quod Immaculatæ Conceptioni opposuerit Sancta Romana Ecclesia, nec satis vnquam fuere ad impediendum eius cultum, vniuersalemque veneration em nouis semper auctam incrementis & propriæ sententiæ oppressionibus & silentijs non vitatis; omni tamen studio & industria curæ eis fuit apud eosdem Ecclesiæ Patres in magnis controuersijs inuolutam & dubiam & omnis decisionis incapacem persuadere Conceptionem sine macula originali; quod hoc ipso ex parte sunt consequuti quoniam ex tot tantisque quæ congerere sunt soliti, aliquod tandem ponderis vel in vno ex his, vel in omnibus simul, inueniri saltem ad auertendam omnimodam certitudinem ab Immaculato Conceptu persuaserunt; si non omnibus, saltem aliquibus.

3 Qua propter Sancti & Summi Pontifices, vt suismet pedibus vel aliorum Doctorum vi, decidere viderent oppositum sensum quem indies pœne reptantem incedere animaduertebant, ab eo præcipitando abstinuerunt; vnde puro Concertur definitionem distulerunt; nam meo iudicio prospectantes & audientes vniuersam Ecclesiæ sapientiam, vnanimemque consensum indesinenter laborare ad præcipitatum hunc sensum nouis semper rationibus, auctoritatum ponderibus, cælestibus etiam Diuinarum reuelationum & insolitorum miraculorum præsidijs, morum operi interposuere, vt tandem facili & breui impulsu eum deijcerent

cerent, & nulla contradictione sactum Conceptum sua in ea gloria extollerent. Quare omnino hæ malæ & apertè malæ artes, & technæ sunt aperiendæ, cum omni perspicuitate, ne perpetuò malum perseueret, & certitudini optatæ sacri Conceptus suus locus omnium iudicio tribuatur? nam sacri Ecclesiæ Præsules luce clarius has indigitatas technas digito commonstratas præ oculis habentes, non poterant non admirari piscículos istos; vti de illis Oceani refertur, remoratos esse tam grandes, rectè quæ instructas naues, prosperis & validissimis ventis impulsas, eosque eorumque dicta in mare obliuionis proijcientes, efficient, vt hoc ablato impedimento vt grandior rationum classis à Doctoribus sacris per tot sæcula præparata, auctaque pro purissimo Conceptu Partum certitudinis summæ & Pontificiæ definitonis obtineat.

4 Ne Verbis autem hæ technæ videantur promulgari non probari; animaduertite quæso, Lectores optimi, vniuersa quæ scripserit Vincentius Bandelus erroribus mendacijs & maledictis in Sanctam etiam Sedem Apostolicam plena: quæ notant Cismontana familia in suo armamentario, & nouissimè Pater Velasquez in suo opere qui eius verba recensent, & carpunt errata quam maxima. Opusculum legite Caietani Leoni X. oblatum in Lateranensi Concilio, quo illustris alioqui vir detertere voluit summam Pontificem à Definitione Immaculatæ Conceptionis in quo quot paragraphi, tot errores, imo sæpe quot lineæ, tot falsa vel referunt vel tradunt: vbi Idecurtat Auctor, adulterat, addit de suo dictis Patrum, & quædam velut axiomata pronunciat apertissimè falsa, vt bene notauit Hippolitus Marracius circa eorumdem Patrum asserta prolata à Caietano, & Cismontana familia in alijs eius effatis, quemadmodum videri potest in eius armamentario pluribus locis fere per totum, quæ alibi adducemus, & expendemus in nostra Trutina, minutissimè in Opusculo de Patribus contra nos adductis, & in eo in quo omnes variorum generum errores sensus acsiti puro Conceptui in vnam colligimus, quos supra ducentos & trecentos numerabimus. Prætereo quæ in Falsificato sub nomine Ioannis Turrecrematæ promuntur Libro, vt eadem Cismontana notauit de illo: alia simillima sileo quæ inueniuntur in Bartholomæo Spina, & deuenio ad Anonymos nuperrimos quorum Libelli de verbo ad verbum reiecti sunt eruditissimè & ingeniosissimè & cum ingenti veracitate à supra citatis nec vnquam satis laudatis Cismontana & Antonio Calderonio. In his autem Anonymis & alio Tertio, cuius similis farinæ pronunciata in scriptis remansere, nec typis fuere commissa, manifestè apparent pœne adunata simul quæ in antiquis & recentibus Auctoribus erroris fuere notata, cum alijs permultis ex sensu grauiorum Auctorum censura damnati; qualia sunt primo, quòd Ecclesia Romana & vniuersalis non celebrat festum Conceptionis Virginis vt à peccato originali immunis in prima sua animatione, sed Sanctitatem eius vel in primo vel in sequenti tempore ad primam infusionem animæ, licet sordidatæ originis culpa, ex eo scilicet quia non potest colere immunitatem non definitam, seu contra sensum maculantem Virginem non damnatum, & opinioni permissum ab eadem Ecclesia; pro vt habetur in secundo Anonymo num. 21. quod Indulgentijs non alliciat fideles Sancta Sedes ad sensum eximentem a peccato Conceptum Virginis, sed mere foueat affectum pium erga Virginem, licet cum sensu falso; vt habet idem Anonymus ex Estio num. 18. quod Immaculatum non enuncient Conceptum eius, neque vnquam enunciauerint, Christi vices gerentes in terris, nisi recitatiuè, non assertiuè vt videtur num. 32. quod Officium Nugarolis à Sancta Sede Apostolica approbatum, & per centum fere annos in Ecclesia Romana statuto & institutione Pontificia vsurpatum, & Franciscanæ Familiæ in perpetuum recitari concessum & à Concilio Tridentino confirmatum, propterea quæ ad doctrinam concernebant, fuisse improbatum & reiectum. Quasi vero quæ ad doctrinam in hac re pertinent Ecclesia olim approbauerit, sequentibus temporibus reprobauerit & per posteriores actus correxerit priores, 4 idem Anonymus secundus loquitur num. 1e; Quod sententia originale concludens in D Matre sit omnium antiquiorum Patrum, & Doctorum sensu firmata, atque adeo contra eiusmodi sensum celebrare festum Conceptionis Romanam & vniuersalem Ecclesiam, pro vt scripsit primus Anonymus num. 16. quod tempore Stephani Pontificij vniuersa Ecclesia, duobus tantum, vel tribus Episcopis cum Summo Pontifice resistentibus in Anabaptismum abierit. 7. in Arianismum prius tota corruerit tempore Ariminensis Concilij ex Baronio. 8. quod conficta reuelationes pro Immaculata Conceptione decertent, nec non 9. conficta miracula atque hæc omnia & alia complura falsitate plena, vt notauimus cum opportunè importunè insusurrent summa cum temeritate perpetuo auribus mentibusque sactorum Antistitum, & ipsius sæpe Pontificis, eaque paralogismis & sophismatis sæpe etiam apertè ineptissimis implicent, persuadent negotium non esse plenè expeditum, longaque consideratione indigere, nec omnem adhuc habere perspicuitatem definitioni & omnimodæ certitudini proportionatam, & saltem si eam congruam non possunt suadere, persuadent semper aliquanto plus differendam.

5 Quare nemo non videt qua ratione prætermittendum non sit quin horum dogmatum malè assumptorum falsitas innotescat, hæ veritatis obnubilationes disijciantur, atque hæ offusæ tenebræ ita dissipentur, vt nulla earum vmbra quæ ex lumine sæpe relinquitur in lucidis, remaneat: vt tandem optatus definitionis scopus ab Ecclesia collimetur, quod præsens Trutina præstare maxime intendit Scholastico & lucidissimo stylo; qui quæcumque Aduersarij contra afferunt, diligentissimè in forma syllogistica appendit, & quantum sint minus habentia, oculis omnium committit. Id quod vt quis delibare possit hac ipsa prima scriptione, perpendat breuibus horum dictorum temeritatem apertam, & ab Auctoribus passim damnatam: nam

contra

contra primum effatum ex prima Extrauaganti Sixti IV. Graue nimis, constat erroneum esse asserere Sanctam Romanam Ecclesiam celebrare solam Sanctificationem Sanctissimæ Virginis, & spiritualem eius Conceptionem, si autem celebraret sanctitatem eius siue in primo, siue in secundo signo animationis; non nisi sanctificationem eius coleret, vt manifestissimè patet: qua propter apertissime hoc dictum incidit in censuram erroris damnati à Sixto IV. in Extrauagante citata, pro vt communiter Auctores autumant & nos late ostendemus Disp. in Opusculo de erroribus Aduersantium: quantum autem valeat, & futile sit id quod in hac re afferunt ad confirmationem assumpti, quod indubitatum in fide debet esse obiectum cultus Ecclesiastici; & si sanctitas pro primo instanti animationis Virginis ab Ecclesia Sancta absolute colatur, & debeat esse in fide indubitata & definita; appareat ex doctrina & relatione similium quæ in Ecclesia coli consueuerunt sine eiusmod definitione & certitudine fidei, nam Caietanus ipse Opusculo de conceptione Virginis Sanctissimæ tempore suo refert celebratam Assumptionem, & Natiuitatem eius in sola probabilitate perstantes: & quis asserere posset stigmata Sancti Francisci & Diuæ Catharinæ Senensis & similia multa in Ecclisia celebrata esse de fide credenda, quia ea colit Ecclesia, cum nulla prorsus eorum definitio ostendi possit, nec eius modi definitionis videntur esse capacia? Quæ cum sint euidentissima, Ideo breui hic sunt perstricta, vt prima hac fronte Trutinæ constent technæ sophismatum, quæ definitionem Immaculatæ Conceptionis impediunt.

6 Aduerte hîc item, lector, in secunda Aduersantium doctrina impudentissimum assumptum, quod non alliciat fideles Ecclesia indulgentijs ad sensum Immaculatæ Conceptionis, sed merè eas præstet eorum affectui & pietati, dum euidentissimè ad eos hortandos: & impellendos ad hunc cultum indulgentias offert, & per consequens ad talem sensum impellit eiusmodi gratijs & Sixtus IV. vndecim missium annorum indulgentiam concessit dicentibus cum alijs laudibus Virgini Tu concepta sine peccato originali & ideo Immaculatissima, [vt refert Hippolitus Marracius & refertur à Patre Velasquez lib. 4. differ: 6. adnot. p. n. 5.]

7 Quidue euidentius est quam in Bullis Pontificijs repeti Conceptionem Virginis purissimam & Immaculatam ex proprio sensu Pontificum, & non alieno; atque adeo nullo modo recitatiuè sed assertiuè vt patet in Bullis Sixti IV Sixti V. Leonis X. & alijs frequenter: & tamen. Aduersantes audent affirmare Pontifices recitare non præbere Conceptioni Virginis hosce titulos?

8 Quantum autem absurdi continet illud quartum effatum, quòd Ecclesia reprobauerit Officium Nugarolis quantum ad ea quæ doctrinam continent, nec ad historias pertinent, dum illud Pontifices & approbauerint cum Tridentino, & numquam ab Ecclesia abalienauerint vsque ad hodiernum diem, quod seruauerunt & seruant vsque adhue in amplissima Franciscana familia cuirorum & mulierum perpendat Lector & attendat an signatissimè Trutina nostra minutissimè expendens hæc & similia dicta, debeat ea penitus ab omni Christiano sensu vt temeraria ostendere & proclamate atque hinc bene sperare quod Immaculata Conceptio breui definienda sit, quæ non nisi hæc temerariè falsa fundamenta doctrinæ sibi experitur opposita.

9 Quàm falsum, quàm mendax, quàm temerarium, quàm erroneum item est quintò profiteri & audacter enunciare sententiam Immaculatæ Conceptioni oppositam esse omnium antiquiorum Patrum, & Doctorum consensu firmatam atque adeo Annymi consensu Patres & Doctores antiquiores repugnare puro Conceptui, quê Ecclesia colit; quasi verò error manifestus in fide non sit, censere quòd Ecclesiæ sensus obsistat vnanimi Patrum & Doctorum consensui? quidue absurdius dici potuit & Catholicis auribus inferius, quam profiteri §. sexto & septimò Ecclesiam vniuersalem exceptis paucis in hæresim lapsam; dum Augustinus expressè profitetur cum Stephano contra Anabaptistas non duos vel tres Episcopos merè sensisse, sed millenarium Episcoporum. & Baronius in Ariminensi Concilio Patres malè egisse, non sensisse profiteatur, malè ab Aduersarijs intellectas & pessimè allegatus. & tandem quanta impudentia dictum est octauò & nonò, reuelationes & miracula pro Immaculata Conceptione esse conficta, cum ea profiteatur omne genus hominum piorum, Doctorum & Sanctorum in Ecclesia Catholica, & plura ex ijs examinauerit & approbauerit Sancta Sedes Apostolica vt appareat in Officijs Sacræ Conceptionis abea approbatis & in reuelationibus Sanctæ Brigittæ Sanctique Vorberti, vti videbimus propriis Opusculis desijs vtrisque: quibus explicatis perspicuo liquere videtur quantum operis ad omnes difficultates extricandas, quæ definitioni puri Conceptus Deipare obesse possunt, conferat, & conferre debeat Trutina nostra, quæ hæc omnia ex professo, & profundiùs exagitare & concludere omni studio intendit.

§ VII.

Connumerantur alia minora intenta & commoda huius Trutinæ propria.

1 Proprium huius operis & laboris, itidem est; cumque tandem id sit valoris & ponderis, ipsamet commuiter à ceteris dicta ita compingere, & nouis & aptis formis coagmentare, vt si in ceteris auctoritatibus exponantur & afferantur, fere pro aliqualibus congruentijs, minus propterea concludentibus, quæ propterea ad Aduersantibus cum audacissima indignatione repellantur, & mordaci risu contemptuque ingentis opprobrij excipiantur & reijciantur iniuriosissimè,

tecedentibus enim sequi omnino constabit.

7 Hoc autem per septem Opuscula negotio peracto, & omnibus Aduersariorum machinis penitùs prostratis, eos Octauò Sacris Paginis fortissimè arietabimus, ex earum contextu fusè perpenso, Immunitatem Virginis intentam centies concludentes, nec non ex antiqua Patrum expositione & præsenti totius Ecclesiæ interpretatione, quæ summam debere habere auctoritatem confirmabimus. Nonò, vnanimem sensum Patrum pro concluso annectemus, eum ex viginti circiter capitibus eruentes, quemadmodum & ex peculiari perpensione sensuum ab eis depromptorum in varijs locis: vbi cum Patribus numerabimus Sanctos ab Ecclesia Veneratos, quantique in hac re ij sint, animaduertetur. Decimò, Trutina hæc procedet lætissima ex nouissima inuentione rationum sine numero confluentium ad veritatem Immunitatis Deiparæ ab originali proclamanda. Vndecimò, sensum Ecclesiæ & Summorum Pontificum expendemus, & quantus, & qualis in hac re sit & quous que pertenerit, quamque vim habeat ad certitudinem Immaculati Conceptus. Post hæc Duodecimò numerabimus reuelationes in eius attestationem & quantum possint & valeant in hac re probare, cum aliquæ eiusmodi reuelationes sint ab Ecclesia approbatæ, & ni diuinitus inspiratæ admittantur, complures Sanctos. Dæmonum præstigijs longo tempore fuisse illusos inferetur, vnde nutabit firmum in Ecclesia veluti axioma, quod in Ecclesia Dei perpetuò veræ à Deo reuelationes contingunt. Decimo tertio, hoc ipsum quod de reuelationibus Diuinis circa Immaculatam Conceptionem tradidimus, iteratò præstabimus de miraculis frequenter hoc mysterium firmiter attestantibus. Decimo quartò, afferemus firma capita auctoritatum, quæ omnem prorsus formidinem tollunt à sensu Immaculati Conceptus: quali est vnanimis Doctorum, Sanctorum Canonizatorum & multo magis totius Ecclesiæ & vniuersorum eius fidelium. Decimo quintò ex ipso modo procedendi Aduersariorum in hac materia & frequentissimis erroribus & mendacijs malisque vijs à pluribus eorum tritis ostendemus apertam veritatem Conceptionis Sanctissimæ. Decimo sextò, gradum certitudinis decernemus qui modo inueniatur in eadem Conceptionis puritate, & quam proximè sit ea definibilis ab Ecclesia, plus quam vnquam fuerit aliquod assertum dubium immediato aliquo tempore ad definitionem sequentem. Decimo septimò, ad pleniorem doctrinam videbimus firmitatem huius sententiæ, etiam si velimus, quod si Adam non peccasset Christus incarnatus non fuisset, & quam bene concordent hæc duo, videlicet Christum Dominum supposita præuisione peccati decretum futurum, & Virginem consequenter posita hac præuisione præuisam matrem Dei, & tamen omnino immunem à contractione in illo peccati originalis. Et decimo octauò tandem ex similibus capitibus ex quibus Immaculata Conceptio demonstratur, ostendetur etiam efficacissimè eadem Conceptio immunis ab ipso proximo debito incurrendi originale, eaque omnia tractabuntur quæ maiorem perfectionem spectant Conceptionis purissimæ, & puncta quælibet speculatiua ad hanc rem pertinentia examinabunt plenissimè.

8 Quibus præpositis & propositis in conspectu habes, Lector sapientissime, quàm aptè omnia ea quæ hæc Trutina intendit, & intendere in antecedentibus explicatum est, possit consequi, ita vt nihil hic prætermitti appareat quod ad collimandum Scopum conferre animaduertatur & si quidem non propterea censendum sit, à nobis cuncta cõplecti, quæ in hac nostra Trutina maximoperè ad rem conferunt, nihilominus certè ea omnia proposita hic sunt magna cum distinctione, quæ intentum nostrum & totius vniuersitatis fidelium possint obtinere, quo excitari maxime possint & rogari cuncta Doctorum ingenia, vt ad hæc ipsa fortiùs roboranda & euincenda magis collaborent nobisque ipsis & Trutinæ huic, noua arma & potiores vires augeant, & solida quæque & robusta quærant & inueniant, vt tandem euicti Aduersarij nihil prorsus negotij facessere videantur, quo minus purissimæ & Immaculatæ Conceptionis definita & in dubitata veritas per omnem Ecclesiam prædicetur; qua propter rogamus quam maximè omnes mysterij huius propugnatores piosque euulgatores Concionatoresque frequentes, vt in euulgando, è suggestu confirmando & propugnando hoc mysterium, ita eloquentiæ floribus illud exornent, varia eruditione ditent, aptis congruentijs decorent, nouis conceptibus repleant semper, vt firma soliditate aliquorum argumentorum intermixta & forti aliqua arietatione contrariarum obiectionum, ora Aduersariorum penitus obtrudantur & grandi cum pondere rationum videant, quæ ipsi contra quæunt opponere, penitus comminui, ita vt nullo pacto non sciantur quæ pro Immunitatate Virginis ab orginali afferuntur, ab ipsis cum risu excipi, & breuibus aculeatis verbis reijci, quia videlicet ijs iam probent quæ fortiter eam non concludant, & nixi meris quibusdam congruentijs solummodo persuadeant: vti falsò vociferantur, & blaterant ineptissimè. Perstringant efficaciter notando ceteras theologicas controuersias non efficacioribus Patrum Theologorum & sacræ Scripturæ testimonijs definitas, nullas etiam alias tam vnanimi & vniuersali Ecclesiæ exceptas, hanc solam Immaculatam Conceptionem Deiparæ tanta multitudine reuelationum, & miraculorum decoratam & comprobatam diuinitus, nullamque aliam itidem tam friuolas & inanes obiectiones habuisse in contrarium antequam definiretur, quo veritas nostra non intra limites probabilitatis, vel aliqualis solum certitudinis theologicæ vagari censendum sit sed talis eluceat, quæ in præsenti ea certitudine polleat, quæ finitima sit illi quæ est fidei, licet de reliqua Sanctæ Sedis Apostolicæ antiquis constitutionibus obtemperandum omnino sit dum non reuocatæ vndique sunt; & oppositus scilicet sensus nec erroneus, nec peccaminosus mortaliter prædicetur quod antiquum præceptum nulla ratione obsit, neque obesse potest quin Immaculata Conceptio conclamatum gradum certitudinis in tota Ecclesia censeatur obtinere & iam pridem obtinuisse.

9 At incassum dices, hoc est à me susceptum consilium quod iam perfecere doctissimi viri Pater Velasquez, Christophorus Vega, & Pater Heriberh cum alijs qui mea hæc scripta typis

pis danda præuenientes pronunciauere tutissimè, concluſere efficaciter, & firmiter prædicauere ſcilicet ſententiam de maculata Conceptione iam ab omni probabilitate deiectam eſſe in Eccleſia Dei; alta res eſt nec noua opera indiget. certè gauiſus ſum vehementer dum id quod ab Auctoribus votis omnibus optaueram perfici, incœptum iam eſſe video, nec exſaturari mea fames in hac re poteſt, niſi per omnes Academias & effata doctorum hominum veritatem hanc amplexam & euulgatam certior fiam. parum enim refertre poteſt, ſi pauci aliqui quamquam Doctiſſimi viri in hunc ſenſum erumpant, ni communis accedat & Aduerſarios ſternat, qui alioqui à ſola ſancta Sede Apoſtolica cohiberi de cetero poſſunt, vt veritati noſtræ acquieſcant. Qua propter hos præceſiſſe Doctores non arcet nos ad eumdem Scopum etiam tendere, ſed animos addit, vt pro eadem re, & palma Sanctiſſimæ Virginis in hoc negotio pugnemus. quodque peragemus certè non nouata ſed noua opera; non eadem trita, ſed alia recentiori terenda ſemita, quæ inter filueſcentes, ſed præcidendos ramos, nobis apenietur vt Opuſculo primo & 2. patebit clarius

10 Et ne Aduerſarij queri poſſint quod iudicium hoc prolatum ſit, vel proferatur non bene perpenſis eorum fundamentis & rationibus, antequam á nobis ſic prodeat, audiendi erunt ad ſatietatem, id quod non egere, citati Doctores alia ſpecialiùs commentantes doctiſſimè, & rectè ſatisfactum eſſe arbitrantes breuibus, & efficacibus reſponſis, plene omnibus eorum obiectis. Nam cum hoc hominum gratia in hac controuerſia, vt conuicti ij patcant omnibus; in actu vt dicitur ſignato ter & quater ac ſæpius repetito eſt agendum, & vni obiecto compluribus reſponſis eſt obuiam eundum, vt penitus in omnium oculis euaneſcat; alioqui illud iactitabunt firmum, ſublime, inconcuſſum perſiſtere, etiamſi ceteri omnes truncum in fruſta deciſum, aduſtum indigitent. Quare ex hac etiam parte non inutilis poſt hoſce Scriptores eximios erit opera noſtra, & tot & tantorum Doctorum munita præſidio imperterrita procedet ad metam. Quale autem iſtud ſit in hac re, aduertat primò, Lector in Patre Chriſtophoro Vega ejicienter ab omni probabilitate ſententiam Immaculato Conceptui oppoſitam, videlicet primo tomo theologiæ Marianæ, certamine 9. initio, his verbis, [ſententia maculans Beatiſſimam Virginem Labe originaria, neque eſt nec vocari debet opinio probabilis abſolute loquendo. Ita Suar. tom. 1. in 3. p. d. 3. ſect. 3. Garnizo & omnes quotquot aſſeruntnoſtram ſententiam eſſe omnino certam: & in fine n. 5. 14. [Quam igitur probabilitatis ſpem ineſſe Aduerſariorum ſententiæ fatebimur, quæ ſolum in occulto permittitur, non vtique, quia ipſa in ſe ſententia probabilis ſit; id enim nullus ex Summis Pontificibus aſſeruit, ſed ad maiora impedienda incommoda: tacitè igitur prohibetur, at reprobatur, tantum abeſt vt à Pontificibus vt probabilis ſuſtineatur: nec ex eo quod permittatur probabilitatem vllam ſortitur.]

IMMACVLATA B. VIRGINIS CONCEPTIO THEOLOGICÆ COMMISSA TRVTINÆ,

Ad Dignoscendam & firmandam certitudinem eius.

NON videtur ampliùs exagitandum apud Theologos, an fuerit vel non fuerit Immaculata Conceptio B. Virginis, cùm certissima modo sit apud ipsos sententia affirmatiua, & prohibita sint à Sancta Sede Apostolica, tum dicta negantia, tum etiam argumenta quæcumque proposita, quæ illam etiam priuatè oppugnent: vnde maximè totus noster debet eo conuerti, & dirigi conatus, fixaque intentio; vt quæramus in quonam gradu certitudinis modo inueniatur, quemque possit defacili venari, annuente præsertim summo Ecclesiæ Pastore, qui est omnis ueritatis fidei, Regula & Magister; cui præsertim duximus offerendum dedicandumque hoc nostræ Trutinæ opus, vt cum ceteris Prælatis Ecclesiæ, vel alijs doctioribus viris, qui occupationibus alijs sunt distenti, simul in vnum habeant, quæ de hac materia dicta sunt, & suis locis proprijs cuncta scitu digna recte collocata; ne varios, eis necesse sit peruolutare libros; & rursum vt ex hoc eodem opere breues deinde collectiones deduci possint, vt in fine præstabitur quæ sine longa lectione ante omnium mentis oculos, & præsertim acutos illos summi Iudicis & Antistitis, Perspicuis & breuibus intuitibus aptè possint primò demonstrare, ad nihilum iam iam redacta esse in Ecclesia Dei omnia fundamenta in oppositum, & contra secundò in immensum excreuisse efficacissima argumenta, & auctoritates, ad vt certissimam habendam Immaculatam Sanctissimæ Virginis Conceptionem.

2 Et vt prægrande opus, quod cuncta complecteretur Lectorem non terreat, diuisimus illud in minora & sæpe parua Opuscula, quam quam numero plura; quorum vnumquodque eam partem dicendorum sibi asciscceret, quæ etiam si sola legerentur, se solo ostenderet magnum pondus indubitatæ certitudinis. quæ inuenitur in sensu de Immaculata Deiparæ Conceptione; & quia varia sunt hominum ingenia, & placita, vnus quisque in hisce opusculis inueniret simul aggregata ea, quæ magis ipsi arriderent, quarum lectione alliceretur; & deinde saltem alio tempore ad alia perlegenda; quæ sic diuisa faciliùs

liùs comprehenduntur & interruptiones moramque congruè concedunt ad progrediendum vlterius : cum maximè breuibus in Libellis hæc omnia digesta facilè in omnium manibus haberi poterunt,& peruolutari libentiùs.

3. Opuscula autem hæc ita diuisimus, vt primò agamus de aliquibus Præambulis, & veluti Prolegomenis ad vniuersam materiam, in quibus ea fundameta iaciamus, quæ penitus vnica etiam sectione eradicent cunctos Auersantium obices, & machinamenta quæcumque. Vnde ad hoc præfandum, primum Opusculum erit de nomine Conceptionis stantis pro ea quæ est carnalis in tota antiquitate vsque ad Sanctum Thomam inclusiuè,& secundum de eodem nomine à Scoto & deinceps stante pro prima infusione animæ rationalis, præsertim in Dei parente. Tertium opusculum ea quæ ex Scripturis ipsi obijciunt, proponet, & ex compluribus capitibus ea penitus dissoluta, & in puluerem redacta commonstrabit; quartum hoc ipsum efficiet auctoritatibus Patrum, quas contra ipsi afferunt. Et quintum id ipsum in rationibus secundum Sancti Thomæ sensum examinabit, qui ostendetur pro Immaculata stare; idque fiet omnibus perpensis eius locis etiam minutissimè, Sextum in examen adducet aliorum antiquiorum Scholasticorum sententiam, eamque similem illi quæ ostensa est in D.Thoma, inueniet: vbi expendetur quanti possit valere hæc qualis cumque auctoritas, quibus expeditis efficacissima Scripturæ loca pro Immaculata Conceptione in octauo Opusculo proponemus. In nono vnanimem sensum Patrum & Sanctorum pro ea. In decimo rationes, in vndecimo sensum Ecclesiæ & Pontificum. In duodecimo reuelationes. In decimotertio miracula. In decimoquarto consensum vniuersalem & quantum is valeat. In decimo quinto modum procedendi habitum ab Aduersarijs & quantum in hac re existimandi & parum curandi. In decimosexto discutiemus ad quem gradum certitudinis in præsenti peruenerit Immaculata Conceptio & quæ capita habeat infallibilis definitionis Pontificiæ. In decimo septimo examinabimus an Immaculata Conceptio firma stet etiam si Christus incarnatus non fuisset, si Adam non peccasset. Et in decimo octauo tandem scrutabimur an Immacula fuerit Conceptio Virginis etiam sine debito proximo incurrendi in originale,idque cum omnibus alijs speculationis concernentibus ad hanc materiam.

4. Vbi merito intimus rerum scrutator animaduertet, congruentissimè, & admodum aptè tribui, tribuendum que esse huic Operi nomen & munus Scholasticæ Trutinæ, quæ subtiliter cuncta hic proponenda, & dignoscenda expendat & libret, eorum que pondus rigorosè diiudicet, abiectis omnibus aliis verborum fucis, vel, perpolitis dicendi modis quæ nauseam in hac libratione potius excitant nec ingenia sinant illicò rectà ad veritatem pertingere, euidenti forma & face: doctrinæ. Ni enim ita cuncta librentur, & expendantur, Lector, semper manebit dubius de ijs, quæ concludentur. & rationabiliter æstimabit Aduersantium dicta non bene expensa; & intimius maius vel absconditum pondus habere, quod ad se stateram iudicij inclinaret; quod cùm eis sit iniustè negatum propterea non cuncere sed re

verà

vera apud eos veritate seruari & abscondi; ne videatur illico saltem apertè. Præterea, si vt sæpe solet in hac materia, quæ pro re euincenda congeruntur, ad syllogisticam & subtilis Trutinæ formam non reducantur, & perstringantur acriter; dubitabit sæpe Lector an more Rherorum persuaderi velit hic sensus alioqui pius, conseruatis congruis non efficacibus rationibus; quod valdè repugnat intentui nostro, qui totus est non in demonstranda Immaculata Conceptione Deiparæ, sed in eius significanda certitudine, & grandi gradu eiusdem indagando & firmando, vt in titulo exposuimus Operis: vnde qui certitudinem Immaculatæ Conceptionis venamur & exoptamus augere, non nisi hac subtilissima Trutina perpetuò vti debemus; eaque semper vti promittimus in toto hoc Opere; vt perspicuè innotescat non nisi cum hoc nomine Trutinæ insignienda esse hæc omnia Opuscula.

PROEMIVM OPVSCVLI
Primi destruentis omnia principia Aduersantium Immaculatæ Conceptioni Deiparæ.

1 SIGNVS ordo doctrinæ in celeberrimis præsertim Tractationibus, meritò ab Auctoribus videtur exquirere vt primum & ante omnia Prolegomena quædam ad vniuersam materiam pertinentia in suis præmittant operibus, quæ scilicet ceteris omnibus pertractandis facem præferant & labirinthæis ambagibus in re sæpe agenda occurrentibus aptè filum ad eas extricandas subministrent, qualia solent esse ea omnia, quæ ad explicationem terminorum & præcipuè quæstionis statum magnopere spectant, quæ per omnem Tractationem diuagantia, in vnum collecta prius ceteris congruit expedire; ne eorum plena intelligentia deficiens, ceteris obscuritatem adducat; eaque contra statim in vnum collecta, si quis in decursu disputationum de ijs tam rei necessarijs in aliquo dubitet; rectè calleat vbi nam eorum plenam cognitionem possit haurire. Nec nos ab hoc dignissimo doctrinæ ordine aberrare volumus, quare quæ præsertim pertinent ad intelligentiam cuiuscumque vsurpationis peccati siue personalis siue originalis, actualis & habitualis, eorumque effectibus formalibus & concomitantibus cumquæ ad præcipuam huius nostræ Tractationis quæstionem extricanda necessaria & congrua sunt, in Prelogomenis primorum duorum Opusculorum subdimus licet breuissimè. Si quid enim circa hæc ipsa in disputationem acriorem, erit adducendum vt nihil huic magnæ Tractationi deesse possit, id in vltima Opuscula differimus, quæ magis speculatiuas quæstiones continent, nec certitudini de sanctissimæ Virginis Conceptione habendæ, sunt absolutè necessariæ, si hoc vel illo opposito modo decidantur & resoluantur. Atque hoc peracto negotio progreditur vlterius, subditum Opusculum ad aliqua tradenda, quæ si penitus omnia Aduersariorum fundamenta, rationes, auctoritates, axiomata, præcipuas doctrinas funditus disijciant & nulla demonstrent quantum nostro exiguo videri potest ingenio; rursum ea pro nostro sensu statuat & firmet; quæ inconcussam plenè reddant theologicam Conceptionis Sanctissimæ veritatem. Quapropter in re hac & moramur serijssimè, nec caput vllum prætermittimus, quo magis magisque quæ signauimus oculis omnium luce clariùs eniteant. Ea autem maxime sunt, ne suspensum Lectorem moremur, primum omnium pro

certo habẽdum esse, quod in tota prorsus antiquitate apud omnes generis scientias, nomen Conceptionis passiuæ, de qua agimus in Virgine, nec non Conceptionis in peccato, & tandem Conceptionis Deiparæ etiam in peccato vsque ad S. Thomam inclusiue adductis & expensis plusquam ducentis vel trecentis auctoritatibus: non significauisse vnquam nisi Conceptionem seminum, & non illam quæ consistit & includit primam infusionem animæ Sanctissimæ Virginis in corpore: idque ostendimus primo ex Latinis & Rhetoricis. Secundo ex Aristotele & Peripateticorum schola vniuersa. Tertio ex Hippocrate, Galeno, & omni Medica scientia. Quartò ex sancta Scriptura apertissimè. Quinto ex Sanctis Patribus omnibus vnanimiter. Sexto ex Scholasticis antiquioribus S. Thoma, S.Bonauentura & alijs. Septimo ex Iure ciuili & Iurisperitis & ex Iure canonico & Canonistis. Vbi aduertitur quod hæc veritas ita proclametur in omni hac antiquitate, vt opposita neque sit probabilis neque opinabilis cum diligentissima inquisitione Auctorum, quos saltem habemus in manibus, nec vnus appareat locus (cum millia & millia afferantur pro sensu notato) qui nostris hisce possit contradicere assertis.

2 Hoc autem fundamento iacto, quantum cætera Aduersariorum fundamenta dispereant, quilibet doctus vir facilè videt, cum si quod peccatum originis tribuitur Virgini ex aliqua ratione & auctoritate; continuo non nisi illud Inferri posse monstratur, quod in Conceptione & ex conceptione seminum, potest Deiparæ prouenire: quod non est, vt videbimus, nisi originale causaliter sumptum vel in debitrice potentia, vel simile: id quod nihil obest certitudini immaculatæ Conceptionis pro prima infusione animæ Dei Matris in corpore, prout de ea est controuersia quam agitamus.

3 Secundum quod hic iacitur præcipuum fundamentum, sed in sequenti Opusculo firmissime probatur, est quod post Sanctum Thomam auctore præsertim Scoto, & à Scoti temporibus vsquead Sixtum I V. inclusiuè & deinceps, nomen Conceptionis Deiparæ significationem extenderit ad primam animationem & infusionem animæ in corpore Virginis & pro eo signo communiter steterit in vniuersa Ecclesia,& apud omnes Pontifices vsque ad tempus etiam Gregorij X V. nec non etiam tandem à Gregorio X V. vsque ad tempus præsentis sanctissimi Domini nostri Alexandri V I I. quo tanquam falsum & temerarium ostendemus dictum illud aliquorum Anonymorum, qui Conceptionem Virginis apud Gregorium & Vrbanum eiusque decreta ausi sunt in medium proferre, quod importaret non solum primam animationem sed eius etiam subsequens tempus, siue indeterminatum, siue determinatum id quod secundo Opusculo circa hæc Prolegomena tribuemus.

4 Quibus duobus veluti fixis & firmissimis polis fœliciter Deo fauente circumuoluetur, suumque cursum peraget nostra hæc qualiscumque machina, ad expugnanda vnico impulsu nec laborioso, opposita omnia obiecta, quæ contrà aliqua ratione viderentur obsistere posse; nam dum expressas auctoritates adducent Patrum in sua antiquitate scribentium, Virginem in originali peccato, & de peccato conceptam; vel quid etiam simile ex S. Thoma & alijs, (dumquid eiusmodi ex Scripturis & ratione aliqua friuola conabuntur exprimere) repente concident, nec vlla ratione probabunt propterea animam Virginis habituali peccato originali infectam, & gratia sanctificante carentem pro primo instanti creationis animæ eius; sed ad summum, vt diximus, in ea debitum proximum incurrendi in illud, in quod incurrisse modo non curamus, & vltro Aduersarijs in præsenti permittimus: quo penitùs destituẽtur omni ope probandi suum intentum. Contrà verò dum firmum stabit Conceptionis nomen in Decretis quorumcumque Pontificum Deiparæ aptatum, sumi pro mera eius prima animatione, nec vltra se extendere: non habebunt Aduersantes quo confugiant seque contegant, ita vt non clarè appareat eos à consensu vniuersali Catholicæ Ecclesiæ longè recedere, ac proinde certitudinem Immaculatæ Conceptionis dictos superiores gradus ascendisse constabit absque vlla contradictione: subditis præsertim alijs pluribus & euidentissimis argumentis quæ in sequentibus annectemus.

OPVSC

OPVSCVLVM I.

DE ACCEPTIONE NOMINIS CONCEPTIONIS IN ANTIQVITATE, vsque ad Sanctum Thomam.

PROLEGOMENA

IN VNIVERSAM MATERIAM.

AD DESTRVENDA OMNIA FVNDAMENTA Aduersariorum, concinnata.

IN hoc Opusculo præmittendæ sunt ea Disputationes, quæ fundamenta iaciant vniuersæ huius vastæ materiæ & lumen præferant ceteris, easque tradant, & confirment doctrinas quæ totius controuersiæ præcipuæ decisioni possint inseruire; & si fieri potest, vt fore speramus, funditus conuellant omnia Aduersantium inuenta, & quæuis apparentia tela, argumenta prætensa, auctoritates itidem detegant varias, & terriculamenta præmonstrent inania, quæ solent ij componere ad terrendum minùs doctos à vera sententia, & sincero, solidoque doctrinæ sacræ huius quasi dogmate circa Conceptum Deiparæ illibatum, & immaculatissimum; hoc autem totum fieri debet pluribus præambulis disputationibus, & Prima erit de præsciendis circa peccatum originale. Secunda circa ostensionem præcipuæ controuersiæ in hac re. Tertia de nomine Conceptionis in genere ab immemorabili, vsque ad S. Thomam inclusiuè. Quarta similiter in specie subalterna Conceptionis in peccato. Quinta de eadem Conceptione, & nomine Conceptionis in specie infima, seu de Conceptione Deiparæ vsque ad idem tempus.

DISPVTATIO I.

De Concernentibus ad Originale.

QUæ præ tetium est hîc primò etiam doctioribus viris aliqua præmittere, quæ ferè pertinent ad explicationem terminorum, non quia ijs non constent satis; sed vt fortè aliquid clariùs, & maiori cum ordine, alijsque nostris animaduersionibus tradatur; & memoriæ eorum rursum reportentur minutiora quædam quæ maximè faciunt ad rem nostram, si sint rectè perpensa, quæ doctis etiam viris sæpe quasi dubia relicta in mentibus videmus, post antiquiora ipsorum cogitata: ita vt ipsis valdè placeat

ceat ea sibi etiam breui memorari quæ sunt ex minutioribus. Quare vt etiam à principijs res hæc omnis retexatur, videndum primò quid sit peccatum actuale, quid habituale, quid personale, quid originale; & de originali videndum deinde, quomodo distinguatur à personali, quidue importet vt sic, & quid habeat de primis tribus. 2. In quonam consistat formale eiusdem originalis. 3. de ijs, quæ concomitantur originale, & de eo dicuntur ad conuertentiam. 4. de alijs effectibus eius, qui non dicuntur ad conuertentiam cum ipso. 5. de delatiuo originalis in eos, ad quos derinatur, prout se tenet ex parte derivantis; & 6. de delatiuo quod se teneat ex parte eorum, ad quos deriuatur, tradenda est obnoxietas, & obligatio ad contrahendum originale, seu debitum contrahendi illud.

DIVISIO I.

Quid sit peccatum actuale, quid habituale, quid personale, quid originale; quæque hæc omnia, importent,

1 PEccatum igitur actuale est illud mali, quod residet in actu aliquo hominis libero; & malo, qualis fuit occisio Abelis à Caino, adulterium Dauid cum Bersabea, vel quid tale in similibus actionibus malis.

2 Peccatum habituale, est illud peccatum, quod per modum habitus residet in anima, & in eam prouenit post aliquod peccatũ actuale ex dictis: & solet dici mors spiritualis animæ, iuxta illud Ezechielis cap. 18. [Anima quæ peccauerit ipsa morietur.] Solet autem existimari, quod peccatum habituale, vel sit priuatio gratiæ sanctificantis, causata moraliter ab actuali peccato dicto, vti vult S. Thomas; vel ipsemet actus malus, qui censetur moraliter perseuerans in anima, nisi à Deo tollatur, vel remittatur offensa sibi facta per antecedentem actum, iuxta varias sententias.

3 Peccatum personale, est peccatum hoc duplex; ita dictum, quatenus ab aliqua persona procedit si sit actuale; vel quod residet in persona ipsa, si scilicet sit habituale, in quantum eiusmodi persona consideratur perse sola, & vt domina suæ ipsius solius propriæ voluntatis, nec vt sic refertur ad aliam, vel aliam personam, & sic tum peccatum actuale, cùm habituale modo dicto potest nominari, & esse personale.

4 Peccatum denique originale est illud, quod non sistit neque completur in vna quadam persona, & in vno quodam homine, sed vel est deriuatum, vel deriuat, ab vna persona & vno homine in alium, vel alios; quæ deriuatio debet esse inter plura, quorum vnum V.G. secundũ, procedit ab alio Scilicet primo, & originatur ab illo; alioqui si non interueniret hæc deriuatio eius modi peccatum diceretur potiùs vniuersale, & generale, vel extensum, quam originale; & in hoc aperte distinguitur peccatum originale, à personali puro, quia personale nullo modo dicit eiusmodi deriuationem, quam omnino includit originale; ad hoc autem vt hæc deriuatio procedat de vno in alium, oportet vt voluntas vnius, Scilicet secundi censeatur fuisse in alio, scilicet primo quo primo peccante, tanquam capite secundi, censeatur peccare etiam secundus, qui stat sub illo capite; & sic apparet, quod originale siue consideretur in eo, à quo deriuat, siue in eo, in quem deriuat, semper dicit duplicem personam, vt patet, quod non habet peccatum personale. Rursum aduertere licet, quod peccatum originale sic consideratum in eo, à quo deriuat; præcipuè notat peccatum actuale ita suum, vt sit etiam ceterorum, qui in eo censentur esse moraliter. Contrà verò si consideratur in eo, in quem deriuatur, notat præcipue peccatum per modum habitus, quod est priuatio iustitiæ, & sanctitatis sibi debitæ, si non peccasset ille, in cuius voluntate voluntas posterioris censetur fuisse. Causa autem huius deriuationis peccati originalis est duplex; vna veluti remota, altera proxima. Causa remota est voluntatem inferioris fuisse in voluntate superioris, à quo Inferior accipit esse naturale. Hæc autem voluntas censetur esse in superiori, tum quia est aliquid illius & veluti effectus in sua causa, tũ etiam quia Deus statuit superiorem beneficare in inferiori, & inferiorem in superiore; si ille sc. primus suis mandatis obediuerit; & si contra, vtrumque punire, Inferiorem præcise solum, priuando illum ea gratia, quam ei promiserat, si suus progenitor non fuisset eius mandata transgressus; superiorem vero destinando illum pœnæ æternæ sensus, extra scilicet illam damni, & priuationis gratiæ communis vtrique.

5. Atque hæc omnia attendenda sunt in peccato Adami transfuso item in posteros. In quo scilicet Adamo, habes primò peccatum actuale suum, quod constitit in esu pomi; vnde Scriptura habet Genes. 3. de Eua, quod [gustauit deditque viro suo, qui comedit] & hæc eius commestio fuit peccatum actuale; Sic ad hoc significandum ad Rom. 5. dicitur vnius delicto & rursum. [per vnius Inobedientiam], & tandem apertè [In similitudinem præuaricationis Adam]; Vbi notatur peccatum actuale eius proprium, vt sic.

6 In peccato Adæ dicto habes peccatum eius habituale traditum in illis verbis, in quacumque die comederis ex eo, morte morieris; in quibus significatur, tum mors corporalis, cùm etiam spiritualis consistens in priuatione gratiæ, quæ est peccatum habituale id quod explicatur à C. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali, vbi ait. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus (ecce peccatum actuale) statim Sanctitatem & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, in curriseque per offensam præuaricationis huiusmodi, iram, & indignationem, Dei atque adeo mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit. Id quod etiam confirmatur ex Concilio Arausicano, vbi maxime notatur mors spiritualis priuationis gratiæ, in quam Adam per peccatum eius pomi incidit.

7 In hoc eodem peccato Adæ ostenditur peccatum

peccatum tum actuale, cùm etiam habituale personale, quando ipsum consideratur secundum quod sistit in Adam, nec in posteros debet transfundi; sicuti quando dicitur ad Rom. 1. vnius delicto Scilicet prout vnius: qui textus significant peccatum actuale personale; de quo scripsit August. de corrept. & gratiâ. Cap. 2. Ille Adam terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero vsus arbitrio, non stetit in tanta fælicitate, in tanta non peccandi facilitate & lib. 19. de Ciuit. Dei. Spontaneus est iste defectus & c. & cap. item 13. vbi de personali loquitur Adæ, & Euæ peccato primum interno, deinde externo. Peccatum aut personale habituale liquido constat in morte spirituali ipsius Adami, seu in eius priuatione gratiæ sistendo in ipsa vt sic, non prout propagatur in posteros, secundum quod dictum est de eo; & prout in eo, verificatum fuit, quod mortuus fuerit morte spirituali, & passus sit immutationem præcipuè quo ad animam, vt notauit Concilium Trid.

8 Peccatum originale, quá originale constat in Adamo, cuius esus pomi, sicuti processit ab eo voluntarius, ita censetur etiam fuisse voluntarius pro posteris, in quantum erant in ipso, tamquam in causa naturali vel in quantum Deus posuerat voluntates omnium nostrum in ipso; seu vt notat S. Aug. lib. 8. cõtra duas epist. Pelag. c. 1. & lib. 5. de peccat. mer. cap. 7. omnes in Adam erant vnus homo. Et de peccato originali vt sic dicitur expresse, Ad Rom. 5. per inobedientiam [vnius peccatores constituti sunt multi]: quia scilicet ille esus pomi, denominauit, & fecit formaliter peccantem Adamum actualiter propria voluntate, & rursum constituit nos item in eo, & vt vnum facientes cum illo, similiter & peccatores constituit, actualiter, peccantes non propria, sed aliena voluntate, in qua esset nostra; ad quod explicandum dixit Apostolus ad Romanos 5. [omnes in Adam peccaurunt] scilicet actualiter, seu secundum id, quod importat peccatum actuale; quamquam non propria voluntate, vt diximus.

9 Et quia peccatum originale non solum dicit actualitatem peccati, seu peccatum Adami actuale, consistens in dicto esu pomi, sed præterea in habituali, seu in sequela peccati habitualis succedentis seu concomitantis ipsum, & ab eodem actuali peccato causati. Rursum hoc peccatum habituale prout resedit in Adamo, potest considerari dupliciter; vel vt sistens in ipso Adamo, & sic habet rationem personalis, vel vt tale quod in eo non destitit, sed transfundendum fuit in ceteros posteros Adæ, vel vt de facto iam transfusum fuit. In ipsos posteros Adæ, quando primum anima eorum creatur; & in hac duplici acceptione habet rationem originalis in Adamo scilicet, primò tamquam in trãsfundente & 2. in posteris, tamquam ijs in quos. esset transfusum. & in hoc tertio sensu dicitur in Scripturis. 13. Eph. 2. Eramus omnes naturâ filij iræ & rursum ex lectione Græca Iob. capite 25. nemo mundus à sorde neque infans, cuius vnius diei est vita super terram.

Vbi notandum est, quod non solet distingui neque notari peculariter à Theologis; an, peccatum originale transfusum in posteros Adæ, propriè & vera aliqua causalitate morali deriuetur & quasi innascatur in ipsis, medio habituali residente in Adamo. sicuti certum est quod deriuetur medio peccato eius originali actuali explicato. nam videtur ex vna parte quod eo præcisè posito, sicuti intellecti sunt peccasse posteri Adam in Adamo; ita quando existunt, debent contrahere peccatum habituale, siue de cetero fluxerit seu quasi fluxerit in ipso Adamo peccatũ hebituale siue non impediẽte Deo hunc veluti effluxum, conseruando in eodem gratiam sanctificantem; nam non propterea posteri qui ex eo nascerentur simili gratia non debuissent spoliari; ex altera vero parte videtur, quod per aliquod prius intelligendus esset Adam priuandus gratia, & in habituale labi permittendus; & ea gratia priuatus, eamdem priuationem in alios, transmissurus demeritorie simul cum filiatione iræ. si enim ipse gratia priuatus non fuisset nec habituale pecatum incurrisset, posset censeri, quod neque illam dempsisset à suis posteris, nec ij habituale peccati illius contraxissent Sed vt dixi, hæc non vidi disputata ab aliquo Theologo vt possim hic supponere, quid dicendum sit. satis sit in hisce præambulis id notasse, & in vltimis Opusculis decisionem differre.

DIVISIO II.

De formali, & essentialibus propriis Peccati originalis, tum in Adamo, tum maximè in posteris eius.

1 IN peccato originali prout resident in Adamo, & in posteris eius, primò in quantum actuali possunt considerari formalia., & essentialia, vel alia concomitantia, aut antecedentia, & subsequentia, & sic in peccato actuali etiam originali Adam, prout erat voluntas posterorum in eius voluntate, potest considerari vel eius malitia, vel ratio iniuriæ diuinæ, vel discordare ei lumine rationis, vel priuatio rectitudinis debitæ, aut quid simile, tum vt propria Adami, cùm etiam vt propria posterorum non in se ipsis, sed in illo de quibus posset queri, an hæ omnes, vel quæ ex ipsis, aut aliæ rationes sint de essentia eiusmodi peccati originalis vt actualis: & rursum inuestigari in eo posset iudicium practicum præcedens eiusmodi actum, siue ingrediatur in essentia talis peccati siue non, & rursum indagari posset, an in tali peccato aliquis habitus physicus, qui ab eo procedat inueniri debeat, in ipso Adamo & posteris eius, & similia, quæ vere hîc non habent locum, neque pertinent ad præsentem quæstionem vt de ijs aliquod feratur iudicium, seu peculiaris explicatio. Interest tamen magnoperè explicare formalia peccati originalis secundo modo habitualiter sumpti, siue vt residentia in Adamo. siue vt transfusa in posteros, cum ea sint similia; sed maximè de dictis formalibus, vt residentibus in posteris Adæ agendum est, vt possimus deinde discernere ancq locum habeant seu habuerint in Virgine Matre.

2 In qua re dico primò, quod prima ratio essentialis, seu quasi essentialis, quæ est in istius modi peccato originali habituali proprio vniuscuiusque posteri Adæ, sicuti loquitur Concilium Trid. in eodem decreto citato, est

priuatio

priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis, quæ infusa fuisset in quolibet eius posteró, si Adam non peccasset, & non infunditur ex eo quod filius hic, vel ille Adam in eo peccauit. Secunda ratio essentialis istiusmodi peccati est odibilitas Dei, quæ prouenit in hac anima ex hac priuatione causata, & connotante peccatum Adæ iam explicatum. Tertia ratio essentialis est destinatio ad æternam pœnam damni, seu priuationis visionis beatificæ. Et quarta denique est filiatio iræ, & subiectio sub seruitute, & captiuitate Diaboli, quæ similiter afficit eandem animam, quæ tale peccatum secundum sua formalia contrahit; vbi pro nomine rationis essentialis non intelligimus solùm eas, quæ sunt rei propriæ in primo modo dicendi per se, vt loquuntur Philosophi; sed vel in primo, vel secundo modo dicendi per se, seu de ijs rationibus, quæ dicuntur ad conuertentiam cum peccato originali, vt vnius cuiusque posteri Adam proprio; & quibus, seu quarum vna posita inferri possit vera & propria, & essentialis præsentia eiusmodi peccati. Id quod notari debet, quia si quid tale sciatur, vel legatur in Patribus fuisse, vel non fuisse in Virgine; statim appareat, si sit dicenda, vel neganda Deipara contraxisse originale verum, & proprium.

3 Petes hîc, an præter has rationes essentiales sint etiam aliæ in dicto peccato, & quæ ex sint, quæque nomina habeant ipsæ, vel ipsummet peccatum, vt sic sumptum? Pro qua re. Dico secundo, quòd licet possint distingui aliæ rationes essentiales in eiusmodi originali peccato & nomina correspondentia V. G. illa, quæ est, auersiónis habitualis à Deo, maculæ, sordis, immunditiæ, inquinamenti, contagij, contagionis, deformitatis, fœdationis, & similium, hæ omnes reducúntur ad superiores iam dictas, & penes aliqua peculiaria connotat a diuersificari videntur, quæ satis est innuisse.

4 Petes 3. In quanam ex his rationibus propriè, & in primo modo dicendi perse consistat essentia, & formale huius peccati?

5 Pro qua re. Dico 1. antiquos Theologos probatiores, si non omnes, fere omnes conuenisse, quod essentiale primum & proprium eius, est priuatio gratiæ sanctificantis, seu Iustitiæ originalis, non quidem secundum omnia, quæ dicit Iustitia originalis æquè primò essentialiter, sed in quantum iustitia originalis principaliter consistit in infusione gratiæ, & concomitanter dicit, (non æquè primo essentialiter, secundum quod scilicet, opponitur originali delicto) subiectionem sensus rationi, immortalitatem corporis, & similia, quæ constituebant naturam humanam in statu integro, vt alibi declarabitur. Id quod patet. Quia in eorum, sententia posità solâ gratiâ sanctificante in anima, adæquatè & perfectè, & formaliter intelligitur ablatum ab anima peccatum originale, & macula, & sordes illius, & sine illius infusione nullo modo, neque per potentiam Dei potest intelligi remotum ab anima originale; quod euidens indicium est, quòd nonnisi in eiusmodi priuatione primo & per se ipsum consistit, vt patet cuicumque ex Theologicis principijs discurrenti; nec in eo explicando nostra hîc interest immorari. Sic S. Thomas de hoc loquens, rem pro indubitata tradit. p. 1. qu. 8. ar. 3. in corp. inquiens. [Sic ergo priuatio originalis iustitiæ per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali. Omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali, sicut quiddam materiale] & rursum in fine corporis. [Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis Iustitiæ] & in 2. S. Th. d. 30. q. 1. ar. 3. in corp. [Destitutio ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturæ (quæ sc. maxime habita est per gratiam Sanctificantem) in peccato originali formale est, & hoc est priuatio originalis iustitiæ] Dist. autem 32. qu. 2. ar. 1. ad 1. explicat formale in originali iustitia, quo essentialiter priuat peccatum originale; & ait esse rectitudinem voluntatis, quæ habetur, vt diximus, per gratiam, & ex eius priuatione habetur in originali ratio culpæ. Verba S. Thomæ sunt hæc; [Ad primum ergo dicendum quod in originali iustitia erat, aliquid quasi formale, sc. ipsa rectitudo voluntatis, & secundum hoc sibi opponitur culpæ deformitas]; & deinde tradit expressè quomodo in priuatione huius rectitudinis ratio culpæ habetur in originali, & quod in remissione, & ablatione originalis, non est necesse restituere aliud, nisi gratiam sanctificantem, esto alia dona nó redeant & sic subdit. [Quamuis ergo non restituatur originalis iustitia in quantum ad id quod materiale in ipsa erat, restituitur tamen quantum ad rectitudinem voluntatis, ex cuius priuatione ratio culpæ inerat, & propter hoc quod culpæ est, tollitur per baptismum [quod autem hæc rectitudo habeatur per gratiã perspicue docet in respõsione ad secundam sequitur dicens [Ad secundum dicendum, quod baptismus virtute gratiæ, quam confert, ex qua rectitudo voluntatis causatur, originalem culpam delet [Idem etiam docet Suares tom. 2. de gratia lib. 7. cap. 23. num. 6. qui statuit.] Dicendum videtur peccatum originale prout nunc contrahitur ex Adamo non posse remitti sine infusione gratiæ; potuisse tamen contrahi; ita vt posset sine infusione gratiæ quoad rationem culpæ auferri: vbi asserit tunc hoc futurum fuisse vt eueniret, quando Deus decreuisset seruare gratiam vsque ad aliquod tempus, & non in perpetuum, eo enim veniente tempore culpa originalis tolleretur etiam sine infusione gratiæ. Ex quo patet manifestè Suarem velle, quod formale originalis consistat primo & per se in ista priuatione gratiæ; & paulò pòst expressiùs; Ideo carentia illius gratiæ, cum qua nunc posteri Adæ concipiuntur rationem habet priuationis, & culpæ in suo capite voluntariæ Aliqui tamen Recentiores putant peccatum originale formaliter consistere in permanentia moralis actus peccaminosi ipsius Adam, quæ censetur voluntaria in posteris, ex eò quòd in eo ipsi peccarunt, quod verè difficile est explicare, & habet solida in contrarium argumenta; vt in vltimis Opusculis, Deo fauente, ostendemus. Ad rem autem nostram modo vttumuis dicatur, parum refert. Nam certum est apud omnes, quod si Virgo sanctissima fuit pro aliquo signo sub hac priuatione, originali ómnino subiacuit; si verò nunquam eam passa est, nullo modo neque vnquam contraxit originale quoad culpam: & hæc duo dicuntur ad cõuertentiã, & se inuicé inferũt, quod valet ad ostendẽdum, quæ sint, quæ inferunt in Virgine originale si in ea ostẽdatur fuisse

7 Quæres

7 Quæresautem hic vltimo, an in Patribus expressa hæc trutina inueniatur de formali originalis, pro quocumque habe Anselmum lib. 1. de conceptu Virginis & peccato originali cap. 2. qui sentit [Quod si ita est, peccatū originale nō est aliud quam iniustitia, id est absentia diuinæ iustitiæ, non enim videtur esse in iustitia nisi in natura, quæ cum debeat habere iustitiam non habet]: & cap. 21. [hoc peccatum quod dico originale aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus nisi ipsam quam nuper dixi factam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem.]

DIVISIO III.

De ijs, quæ concomitantur originales sed non contra, ac proinde non pertinent ad eius formale, qualia sunt fomes, & corruptibilitas Carnis.

1 POssunt pertinere ad originale vt vidimus aliqua per se primò vel per se 2. ita vt etiā hæc secunda sint ab eo prorsus inseparabilia, & suis intrinsecis connexa, qualia sunt omnes eius proprietates, & rationes in eodem ipso originali quasi subiectatæ; & de his iamdictum est; concomitantur autem ipsum aliqua alia, quæ intrinsecè non afficiunt originale, sed ab eo originem trahunt, & cum illo semper inueniuntur; itaut nunquam intelligatur peccatum originale esse in aliquo subiecto, quin simul cum eo non sit eiusmodi concomitans; licet non valeat conuertere & asserere, est tale concomitans, ergo inuenitur originale in tali subiecto, vel saltem inuentum fuit cum ipso. huiusmodi in re nostra est fomes peccati, & corruptibilitas carnis: nam quandocumque aliquis habeat peccatum originale, omnino infertur, quod secum habeat fomitem, & carnis corruptibilitatem: quare licet bene inferre non fuit in aliquo homine fomes peccati, nec etiam corruptibilitas carnis siue collectiuè, siue distributiuè, ergo non fuit originale peccatū in eiusmodi homine. At non valet dicere modo, non est fomes in aliquo, neque corruptibilitas carnis, ergo non fuit originale. Nam præsentia originalis trahit, vt secum sit fomes, & corruptibilitas carnis omnino; absentia autem eius non tollit vtrumque, neque alterutrum, quantum est ex se. Et sic ex præsentia originalis valet inferre præsentiā fomitis, & carnis corruptibilis; non autem ab absentia eius absentiam illorum, quod non ita euenit in prioribus rationibus, explicatis diuisione præcedenti, posita enim priuatione gratiæ in anima, non, potest in ea esse non reatus ad æternam pœnam, nec deesse filiationem iræ & similia dicta; & alterutrum ex illis inueniatur, in anima potest optime inferri, quod sint cetera, vel etiam si vnum desit, omnia desint, quia sunt vndequaque inseparabilia, & dicuntur ad conuertentiam; non sic autem se res habet in his duobus, nunc vltimò in hac diuisione notatis quæ sequuntur præsentiam originalis quidem, at non, possunt si sint in anima illud inferre, neque vt præsens, neque vt præterium; quare etiam si dicatur, quod Beatissima Virgo habeat fomitem peccati, & corruptibilitatem carnis, non continuo sequitur, quod habuerit peccatum originale; nam aliqua maxima deformitas est in culpa originaria, quæ non inuenitur in fomite præsertim ligato; vnde plures Theologi censent quod possit assumi natura humana à Verbo cum fomite permanente in ipso, nulla autem ratione potest assumi natura cum peccato originali secundum sua formalia præsenti in anima. quæ omnia vt patet, necesse est præscire in hac materia, vt probe teneatur, quid possit inferre, vel tollere Conceptionem Immaculatam Virginis; quod in præsenti esset ad eam comprobandam, ostendere, quod in B. Virgine nunquam fuit fomes, neque ligatus; sed à primo extinctus, vel ex eo quòd non fuit in ea corruptibilitas carnis vt pœna sua, sed mere materialiter ad meritum, sicuti similiter fuit in Christo. Contra quando quis assumeret, & assereret; in B. Virgine fuit fomes, vel corruptibilitas carnis, vt pœna peccati Adæ, non continuo confundus est posse inferre, quod fuerit in B. Matre originale; nam aliqui Theologi censuerunt, vel censere possunt, sicuti censuit S. Bernardinus, quantum aliqua verba eius sonare videntur, & in expositione salutationis Angelicæ videri & legi possunt, quod in Virgine fuit fomes ligatus) cui sensui non acquiescimus vllo modo & oppositum ostendemus in vltimis opusculis) & tamen ipse censet euidentissime, quod in SS. Virgine non fuit originale, & recte de cetero argumentaretur aliquis, si ostenderet Beatissimam Matrem non habuisse vnquam fomitem, neque corruptibilitatem carnis, vt pœnam propriam, & ex hoc inferret non habuisse originale, quia fomes, & eiusmodi corruptibilitas sunt indiuidui comites originalis, & vbi ipsum inuenitur, non possunt non inueniri, licet non contra rem se habeat, vt ipso abeunte, & ipsi recedant vel si ij sint, fuerint saltem pro aliquo signo originale in anima ex necessitate; quare sunt hi duo notandi vt comites necessarij, & indiuidui originalis; non autem originale sit comes ipsorum seu habet semper eos secum: quæ omnia recte hic præponuntur, vt qua ratione sit in re hac procedendum, statim appareat.

2 Notandum tamen hic est vt paulo ante annuimus, hanc doctrinā, à nobis traditā, non quia eam omnino approbemus, sed qui loquimur iuxta ea, quæ philosophantur plures Theologi qui censent, vel censere possunt SS. Virginem, non contraxisse originale, licet concedant, quod habuerit fomitem ligatum: at multo probabilius nos existimamus, quod posito præsertim quod ipsa originale non contraxit, neque fomitem vllo modo habuit; quia fomes in natura humana, vt condita secundum præsentem ordinem, non habet aliam causam, nisi originale, & si originale de est, non est caput vnde concedatur esse in homine: quare si Eua peccauisset, Adamo non peccante, filij qui nascerentur ex ea, vtique cum iustitia originali nascerentur, & sine vllo fomite esto de reliquo corruptibiles nascerentur ex corruptione, quam traherent ex matre, vt notauit S. Thomas in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. in quibus corruptio non haberet rationem pœnæ peccati proprij, sed esset

persistentia

persistentia pœnæ Euæ delinquentis, & non suorum posterorum, quare in filios transfunderetur, non vt pœna eorum, sed vt pœna matris, à qua filij non reciperent, nisi quod ipsa habebat, & eo modo, quo ipsa habebat. Hanc autem doctrinam vltimam non omnino approbamus, nam ipsemet S. Thomas alio loco contrariam docuit videlicet p. 2. q. 81 art. 5. ad 2. & de hac doctrina nos alibi fusius.

3 Petet autem hic aliquis, quid sit fomes & concupientia dicta, quomodo distinguatur à corruptibilitate carnis. Pro qua re sciendum est quod in fomite potest considerari primum formale eius, & 2. materiale. Formale fomitis seu concupiscentiæ est habitualis quædã dispositio resultans in potentijs animæ sensitiuis concupiscibilis scilicet, & irascibilis, qua pronus & procliuis redditur homo & potentiæ eiusmodi sensitiuæ, ad actus inordinatos, & rationi dissonos, eique repugnãtes, vnde de tali dispositione dixit Apostolus [video aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati] quod fere sit ad Rom. 7. v. 17. & versu 19. atque [non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.] In quibus verbis quamquã videantur exprimi actus, & operationes fomitis & concupiscentiæ habitualis, seu ipsemet concupiscentiæ actuales: nihilominus annuitur & signatur principium illud vnde hi actus prosiunt, quod est fomes proprie de quo nos agimus, qui consistit in actu primo harum operationum & concupiscentiarum actualium, seu motuum in natura & & homine, pullulantium, & non secundum rationem rectam prodeuntium à suis potentijs, neque dependenter & iuxta earum directionem & regulam. Pro qua re vide Expositores, & Patres in hæc loca S. Pauli, qui vnaniniter in hac explicatione conueniunt: & alibi in vltimis opusculis redibit de hac re sermo. Atque hæc quoad formale fomitis.

4 Attendendum est deinde in fomite materiale, seu aliquid quod ipse supponit & habet in carne; nam priorem dictam propensionem & procliuitatem ad actus inordinatos collocatam habet in anima: difficile autẽ est explicare quid sit hoc materiale proprium fomitis in carne residẽs vt de certo pateat quod homo qui fomite liberaretur, deberet in carne aliquam etiam subire mutationem: non enim ea esset sic fœdata & male compacta, sicuti fuisset sub fomite, qui certe debet afferre aliquam intemperiem in ea oppositã illi tẽperamento carnis quod habuit & debet habere homo in natura nõ corrupta & integra. Quare existimandum est, quod hæc intemperies sita sit in mala & inordinata quadam compositione humorum de se, & natura sua inclinantium potentias sentitiuas ad actus inordinatos: nõ enim dubium est quod aliqui humores disponũt hominẽ ad iram, vel aliquam passionẽ ad quam non inclinant alij: & bene vndique tẽperati ad nullam impellunt; qui non solet concedi homini vlli in natura corrupta: vbi censendũ videtur quod hîc locũ habet quod cẽsent Theologi & ex antiquioribus notant aliqui vt præsertim S. Bonauẽtura qui dicũt, quod si ante animationem caro ex qua concepta est beata Virgo fuisset purificata; originale neque in debito proximo ea cõtraxisset ne tẽ fomitẽ per consequens sicut habituta nam cum hæc purificatio non videatur posse consistere in alio quam in hac humorum perfecta temperatione & dispositione in ordine ad actus eliciendos rationi consonos & recte ordinatos proprios potentiarũ sensitiuarũ: proinde bene inordinatio horum humorum dicitur, quod sit quoddam materiale fomitis, quod si desit, taltem connaturaliter loquendo nec fomes consistat. In qua re varia essent explicanda, quæ differimus in alium locum; & hæc præmittimus, quia horum aliqualis cognitio necessaria est ad ea quæ dicenda sunt, sin sequentibus proximis.

5 Restat autem hic dicendum quid importet ab hoc dicto in fomite diuersum corruptibilitas carnis: nam videtur hæc confundi cum materiali fomitis: vbi æstimandum est, quòd licet in hoc eodem materiali fomitis consistat hæc carnis corruptibilitas; nihilominus sub vna acceptione stet pro eo, & sub alia constituat corruptibilitatem carnis: nam eadẽ humorum intemperies vt viuens materialiter ad inordinationem actuum, potest attendi vt radix corruptionis omnis humanæ & malæ dispositionis corporis in vita hominis propter quam potentiæ inferiores sensitiuæ non bene possunt fungi suis muneribus, nec corpus gaudere recta sui habitudine & sanitate, vnde profluunt infirmitates lassitudines morbi varij & similia perturbantia & infirmantia, & ad interitum trahentia vitam hominis, illamque decurtantia. Quo recte patet quid sit fomes & corruptibilitas carnis primi effectus peccati originalis: quos expertus est Adam & Eua, statim à peccato commisso: nam potentiæ sensitiuæ eorum eo ipso instanti quo peccauerunt, amiserunt rectam subordinationem quam rationi præstabant, & præstituæ erant rationi cui omnino subijciebantur: siue in hoc inciderint quia qualitatem quamdam supernaturalem amiserint, vt volunt aliqui, siue quia destituti sunt assistentia Dei & prouidentia eius extrinsecà quã non permittebatur eas insurgere, vel operari contra rationem post instans autem peccati æstimandum est similiter de ordinationem factam in eorum corporibus in ipso actu eorum peccaminoso, nec non in esu pomi vetiti: quare statim post peccatum has pœnas experti sunt & post ipsas, quæ in sequenti declarabuntur.

DIVISIO IV.

De alijs omnibus effectibus deriuantibus ab originali.

1 TVm fomes, cum corruptio carnis sunt, & debent dici effectus originalis, sed quia ij inter alios sunt indiuidui comites ipsius, propterea de eis loquuti sumus seorsim; restat modo vt loquamur de alijs effectibus originalis, qui etiam inueniuntur, quando ipsum non est secundum sua formalia in subiecto; qui sunt rectè explicandi, & discernendi ad nostrum intentum, & quia in vnum ij colliguntur ab Auctoribus cum prioribus dictis, nec priores nos explicauimus in quo consistant; congruum est, vt totum hoc negotium simul hîc peragatur. Pro qua re sciendum est, quod quia, vt supra vidimus ex S. Thoma, peccatum

tum originale secundum ea, quæ adæquatè importat præter essentialia, etiam accidentalia & suum materiale, censetur importare, vt sic adæquate sumptum dicitur esse priuatio iustitiæ originalis, quare eius effectus sunt notandi ex eò quod destruat in homine, dum in eo destruxit originalem iustitiam, & videndum est quid importabat in illo Iustitia originalis; quæ est quoddam aggregatum bonorum supra exigentiã naturæ humanæ sibi soli scilicet relictæ & in suis puris naturalibus consideratæ, cui vt sic iustitiam originalem tribuisse notandum est primò gratiam sanctificantem; & lumen abundãs super naturale, & efficaciam ad progrediendum in vitam æternam. 2. Lumen naturale perfectum ad cognoscendas veritates naturales practicas, & speculatiuas, vel saltem habilitatem sufficientem ad eas de facili acquirendas, nec non etiam facultatem obseruandi totam legem naturalem. Tertiò subiectionem perfectam partis inferioris hominis superioris. Quartò perfectam dispositionem corporis sine vllo dolore, vel morbo, & intemperie humorum. 5. Impassibilitatem ab omni extrinseco; & 6. Inseparabilitatem corporis ab anima, seu immortalitatem; cum ergo peccatum originale sit priuatio Iustitiæ originalis, vt supra notauimus, & essentialiter non sit priuatio talis iustitiæ secundum omnia, quæ dicit adæquatè; sed secundum quod per eam importatur sola gratia sanctificãs: hinc est vt formale eius consistat in priuatione gratiæ vt sic, & materiale priuet ab his omnibus alijs numeratis bonis, & sic causset primò deordinationem in omnibus potentijs; in intellectu per ignorantiam tum supernaturalium; tùm naturalium veritatum. 2. in voluntate imbecillitatem ad benè operandum tum in supernaturalibus; cum in naturalibus actibus perfectis, vincẽdi scilicet graues tentationes, & similes. 3. in parte inferiori deordinationem scilicet in concupiscibili, & irascibili potentia, ita vt independenter à ratione feratur concupiscentia in omne delectabile etiam contra rationem, & irascibilis potentia auertatur à bono, quod esset amplectendum, nec non malum inferat ei, qui delectabilia auertat à subiecto. 4. tollat bonum, & æquam temperiem corporis; vnde profluant morbi, & dolores ex intimis. Nec non vim expulsiuam omnium afflictiuorum, & ingressum patere faciat omnium caussarum ad infigendas pœnas homini aptarum, & 6. aufetat inseparabilitatem animæ à corpore, & causet mortem cum putrefactione, & incineratione cadaueris.

2 Hæc autem omnia numerat S. Thomas p. 2. qu. 85. art. 3. & 9. vbi numerat effectus peccati originalis, distinctos à primo, qui est is, in quo formaliter consistit essentia, & proprium peccati originalis; art. ergo. 3. nominat quatuor vulnera naturæ scilicet ignorantiam, malitiam, infirmitatem, & concupiscentiam; quæ vulnera vult esse primum in intellectu, secundum in voluntate, tertium in Irascibili potentia, & quartum in concupiscibili. In quãtum scilicet eas deordinat. Sic enim habet in corpore. [Resp. dicendum quod per iustitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur, ei subiecta. Hæc autem iustitia originalis subtracta est per peccatum primi parentis; sicut iam dictum est, & omnino omnes vires animæ manent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo materialiter ordinantur ad virtutem; & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subiecta virtutum, vt supra dictum est: scilicet ratio, in qua est prudentia, voluntas in qua est Iustitia; Irascibilis, in qua est fortitudo, Concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ, in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum verò concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera, inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis.] Et addit deinde quod eadem vulnera infliguntur aliquo modo per alia peccata, vt ostendat in his communicare originale cum actuali. Vnde ait. [Sed quia inclinatio ad bonum Virtutis in vnoquoque diminuitur per peccatum actuale; vt ex dictis patet; & ista sunt quatuor vulnera ex alijs peccatis consequentia, in quantum scilicet per peccatum & ratio hebetatur præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum; & maior difficultas benè agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.] Id quod autem vnitim hic tradit de his effectibus originalis peccati, sparsim tradit alibi scilicet, *in libro sent. & in quæstionibus disputatis qu. 5.* & est communis assertio Theologorum; pro qua legi potest Suarius, *p. 2. disp. nona de Peccato originali.*

3 *Art.* autem 5. recenset S. Thomas alios duos effectus originalis, qui sunt mors, & defectus corporales; quos nos distinximus in duos, scilicet in dolores & in deordinationem perfectæ temperiei corporis, quæ sæpe non affert dolorem; & pœnam; sed est radix morborum & dolorum; & vt sic ad originalis pœnas illas reducit S. Thomas, qui ita habet in corp. art. 1. [Resp. dicendum, quod aliquid est causa alterius vno quidem modo per se, alio modo per accidens; & deinde subdit. [Hoc secundo modo peccatum primi parentis est causa mortis, omnium huiusmodi defectuum in natura humana; in quantum per peccatum primi parentis sublata est originalis iustitia, per quam non solum inferiores animæ vires subdebantur; sub ratione absque omni deordinatione; sed totum corpus subdebatur sub anima absque omni defectu, vt in primo habitum est qu. 7. & ideo suberacta hac originali iustitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum, vt supra habitum est (art. 5. præcedenti, & qu. 83. art. 3.) [ita est etiam corruptibilis effecta per deordinationẽ ipsius corporis. Subtractio autem originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicuti etiam subtractio gratiæ; vnde etiam mors, & omnes defectus corporales consequentes sunt quædam pœnæ originalis peccati; & quamuis huiusmodi effectus non sint intenti à peccante; sunt tamen ordinati secundum iustitiam Dei punientis:] hanc eamdem doctrinam tradit S. Doctor, *in qq. disputatis qu. 5. art. 4. in corpore*

4 Hæc autem omnino notanda sunt ad nostrum intentum, nam ex eiusmodi affectibus originalis arguunentantur Aduersarij ad maculandam Conceptionem, & ex eisdem hoc vel illo modo locum habentibus vel non habentibus in ipsa, ostendemus nos eam fuisse Immaculatam. Quare fuit necesse hos effectus omnino distinguere, qui sunt effectus vniuersales & competentes cuicumque homini, præter quos sunt alij, qui sunt peculiares in sexu fœmineo, quos non possumus numerare, vt competentes toti naturæ humanæ; recte tamen & omnino dicendi sunt causati à peccato originali in dicto solo sexu, quia eius conditioni sunt proportionati. Hi sunt grauedines Conceptionis filiorum, & morbi inde deriuati, dolores partus, sordes corporis, & similes, quæ specialissimè ab originali causata fuisse testatur Scriptura *Genesees.c.3.* vbi Deus ipse has pœnas & hos effectus intimauit Euæ, & in Eua omnibus mulieribus concipientibus, & parientibus, dum ei dixit [Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries filios] quæ omnia cum non competissent huic sexui, si originale non contraxissent mulieres, manifestum est, quod etiam ij sint effectus peccati originalis, & aliquo modo magis eius proprij, dum ij ita signanter a Domino Deo fuerint ab initio euulgati vt proprij eiusmodi peccati. Id quod notaui, quia rectissimè ex eorum negatione, & incompetentia Virgini, poterit in ea inferri negatio originalis peccati, vt suo loco videbimus.

DIVISIO V.

An deriuans originale in posteros indigeat aliquo delatiuo, seu virtute à se distincta ad illud deriuandum & vnde hoc delatiuum habeat hanc vim.

1 EXplicatis ijs, quæ concernunt ad peccatum originale deriuatum siue essentialiter, siue accidentaliter, nec non prius traditis, quæ pertinebant ad principale eiusdem generis deriuatiuum, quod in casu nostro est Adam, a quo transfunditur, & posteros, in quibus transfunditur. Restant videnda duo sc an inter deriuatum originale, seu Adamum, & posteros, ad quos originale deriuatur, ipsumque peccatum deriuatum, mediet aliquod delatiuum eiusdem originalis. Quod se teneat vel ex parte deriuantis, vel ex parte eius, ad quod deriuatur; ita vt V. G. deriuans originale seu Adamus, non possit illud trasfundere nisi medio aliquo inter ipsum & posteros, & posteri, in quos deriuatur, prius debeant saltem intelligi vltimo constituti per aliquam priorem rationem ad recipiendum originale in re, & sic vel vna, vel duæ rationes medient inter Adamum & posteros, antequam hi intelligantur contrahere originale in re; quo tradito nihil amplius restat explicandum pro hoc proposito. In præsenti Diuisione examinabimus primum punctum, in sequenti secundum.

2 Et quoad primum sciendum est, quod posito, quod posteri Adæ peccauerunt in ipso, modo iam dicto non propria voluntate, sed aliena, neque existentes in se ipsis, sed in sua caussa, & vt sic non possint in re dici contrahere originale quia non sunt: queritur an posito quo deinde ij existant & incipiant esse in mundo per creationem animæ, & formationem corporis, ex hoc ipso solùm in eis proueniat contractio peccati originalis in re, nec præterea aliquid aliud requiratur, & per consequens mediet, quod præsertim se teneat ex parte Adami ad transfusionem dictam originalis; quia ex vna parte videtur quod in tantum quando peccauit Adã, & ipsi in eo peccauerunt, non contraxerint originale in re, seu maculam & habituale peccat, quia non existebãt; Vnde quando primũ intelliguntur existere, debẽt intelligi illud contrahere; nec requiritur aliquod medium quod se teneat maximè ex parte ipsius Adam. Contrà verò aliquid omnino videtur debere intercedere; quia posteri Adam in tantum possunt supponi peccauisse in Adamo, in quantum in eo continebantur vt in suo genitore in causa, seu in quantum erant nascituri eius filij: mera autem existentia ipsorum post Adam non fecit eos filios Adæ, nisi ab eo processerint per naturalem generationem, atque adeo debet omnino intercedere hæc generatio posterorum ex vi ipsius ad hoc vt in ipsos transfundi ab Adamo possit originale peccatum; quod est omnino tenendum ex communi sensu Theologorum, & Patrum. Vndè primò non sufficit mera existentia posterorum Adam ad contractionem dictam, sed debet esse ex vi, & descendentiã Adami; & rursum neque ista qualiscumque descendentia sufficit, qualis V. G. fuit illa, quã originata est Eua à costa Adami, quæ verè non potuit dici filia Adami, licet de eius carne procreata, nam non processit ab eo modo naturali, & per virtutem generatiuam, sed ad hoc requiritur, quod is, in quem transfunditur originale, procedat ex Adamo, & generetur via naturali, & det semen decisum à Patre, & coniunctum cum sanguine matris destinato ad generationem, vt inde dicatur; & sit filius Adami, & capax dictæ transfusionis. Quæ doctrina est communis omnium Theologorum, nec est probanda, sed potius hîc supponenda; licet de reliquo ratio sit in promptu cuilibet aliqu antulum ratiocinanti; nam in tantum potest aliquis contrahere peccatum, quod verè non commisit propria voluntate, in quantum eius voluntas potest censeri fuisse in voluntate alterius; atqui si vna persona non continetur in alia, tamquam in naturali caussa, sicuti solus filius continetur in patre; non potest æstimari, quod eius voluntas sit in voluntate alterius, atque adeo non potest in eo intelligi peccare, nec per consequens contrahere maculam peccati aliena voluntate commissi. Quare à primo ad vltimum debent intelligi posteri Adam generari, & procedere ab eo per vim generatiuam modo naturali, si debent originale contrahere, & per consequens perspicuum est hoc medium, quod debet intercedere inter Adamum deriuantem originale, & posteros eius ad hoc vt originale in eosdem posteros transfundatur. Explicandum ergo est hoc medium, quod potest intelligi duplex; & primum ipsum semen decisum

à Patre

à Patre coniunctum cum sanguine matris, & rursum actio illa, quæ causatur à virtute actiua seminis tendens & complens organizationem corporis, & disponés illud ad introductionem animæ; si autem quæratur an in his duobus diuisim, vel indiuisibiliter relideat delatiuum originalis, etsi hæc quæstio non soleat fieri à Theologis, tamen potiùs videtur dicendum secundum; nam si semen humanum non ageret ad disponendam materiam, non generaretur homo modo naturali, atque adeò non esset ipsum delatiuum aptum ad transfusionem originalis, & per consequens dicendum est, quod vtrumque requiratur indiuisibiliter.

3 Quibus traditis, Dico, quòd certum esse debet primò quod physicè loquendo ad hoc vt ab Adamo traducatur originale in posteros, nihil aliud requiritur, nisi semen illud decisum à viro, & transfusum in vterum matris, quod actiue operetur, & disponat ad integram corporis organizationem; nam nihil aliud potest intelligi, quod debeat intercedere, neque aliquid aliud vere potuit homo ad generationem alterius hominis, vt patet; vnde si quid medium debet intelligi, quod traducat originale, hoc non potest physicè loquendo consistere nisi in dicto semine.

4 Rursum hoc ipsum potest ostendi, quia quemadmodum semen est, & intelligitur esse instrumentum, & causa instrumentalis generantis hominis in ordine ad hominem genitum; ita pariter ipsum potest intelligi & esse instrumentum & causa instrumentalis traductiua originalis ex causa principali sc. Adamo in posteros eius; nam secundum id delatiuum debet ipse Adam traducere originale, secundum quod causat, & quo vtitur ad generandum hominem, sed tale est semen, per quod generans generat genitum, ergo per ipsummet semen debet intelligi traducere originale peccatum, nec in aliud potest refundi ista vis traductiua originalis, vt bene probat & late S. Thomas p. 2. d. 19. qu. 83. ar. 1. in corpo. vbi ait. [Respondeo dicendum, quòd aliquid potest esse in aliquo dupliciter, vno modo sicut in causa principali, & instrumentali, alio modo sicut in subiecto. Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam, sicut in prima causa principali secundum illud Apost. ad Ro. 5. in quo omnes peccauerunt, in semine autem corporali est peccatum originale sicuti in causa instrumentali, eo quòd per virtutem actiuam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana:] & qu. 81. art. 4. in corp. notauit S. Thomas sicut & alibi [peccatum originale à primo parente traducitur in posteros, in quantum mouentur ab ipso per generationem.]

5 Sed quæres qua ratione semen dictum est delatiuum originalis per aliquam qualitatem forsasse, aut quid simile.

6 Pro qua re Dico 2. semen non est delatiuum originalis neque per qualitatem, nec aliud simile, sed merè habet hoc fundamentaliter & physicè; quia est instrumentum generationis: & moraliter, quia in tantum Adamus transfundit originale in posteros, in quantum eos generat, & per consequens instumentum quod generat ipsum etiam moraliter intelligitur esse medium instrumentale ad transfusionem originalis.

7 Prima pars conclusionis rectè probatur à Suario loco cit. quia hæc transfusio originalis non est aliquid physicum sed morale, atque adeo non requirit qualitatem moralem; id quod ostendetur fusiùs in vltimis Opusculis, & modo hæc veritas supponenda est vt certa contra Capreolum.

8 Prima pars Cõclusionis patet quia quemadmodum Adam est causa principalis generationis posterorum, ideo est causa principalis traductionis peccati originalis in quantum in eo omnes posteri erant secum vnum; ita quia semen est causa instrumentalis generationis per illud, per quod generat, censetur moraliter traducere originale; nisi enim ipsum intercederet inter Adamum & posteros, & posteri V.G. nascerentur, vt notat S. Tho. ex digito vel manu, aut costa, non contraheret originale. rectè ergo dicitur semen esse traductiuum originalis moraliter tanquam causa instrumentalis modo dicto; id quod disp. sequ. explicabitur magis ex S. Tho. Et patere res hæc potest manifestè, quia vt modo subdemus, semen hoc, habet hanc vim delatiuam originalis ex pacto, seu quasi pacto, quod contraxit Deus cum Adam; nisi enim istud intercederet, non haberet hanc vim moralem, vnde in alio ordine rerum, & præciso hoc pacto filij, qui nati fuissent ex Adam, ipso etiam peccante, non contraxissent originale.

9 Quæri autem vltetius hic potest ad rectè percipienda sequentia, an semen delatiuum originalis habeat aliquas conditiones particulares, quas non habuisset in statu naturæ integræ, & se ipsum reduceretur ad primas conditiones, an esset delatiuum originalis, & vnde proxime ipsum fit tale vt sit traductiuum dicti peccati.

10 Pro hac re. Dico 3. quod semen habet hanc vim traductiuam peccati originalis, quia procedit ex concupiscentia habituali, seu fomite. Quare si in hora generationis parentes haberent, vel habuissent fomitem extinctum, & sanatum, nec illud semen procederet ex habituali concupiscentia, posteri eorum non contraherent originale, neque eiusmodi semen esset delatiuum originalis.

Probatur Conclusio; primò ex ratione, quia tale debet generans generare quale ipsum est, sed si generans generaret sine concupiscentia habituali, generaret vt sanatus & integer in natura, sicuti primo creatus est Adam, ergo deberet generare similiter sanum in natura, & similem sibi sine concupiscentia habituali, & cum fomite extincto, atque adeò sine originali. Ex quo rectè deducitur à posteriori, quòd via traductionis originalis est generatio per semen naturæ corruptæ non sanatæ, & per consequens nisi ipsum procedat ex concupiscentia habituali non est transfusiuum originalis.

2. Probatur maximè pro Aduersarijs auctoritate Sancti Thomæ; qui ait quod si per impossibile Sanctissima Virgo genuisset filiũ post Incarnationem Verbi ex Patre, qui haberet fomitem extinctum sicuti ipsa extinctum illum habuit, filius iste vel filij non contraherent originale, quia natura eorum sanata non produceret nisi filios sanos, & non corruptæ naturæ. Verba S Thomæ sunt hæc 1. in 3.

DIVISIO VI.

An detur aliquid veluti delatiuum intrinsecum originalis peccati formaliter sumpti, quo intercedente ipsum contrahatur in re, & secundum sua formalia ab ijs, in quos deriuatur.

1 INuestigauimus delatiuum, seu traductiuum peccati originalis, quod se tenet ex parte deriuantis originale, seu ex parte Adami. Restat modo inquirendum de aliquo veluti delatiuo intrinseco in eo subiecto, in quod deriuatur idem originale, scilicet in posteris Adæ. Quod ex eo difficultatem habet, quia non videtur quod posteri Adami, quando primum intelliguntur esse in mundo pro instanti creationis animarum suarum, intelligantur immediate affecti peccato originali secundum sua formalia sumpti, sicuti ea explicauimus: quia si hoc ee sit, deberet censeri impossibile, quod aliquis in prima infusione animæ eius, hoc stante, excideretur à lege cõtractionis peccati originalis secundum sua formalia, atque adeo impossibile esset, quod Deus pro illo primo instanti infunderet in animam suam gratiam saltem efficiendo, quod huiusmodi gratia tolleret, seu non sineret peccatum originale importare filiationem iræ, & odibilitatem Dei in subiectum, & similes rationes, quod est falsissimum & contra sensum communem ipsorum Aduersantium; de qua falsitate aliàs agemus, vbi eam demonstrabimus, & modo res hæc videri potest in Suario 1.p. to. 2.d. 11. sect. 1.

2 Constat autem quod si posteri Adæ in prima receptione sui esse per creationem animæ, intelligerentur affecti formalibus peccati originalis, non posset Deus aliquem excipere & creare sine peccato originali, quia in tantum hoc verum esset, in quantum pactum cum Adamo debuisset esse tale, quod posito quod ipse peccaret, Deus decreuisset tollere gratiam ab omnibus posteris Adæ immediatè, & absolutè noluisset remissionem eiusmodi noxæ in nullo prorsus, qui esset ab Adamo per naturalem generationem deriuatus; quo stante decreto, vt pote absoluto, & sub nulla conditione non posset euenire remissio talis noxæ in eiusmodi Adæ filio, & per consequens impossibile prorsus esset quod aliquis excideretur à contractione originalis dicti secundũ sua formalia accepti. Quod cum falsum esse iam suppositimus, liquidò constat, quod pactum cum Adamo non fuit, neque potuit esse de non remittendo vlli suo postero eiusmodi peccatum, neque de negando cuicumque gratiam suam absolutè & definitiuè, sed omnino de non danda gratia extra promissionis factæ Adamo; vt scilicet si eam vellet dare, eam daret ex mera sua liberalitate, itaut omnino posteri omnes Adami ex hoc ipso amitterent ius, quod habuissent in gratiam, si Adam non peccauisset, & essent obnoxij eiusmodi priuationi gratiæ, seu haberent debitum, & obligationem contrahendi illam, & remanendi sine gratia ex eo solo capite quod peccauerit Adam & ij in ipso, vti dictum est

3 Vbi notandum est, quod verè filij ex pacto cum Adamo possunt intelligi habuisse & amisisse ius ad gratiam duplici modo; vno modò quando scilicet impleuisset Adam omnes conditiones, quas requirebat Deus ad impletionem promissionis suæ, & hoc modo posteri Adæ eam que habuerunt, neque amiserunt ius ad recipiendam gratiam in prima infusione animæ eorum. Alio modo possunt intelligi idem Adæ posteri habuisse & amisisse ius ad eiusmodi gratiam veluti inadæquatè, quia quantum erat ex parte Dei, erat paratus dare gratiam eiusmodi, & per ipsum non stetit, quin ipsam dederit, & sic omnino ipsi erant capaces facti eiusmodi gratiæ quod fuit habere quoddam ius inadæquatè ad talem gratiam, quod deinde amiserunt, quando per peccata Adæ quod erat etiam ipsorum, facti sunt incapaces quantum ex se talis gratiæ; & sic rectè dici potuerunt tum habuisse, tum & amisisse ius ad gratiam.

4 Dicendi item sunt habuisse ius ad gratiam posteri Adæ, quia primis initijs creationis suæ Adam bene se gessit erga Deum, & eius opera recensiti sunt filij eius illo eodem tempore bene se gessisse cum Deo, atque adeo positiuè, & inadæquatè, seu ex parte impleta conditione acquisiuisse posteros eius ius ad gratiam, quam cum amiserint ex negatione adæquatæ impletionis, rectè dicti sunt perdidisse ius ad gratiam eo modo, quo iustus, qui habet gratiam habet ius ad gloriam, non adæquatum, & absolutum sed nisi eandem gratiam amiserit, & peccauerit, & eo peccante amittit hoc omne ius ad gloriam; ita pariter bene dicuntur posteri Adam habuisse & amisisse ius ad gratiam, quia ex parte impleta conditione ab Adamo, ipsi debebant recipere gratiam, si ipse non peccauisset: quare eo peccante omnino dicendi fuere amisisse ius ad gratiam, non quidem adæquatè & inamissibiliter acquisitum, sed inadæquatè, & amissibiliter, vt dictum est.

5 Sed hîc petes primò an ex natura rei sequitur, vel sequuta est in posteris Adæ hæc obligatio contrahendi originale absque eo, quod voluerit positiuè Deus quod ipsi amiserint hoc ius ad gratiam, vel ex eo quòd ipse voluerit per actum positiuum, quod amitterent illud. Ad quod breuiter Dico quod omnino requiritur ad contrahendam obligationem originalis, & ad amissionem iuris ad gratiam, quod Deus decreuerit non dare gratiam ex vi operum Adami, hoc autem actu posito ex natura rei posteros Adæ amisisse, & amittere ius ad gratiam, licet non videatur implicare, quod Deus etiam directè & positiuè posito peccato, potuisset & posset velle, & causare amissionem istius iuris ad gratiam.

6 Vtraque pars huius dicti probatur breuiter; & primo prima; quia posita hac voluntate Dei de non danda gratia posteris Adæ in casu dicto, ea dicenda est, & iustissimè denegans gratiam, nec non de reliquo nullo alio actu voluntatis Dei intellecto ex se ipso surrexit in posteris Adami demeritum eam non habendi, neque hoc posito ex voluntate Dei prouenit hoc demeritum. Ergo & hæc iuris amissio præcisa alia voluntate Dei, ex natura rei sequitur; nec ab ea pendet immediate & posito hoc demerito

merito non potest intelligi stare cum eo eiusmodi ius; atque adeo omnino ex se ipso debet intelligi expulsum, & deperditum moraliter. Secunda autem pars conclusionis probatur, quia sicuti potest Deus commisso peccato, directè velle priuare hominem gratia sua, etiamsi gratiâ hac ablatâ ab homine indicat rationem peccati, non ex se ipso Deo vel eius voluntate, sed ex natura rei; ita pariter ex peccato præcedente, & ad illud respiciens Deus; bene ipse posset & iustè tollere eiusmodi ius ad gratiam, quod est aliquid minus, atque adeo priuare hominem illo: esto deinde subsequatur in homine obligatio contrahendi peccatum originale secundum sua formalia.

7 His positis iam distinguenda sunt duo in eo qui contrahit peccatum originale in re, & secundum sua formalia & propria sumptum & primum iam patet esse hanc obligationem, quam habet is anteeedenter ad actualem eius contractionem, subiectionis ad ipsum in re, & secundum rem est eadem ipsa subiectio actualis eiusmodi peccato. Et primum certè videtur esse quoddam delatiuum secundi, nam ex eo prouenit secundum in contrahente originale. Vbi etiam aduertendum est, quod hoc delatiuum peccati originalis in re & propriè sumpti, quod est obligatio, seu obnoxietas dicta, sæpe induit nomen peccati originalis, imo & maculæ, & inquinamenti originalis, vt aliàs *infra* videbimus; & probabimus latè eo modo, quo sæpè actus primus induit nomen actus secundi, & sic dicitur ridere, lugere, ratiocinari esse proprium hominis, cum pro hac proprietate intelligatur potentia ridendi, lugendi, & ratiocinandi; licet reuera hæc dicta obligatio tale quid formaliter non sit, sed merè radicaliter. Vnde solet dici ab Auctoribus peccatum originale in debitrice potentia, quod idem est ac peccatum tale radicaliter, vt frequens est apud ipsos Aduersarios, præsertim apud Commentatorem S. Thomæ vt infra notabimus, & referemus eius verba.

8 Vt autem hæc omnia bene distincta esse pateat; aduertenda est hæc obnoxietas contrahendi originale, seu debitum peccati originalis tum in Scripturis, cùm etiam in Patribus; nam quoad Theologos passim apud omnes etiam ipsos Aduersantes inuenitur hæc distinctio, & duplex acceptio peccati originalis; difficultas solum est in ostendenda dicta obnoxietate & debito, vt distincto à formali peccati originalis; quia peccatum ipsum originale formaliter sumptum est apertissimè euidens, nõ sic apparet maximè in Scripturis hæc obnoxietas. Quãtum ergo ad dictam obnoxietatem, ea videtur aduerti posse in Scripturis, prima in S. Paulo ad Rom. 5. v. 15. vbi dicitur, [vnius delicto in omnes homines in condemnationem]: nomen enim cõdemnationis significat propriè non mulctam ipsam, seu culpam, & originale transfusum, sed destinationem, & obnoxietatem, & obligationem ad illud, sicuti dicitur de damnatis ad mortem, quod scilicet eam deberent subire, non quod merè vt sic subeant. Similiter dum dicitur, [Vnius delicto peccatores constituti sunt multi,] sicuti non dicitur, peccantes constituti sunt multi; ita significatur non esse sermonem de peccato actuali Adam, vt communi omnibus posteris; & vt actuale posterorum in illius voluntate, & per consequens videtur formalis sensus Scripturæ versari circa aliquid, quod in singulis hominibus existentibus per modum habitus delictum primi hominis causauit, quodque eos denominat peccatores seu obligatos ad contrahendum peccatum, non illud completè habentes hoc autem causatum moraliter, & primum causatum à peccato Adæ vt communi omnibus eius filijs, non est macula dicta priuationis iustitiæ originalis, nam hæc deriuatur in hominem mediâ hac obligatione & obnoxietate ad illam; quare dum dicitur (vnius delicto peccatores constituti sunt multi) videtur significari formaliter, id quod procedit immediate in posteris Adæ à peccato primo, quod non est nisi dicta obligatio. Dum enim dicitur (vnius delicto peccatores constituti sunt multi) exprimitur id, quod homines, qui de reliquo primo poterant solum dici peccantes, fecit & constituit illos; vt peccatores autem constituti sunt multi formaliter per dictam obligationem, etiam præuisa macula habituali priuationis iustitiæ originalis. Vnde Sanctissima Virgo explicatur ex Chrysostomo, & alijs recte dici posse, quod fuerit peccatrix, non peccans ex hac mera scilicet obligatione contrahendi originale; nam si quis liberaretur ne contraheret originale in actu, non propterea non posset dici peccator; at si obligationem, & obnoxietatem ad illud non haberet, nulla ratione posset dici peccator, etiamsi de reliquo (si hæc duo tamen possunt separari) peccauisset in Adam, & eiusmodi debitum deinde non contraxisset, quod aliqui putant possibile: alij contra, scilicet hæc duo separari non posse contendunt, vt Suar disp. q. sect. 4. num. 24. de quo nos disputationibus vltimis huius Operis.

9 Alij item hanc obligationem contrahendi originale agnoscunt in illis textibus, in quibus posteri Adæ dicuntur mortui sicuti ad Rom. 5. [Vnius delicto multi mortui sunt]: & rursum 2. Cor. 5. v. 14. [Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: vbi volunt hîc non tradi formaliter damnationem ad mortem spiritualem superiùs traditam, sed obligationem quam habet vnusquisque ex filijs Adæ incurrendi in originalem maculam explicatam, quæ est propria & absoluta mors animæ, & congruit explicatio, qua dicitur, [Vnius delicto multi mortui sunt], vt ostendatur id quod facit immediatè delictum Adæ commune posteris; quod est eos damnare ad mortem animæ, eique eos facere subditos pro qua re videndus est Caietanus Opusc. de Concept. Medina 3. part. qu. 29. & alij communissimè.

10 Nec de distinctione huius obligationis & delicti originalis Patres destiterunt agere, & maximè de ea apertissimè locutus est S. Anselmus lib. de Concept. & peccato orig. c. 7. [In Adamo omnes peccauimus; quando ille peccauit, non quia tunc peccauimus ipsi, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas; vt cum essemus, peccaremus:] vbi loquitur de necessitate hac in radice; & de peccato, quod per denominationem extrinsecam, & moraliter nobis annectitur sine nostra personali voluntate, quæ se ipsa ad peccatum concurrat. De obligatione autem contrahendi originale in nobis recepta subdit [Quia ab ipso semine

DISPVTATIO II.

PROLEGOMENA.

De re principali disputanda circa Conceptionem Virginis pro gratia scilicet negata, vel affirmata illi in prima infusione animæ eius in corpus, quæ faciat eiusdem Immaculatam Conceptionem.

1 QVoniam in hac controuersia variæ sunt inuolutæ quæstiones, statim initio ex sunt distinguendæ, & numerandæ, & illa, circa quam totum nostrum versatur intentum, quæ vnica est, debet omnibus alijs postpositis, seligi & signari, vt in eam omnē scopū nostrū figamus & figatur ibidem lectoris intentio ad gloriam sanctissimæ Virginis, & Immaculati Filij eius, qui hoc ipso congruentissimè genitus est ex Imaculatissimâ Matre, præseruatâ ab omni vmbrâ peccati, nec vmquam permissa deijci in originalis immanē barathrum, licet ab illo deindè extracta. Duabus autem diuisionibus concludemus hanc disputationem; ostendendo, scilicet primò quæ & quot possent quæri in hac materia, & inter quæ nos obtutum figemus circa primam animationem Deiparæ præditam vel non præditam gratiâ Sanctificante, & quia non dubitamus sicuti modo non dubitat Ecclesia saltem actuali formidine de vero sensu affirmatiuo habendo circa hanc rem, & propterea maximè quærimus in quo gradu certitudinis sit æstimanda esse hæc vera sententia; proindè distinguendi & numerandi sunt varij hîc gradus certitudinis, qui possunt inueniri in aliquo sensu, & doctrina Theologica, quod conficiemus *Diuisione* 2.

DIVISIO I.

Distinguuntur variæ Quæstiones, quæ in hac materia possunt exagitari.

MVltiplices Quæstiones sunt; quæ positis dictis de originali in genere, & modo, quo ipsum possit tolli, & auerti ab aliqua anima: institui possunt de Sanctissima Virgine, & primo an ea inclusa fuerit in pacto Dei cum Adam, si ipse non peccaret: Secundo an fuerit inclusa ad contrahendum consequentiâ peccatum, si ipse peccaret, & an statutum de ea sit quid in pœnam peccati pro tali casu, Tertio an aliquo modo voluntas Virginis fuerit posita an Adamo, vt quidquid ipse fecisset, censeretur factum à Virgine, quemadmodum id dicitur de ceteris posteris Adæ. Quarto, si concedantur hæc omnia de Virgine, quod scilicet eius voluntas fuerit in Adæ voluntate, & quod recensita fuisset peccare, & non peccare cum Adamo, eoque peccante, quod ipsa in Adam peccauerit; an posito peccato Adami, & eius peccato in Adam; an caro eius primo incipiens organizari; vel Quinto in fine talis organizationis: vel Sexto ante organizationē primam in parentibus fuerit sanata, & aliquā sanctificationem eiusmodi habuerit. vel Septimo an in primò instanti infusionis animæ suæ, ipsa in quodam priori naturæ intelligenda esset habuisse debitum contrahendi maculam originalem in actu, per quam redderetur odibilis Deo nec ne, & Octauo denique an de facto concedenda sit in eadem Virginis macula hæc dicta, ita vt per eam ipsa reddita fuerit etiam rea mortis æternæ; etiamsi per metum primum instans infusionis animæ suæ.

2 Quibus Quæstionibus recensitis circa ea, quæ possunt controuerti de Virgine circa originale peccatum; aduertendum quod totidem similes Quæstiones possunt fieri circa eius sanctificationem; ita vt quæratur an ipsa dicenda esset immunis ab ista vltima contractione originalis, ex eo quòd voluntas eius etiam posito, quod fuerit contenta in Adami voluntate, si Adam non peccaret; vel posito quod fuerit contenta si ipse peccaret, vel Tertiò quia eius voluntas fuerit aliquo modo in voluntate Adami, vel Quarto etiam posito quòd contraxerit debitum, aut contra, diceretur non contraxisse originale, vel concessis primis quatuor punctis de ea; sed vel omnibus aut aliquibus absolutè negatis. Nos verò in præsenti omnes istas controuersias reijcimus in vltima Opuscula istius Tractatus, & in hac prima, sicuti & in secunda sumimus merè examinandum, an sanctiss. Virgo contraxerit maculam vltimam originalis peccati pro primo Instanti infusionis animæ, vel non, & an in eo instanti recepcrit gratiam, etiamsi pro posteriori naturæ ad debitum, quod intelligeretur contraxisse de talis maculæ contractione pro priori naturæ.

3 Aduertimus tamen quòd etiamsi celebris quæstio, quæ nostro hoc tempore exagitatur sit hæc vltimo notata; celeberrima tamen & potior, quæ antiquiori tempore, & præsertim illo Bernardi exagitata est, fuit illa, qua quærebatur, an B. Virgo fuerit sanctificata, seu præseruata, ne incurreret originale per sanctificationem factam in carne eius, antequam ipsa animaretur, vel in principio, vel in progressu organizationis corporis eius. Vnde in antiquioribus Theologis. & præsertim in S. Thoma inuenitur frequenter repetita hæc quæstio an B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem, sic S. Anselmus dūplicem Conceptionem distinguit in Virgine, carnalem ex prima seminum mixtura prouenientem, & aliam in prima animatione sui. Vbi etiamsi sciamus quod aliqui eo tempore voluerint Conceptionem Virginis carnalem, & stantem pro organizatione corporis sui, fuisse Sanctam, non tamen scimus

quo

quo pacto eam Sanctam voluerint, vel scilicet quia in Adam noluerint Virginem peccasse, vel quia in ipso contentam, aut quia aliquo alio modo sanctificationis caro eius fuerit affecta antequam animaretur, nec rursum habemus nostros Auctores, qui pro hac tali sanctificatione steterint; solum habemus quod S. Anselmus voluerit vtramque Conceptionem esse celebrandam, carnalem scilicet & spiritualem, & ostendit, quod aliqui spiritualem tantum facilius celebrabant, non item carnalem, quod ipsis Sanctus permittebat dummodo in celebratione festi Conceptionis Virginis persisterent sine vera, & propria macula peccati in anima eius primò corpori infusa.

4 Solum autem hic notandum est, quod qui senserunt Virginem sanctificatam fuisse ante animationem, ex hoc ipso abstulerunt á Virgine debitum contrahendi originalem maculam in actu, quod ex infectione carnis iam sanatæ resultare non poterit.

5 An autem peccatum in Adamo abstulerint, incertum est, sive de cetero hoc peccate in Adam sit merè ipsum peccatum Adam prout capitis omnium hominum, neque intrinsecè pertinens ad peccatum originale posterorum; sive aliquid aliud, de quo in fine huius Tractatus agemus.

6 Pro intelligentia autem Quæstionis celeberrimæ de Virginis sanctificatione, si præfuerit nec ne ante eius animationem, scias tam etiam est, quod supposito dicto de infectione carnis, quæ ex Adam provenit per seminalem rationem, visum est aliquibus non fuisse conueniens, quòd caro illa, in quam infundenda erat anima B. Virginis, & ex qua deinde formandum esset corpus Christi Domini veri Dei, esset similiter infecta sicuti cæteræ posteritatis Adam; vnde etiam deinde infiueret animam sanctissimæ Virginis, & faceret eam debitricem contrahendi originale in actu. Quare in quæstionem posuere, an huiusmodi caro etiam ante infusionem animæ fuerit sanctificata, ac proinde quod de eius sanctificatione vt sic fuerit celebrandum festum Conceptionis: hos autem videntur rationabiliter ipsi quæsiisse, quia cum B. Virgo varijs reuelationibus & miraculis eiusmodi reuelationes confirmantibus, fecerit introduci, & præceperit celebrari festum Conceptionis vt constabit ex infra dicendis ex S. Anselmo & alijs: merito Dubium apud eos exortum est, an huiusmodi festum caderet celebrandum supra organizationem corporis Virginis, vel supra infusionem animæ in corpus eius; & quidem, cum aliqua probabilitate potuerunt existimare quod festum caderet supra organizationem corporis ex eo, quod Virgo præceperit eiusmodi festum sub nomine Cõceptionis. Conceptio autem primò & per se videtur importare organizationem corporis; præterea cum tale festum præceperit celebrari die octauo Decembris, quo ab non nemo communiter loquendo habuisse animam infusam in corpore, cum nata sperit octauo Septembris, & proinde octauo Decembris, primò incepit organizari corpus tuus, quod ad sui formationem, & introductionem animæ requirit ad minus quadraginta quinque dies in masculis, & octoginta in fœminis; consequens hinc visum est, quod sanctissima Virgo voluerit celebrationem non primæ infusionis animæ suæ in corpus, sed de formatione prima sui corporis, quæ cum in ceteris non sit sancta, sed in peccato, intulerunt, quod in ea Sancta debuerit esse, vt pote celebranda, atque adeo sanctificationem Virginis posuerunt ante animationem corporis eius. Contrà verò alij attendentes Scripturis, quæ vniuersaliter loquentes, cuilibet descendenti ex Adamo dederunt contractionem peccati originalis, ad earum verificationem putauerunt nulla ratione Conceptionem hanc, quæ erat per seminalem rationem Adamo, posse eximi à peccato originali, si non formaliter sumpto, vt pote non habente subiectum proportionatum, quod est anima, saltem materialiter sumpto, quatenus diceret carnem Virginis, ex qua formabatur corpus eius, esse talem, quæ esset infectiua animæ, & constitutiua illius, vt debitricis contrahere originale in actu, & formaliter sumptum. Vnde concluserunt eiusmodi Conceptionem vt pote tendentem ad eiusmodi cõtractionem in debito, & consequenter (nisi impedimentum supperetet ad contractionem originalis in actu) non posse esse materiam celebrationis festi, atque adeo noluerunt eam celebrare vt sic, sed recurrerunt ad Conceptionem naturæ, videlicet ad illam in suo termino, quando primò infusa fuit anima in corpus Virginis, quæ pro eo instanti censenda esset gratia prædita, & vt sic celebrandum de ea festum Conceptionis. Alij verò de hac gratia sanctificante data pro Instanti primæ Infusionis animæ etiã dubitauerunt, vel etiam negauerũt, scilicet animam Virginis præditam ea fuisse pro tali primo instanti. Verum quidem est quòd apud nullum Auctorem ex antiquioribus, qui solent citari pro maculata Conceptione Virginis stetisse; nec item apud Bernardum, nec Ricchardum, nec apud ipsum Anselmum, qui aliquando dicitur stetisse pro hac sententia, legi aliquem referri; qui diceret, quod in primo instanti infusionis animæ Virginis ipsa fuerit priuata gratia, vel facta filia iræ, & rea mortis; solum alij multùm posteriores hoc vltimum concesserunt Virgini pro eo instanti, quæ omnia *infra* ostendẽtur latiùs, & in præsenti solum modo quæretur, an B. Virgo in primo instanti infusionis animæ suæ in corpus habuerit gratiam sanctificantem, quæ impediret, ne illa esset filia iræ, & sub potestate Diaboli, & subiacens formalibus proprijs peccati originalis.

7 Vbi notandum est, quòd hæc gratia potest intelligi ita data fuisse animæ virginis, sanctissimæ, vt ab illa tolleret debitum contrahendi originale, vel absque eo, quod illud tolleret rursum vt à Virgine tolleret fomitem, vel solùm vt illum ligaret. Tertio vt non solum fomitem tolleret, sed etiam eam liberaret ab omnibus pœnis nobis prouenientibus ab originali, qualis est mors corporalis, & similes, vel ita, vt non liberaret illam à talibus pœnis. Quarto, vt hæc gratia extenderetur ad parentes suos, ita vt ij in Virginis Conceptione habuissent naturam sanatam, & sine fomite; vnde sine libidine tum actuali, tum habituali Virginem concepissent. De quo meminit Sanctus Thomas *in 4. disp. 44.* quomodo si fuisset concepta, certum est, hoc supposito apud ipsum, quod non potuisset contrahere originale; vnde alibi expressè notat, vt annuimus

mus suprà, quod si qui parentes iustitiam originalem contraherent recuperarent, & generarent filios, illi non contraherent originale. Has inquam omnes quæstiones omnino differimus discutiendas in vltimis Opusculis huius Operis, & in præsenti solum controuertimus de prima, in qua solum & duntaxat quærimus de primo instanti infusionis animæ, vt diximus, etiamsi de reliquo in ipso instanti etiam habuerit debitum contrahendi actualiter maculam originalis peccati, & rursum non fuerit liberata à fomite, nec à consequentibus ipsum, & multominus parentes eius liberati essent ab his dictis; solum enim in præsenti nobis sufficit quærere, & inuenire, vt dicemus, cum certitudine saltem Philosophica, quod B. Virgo non fuerit in primo instanti dicto filia Diaboli, sed Deo grata, quidquid tandem sit de reliquis, quæ non possunt habere nostro iudicio tantam certitudinem, quantam habet, hoc vltimum; id quod de reliquo spectat ad summam gloriam Sanctissimæ Virginis, & Filij eius quoque si ei deesset, certe non esset tanta eius gloria, neque Filij eius, vt testatur Summus Pontifex Sixtus IV. vt aliàs videbimus.

8 Vltimò aduertimus expressè, quod etiamsi in his primis Opusculis agamus de certitudine istius solius puncti dicti, nulla tamen ratione illud inuoluimus cum sensu, an in primo instanti creationis animæ Beatissima Virgo gratiam habuerit illam, quæ esset iustitia originalis, & sanasset eius naturam, quia non communis potest esse difficultas de hac re: an posito quod ipsa incurrerit debitum originalis, hoc debitum potuerit habere in natura sanata, & integra, sine fomite. Quemadmodum enim si parentes eius naturam sanctam habuissent, non potuissent Sanctissimã Virginem generare cũ debito originalis, vt testatur Sanctus Thomas expressè; ita dum ipsa naturam integram supponeretur habere, esset dicendum, quod non esset capax vt sic contrahendi eiusmodi debitum; & hæc quæstio aliquo pacto inuoluta etiam esse potest cum aliâ, quam tangit Suares *p. 2. disp. 9. sect. 4. de peccato originali*, an scilicet posito, quod Beata Virgo peccauerit in Adamo an potuerit esse exempta à debito contrahendi originale; quod si diceretur, facile posset dari Sanctissimæ Virgini natura sanata pro primo instanti infusionis animæ suæ; sed hæc nos hîc non curamus, & ne incerta certis inuoluamus; solùm volumus certam esse gratiam sanctificãtem meram Sanctissimæ Virgini, quæ illam ab originali in actu liberet, esto de reliquo pro eo instanti naturam à parentibus suis corruptam acceperit Virgo subditam passionibus suis, nec non etiam morti, & similibus, & post tale instans, vel post tempus constituta fuerit in natura integra, & quasi completam sanctificationem habuerit, quemadmodum videtur sensisse S. Antoninus à Florentia. In hoc ergo solum intenti ad hoc tantummodo properemus, quod ad magnam gloriam Virginis pertinet, si illi præsertim à nullo denegetur, & quod alicui dedecori videtur illi esse si ei non concedatur, scilicet quod pro hoc dicto instanti istiusmodi gratia sanctificans saltem pura & nuda Deiparæ tribuatur.

DIVISIO II.

Inuestigatur qualis sententia possit dici in Ecclesia certa, & qui, quotue gradus certitudinis possint inueniri, quisue maximè inquiritur, sit nec ne in Immaculata Virginis Deiparæ Conceptione.

CErtitudo vnius sententiæ multiplex esse potest in Ecclesia Catholica, & prima est illa fidei, seu quæ inuenitur in credendis de fide, quæ est omnimoda certitudo, & talis, vt qui in eiusmodi credendis dubitauerit, sit hæreticus. Secunda certitudo huic non æqualis, sed valde affinis inuenitur in sententijs, quæ deducuntur manifestè ex ijs, quæ sunt de fide, sed non continentur formaliter in habitis de fide. Tertia certitudo est minor duabus præcedentibus, & inuenitur in propositionibus amplexatis ab Ecclesia vniuersaliter, vel à communi sensu Theologorum, ita vt temere faceret, qui ei contradiceret. Quarta certitudo paulo inferior ista, videtur esse earum propositionum, quæ si non sunt de rebus ita communiter in Ecclesia receptis, videntur ex ijs manifestè deduci, ita vt propterea contradicentes propositiones sint scandalosæ, piarum aurium offensiuæ, & similes. Quinta certitudo videtur esse illa quæ inuenitur in propositionibus sine controuersia in Ecclesia receptis, & sine sententia in contrarium, licet adhuc in ea non sit cõmunis sensus Theologorum cum ea vniuersalitate quæ faciat sententiam in contrarium temerariam; & talis certitudinis fuit antiquo tempore in Ecclesia, quod B. Virgo fuerit sanctificata in vtero matris, licet in præsenti ex cõmunissimo consensu omnium Theologorum, & Sanctorum, opposita sententia esset saltem temeraria, atque adeo ea modo pollet tertiò gradu certitudinis, & in isto gradu certitudinis perseuerant aliquantisper illæ propositiones, quæ deinde peruenerunt tempore ad absolutum & vnanimem consensum Theologorum, dum enim sine controuersia, nec probabilitate vlla oppositæ partis ita recipiuntur, aliquam certitudinem omnino recipiunt, vt pote excludentes actualem saltem formidinem oppositi, & magna ex parte etiam habitualem, & cum hæc certitudo non sit merè philosophica, vt paulò post de ea dicemus, videtur esse Theologica, licet non perfecta in hoc genere, sed ad perfectum tendens, & in via ad ipsum. Atque hæc videtur esse infima certitudo inter Theologicas, quæ hoc nomine insignitur, quia est quædam certitudo, quam dat illi auctoritas Ecclesiæ, & non merus discursus humanus, qui vnum ex alio infert per se solus consideratus, qui vt sic etiam si inferat ex principijs reuelatis & Theologicis, humano modo procedit, nec ex hoc præcisè venari potest aliam certitudinem, nisi naturalem; vti si accedat illa communitas Theologorum idem sentientium sine vlla controuersia, aduenit illi quidam gradus certitudinis moralis

Theologicæ; ex notione scilicet prouidentiæ diuinæ regentis Ecclesiam, & non inueniatis eam errare in fid. Theologis, quando ipsi aliquid decidunt omnibus bene pensatis, & in decisione videntur communiter consentire, in qua validas rationes eos inuenisse animaduertatur.

2 Vltima tamen certitudo eaque non Theologica, sed Philosophica est in sententijs, quando ex rationibus hinc inde pensatis, siue etiam ex auctoritatibus eas firmantibus; inuenitur quod aliqua sententia tantumdem confirmatur, vt opposita non censeatur probabilis, vt pote sufficienti ratione, & auctoritate non suffulta, præsertim respectiue ad rationes, & auctoritates, quæ pro contradictoria proponderant, licet de cætero aliqui possint inueniri, qui oppositum sentiant; Vnde multæ solent notari in Ecclesia sententiæ improbabiles, quas tamen reliqui tenent sine præiudicio alicuius censuræ. Qualis est V. G. sententia, quæ putat homini benè viuenti, & sensus omnes deperdenti, nec danti vllum prorsus signum sensibile actuale in fine vitæ posse dari absolutionem sacramentalem. Similiter sunt aliqui, qui putant quantitatem in Eucharistia identificari cum substantia, & aliam ab ista identificari cum accidentibus, atque adeo non distingant accidens quantitatis à substantia, & ceteris accidentibus, & hæc opinio censeri solet improbabilis, & Societas Iesu vt Improbabilem positis dictis Patrum & Theologorum communiter, à suis scholis, & sensu suorum abiecit, esto tamen ab aliis vt probabilis amplectatur. Dum enim consensus omnium Theologorum non conuenerit, ita vt eam etiam vt probabilem absolutè reiecerit, vel Ecclesia id decreuerit, licitum est cuique suum sensum retinere, quem probabilem existimet, esto alij, vt improbabilem eum censeant.

3 Atque ex his sententijs cùm in rebus practicis, tum etiam in speculatiuis, complures leguntur in Auctoribus, quas aliqui putant eas probabiles, alij vt improbabiles reijciunt, vt de Officio recitando ante Missam sub pœna mortalis, quod communiter vt improbabile in præsenti reijciunt; & de gratia efficaci solet etiam teneri à Societate Iesu, quod non sit efficax ab euentu, quæ verò cum Deus det non ex præuisione, quod illi sit homo cooperaturus sed ab hoc præscindendo, quæ deinde in vno faciat facere, in alio nequaquam; vt improbabilem enim eam ipsa reijcit, & solent etiam alij, licet aliquibus vt improbabilis non habeatur. Similiter eadem Societas Iesu sententiam, quæ vult liberum arbitrium antecedenter ad actum prædeterminari per qualitatem aliquam, qua posita, & in sensu composito, cum ea solum, homo non possit non facere id, ad quod prædeterminatur, & multo minus oppositum, censet illam ex efficacia rationum, & auctoritatum, falsam, improbabilem, licet alij complures & docti viri etiam oppositum sentiant. Imo etiam improbabilem, & falsam censebunt sententiam Societatis Iesu, nec tamen vlla ex his partibus damnat alterutram ex his sententijs, sed vnaquæque abundat in suo sensu, & expectatur de hac re iudicium certum à sancta Sede Apostolica.

4 His ergo declaratis, in his sex certitudinibus quinque Theologicis & vna philosophica animaduertuntur varijs gradus certitudinis Theologicæ; nam prima est summa certitudo, secunda deficit à prima in vno gradu, tertia deficit à secunda in alio gradu, & sic vsque ad vltimum gradum certitudinis philosophicæ qui omnes faciunt sententiam oppositam ad minus temerariam philosophicè, seu valde irrationabilem. Quo supposito quæri potest in præsenti an supposita probabilitate sententiæ de Immaculata Conceptione Virginis Deiparæ, quæ nullo modo potest negari, vt talis, dum vt talem explicitè eam amplexa est sancta Sedes Apostolica, etiam Aduersarijs consentientibus, vt demonstrabimus Opusculo de sensu Ecclesiæ: An inquam etsi non præterito tempore, saltem peruenerit in præsenti ad statum aliquem vt censenda sit venata aliquem gradum certitudinis ex his numeratis, non quidem primum, neque secundum; nam Pontifices expresse in Bullis decreuerunt illos vsque modo non habere in Ecclesia; nec item tertiò quod potest rectè deduci ex ijsdem Bullis, saltem pro præterito tempore vt bene notat Suar. 2. 2. tom. 1. p. disp. 3. sect. 6. quantum scilicet ad ex tunc factam declarationem in vniuersa Ecclesia; nam absolute an peruenisse possit dici vel teneri ab aliquo, quòd modo peruenerit ad hunc gradum distinguemus, & trademus *superioribus vitijs.*

5 Solùm ergo in præsenti quæritur, an peruenerit sensus Immaculatæ Conceptionis saltem ad vltimum gradum certitudinis philosophicæ, propter efficaciam rationum & auctoritatum, nec non etiam propter expensionem inefficaciæ rationum, & auctoritatum pro opposita sententia. Quare perpetuus sermo erit in isto Tractatu, an saltem Immaculata Conceptio peruenerit ad certitudinem vltimam philosophicam, quæ in mentibus omnium fidelium possit & debeat omnem rationabilem formidinem oppositi abijcere, nec iam enim dubio vllo philosophico, & rationabili, quod faciat practicè mentes fidelium dubitare, an saltem quid credant, se sinat amplecti, quamuis de reliquo eam non existiment, neque debeant existimare fideles quod sit de fide, vel proximè, & certò illatam ex principijs fidei, nec cum vlla damnatione contrariæ sententiæ, quæ sit hæretica, vel erronea, sicuti præcipit non damnari summus Pontifex Sixtus *in sua Extrauag. de Concept. Virginis.*

6 Pro quare sciendum est vlteriùs, quòd certitudo hæc dicta tum Theologica, tum philosophica potest esse duplex, vel scilicet talis, quæ excludat Theologica Theologicè, Philosophica Philosophicè omnem formidinem actualem sensus oppositi; vel quæ non solum excludat omnem formidinem actualem, sed etiam aptitudinalem; per exclusionem autem actualis formidinis de oppositio intelligimus statum illum intellectus, quando ita adhæret ex vi aliquarum rationum vni parti, vt cogitans rationibus oppositis ex ijs non moueatur ad iudicandum, quod fortasse aliter se res habeat, ac ipse adhæserit dictæ parti. Excludere autem formidinem omnem cum actualem, tum aptitudinalem, est ita adhærere intellectum vni parti, vt iudicet rem iudicatam ita se habere, vt non solum excludat omnem formidinem pro

præsenti

præsenti statu, sed pro possibili; ita vt nihil formidinis neque actualis, neque aptitudinalis aghoscat interuenire in eiusmodi iudicio.

7 Dum autem hîc loquimur de formidine, seu dubitatione, quæ sit, vel possit esse contra adhæsionem ad vnum obiectum, & iudicium certum de vna aliqua re; oportet intelligere, quod dum ea excluditur; non excluditur vllo modo formido aliqua speculatiua, & necessaria, quæ prouenit ex aliqua apparente ratione, quæ occurrat, vel occurrere possit ex propositione alicuius, obiecti; hæc enim non excluditur vllo modo neque a fide, quæ admittit formidinem speculatiuam, nec etiam abijcit aliqua iudicia necessaria, & non libera contra certos suos assensus: nam certum est, quod speculatiuè loquendo intellectus non potest esse certus, quod Christus sit Deus, ex eo quod habeat rationes conuincentes Deitatem in ipso; hoc enim merè habetur per fidem. Quare si in speculatiuis merè moretur intellectus, rectè iudicabit scilicet quantum est ex rationibus naturalibus, non potest certò constare, quod Christus sit Deus, atque adeo in tali discursu vt sic, non adimitur formido speculatiua formido, autem practica, & quæ aduertatur, & non reprimatur à fideli in rebus fidei peccatum mortale est, & nullo modo potest admitti scilicet licitè, nam physicè certum est quod ab infidelibus admittitur, & ipsi non solum dubitant de rebus fidei, sed eis omnino aduersantur. Quare in casu nostro, quando controuertimus in quo gradu certitudinis sit nec ne sensus Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis, quæ excludat omnem formidinem siue aptitudinalem, contra sensum oppositum; sermo noster est de formidine practica, non de speculatiua, nec de formidine irrationabili &. prouenient ex aliqua apparente ratione sub ratione probabilis, sed de rationali, & veram probabilitatem inducente; & in hoc sensu loquentes Tractatum hunc aggredimur, quærentes quamnam ex his certitudinibus, & qua ratione excludat formidinem oppositi; vniuersalissima scilicet hæc nostra sententia de Conceptione Immaculatæ Sanctissimæ Virginis, ad quam iam, & si non definiendo, inclinauerunt tamen maximè variis Bullis Summi Pontifices, quod numquam in opposita fecerunt, quam etiam grauissimæ antiquorum Patrum firmant auctoritates expressè sine vlla fere mentione contrarij sensus: quamue tertiò stabiliunt innumeræ & solidæ congruentissimæque rationes. Quamque etiam quartò merito omnes fere homines sancti, & illuminati in Ecclesia Dei in præsenti amplectuntur: quæ quintò item antiquis, & frequentibus reuelationibus sine vlla prorsus dubitatione comprobatis vt Diuinis, quotidie roboratur: quæque etiam sextò compluribus confirmata est miraculis; & septimò vniuersalissimo sensu Ecclesiæ recepta, quamue tandem nulla impugnat efficax ratio, fatentibus id etiam primis ex Aduersarijs, quæque vt videbitur, nihil habet contradictionis vt ijdem primi ex Aduersanibus asseuerant, nec censeant habere aduersum se nisi aliquas auctoritates; vel insufficientes contra tot numerata capita summæ certitudinis, vel etiam inefficacissimas vt plurimum ad injciendam vllam rationabilem formidinem contra sensum Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis. In hoc autem negotio non more communi procedimus, adducendo primum rationes dubitandi pro vtraque parte contradictionis circa Immaculatam vel maculatam Virginis Conceptionem, & deinde stabiliendo Immaculatam quod innumeri sacri Scriptores egere luculenter. Sed, supposita magna & summa probabilitate huius vniuersalis sensus de Immaculata Conceptione Sanctissimæ Deiparæ, & post tot Auctorum lucubrationes, animaduersiones, confirmationes, & argumentationes perspicuas, acutas, solidas, summique ponderis, cum iam de sic magna & summa probabilitate fere nemo dubitat, vel dubitare potest; ne actum agamus, & vt actum, & recte & solide actum supponamus; specialius ad hoc toti erimus quemadmodum sæpe annuimus, vt sermo noster in id continuo incumbat, vt scilicet discutiat ad quem gradum certitudinis iam pertigisse sit existimanda Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptio quæue alium possit venari & maximè illum, qui prouenit ex definitione Pontificia.

8 In his autem prioribus Opusculis operis nostri negotium primum & præcipuum erit ad dictum finem, expendere ea quæ contra Immalatam Conceptionem possunt afferri nihil prorsus de ijs quantum cognitioni nostræ suberit, prætermitendo, totamque eorum efficaciam adducendo, & roborando potiùs quàm diminuendo. Propter quod omnium fere Aduersantium saltem ex præcipuis monumenta reuoluimus, quorumque sæpe verba ipsissima proferemus, in quibus ipsi vim faciunt, vt in efficaci & aperta propositione eorum, quæ objciuntur, ab omnibus manifestissimè animaduertatur an ea nullam penitus rationabilem formidinem posset injcere vniuersalissimæ huic in Ecclesia & veritissimæ sententiæ de Immaculata Conceptione, quæ propterea meo licet in ceteris valdè minùs digno iudicio, non amplius vllo tolerabili sit modo dicenda mere pia, sed pia & vera & plusquàm vera sententia, nec ideo vlla ratione amplexata vel amplexanda summopere, quia maximè pia. Sed quia maximè vera sententia & valdè magis quia vera, quàm quòd pia sententia; pietas enim præsertim in Theologica trutina veritatem debet consequi, non veritas pietatem quæ enim pedisequa veritatis non est, Theologica pietas, & præire creditur veritatem, non tam pietas est dicenda Theologorum propria, quam fortè periculi plena temeritas; Veritatem ergo nos sincerè quærentes eamque in præsenti simul cum falsitate in statera huiusmodi districtissimæ, & minutissimæ expensionis, vt ex dicendis constabit, appendentes; dum vtramque contradictionis partem examinatius, ac proinde verum & falsum in ijs inclusum habemus, omnino si eramus, quod suo se manifesto pondere veritas demonstrabit.

9 Solum hîc aliquis ad rem plenius habendam fortasse magis firmatos gradus certitudinis à nobis distinctos tum auctoritate, tum maximè exemplis exquiret, facta contra positionem eorum cum gradibus falsitatis, id quod non est denegandum lectori, quia omnia ad hanc materiam concernentia hîc desiderare non debet. Quare quantum ad primum gradum certitudinis aduerto, quod difficultas nulla sit ad

sui intelligentiam cum contrapositione ad falsitatem sibi oppositam; probe enim scitur ab omnibus certitudo fidei diuinæ summa opposita directè falsitati propriæ hæresis & propositionis hæreticæ: fidei autem certitudo quæ primi gradus est, tanta est vt non possit illi subesse falsum, neque per potentiam Dei, saltem in hac serie rerum, & pro vt Deus declarauit Ecclesiæ, licet etiam meo iudicio etiam in quacumque serie rerum reuelatarum a Deo numquam ei potest subesse falsum, quia puto certum de fide, quòd Deus non possit mentiri, per nullam suam potentiam, & in nullo casu, & statu secundum communem & certum censum.

10 Certitudo secunda seu secundus gradus certitudinis maiori etiam explicatione indiget qualis sit apud Auctores; sed his correspondet ex aduerso sensui oppositio illi, qui est apud Auctores erroneus, & facit, propositionem erroneam quæ scilicet non est contradictoria formaliter propositioni de fide certæ, sed virtualiter tantùm illi opponitur, vt si quis dicat Christum non esse risibilem, ex eo quod velit per potentiam Dei ablatam fuisse ab eo potentiam formalem ridendi, etiam si de cetero sit homo; qui hæc diceret, non esset formaliter hæreticus, nec propositio eius esset hæretica, sed erronea, quia esse risibile non continetur formaliter in esse hominis, quod de fide est fuisse in Christo, sed virtualiter, ac proinde non habet tantâ oppositionè propositioni certæ de fide, quantam illi habet alia propositio Christus non est homo, quæ minor oppositio facit vt illa declinet ab esse hæretici, & transeat in erroneam proximam hæreticæ. Certitudo autem à nobis notata secundo loco hinc apparet, quod sit illa, quæ est in propositione erroneæ oppositæ, & in casu posito, quo diceretur Christus est risibilis, ex eo quod est homo, non enim tantumdem certa in fide est propositio, quo dicitur Christus est homo; ac ista Christus est risibilis vt patet; & de reliquo hæc secunda post illam fidei maximum habet certitudinem eamque quæ proximè ab illa deriuatur; atque ideo ei secundum gradum certitudinis dedimus quem Auctores non solent directè signare, sed solum indirectè, in quantum explicant falsitatem propositionis sibi oppositæ esse summam post illam formalis hæresis. Suares tamen *disp. 19. sect. 2. num. 18.* expressiùs ceteris signat hunc certitudinis gradum vt paulo deficientem ab illo fidei, eius verba sunt sequentia & deinceps [Quæ propter addi potest alius modus propositionis erroneæ &c.] quæ vide apud ipsum.

11 Certitudo seu tertius gradus certarum propositionum in Ecclesia dicitur à secundo dicto, inuenitur in propositionibus illis, quæ sunt contradictoriæ damnatis vt temerarijs, quæ scilicet non formaliter, neque virtualiter continentur in reuelatis a Deo, sed remotiùs à principijs fidei, deducuntur à Theologis communi sensu, atque hic gradus certitudinis ab Auctoribus magis directè exprimitur, quando ij explicant censuram temeritatis, qua aliquas propositiones dicunt temerarias: Vnde Suarez, *num. 20.* eam explicans ait inueniri, [quando pugnat contra receptam sententiam vel Patrum vel Scholasticorum, ita vt omnes, vel fere omnes in illa conueniant, etiam si non asserant esse certam, sed omnino probabiliorem, aut simpliciter veram, quia tunc vix fieri, potest vt secundū regulam rationis possit aliquis tantæ auctoritati opponi, quia non est credibile tot Patres sine cogente ratione, vel sacro testimonio in eam sententiam conspirasse. Ideoque potest contraria propositio efficaci ratione niti, vnde cum destituatur auctoritate, & tot Doctoribus opponatur, temeraria positiuè merito censetur] atque in hac certitudine potest poni modo veritas Assumptionis B. Virginis In anima, & in corpore, quæ communi omnium sensu recepta est in Ecclesia vltimis seculis. Et similes deductæ post varios discursus à Theologis communiter. Vbi notatur, quod quia aliquæ veritates non ita prestè deduci possunt ex reuelatis, indigent longo tempore, & diuturniori discussione, vt inde communitas Theologorum omnium ab eis clarè deduci statuat, & firmet cum ista vnanimitatate, licet solum summè probabiliter.

12 Certitudo quarta Theologica, quæ est à nobis animaduersa est illa, quam habent propositiones aliquæ non ex communi sensu Theologorum, vel Patrum expresso, sed qui deducatur ex eorum dictis per certum & rationabilem discursum. Vt quod nemo V. G. ex Sanctis vsque ad finem mundi eximendus sit ab originali, nec ex Priuilegio, vt aliqui dicunt; quam quam enim hæc sententia signatè non habeat patronos omnes Theologos, vel Patres, ex eorum tamen communibus dictis potest certò deduci, & de hac certitudine loquuntur Theologi, quando asserunt aliquas propositiones esse temerarias priuatiue, vt loquitur Suar. loc. cit. eodem num. 20. vbi sic statuit [Maximè verò hoc locum habet, quando talis assertio est contra regulas generales in fide, vel Theologia receptas per exceptionem voluntariam non satis fundatam, vt quod aliquis vltra B Virginem conceptus fuerit sine originali peccato vel quid simile] atque hi videntur esse primi & præcipui gradus certitudinis Theologicæ in propositionibus concernentibus ad supernaturalia, quamquam enim notæ, & censuræ propositionum sunt aliæ multæ, præter hæreticam, erroneam, & temerariam: videlicet sapientes hæresim piarum aurium offensiuæ, malè sonantes, seditiosæ, iniuriosæ, impiæ, vel blasphemæ; plures tamen ex his non habent vnum peculiarem gradum certitudinis in propositionibus sibi contradictorijs, & veris, sed possunt vagari in oppositione circa vnam vel aliam certitudinem ex dictis, vnde scandalosa esse potest vna propositio, quia est temeraria positiuè, vel quia priuatiuè, vel quia erronea, ex eo quod cum hoc vel illo genere falsitatis polleat, parit præterea scandalum alijs, & suam differentiam sumit ex effectu, quem facit, non verò ex gradu falsitatis suæ, & idem dico de similibus, extra quatuor propositionum notas, quas opposuimus certitudinibus nostris, quæ non videntur posse esse plures in tali gradu, quia scilicet capita certitudinis Theologicæ, quæ firmitatem habeant, non possunt desumi nisi ab auctoritate reuelationum de fide formaliter, vel virtualiter, vel ab auctoritate Theologorum, & Patrum similiter formaliter, vel virtualiter, nec alia capita inueniri possunt, vnde absoluta aliqua certitudo Theologica possit deriuari

in

in aliquam quamlibet propositionem ; omnis enim certitudo huius generis ab auctoritate sumitur,quæ sufficienter est diuisa in hæc quatuor capita.

13 Restat tandem explicanda certitudo vltima , & quasi quinta ex parte Theologica, quæ non est talis, vt contradictorias propositiones sui faciat damnabiles aliqua censura saltem temeritatis , sed ad hoc proximè accedit, & est illa, quæ non habet communem sensum omnium Theologorum in Ecclesia , sed ad illam accedit , ita vt in dies videatur vnanimitas consensus Theologorum in re , quæ ad huc stat infra & non intra gradus certitudinis Theologicæ , & talis certitudo fuit olim fortè etiam tempore Caietani de Assumptione Virginis,de qua celebrat Ecclesia festum , & tamen non nisi intra genus probabilitatis illam posuit Caietanus *Opusculo de Concep.* quia scilicet adhuc sensus iste de Virgine glorificata in cœlo cum corpore glorioso non erat communissime amplexatus ab omni Ecclesia , sicut in præsenti, quando temerarium est asserere Virginem in cœlo non esse cum corpore glorioso , sed adhuc corpus eius esse in sepulchro , vel incineratum ; quare bene ex hoc aduertere possumus quod quando propositio aliqua ad hunc vnanimem sensum sensim accedit , aliqualem habet certitudinem Theologicam cum valdè pium sit credere , quod non sit error in ea sententia quod fere tota Ecclesia amplexatur in communitate quasi totali suorum Doctorum; atque de hoc gradu certitudinis alicuius sententiam agunt Auctores , quantum ipse viderim , dum solùm agunt de Conceptione Virginis,quem nos *supra* numerauimus quinto loco,quique datus est etiam ab antiquis sanctissimæ Virginis Conceptioni,vnde hic nobis examinandum est suo proprio Opusculo,an ea peruenerit in præsenti ad priores gradus ista,tamen vt opposita nullo modo censuretur , vel censurari possit nota erroris vel peccati mortalis. Sed adhuc hic restat examinare an præter has dictas censuras dentur aliæ ab istis distinctæ & qua ratione : quare non relinquimus hic hanc quæstionem instituere, alioqui ab Auctoribus non exagitatam , sed pro præsenti controuersia omninò tractandam & decidendam.

§ II.

An præter censuras hæresis erroris & temeritatis , dentur aliæ censuræ, ab omnibus istis oppositis gradibus certitudinis dictæ omnino dissinctæ seu contradistinctæ.

1 NOn vidi apud aliquem hanc disputationem institutam , nec ea est ita obuia definibilis : nam ex vna parte præter has censuras numerantur aliæ , quibus aliquæ sententiæ dicuntur scandalosæ , piarum aurium offensiuæ, parum tutæ in fide, impiæ, & his similibus notis inustæ , quæ vt omnino diuersæ a primis censeri debent , alioqui non essent vt quid diuersum scribẽdæ præsertim à Gregorio XIII. contra propositiones Michaëlis Baij quas appellat [hæreticas, erroneas,suspectas , temerarias , scandalosas , & impias , auribus offensionem immittentes respectiuè] quas proptrea ait auctoritate presentium damnamus,circumscribimus,& abolemus ; [contrà verò non apparet quæ peculiaris diuersitas potest inueniri in istis vltimis quæ non sit vna ex primis quatuor censuris à nobis explicatis,nam quem admodum non possunt inueniri nisi quatuor gradus certitudinis ex quatuor principijs quæ possunt eas fundare,ita non nisi quatuor gradus damnabiles videntur posse inueniri , qui dictis principijs opponantur.

2 Quibus adde quod sententiæ reliquæ si essent scandalosæ,impiæ, & piarum aurium offensiuæ , de cetèro nec hæreticæ, nec erroneæ, neque temerariæ cùm positiuè tum priuatiuè non essent ; non haberent vnde possent damnari & censurari , quare ; præcisis primis quatuor censuris non videtur posse inueniri alia censura, ac per consequens vel vltimæ censuræ reducuntur saltem in substantialibus ad primas quatuor , vel si ab eis diuersæ sunt , videntur æstimandæ diuersæ ab illis non diuersitate essentiali , sed accidentali , quia scilicet quæcumque propositio censurata debeat esse , vel hæretica vel erronea , vel vno ex duobus modis temeraria , & si quid aliud dicat , sit vel scandalum quod præterea generet,quod non est nisi quid accidentale falsitati propositionis eiusmodi & ab ea separari potest;si illi assentiens ceteris eam non propalet,id quod dico similiter de propositione quæ sit piarum aurium offensiua , quæ pietati opponatur ,& sit propterea impia, quæ faciles reddat homines ad auertendum se à fide,& sit & parum tuta in fide de similibus:quare hoc primò videndum an omnis propositio censurabilis & quæcumque censura debet includere notam priorum quatuor censurarum, vt nulla propositio , quæ non sit saltem temeraria priuatiuè , sit censurabilis , neque possit dici habere vllam ex recitatis censuris , & si de reliquo nullam contineat temeritatem,non propterea propter scandalum quod generat,& pias aures offendit , sit notanda vt digna censura aliqua ex dictis : pro qua re sic concludo.

3 Dico primò , quod si aliqua propositio sit probabilis expensis hinc inde rationibus, esto de reliquo videatur scandalum afferre , vel pias aures offendere , seu quiduis habere quod eam demonstret affectam aliqua ex censuris diuersa à primis quatuor,nullo modo est censenda censurabilis,neque iusta nota dictarum censurarum extra dictas quatuor primas.

4 Probatur conclusio , primò ; quia nullum verè probabile dictum potest censurari, ergo neque potest dici affectum vlla censura, si enim habet rationes sufficientes ad se inferendas , rectè potest intellectus humanus in illud propendere & per consequens, si in illud propendat , & inclinet , in iudicium inclinat & propendet sibi licitum & conueniens,atque adeo nullo modo censurabile. Vnde non potest in eo notari vlla censura vt patet.

5 Probatur,secundò quia potest euenire quod ex defectu aliquorum propositio aliqua pias aures offendat, vel scandalum generet, quæ de reliquo sit certa, & decursu temporis definita sit in Ecclesia , quemadmodum contigit tempo-

re

re S. Cypriani, quo apud aliquos baptizatos non rebaptizati, scandalũ afferebat & parum tutus in fide hic sensus videbatur & tamen deinde definitum fuit non esse rebaptizandos: Ergo ex meris hisce effectibus malis, quas posset aliqua propositio afferre non potest haberi vt censurabilis, si de reliquo probabilis sit, cùm probabilitas rei congruè potest inclinare quem libet intellectum ad sui assensum.

6 Dico secundò, etsi aliqua propositio non sit hæretica neque erronea, neque temeraria positiuè, & priuatiuè; si sit improbabilis absolutè, & de reliquo aliquem malum effectum possit inducere, potest rectè censeri & dici censurabilis aliquâ ex dictis censuris. Vnde omnino dicendæ, sunt censuræ aliæ à primis quatuor esse ab eis essentialiter distinctæ & contradistinctæ.

7 Probatur prima pars conclusionis & dicti, quia illæ propositiones debent dici censurabiles, quæ sunt dignæ, vt amandentur à mentibus fidelium, & iustè faciant punibiles viros, qui pertinaciter in eis fit mantur: sed eiusmodi sunt propositiones improbabiles, quæ malos effectus generant in Ecclesia, & de reliquo non habent fundamentum vnde possint sustineri, & cui niti possit intellectus in assentiendo illis: Ergo propositiones dictæ improbabiles, esto de reliquo non sint neque temeratiæ neque hæreticæ aut erroneæ, censuris Theologicis affici possunt. Maior syllogismi patet, quia censura cùm apud latinos, tum apud Canonistas & sensum Ecclesiasticum cadit supra id quod est ab Ecclesia amouendum. Vnde Romani Censores constituebantur in Vrbe, qui vitia persequerentur, & à Republica ejicerent. Minor item patet, quia id quod malum generat effectum in communitate, vel etiam in vno individuo, si de reliquo non habet iustam excusationem, omnino est remouendum à creatura libera & rationali.

8 Hoc ipsum secundò ostenditur quia cum Pontifices, & Doctores numerent has censuras extra primas quatuor, & ab illis vt distinctas: & Qualificatores sæpe non censeant vnam propositionem neque vt hæreticam neque erroneam; aut temerariam, tamen vltra progrediuntur ad videndum an sit male sonans, vel scandalum populo afferens; signum est manifestũ quod ad hoc vt aliqua propositio sit censurabilis, non est necesse vt sit affecta vna ex primis quatuor censuris; alioqui si semel adueretur quod aliqua propositio non repugnet fidei, neque discursui euidenter inferenti ex fide, nec repugnet aperte sensui vniuersalis Ecclesiæ, aut euidenter deducatur quod ei debet repugnare, quæ sunt illa quæ requiruntur ad faciendam propositionem vel hæreticam vel erroneam vel temerariam; non esset vlteriùs progrediendum ad discernendum, de ea an sit scandalosa vel malè sonans, quod est contra vsum Qualificatorum in sacris Tribunalibus Inquisitionis de hæretica prauitate.

9 2. Pars dicti inde est perspicua, quia si sufficit improbabilitas propositionis cum aliquo malo effectu quem generet ad eam faciendam censura capacem; omnino euidens fit, quod ad rationem censuræ non requiruntur ea quæ inueniuntur in hæresi errore & temeritate; quæ aliquid plus habent quàm merè improbabilia

10 solum hic quærere posses, an sufficiat improbabilitas negatiua ad faciendam propositionem censurabilem, vel requiratur improbabilitas autem negatiua esset, quando alicuius dicti nulla esset, ratio: vt de cetero nulla traderetur ratio conuinuens eiusmodi improbabilitatem: positiua autem esset, quæ hanc rationem euincentem improbabilitatem haberet. Vt si V. G. quis diceret Sanctum aliquem in Ventre sanctificatum sine vlla ratione: improbabilitas ista esset merè negatiua, si ratio nulla suppeteret, & quæ efficax esset. Si autem aliqua suppeteret efficacissima ad probandum oppositum diceretur eiusmodi propositio, improbabilis positiuè! Censerem ergo quod etiam si aliqua propositio esset improbabilis negatiuè, si de cetero esset aurium piarum offensiua vel scandalosa, & in aliquo eiusmodi extrinseco effectu malo peccaret, esset censenda censurabilis vno in his modis: quia improbabilitas etiam negatiua non potest excusare propositionem à malo effectu quem causat propter quem est ipsa vituperabilis & punibilis, & per consequens sufficit ad propositionem censurabilem faciendam.

11 Quibus animaduersis, facilè est ex dictis colligere quod sit propositio male sonans, seu piarum aurium offensiua, impia scandalosa, parum tuta in fide suspecta est declaranda quæ videtur illa esse quæ videri potest in hæresim errorem vel temeritatem inclinare, vbi sapere hæresim esset ea propositio dicenda, quæ parum distet ab hæresi & hæretica propositione in modo etiam loquendi.

DISPVTATIO III.

PROLEGOMENA.

De acceptione nominis Conceptionis in genere : & in specie de illo Conceptionis Virginis , ab immemorabili vsque ad tempus Sancti Thomæ inclusiuè.

IN hac & sequentibus disputationibus primùm explicabitur quid importet nomen Conceptionis ex sua etymologia & statuetur primò ex Rhetoricis, & Grammaticis importauisse ex prima sua significatione primam coagulationem corporis animalis , si de brutis est sermo ; vel hominis, si de hominibus est sermo, tque hoc antecedenter ad sui animationem ; vt inde inferatur, quodsi quando Patres & Theologi antiquiores Virginem sanctissimam dixerint conceptam in originali ; de Coceptione loquuti intelligantur ante animationem, vel summum de prima animatione in quodam priori naturæ secundum ea , quæ habet primò à carne concepta. Secundò idipsum probabitur auctoritate Aristotelis & Peripateticorum ; omniumque Philosophorum : tertiò auctoritate medicorum etiam antiquissimorum, nec non recentiorùm: quartò hoc ipsum comprobabimus ex Scripturis : quintò ex Patribus: sextò ex Sancto Thoma & alijs Theologis antiquioribus.

DIVISIO I.

Ex etymologia nominis explicatur quid importet Conceptio ex primæua sui significatione ; & ostenditur primo ex Rhetoricis & Grammaticis stare pro prima actione virtutis generatiuæ incipiente formationem corporis animalis & omnino antecedenter ad introductionem animæ, seu primam animationem fœtus , licet cum ordine ad illam.

ETymologia nominis , Conceptio , sumitur ex verbo *capio* , & præpositione *cum* quasi sit simul captio, seu captio cum alio : quia scilicet quando quis concepit , seu concipere dicitur , aliquid capiat ab alio, & cum illo tendat ad aliud ; vnde quia mulier aliquid capit à viro , & cum eo , quod capit , generat filium, dicitur illum concipere. Similiter mens , quia ab obiecto sumit speciem , & in illud media cognitione tendit , dicitur concipere , dum intelligit , & exprimit actum intellectionis , qui itidem propterea dicitur Conceptio. Sic habes apud Calepinũ , & Thesaurum Linguæ Latinæ verbo *Concepio* , & idem ait ex Cicerone Hizolius, qui cum dictis notat pro eodem stare Conceptum , & Conceptionem tum in actionibus mentalibus , tum in alijs initiantibus formationem corporis animalis , & hominis Quare in Thesauro habetur ex Cicerone ; quod quando mulieres vtumque semen genitale in vtero recipiunt ad fœtum faciendum , concipere dicuntur. Quare apertissimè constat , & firmum sit hic ex sua naturali significatione, nomen Conceptionis importare primum illud initium actionis generatiuæ , quod nullo modo includit infusionem animæ , & est omnino antecedens ad animationem. Sic Linguæ Latinæ Patres. Vnde Cicero lib.2. de Diuinatione 186. [Conceptio mulæ contra naturam fortasse , sed partus prope necessarius ;] & ibidem ; [Aues etiam concipere dicuntur.] Vbi non potest loqui de Conceptione prout stat pro animatione , quia animatio fœtus semel coagulati in vtero mulæ non est contra naturam, sed naturaliter illi debetur, & lib.1. de Diuin. 153. [Quædam etiam ex hominum , pecudumque conceptu , & satu ; ostentorum exercitatissimi interpretes extiterunt : & de Vniuers. Oceanum salaciumque Cæli satu,terræque conceptu generatos & editos numeremus :] vbi conceptus exprimitur per satum , qui proiectionem seminis , & seminationem affert remotissimam ab animatione in animali , & præsertim in homine. Similiter Cicero de aruisp. Reip ait. [ex furtiuo Virginis stupro conceptus,] Vbi nemo dicet conceptum hunc , habitum rẽpore animationis hîc notari. Idem pro Cluentio habet : concipere ex aliquo.]Plinius idipsum confirmat lib.22.c.22. [Chrysippus & conceptionibus eam(id est herbam caucalidem) putat conferre multum ;] herba autem non potest cogitari hîc , quod dicatur conferre animationi fœtus , sed primæ suæ coagulationi ex semine. Item lib.10.c. 33. [Perdices concipiunt superuolantium afflatu :] & lib.9.c. 51. aduertit, quod pisces soli , [& animal pariant, & ouа concipiant ,] quia scilicet non sicut gallinæ pullos ex ouis solis extrahunt , sed ipsi etiam intra suum vterum filios vsque ad tempus partus nutriunt, & fouent ; quis autem dicat in conceptione ouorum haberi , & significari animationem fœtus? Vnde perspicuum est, quod nomen Conceptionis animationem , seu animatum fœtum non importat saltem per se primò , esto illam connotet.

2 Vt autem hoc pateat manifestiùs, comparandum est hoc nomen Conceptio cum alijs nominibus , cum quibus affinitatem habet in significatione , & ex eorum comparatione videndum quid propriè importat; hæc autem sunt nomina

nomina productionis substantialis, & generationis, quæ licet non dicantur ad conuertentiam cum Conceptione, tamen certum est, quod omnis Conceptio, quæ proprie competit homini, & animantibus: est, & verè dicitur esse productio substantialis, & propria generatio, secundum quod generatio contrahitur similiter ad illiam hominum & brutorum.

3 Ex quare distinguendæ sunt variæ actiones, quæ numerantur à Philosophis, vt ex hac distinctione deducamus, & signemus pleno conceptu de rebus habito, id quod ad nostrum confert propositum. Sciendum ergo est primò quod agnoscitur ab Aristotele in Physicis duplex actio, quæ tendit ad productionem alicuius rei dempto motu locali, per quem nihil per se producitur, sed merè transfertur de loco ad locum mobile; & vna & prima ex his actionibus, dicitur, & est productiua alicuius accidentis V.G. caloris, frigoris, & similium primarum, vel secundarum qualitatum; secundò est eadem actio primarum vel secundarum qualitatum, prout est productiua, & terminatur ad coniunctionem formæ substantialis, & productionem corporis naturalis & physici, qualis est calefactio ligni completè terminata, ad quam sequitur forma ignis, atque hæc dicitur productio substantialis in genere suo & in specie generatio substantialis, non illa sic specialiter dicta, quæ conuenit viuentibus animantibus, vt notabimus, sed talis generaliter dicta quæ competit omnibus corporibus sublunaribus; quare vt patet hæc alteratio præuia terminata ad formam substantialem physicè loquendo in idem recidit cum generatione substantiali vniuersaliter sumpta, eæque dicuntur ad conuertentiam in communi sententia Peripateticorum qui dicunt; generari, quod non est; & generationem putant esse verum motum physicum, qui dicitur esse essentialiter successiuus, licet aliqui in hoc re dissentiant, & putent, quod alteratio præuia terminata ad formam substantialem non sit generatio formaliter, sed causaliter, & generatio formaliter consistit in eductione formæ substantialis, quæ peragitur in instanti, quia volunt mutationem & motum instantaneum etiam esse proprie motum physicum; sed hi verè non sequuntur Peripateticam doctrinam, quæ est antecedens iam declarata, sed ad rem nostram parum hoc confere; dictum id sit ad plenam rei intelligentiam Certum autem hîc debet esse, quod licet omnis generatio iam tradita sit productio substantialis, non tamen è conuerso omnis productio substantialis possit dici generatio: nam creatio Angeli, vel hominis, qui produceretur ex nihilo, esset vera productio substantialis, & non propterea deberet, vel posset dici generatio substantialis; quemadmodum creatio cæli esset productio substantialis, non autem generatio, & in Diuinis productio Spiritus sancti censenda est productio substantialis: quia non est, neque censeri potest productio neque essentialis, neque accidentalis, & tamen non est generatio, neque item eo modo, quo generaliter, prout scilicet conuenit productionibus substantialibus rerum etiam inanimatarum. Per productionem enim substantialem spiritus sancti non intelligitur per se primò communicari natum substantialis, qualis produci dicitur per generationem communem corporibus animatis & inanimatis: & ratio esse potest manifesta extra Theologicas alias, quia huiusmodi generatio definitur ab Aristotele *de Genere cap. 4. text. 23. & 24.* mutatio totius in totum nullo sensibili manente vt subiecto eodem, & rursum dicta est *5. phys. c. 1. & 2.* mutatio de non subiecto in subiectum, quæ non potest competere productioni Spiritus sancti substantiali, & si definiretur alio modo, quo conueniret cum generatione propria viuentium, & diceretur origo substantiæ corporali; neque vt sit posset conuenire cum productione substantiali Spiritus Sancti; nam per productionem Spiritus sancti, vt notant Theologi formaliter producitur quidem subsistens, non communicata tamen illi substantia ex vi suæ productionis formaliter, cum tamen in generationibus inanimatorum, communicetur gradus substantiæ, & naturæ, substantialis, non sola dilectio, seu proprietas naturæ, qualis est amor, & dilectio, quæ communicatur Spiritui sancto in sui productione; quando verò generatur ignis ab igne per generationem generaliter sumptam omnino communicatur supposito, & subsistenti signato natura substantialis ignis, quod non inuenitur in productione Spiritus Sancti, quæ omnia ostendunt manifeste, quod omnis generatio etiam inanimatorum est productio substantialis, non autem contra omnis productio substantialis est generatio, neque generaliter sumpta.

5 Si vero deueniamus ad Conceptionem. verum quidem est, quod omnis Conceptio. quæ est propria viuentis est productio substantialis, & generatio substantialis explicata, sed non contrà dictæ duæ actiones possunt dici Conceptio; quando enim creatum est cœlum, vel genitus ignis, competit eis nomen productionis, & generationis substantialis dictæ, non tamen nomen Conceptionis, quia Conceptio est propria viuentis, quæ habetur per acceptionem seminis ab alio viuente, vel à specie sua, si Verum est id, quod scribit Aristoteles de aliquibus animalibus, quæ non habent diuersitatem sexus, & tamen concipiunt, vt habetur *lib. 1. Animalium. c. 18.* & non Ruis *disp. 6. de Trinit. sect. 6. n. 6.* vt sic autem Conceptio est, & definitur, Origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ, & sic omnis Conceptio videtur quod sit generatio hoc posteriori modo sumpta, licet possit dubitari an omnis generatio hoc talis sit Conceptio; quia communiter putatur, quod generatio hoc posteriori modo accepta conueniat viuentibus, non solis animalibus, vt probat Ruis *loco cit.* nam delata definitio eis competit, licet contra Vasques sentiat *d. 113. c. 1. n. 6. & 7.* quia vna arbor non est alterius filia, quod negat non posse dici Ruiz. Cum autem Conceptio sit, productio viuentis intra terminos generantis ex S. Tho. *in 3. d. 8. 9. p. ar. 1. ad 6.* cum videtur omnino, quod omnis productio viuentis, quæ est ex semine verè possit dici Conceptio, & cùm ea sit generatio præsè sumpta, hæc duo dicantur ad Conuertentiam in essentialibus; quia tamen præter essentialia Conceptio videtur importare quamdam captionem cum aliqua delatione, verè Conceptio non solet sumi ita frequenter secundum quo de ea solemus loqui pro vt dicit

productio

productionem foliùs viuentis, & non animalis; In quibus omnibus acceptionibus & comparationibus eius cum alijs productionibus certum debet esse, quod ea in recto nullo modo stet pro creatione, & infusione animæ rationalis ad fœtum humanum etiam restricta; quia ea consistit in dicta generatione hominis, & non in creatione animæ; & maximè significatio eius importat hanc generationem sub primis initijs, quando primum miscentur semina ad organizationem corporis humani, & est veluti prima via eiusmodi generationis, licet connotet in vltimo termino corporis organizati dictam animæ rationalis infusionem. Id quod constare potest, quia habita hac prima via ad generationem hominis in vtero matris, quæ fere per vnum vel pauca momenta sæpe completur, Conceptio dicitur peracta, & viuens, seu homo iam conceptus, non vero rigorosè concipi, neque stare sub Conceptione, quæ extenditur ad summum ad totam organizationem, sed semper connotando, non includendo animationem, quæ Conceptionem vt sic dicitur omnino subsequi.

DIVISIO II.

Probatur Conceptionem non importare ex sua ratione animationem fœtus ex Aristotele, & vniuersa Schola Peripatetica.

1 AD euidentiam constat hæc veritas ex Philosopho, & eius Schola, nam ait primò de gener. anim. cap. 1. [Conceptum appello primam ex mare & fœmina misturam:] & paulo ante de statu Conceptionis loquens, dixit [Igitur in quibus vita præditis, sexus maris & fœminæ distinctus non est, scilicet in fœctu, qui formatur, [in his semen veluti conceptus iam est:] vbi declarat vim seminis apparere in embryone toto tempore, quo corpus humanum non habet organa completa, & distinguentia sexus, & aduertit in hoc discursu semen operari suppositâ Conceptione, vnde illud notat semen Conceptus, seu in conceptione primo positum. Dat etiam indicia Conceptus, qui iam primo sequutus est Arist. *de hist. anim. lib. 7. cap. 1. & inquit*, [Indicium mulierem iam concepisse, cum statim à coitu locus siccauit:] quare breue illud tempus post operam viri assignat Conceptioni, & cap. 4. dat signum subitum post Conceptionem, vel in Conceptione, & ait. [Cum semen conceperit, vterus statim se contrahit:] & rursum addit. [Euenit profecto vt mulieribus à conceptu corpus totum grauetur.] *Lib. vero 3. animal. cap. 4.* quæ tradit Aristoteles de Cõceptione ostendunt ea non congruere nisi formationi corporis valdè ante animationem fœtus, & sic in titulo scribit; [De ijs quæ à Conceptione vsque ad partum mulieribus eueniunt:] vbi nemo dicet ea notare tantum Aristoteles in fœtu, quæ illi & mulieribus eueniunt à tempore animationis eius, vt patet maxime ex ijs, quæ subdit; & quia nemo vnquam pro Conceptione sumpsit tempus animationis. Subdit deinde Philosophus [Cum semen conceperit, vterus statim se contrahit:] stultum autem est dicere hoc haberi tempore animationis; & idem dicetur in sequentibus; nam subdit paulò post. [Euenit profecto vt mulieribus à conceptu totum corpus grauetur, & oculorum caligines & dolores capitis moueantur; quæ alijs maturius, & fere die decimo accidunt,] & deinde; [sed Mulierem sui conceptus initium latuisse: infestantur maximè mulieres quarto mense:] & rursum. [Simili modo, & qui diuturniores, quam vndecimo mense nasci videntur, latere putantur; latet enim mulieres conceptus in initium, si cum ante inflatus fuerit, (scilicet vterus) vt sæpe accidit, post coierint, atque conceperint, hoc enim esse sui conceptus principium putant, quod simile indicium attulit:] quo nihil clarius ad ostendendum Conceptionem non dicere animationem.

2 Agit item hìc Philosophus de Conceptionibus varijs, quæ se inuicem sequuntur, & ait: [At in muliere raro quidem euenit vt superfœtetur, sed factum tamen aliquando est, qui itaque longo tempore pòst sint concepti, nihilo perfici possunt:] & deinde.] At verò si à primo conceptu secundus sit factus, absolui, edique potest, quod superfœtarit, vt quasi gemini nasci videantur, quomodo Herculem, & Iphiclem procreatos esse Fabulantur:] & *cap. 3. tit. capitis ponit.* [De indicijs Conceptionis,] & subdit; [Indicium mulierem iam concepisse cum statim à coitu Focus siccescit:] assignat item ibi membra corporis inepta ad Conceptum. Et addit de ijs; [si tenuiora commode ad Conceptionem habent:] & paulò pòst; [sit leuiora concipere nequeant,] & rursum dat signum, [Si in quartum diem semen intus permanserit, conceptum iam esse certum est] quo quid euidentius animationem non habere locum cum tempore Conceptionis, & cum Conceptione absolutè, licet illi vltimatè sumptæ debeat succedere. Rursum sequitur Aristoteles, [Purgationes autem accedunt plurimum cum conceperint ad tempus quoddam, scilicet triginta dierum maxime si concepta fœmina est, quadraginta si mas]: & rursum [at vero post conceptum, & dies, quas modo dixi:] itidem, [& araneæ propemodum specie apparet in mammis, cum iam concepérint:] atque iterum, [Conceptui argumento esse possunt:] & aliquo interuallo, [si à partu purgationes sequuntur parcius est; efficitur vt mulier validior sit, & celerius possint concipere.] In terminis tandem Aristoteles differit de Conceptione vt non includente animationem; vnde nihil est, quod desiderari possit ad cognoscendum aperte eius sensum circa hanc veritatem. Nam scribit *lib. 2. de gencre animalium cap. 3.* & in titulo habet: [verum in animalibus, quæ semen in fœminam mittunt, insit aliqua constituendi concept. pars:] & deinde subdit [sequitur vt & dubitemus, & dicamus, si in ijs, quæ semen emittunt in fœminam, nulla pars constituendi Conceptus sit, quod subierit & c. Definiendum igitur prius est, vtrum quod in fœmina constituitur, accipiat aliquid ab eo, quod subierit, an nihil accipiat] & pro re nostra petit, [atque etiam de anima, qua animal dicitur (est autem

animal parte animæ sensuali) vtrum in semine & conceptu ineſt, an non, & vnde conceptum inanimatum esse nemo statuerit vita omnibus modis priuatum, quippe cum nihilominus semina & Conceptus animalium viuant, quæ stirpes, & prolifica sunt: ergo animam in ijs haberi vegetantem palam est. Sed quamobrem eam primum haberi necesse sit ex ijs, quæ alibi de anima diſſ tuimus, apertum est.]

2 Quo nihil euidentius videtur dictum pro Aduersarijs, quod scilicet in Conceptu sit anima: sed Aristoteles in his dubitando loquitur, vt annuit, & rursum ad summum loquitur de anima quadam vegetatiua, non de rationali: sicuti deberet vt Aduersarijs faueret; nam subdit, [sensualem etiam qua animal est tempore procedente recipi; & rationalem, qua homo certum est, non enim simul & animal sit, & homo] vnde certum est apud ipsum & manifestissimum quod Conceptio hominis non importet infusionem animæ rationalis, sed antecedenter ad eam longo tempore haberi Conceptionem eius. Vnde luctari non possunt Aduersantes quod nomen Conceptionis in antiquis steterit pro prima receptione naturæ humanæ secundum animam & corpus, & secundum animam non mere vegetantem sed rationalem quod ipsis faueret; quando enim Virgo Sanctissima in tali antiquitate inueniretur dicta concepta in peccato, ostenderetur in prima infusione animæ Virginis fuisse veram originale peccatum, quod numquam ostendent, nec possunt vel poterunt ostendere.

4 Absolutè autem in prima Conceptione nulla ratione inueniri non solum animam rationalem, sed neque sensitiuam, & quod pluris est neque vegetatiuam secundum Aristotelem patere potest ex sequentibus in *hoc ipso 3. capite 2. de generatione animalium*: ita enim ipse post citata habet [sed enitendum pro viribus & quoad fieri potest accepisse operæ pretium est: animam igitur vegetalem in seminibus, concretibus scilicet non dum separatis (vult enim Aristoteles partes seminis producto viuēte & animali in aëtem vaporascere) haberi potentia statuendum est, non actu, priusquam eo modo quo conceptus qui iam separantur, cibum trahat & officio eius animæ fungantur] & post [pauca de anima quoque sensuali pari modo dicendum est] & aliquo interuallo: [de anima quemadmodum conceptus & genitura habeant eam, & quemadmodum non habeant definitum iam est: potentia enim eam habent, actu non habent.]

5 *Lib.* item 10. *de historia animalium*, hæc eadem significatio nominis Conceptionis pro illa seminum tantum, perspicua est: nam *cap.* 3. scribit Philosophus, [idcirco mas & fœmina omni quoque figura cœuntes concipiunt, quia in anteriorem prorsus partem & terminis & viris seminis profusio fit: nam si intro fieret non quocunque modo concumbentes conciperent, si verò vteri in rectum non spectent, sed vel ad coxas, vel ad lumbos, vel ad imum ventrem reclinent fieri conceptio nullo modo potest ex causa prius explicita, quia semen excipere non valent] & cap. 4. [si alioqui valeat corpore quæpiam, & in ætate constituta sit, cito semen procreat; dum enim augentur & auctæ etiam sunt, id fit. At hinc præcipuè grauidas se fieri non aduertunt, non enim putant se concepisse nisi senserint] at paulò pòst, [maximè autem hoc eas latet, quæ fieri nullo modo posse opinantur vt concipiant, nisi exsiccatæ fuerit:] quæ omnia non possunt competere nisi Conceptioni carnali, non illi primæ animationis. atque adeo veritas posita euidens est in Aristotele.

---

§. II.

Adducitur Auerroes & alij Peripatetici pro nomine Conceptionis significante in antiquitate solam carnalem.

1 SCholam item Peripateticam vniuersam nomen Conceptionis vsurpauisse ex prima antiquitate, pro Conceptione seminum, non naturæ, patere potest primum ex Auerroe, primo & præcipuo Aristotelis Commentatore, qui *lib. 2. de Gener. animalium. cap.* 4. ait, [Cum conceptus institutus est, facit simile ijs, quæ seruntur; principium enim primum semina quoque intra se continent, quod potentia primo contentum, vbi secretum non est, germen miscuit, & radicem, qua alimentum assumitur; incrementum enim desideratur. Sic in conceptu quodammodo cum partes corporis potentia insint, principium màximè promptum habetur quamobrem primum cor actu secernitur quod non modo sensu id fieri constat, sed etiam ratione]: quo loco dum Conceptionem agnoscit Commentator pro tempore pro quo partes animalis non sunt secretæ, sed solùm inueniuntur in eo esse tantùm potentia, & initiatiuè ad secretionem; apertè patet Conceptionem ipsum intelligere eam, quæ est seminum, & iam antecedentem ad animationem. *Et capite* 6. agens de Mulis [, sed interest quod mas septenis duntaxat generat, vt aiunt, fœmina improlis omnino est; idque propterea quia perducere ad finem quod conceperit, nequeat nam concepisse quidem iam Mulum constat.] Paulò pòst loquens de asina & equo, inquit [cum ergo inter se ipsa iunguntur, seruatur semen propter alterius calorem; calidius est enim quod ab equo secernitur, nam asini, & materia genitura frigida est, equi calidior est: Cum autem mixtum, vel calidum cum frigido, vel frigidum cum calido, euenit vt conceptus ex ijs seruetur, eaque vicissim ex seipsis fœcunda sint] vbi nullum signum assignatum in fœtu animæ, traditur existere in fœtu, & Conceptu; quare absolute nomine Conceptus non nisi Conceptionem seminum in antiquis significari patet; quod idem confirmatur ex ijs, quæ subdit idem auctor: [Itaque concipere aliquando mula potest quod iam factum est, sed enutrire, atque in finem perducere non potest:] Si autem enutrire non potest, videtur quod non potest ea præstare, quæ requiruntur ad animationem; vnde Conceptus eius non pertingit ad illam, nec nomen inde Conceptus potest animationem significare: & sub titulo [quam ob caussam mulæ sint steriles], inquit

[si

[si equa ex equo conceperit, deinde a sinus superuenerit, illam equam peruertet, quod quidem non fiet si alter equus eam inierit] quo loco apertè Conceptionem eam tradit, quæ antecedenter habetur ad animationem; quæque peruertitur ab asino quæ certe non nisi illa seminum est; nam illa naturæ asini habita si esset non peruerteretur iam completè genito fœtu, *Capite item* 7. habet Auerroes, [quæ concepta maris diuersi coitu sunt, naturam in eum qui post coierit mutant.] Capite item. 8. libri tertij dicitur, ab Auerroe de Mustella, [& omnino est occultus eius conceptus] & capite. 9 [in ouis autem, vel ijs, qui perfectum ouum pariunt, conceptus primus indiscretus adhuc recipit incrementum: qualis naturæ etiam vermis est, mox alia conceptum suum ouo perfecto edunt, alio imperfecto quod extra perficiatur, vt sæpe de piscibus dictum est: quæ verò intra se pariunt animal, ijs quodam malo post primum conceptum ouiforme quoddam efficitur; humor enim in membrana tenui continetur, perinde quasi oui testam detraxeris; quamobrem deprauationes conceptuum, quæ per id temporis accidunt, fluxus vocant.] & paulo post; [sunt enim conceptus non nullorum duri, quamuis omnino diuersi, sed quod totum mutetur, nec ex parte eius animal gignatur, id vermis est:] quibus locis aperte de Conceptibus ea dicuntur, quæ non conueniunt animali iam animam habenti, sed in valde priori tempore ad animationem Capite 11. idem repetitur à Commentatore, dum dicitur, [Quamobrem de prima hominum vel quadrupedum generatione, vt aliqui dicunt, non temere existimaueris altero de duobus modis oriri: aut enim ex verme constituto primum; aut ex ouo, quippe cum aut intra se habent citum ad incrementum necesse sit, qui quidem conceptus vermis est, aut aliúde accipere, idque aut ex patrẽte aut ex parte conceptus: itaque si alterũ fieri non potest vt affluat ex terra, quomodo ceteris animalibus ex parente, relinquitur necessariò vt ex parte conceptus accipiatur. Ergo si initium vllum generationis animalium omnium fuit, alterutrum de his fuisse probabile esse aperum est: [& lib. 4. cap. 2. [si ergo ita est, & fœmina contraria est formæ maris, & mas & fœmina sunt eadem specie; iam igitur ob quam vnus conceptuum est fœmina, alter verò mas, non est nisi virtus seminis maris, & eius debilitas, & quia hæc contraria non habent medium, & omnino sunt extrema, quæ seruant formam speciei omnino omnis embryo aut fœmina est, aut mas.]

Rursus scribit Auerroes præter hæc cap. 4. [Causa igitur vt plures conceptus contradistinctos, nec vnum continuum ex cunctis consumetur in multiparis animalibus, hæc est quod non ex quantolibet conceptus sinchoetur, sed si aut parum, aut multum admodum sit, gigni non poterit. Præscripsit enim certaque est virtus, & patiens, & agens: simili modo in vniparis, magnisque animalibus non multa ex mulo excremento consistunt; cum in ijs etiam ex certo quanto, certum quantum, quod conficitur, sit. Plus igitur materiæ talis non mittit, ea, quam prædiximus causa; quam autem mittit talis per naturam est, ex qua vnus tantum conceptus generetur: quod aliquando plus accesserit gemini nascentur. Ex quo fit vt hæc portenta potius iudicentur] & paruo interuallo: [partium autem superuacuarum præter naturam eadem causa est, quæ geminorum generationis, iam enim in conceptu causa accidit: videlicet si plus materiæ consistit, quam pro ipsius natura partis sit; sic enim accidit vt vel pars maior, quam iustum sit, efficiatur V. G. digitus, aut manus, aut aliud ex ceteris extremis, aut fisso conceptu plures reddantur, quomodo in fluuijs vertigines geminantur, si enim ibi; vt humor, qui fertur, & profluens mouetur, si in aliquid offenderit, secetur, & ex vna in duas euadat constitutiones, quæ eundem habent motum. Hoc eodem modo in conceptibus euenit. Adnascerentur partes illæ vacantes, maxime quidem propinquæ, seu aliquo modo etiam remotæ propter conceptus motionem] in quo discursu supponit Auerroes conceptum multiplicari ex multiplicatione, & diuisione materiæ, atque adeo de eo semper loqui apparet, qui animationem non Supponit, sed materiæ formationem, quæ disponatur ad introductionem animæ sibi coniungendæ.

Post plura etiam scribit hominem non generare posse equum, vel animal tale non rationale, & subdit. [Cuius rei iudicium affert ex varietate temporis conceptionis; tempus enim quo equus gignitur, non est aliud in quo homo generatur, sed si homo equum generaret tempus quoque generationis eorum esset idem, quod est falsum;] nemo autem tempus varium Conceptionis animalium, applicat primæ animationi eius quæ est quid incognitum, sed illud vocat more coagulationis seminum & similis vt patet: & cap. 5. ait, [eodem coitu plus seminis mittitur quod partitum, multiplicare conceptum potest, si alterum post alterum accedit, sed si aucto conceptu, coitus adhibetur; superfœtari quidem potest, sed raro: quoniam vterus magna ex parte ad partum vsque se comprimat, si tamen aliquando accidat vt superfœtetur (iam enim id euenisse constat) perfici non potest, sed conceptus abiguntur similes ijs, quos abortus vocamus;]

Item cap. 7. [animalia auctiora non superfœtant, quia eorum excrementum absumitur in conceptum, primum scilicet excrementum fœmineum, & neque supererit ex eo nisi quantum enutriat primum conceptum tantum] & paruo interualo: [mulieribus quoque non superesse multum seminis post primam conceptionem, ostenditur, quia non sanguis effluitur ab eis post impregnationem secundum naturalem vsum;] & deinde, [natura hominis est particeps harum duarum specierum, scilicet multiparæ, & pauciparæ, ideo dissidere tempora conceptus eius. Parit enim septimo mense, & octauo, & nono;] & deinde, [accidunt maribus in conceptione plures deprauationes, quam fœminæ;] & rursus, mulieres putant se concepisse, tempus tamen partus transit; [& capite 8.] nec lactantes concipiunt, & si conceperint, lac extinguitur: [quæ omnia semper id ipsum propositum euidentissime confirmant.

§. III.

Ostenditur vniuersam scholam Peripateticam & philosophicam nomine Conceptionis non intellexisse, neque intelligere nisi carnalem, & non primam infusionem animæ rationalis.

1 ASsumptum nostrum hîc est ostendere quod vsque ad S. Thomam inclusiuè in tota antiquitate apud Philosophos nomen Conceptionis significauisse illam seminum, non verò aliam naturæ; sed licet aduertere, quod in schola Peripatetica & in quauis etiam philosophica, quæ ab Aristotele aberraret nomen Conceptionis vsque modo etiam post S. Thomam significare soleat Conceptionem seminum, & vsque modo vidi neminem ex Philosophis, qui Conceptionis nomen absolutè loquendo tradiderit conceptui importanti in homine infusionem animæ rationalis. Pro cuius rei ostentione non est necesse expiscari in omnibus Philosophis, quemadmodum egimus in Aristotele & Auerroe, vbi de Cõceptione aliqua loquantur humana vel etiam brutali, nam valdè longum & operosum negotium esset. & communiter Peripateticis cum non scripserint Super Aristotelem in libros, in quibus de his Conceptionibus egerit, videlicet in eis de generatione & historia animalium, oporteret eorum loca venari fortuito, vt aliqua inuenirentur, in quibus nominaretur ab eis Conceptio: & licet factum sit in aliquibus ex antiquis & Aristoteli proximis Peripateticis, nihil in eis minutim non pernolutatis inuentum est, quia Aristotelem commentati ipsi sunt in reliquis speculatiuis vt Simplicius, Philoponus & alij priores; non verò in dictis libris magis historicis quàm Speculatiuis: & si quidem aliqui alij Philosophi de Conceptionibus hisce meminere & super dictos libros peripateticos scripsere ij fuere Medici, & in ea categoria in sequẽtibus nos ponemus. Id quod pro re nostra magis vrget, attendi debet in philosophis sequentibus doctrinam Peripateticam qui floruere posterioribus temporibus ante S. Thomam, & post institutum festum Conceptionis Dei genitricis in Anglia, & multò magis post festum eius vsurpatum in Ecclesia Græca, quando vniuersaliter omnes visi sunt nomen Conceptionis sumpsisse pro illa seminum.

2 Hoc autem præsertim elucet in duabus quæstionibus solennibus quæ fuere inter ipsos; prima scilicet in qua controuertetunt an semen animalis & hominis esset animatum: & 2. in qua disceptauere, an posito quod semen non sit animatum fœtus animalis antequam informetur vltima forma animalis, prius tẽpore viuat vitâ priùs vegetatiuâ, & deinde sensitiuâ; & postea si est homo formationi substans, vita rationali sit præditus: nam vtrobique Philosophi dicti tradunt vel per modum doctrinæ, vel per quamdam suppositionem quod Conceptionis nomẽ nõ stet pro prima animatione animalis completi vel hominis. Quare numerandi hîc sunt S. Thomas *p.1.q.118.art.2.ad 2.* cum suis sectatoribus, quibus suffragantur Conimbricenses *lib.2.de anima art.3.q.4.* & Suarius *opere sex dierum lib. 2. disp. 9. sect.7.* qui volunt fœtum conceptum esse animatum, fundari in eo dicto Aristotelis 2. *de Gener.anim.cap.* 3. vbi ait, Conceptum inanimatum esse, nemo statuerit, & vita modis omnibus priuatum, quippe cum nihilominus semina & conceptus animalium viuant, cum stirpes & aliquandiu prolifica sunt. Ergo animam vegetantem habere planum est; sed quam ob causam cum primum haberi necesse sit, ex ijs quæ alibi de anima diximus: apertum est sentientem quà animal est tempore præcedente recipi & rationalem, qua homo, certum est: non enim simul & animal fit & homo.

3 Rursum numerandi sunt qui contra hos sentiunt & existimant fœtum non esse animatum; tum supra dicti conueniunt quod conceptus fœtus etsi animatũ aliquam habeat rationalem certe non habet, cum in Ecclesia contrarium dicere sit error contra caput, *sicuti.32.q.2.* vbi definitur non cõmitti homicidium ab occisore fœtus in vtero, antequam sint formata eius membra, & infusa sit anima rationalis; quæ vt constat ex vsu Ecclesiæ non infusa, nec animare corpus ante formationem omnium membrorum, quæ in masculo organizantur spatio quadraginta, dierum circiter, in fœmina post octoginta dies.

4 Duæ etiam aliæ classes Auctorum sunt recensendæ pro sensu tradito nomini Conceptionis contradistinctæ ab animatione, eum illi scilicet qui dant animam semini vt Plato in Tim æo, Themist. 1. *de anima cap.*2 5. Galen. *in lib. de marasmo cap.* 5. Valles. *lib.* 2. *controu. cap.* 9. Theoph. Zimara *lib.* 2. *de anima cap.* 1. *t.* 10. & *lib. de generatione animalium cap.* 1. tum alij qui negant cum Aristotele *lib.2.de anima cap.1. text.* 10. & *lib.2.de generat.anim.cap.*1. vt habent Conimbr. scilicet S.Th *lib.2. contra gentes, cap.* 89. Scotus *in 4.d.44.q.3.* Alb. Mag. 2.*f. summæ de homine*, Thomas Galbius, *lib.1.tract.5.q.5.* Tandun. 2. *met. q.* 19. *concluſ. diſſ.* 48. Fernel. *lib.* 4. *suæ Physiol. c.*33 ipsique Conimbr. 1.*de gen.c.*4.q.25. & alij qui omnes nolunt semen toto tempore quo formatur ex vi seminis fœtus, neque ipsum semen, nec partes conceptas, quæ formantur ab ipso esse animatas anima rationali; quod est quod nos maximè intendimus.

5 Hoc ipsum patet in ijsdem Philosophis: qua etsi ipsi differunt in assignatione primæ partis corporis, quæ in conceptibus venit formanda, & aliqui, cum Aristotele velint formari primum cor, alij verò pronũciant pro hepatis formatione, vel si sunt alij pro alia parte, nihilominus conueniunt quod Conceptus eiusmodi in prima partis vel duarum aut trium etiam partium organizatione, dum omnes principaliores saltem non sunt formatæ Conceptus ille eo tunc nullo modo sit animatus anima rationali, atque adeo quod nomen Conceptus non importare possit illam pro eo tunc, & ex sua ratione & quantum est ex vi nominis, & si illam potest importare ea adueniente, non habet hoc ex se solo, sed quia ei additur adiectiuum V. G. animati, & dicatur

Conceptum

Conceptum esse iam completum & animatum anima rationali, quod non oppugnamus; nam solùm volumus nomen Conceptus & Conceptionis vt sic apud Peripateticos & Philosophos etiam alios non significare absolutè prolatum pro prima animatione animæ rationalis in homine, neque etiam alterius animæ brutalis completæ, sed pro illa quæ dicitur seminum toties explicata.

6 Huic doctrinæ receptissimæ apud omnes Philosophos solùm video quod possit obstare id quod habet Pater Arriaga in suo cursu philosophico *lib. 1. de an. sect. 12. num.* 21. qui controuertens an in fœtu antequam introducatur anima perfecta præsertim rationalis, prius tempore introducantur in eo aliæ animæ, imperfectiores primum scilicet vegetatiua, & secundo sensitiua, & tertiò tandem rationalis, & concludit quod hæ præcedétes animæ non sint concedendæ; quia in generatione animalium perfectorum deberent produci primo anima vegetatiua & deinde sensitiua, quæ corrumperet vegetatiuam, & tandem tertia alia sentina perfecta quæ destrueret sensitiuam imperfectam, quæ non apparet quæ posset in eo quo alia ab illa Equi: vnde astruit quod melius sit asserere quod eadem anima perfecta fungatur omnibus muneribus quæ tribuuntur animabus præcedentibus. Ex quo videtur sequi quòd cum animæ vegetatiua & sensitiua, quæ per plures Philosophos præcedùt in humano fœtu, dicãtur ab eis præcedere quando formantur eius primæ partes V.G. cor, hepar, & similes: videtur inquam sequi quod Pater Arriaga velit quod anima rationalis infundatur in fœtum dum non sunt absolutæ partes principales corporis humani, & dum formatur vna ex his, in ea carne fit infula anima rationalis: ex quo sequeretur, quod si ea per abortum extraheretur vel tangeretur in ventre matris ab obstetrice posset baptizari, nam ibi esset essentialiter homo, & ni baptizaretur anima illa damnaretur, atque adeo licitum & debitum esset quod abortus post decem vel viginti dies aut etiam triginta a conceptu, etiamsi in eo non videretur facies hominis, posset baptizari, quod est contra praxim Ecclesiæ; nec est credendum, quod tale quid voluerint homines tam docti: & existimandum est quod fortè velint formari omnes partes corporis, & esse tempus, quo in eo non appareant nisi operationes vegetatiuæ, & eo tunc infundat animam rationalem quæ illa munia præstet: i quod bene potest dici: sed non videtur contraponi dicto Philosophorum; neque dare animæ rationali quod ipsi dant cæteris animabus: nam hoc tale ipsi præstant fœtui pro tempore quo partes principales eius non sunt formatæ: quare vellem quod aliqua occasione Pater Arriaga qui super viuit ad Theologicæ doctrinæ augmentum, suum sensum traderet enucleatiùs: & nos in præsenti vt certum damus apud omnes Philosophos præsertim Ecclesiæ filios, quod fœtus humanus, & per consequens conceptus eius ex sua ratione non importet animam rationalem præsertim in abortu, quo non sunt completæ partes principaliores corporis humani, ac proinde quod nomen Conceptionis & Conceptus non importet infusionem animæ rationalis, sed illam meram seminum; quod erat ex Philosophis demonstrandum.

7 Nec obijcias hic Albertum Magnum, *1. de an. tract. 2. c. penult.* & Martinum *1. de generatione q. 5. ad 5.* volentes teste Suario in opere sex dierum citato, in homine infusionem animæ rationalis haberi initio ipso organizationis partium corporis, quia non vacat hic examinare quid senserint hi Auctores, & si voluerint sine vlla forma humana Embryonem in ventre matris paucos post dies animari anima rationali, quemadmodum voluit ex Diana *p. 3. de abortu resol. 6.* Thomas Tienus *lib. de vi formatrice fœtus edito anno 1620. q. 8. conclusione* 11. qui post tres dies fœtum probaret anima rationali animari: nam quod ad rem nostram attinet, etiam ipsi concedunt ante eiusmodi animationem præcessisse Conceptionem, nec vnquam dixerunt illam esse simultancè cum animatione animæ rationalis. Quare intactum & irrefragabile relinquunt nostrum dictum quod nomen Conceptionis & Conceptus absolutè steterit & stare sequitur pro Conceptione seminum, & non pro infusione animæ rationalis, quicquid deinde sit quod velint paulò post Conceptionem sequi dictam animationem: non enim est huius loci controuertere & statuere de tempore animationis humanæ in fœtu ibidem humano. Licet de reliquo ex dictis patere possit falsitas istiusmodi dicti contradicentis vnanimi sensui Philosophorum & Medicorum, nec non Theologorum & Canonistarum, vt in citato Diana videre potes, & nos dicemus, *infra* de Canonistis pro nostro assumpto pronuntiantibus, scilicet *diuisione penultima huius disputationis*: nec mirum hoc esse debet, nam fere in vnaquaque controuersia semper inueniuntur aliqui, qui extractancellos rationabilis iudicij in hac vel illa re diuagantur, quemadmodum auctio apud Caramuel; quod nuperrimè quidam doctor in medicina (de quo fortè aliquid dicam in calce disputationis) scripserit infantem animari dum nascitur, è diametro oppositus Auctoribus hisce qui statim initio proiectionis seminum in ventre Matris post aliquos dies animationem completam reponunt: quæ omnia videntur esse mera chimærica & contra omnem experientiam: præterquam quòd redolent in Ecclesia errorem, in qua propter collationem baptismi iudicatum est ab Auctoribus communiter, eo tunc infantem esse illius capacem, quando formata iam sunt in eo principaliora membra, & præsertim appareat vultus humanus, licet in parua quantitate: & si quidem ante hanc formationem infans præditus esset anima rationali, vtique esset antecedenter baptizandus ne damnaretur, saltem sub conditione; quod cum non sit in vsu in Ecclesia, & expressè tradatur quod ad baptismum recipiendum debet esse formatus, liquidò constat ex Ecclesiæ iudicio quòd anima rationalis non infundatur in fœtum humanum, nisi is sit organizatus in partibus principaliorib⁹ complete, & non in mere initio eiusmodi, formationis.

8 Patet autem Ecclesiam meritò requirere fœtum modo dicto formatum vt velit eum posse baptizari, quia Exodi 21. dicitur iuxta versionē LXX. Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima, si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia] ex quo

aperte

apertè deducunt Auctores, quod eo tunc conceptus fœtus animam rationalem adipiscatur quando formatus est: vnde falsum est animari fœtum anima rationali in principio formationis, vel etiam tam citò post seminis proiectionem, quando formatio non potest supponi peracta. Si autem quis dicat ex virtute matris & seminis Patris posse aliquando inueniri fœtum, qui etiam tali tuo inueniatur formatus, non est dubitandum quod is eo tunc sit censendus informatus anima rationali: sed difficile creditu est tale quid aliquando euenire, vel euenisse & de hoc non est modo quæstio, neque quicquam, quidquid de ea dicatur, obest nostro sensui in præsenti, quando solum volumus quod Conceptio non importet ex se animationem animæ rationalis; & ex quadam abundanti doctrina solida addimus quod ea non infunditur in corpore, quod non habeat partes principaliores formatas pro qua re legi possunt Auctores in Diana *loco citato* scilicet Layman *lib.* 3. *Tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 7. Trullen. *in decal.* & alios apud eumdem.

DIVISIO III.

Adducitur Hippocrates Galenus, & alij medici tradentes Conceptionem significare formationem animalis in vtero antecedenter ad animationem.

1 EX medicis afferendus est primò Hippocrates artis medicæ magister & magnus Philosophus, quē Aristoteles semper vel ferè semper eius sensum amplectēdo solet in suis scriptis citare qui de natura pueri in fine sic ait. [Sic autē & mulieri ab vno coitu gemelli facti,] & rursum: [In vtrum autem sinum crassiorem aut fortiorem genituram ingredi contigerit, masculus gignitur.] De superfœtatione 7. [quæ gemellos gestat eadem die parit, sicuti concepit, habet autem vtrosque pueros in vna secunda: præterea, mulier quæ præter naturam crassa est, & pinguis, & pituita repleta non concipit suo tempore, quæ verò ex natura talis est, horum gratia concipit: [nec non num. 11.] si cognouerit mulier genituram se concepisse eo tempore ad virum non accedat sed quiescat [& paulo *post. n.* 12.] mulier, quæ concipit quidem, perdit autem fœtus bimestres: [rursum num. 171. [causam perscrutaberis propter quam non concipit, tempus porro vernum aptissimum est concipiendum:] & de morbis mulierum n. 18 [si mulierem puerperam facere velis alias concipere nequeuntem, menses considerare oportet, si verò concipere voles hæderæ grana septem dato. Cum purgatæ fuerint mulieres maximè in vtero concipiunt cum viro consuetudinem habentes;] vbi dat signa, quando non concipit: [& lib. Coacar. prænotionum.

[In sterilibus & non parientibus sanguinis motus ad Conceptionem prodest:] & de morbis mulierum, [si voles mulierem concipere, ipsam & vteros purgato, deinde ieiunæ farinam edendam dato:] [nec non lib. 1. præd.

[Porro ex mulieribus, quæ magis aut minus in vtero concipere solent:] & deinde, [paruæ enim ad Conceptionem præstantiores sunt maioribus:] & libro 1. de morbis mulierum num. 101. [medicamentum ab conceptum cedriæ acetabulum] & ibidem: aliud ad conceptum quo cures mulierem, vt in vtero concipiat, [vrinam sumito veterem] de sterilibus num. 19. [Conceptorium summum melanthium mulieri in vino nigro acerbo bibendum dato:] & ibidem, [videbatur hæc causa ipsi esse, vt ne conciperet;] & rursum, [dabam itaque ipsi vinum album & non longè pòst concepit.] In quibus omnibus locis clare liquet consideranti Hippocratem, dum agit de Conceptione humana, vt hic solet, eam tradere sine vllo verbo, quod præsupponere, vel inferre possit animationem in fœtu, qui concipitur: & rursum in illis circumstantijs eam scribere, quæ longè eam ostendunt ab animatione; Quare firmum debet esse nomine Conceptionis ab immemorabili non importari animationis statum in fœtu, qui concipitur; quod probare videmur ni fallor, ad euidentiam, & fortè ad fastidium tot auctoritatum, quæ omnino debent adduci, vt Aduersarij fere palpent, quam absurde ipsi contra omnem veritatem aliqua proferant, quæ proferre non deberent, dum irridentes eos, qui de Conceptione Virginis Patres Interpretantes eam explicant de Conceptione hac antecedente ad animationem; quasi vero alia sit Conceptio, de qua loquuti sunt, non verò de hac; atque hoc egerint nostri Auctores contra omnem vsum modi loquendi omnium doctissimorum virorum ab immemorabili.

2 Qua propter ne quæso molestiæ sit lectori ad grandem, & plenissimam, fundatissimamque doctrinam tradendam, vnde obiecta Aduersantium Immaculatæ Conceptioni Virginis pro nullis habeantur omnino ab omnibus, si alias & alias longo ordine auctoritates aducamus semper in idipsum. Id enim facimus, vt euidenter constet vsque ad sanctum Thomam inclusiuè Conceptionem significauisse semper statum fœtus non animati: nec posse rem hanc vlli subiacere dubitationi.

3 Sed acutus quis hic dicet, ad hoc vt eiusmodi veritas ita firmetur, & euidens fiat in sensu Auctorum; oportet ad euidentiam demonstrare quod Conceptionis nomen quandocumque ipsi vsurpant, de Cōceptione loquātur prout distincta, & antecedente ad animationem, & non quæ cum illa sit coniuncta, & quam secum includat. Quod non apparet in textibus citatis, in quibus non significatur hæc contradistinctio, & status antecedentiæ ad animationem: Porro addet eiusmodi vir acumine pollens ingenij, quod ad intentum sic apertè demonstrandum non sufficiat aliqua, vel plura loca afferre, quæ Conceptionis nomina stare ostendant pro actione organizatiua corporis dicta, sed oportet cōfirmare omnia loca Auctorum, & comprobare ea non agere nisi de dicta actione organizatiua contradistincta ab animatione; nam si in aliquibus pluribus locis nomen Conceptionis assumunt ad significandam Conceptionem vt formatiuam corporis in priori ad animationem, & alibi soleant idem nomen vsurpare pro Conceptione includente animationem, seu Conceptionem naturæ; non

stabit

stabit nostrum assumptum absolutum, volens rem demonstrare, quodue iam vt certam protulit, & determinatè, quod quando Auctores loquuti sunt de Conceptione in genere, vel de Conceptione in peccato, vel etiam de Conceptione Virginis in peccato, id omne; & præcisè dixerint de Conceptione seminum; non de illa naturarum.

4 Et quamquam huic dicto facilè quiuis Ingeniosus lector, ex his quæ hic ponuntur, & posita sunt satisfacere ex se posset huic obiectioni, vt ea nulla apparet; ponderabimus quod in his omnibus locis adductis, & si expresse non videtur tradi Conceptio, vt actio contrastincta, & longe remota ab animatione hominis; talis apparet interposito aliquo breui discursu ex ijs, quæ in his locis habet Hippocrates, & similiter alij Auctores in suis monumẽtis. Vnde aduerte lector, quod si in prima auctoritate eius adducta non dicatur aliud quàm quòd mulier vno coitu faciat duos gemellos; si ex vna in aliam rem ratiocinando discurras, inuenies quod velit Hippocrates quod vno coitu, & nulla alia re intercedente, faciat, & generet mulier duos gemellos; & cum animatio vt supponitur, & habetur pro re certissima, sit longissimè distans à coitu: & iam dicit Hippocrates quod antecedenter ad animationem habeatur generatio gemeliorum per vnum coitum, & hæc eorum generatio sit Cõceptio seminũ, vt explicat saltẽ in actu exercito innumeris in locis: ex hoc ipso ostendit Hippocrates Conceptionem duorum haberi per vnum coitum, atque eam non in animatione consistere, sed in mixtura seminum apta ad organizationem corporis; quia si Conceptio in animatione consisteret, non posset dici gemellos factos per coitum, sed longè post ipsum, atque adeo vel per varios coitus suis procedat in actu carnali, vel non ex vi solius vnius coitus, sed per aliquid aliud, quod negat Hippocrates, qui rursum dum explicat quod gemelli fiunt ex vno coitu, quia semen viri diuiditur in sinibus varijs mulieris, ex hoc ipso ostendit, & se loqui de Conceptione seminum, & de actione pro valde tempore antecedente ad animationem, quod est quod volumus. Quibus adde quòd Hippocrates de superfœtatione loquens vt paulò pòst citatur, scribit expresse gemellos eodem die conceptos, nec vmquam dicit aliquid vnde intelligatur dicere quod eadem die animentur, & nullo modo quod eodem momento temporis animentur, quod non est credendum contingere nisi ratissimè.

5 Si item percurras alia loca, facili discursu ad euidentiam conuinces intentum ex Hippocrate. Nam dum dicit quod mulier, quæ cognouerit se Concepisse, non accedat eo tempore ad virum, sed quiescat, non loquitur nisi de tempore, quo primum in vtero habuit non de animatione: ergo euidenter per ipsum Conceptio non stat pro animatione. Similiter dum ait, quod Mulier aliqua concipit, & perdit fœtus bimestres, iam si fœtus hic, non est masculus, sed fœmina, cum de verisque loquatur ad solos fœtus masculos, aperte patet Conceptionem de qua loquitur non dicere animationem; quia fœmina, bimestris non est animata: cum animetur post octoginta dies. Et similes discursus facies in alijs locis Hippocratis ad comprobandum euidenter quod in adductis locis non sumat is nomen Conceptionis ad significandum aliud, quam actionem organizatiuam antecedentem ad animationem, quæ doctrina valet propter alia loca Auctorum, quæ *infra* afferentur.

6 Quoad secundum ab acuto Viro suggestum, notamus, primo quod ita Auctores antiquiores de Conceptione loquuti sunt, vt vel numquam præcisè loquuti sint de mera Conceptione naturarum, vel saltem fere numquam, & cum decetero semper de illa seminum loquuti sint, ita communiter de ea existimandi sint loqui, quæ quiuersalissimè sub hoc nomine solita est ab eis tradi: esto de reliquo rarissimè pro nomine Conceptionis stet apud ipsos Conceptio naturarum, & maximè alicuius supernaturalis humani. Nam possessio stare debet pro significatione communissima nominum, non pro rarissima; & quando absolutè vnum nomen fere semper stat pro vna determinata significatione, dum ex circumstantijs non conuincitur apertissimè alia significatio rarissima, nullo modo ea danda est nomini prætermissa communissima Sic quando nomen Deus stat pro vero Deo, & si detur per participationem creaturæ aliquando; quando tamẽ absolutè profertur stat pro vero Deo, quem communissimè significat, non pro Dijs, & sanctis, qui dicuntur Dij per participationem, & sic de similibus.

7 Vt autem magis pateat quàm summè communis sit significatio Conceptionis seminum in nomine Conceptionis, præter quindecim loca adducta ex Hippocrate, hac occasione adducenda sunt alia multò plura, quæ quod dicimus ostendant, & manifestiùs apud omnes Theologos innotescat in tota antiquitate vsque ad Diuum Thomam nomen Conceptionis stetisse semper pro Conceptione seminum. Videatur ergo item Hippocrates minutius, & primo *de Natura pueri n.* 4. ubi refert, [Audierat cantrix ipsa qualia Mulieres, inter se dicentes quod quando mulier Conceptura est in uentre genitura, nõ egreditur, sed intus manet.] Quare ad manentiam genituræ per aliquod semper tẽpus Conceptionẽ haberi sensit Hippocrates, cum hunc sensum mulierum approbet, atque adeo eam longe ab animatione æstimauit, & paulo ante de hac muliere dixit, [Cantrix magnæ existimationis in virorum consuetudine erat quam in ventre Concipere non conueniebat, vt ne minoris existimationis esset] & de hac dixit, quod quia genitura in se manentem obseruauerit, ac proinde concepisse remedium abortus ab Hippocrate quæsiuit, & obtinuit post sex dies à Cõceptione, & receptione genituræ, longissime ab animatione fœtus, vt patet & numero 5. [menses non prodeunt, vbi mulier conceperit intra seipsam:] atque adeo conceptio habetur ante expectationem mensium; qui habentur certe ante tempus animationis fœtus; & numero 14. dicitur [multæ mulieres puerum masculum perdiderunt (vtique conceptum, si non concepus enim est; non puer dici potuit) paulo ante trigesimum diem & inarticulatus apparuit;] vtique non animatus Conceptio ergo omnino præcessit animationem ex Auctore, & libro de Carnibus numero. 20. [Meretrices publicæ quæ sæpius de

seipsis

seipsis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, sciunt quando in ventre concipiunt (scilicet paulo post coitum, vel in ipso coitu) & postea conceptum intra se perdunt.] Conceptio ergo est ante animationem; & numero. 21. [Mulier cum in ventre concepit, statim horret, & calor, & dentium stridor consequitur, & conuulsio occupat tum articulos, tum totum corpus; & veterum segnities & torpor.] quæ non contingere dicuntur in animatione fœtus, vt patet, & libro de octimestri partu numero. 5. [plurib⁹ enim mulieribus necessarium est in ventre concipere post menstrua purgamenta vbi ab his [illegible]iæ fuerint:] dubium autem non potest esse quod hoc sit in animatione fœtus, vt patet; & paulo post; [sunt etiam & alia multa impedimenta etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur:] vbi non est sermo de animatione: non enim viri sunt causa tardioris animationis absolutè loquendo, vt perspicuum est, & numero. 6. [necessarium est plerisque mulieres circa plenilunium, & vltra, in ventre concipere:] Nec sermo Hippocratis esse potest de animatione fœtus, & conceptus, vt patet, quæ incognita omnino est, quando eueniat.

8 Rursum habet, [cum vltra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum vndecimum mensem attingere;] & de superfœtatione, [superfœtant autem mulieres quando stomachus, idest vteri os post primum conceptum non clauditur ita valde idque apparentibus signis constat:] quod non potest intelligi euenire in alia actione quam in prima mistura seminum, non in animatione, vt liquet. & num 20. [Mulier quæ facile concipiebat, si prægnans esse desijt:] vbi non est sermo de Muliere, quæ facile recipit animationem in fœtu, & numero 18. [Si Mulier præ pinguedine vterum ad concipiendum læsum habuerit.] nec vlla est læsa ad habendam animationem in fœtu: & de natura muliebri numero 16. [cum concepelit, & vterum vt partus gestarit, & quæ natura sterilis est primum quidem menses deficiunt.] ibidem varia remedia tradit, vbi mox Conceptionem spetat, vnde statim post aptum coitum Conceptionem haberi supponit vnde ait numero. 105. [Si Mulier non concipiat tauri vrinam collige &c.] & numero 24. [desideat etiam super mollia si conceperit,] & deinde; [& hæc quidem si conceperit, si verò non conceperit, sed secunda aut tertia die exeunt, quæ à viro immissa sunt:] quæ non supponunt animationem manifestissimè: & numero 27. [si verò non concipiat, vteri autem sani sint:] & numero 37. [sunt autem & mulieres, quæ facile quidem in ventre concipiunt, gestare verò non possunt sed ipsis fœtus corrumpuntur; [& numero 39.] si genitura iugi cursu defluit; mulier vero viro misceri non cupit: & si misceatur, non concipit;] & de natura muliebri 123. [si duri fuerint vteri, & non concipiat mulier,] id quod non potest dici de fœtu, qui non animetur in muliere vt patet ex contextu, & rursum 124. [purgatorium, si mulier non concipiat, [scilicet ad concipiendum, & Conceptionem filij habendam, non quidem animationem eius, sed absolute fœtum, & embryonem, & de morbis mulierum numero 26. dat remedia concipiendi & ait, [& hæc quidem si conceperit, hoc modo facere oportet:] si verò non conceperit, sed secunda, aut tertia die exeunt, quæ à viro immissa sunt, [vbi patet in opera viri post duos aut tres, & paucos dies infra tempus animationis, stare Conceptionem.

9 Idem numero 27. [si vero non concipiat, vteri autē sani sint] & dat alia remedia ad ejusmodi Conceptionem habendam, non certe ad animationem locus fœtus habiti: & numero. 31. [cum vero à viro immissa graueolentia fuerint non concipit,] & numero 35. [quod si diu non concipiat, mensibus non apparentibus cum tertia aut quinta dies aderit alumen tritum vnguento dilutum & lana excerptum apponitur, & habeat post triduum;] & post paucos dies post alia promittit Conceptionem. Et 39. [si verò genitum iugi cursu defluat, mulier viro misceri non cupit, & si misceatur non concipit:] certè dum negat. Conceptionem, non loquitur de animatione fœtus. Non ea ergo secundum Hippocratem in animatione consistit, & libro de sterilibus numero 1. [si os vterorum omnia auersum fuerit à pudendis non concipiunt; non enim suscipiunt vteri genituram, sed statim foras exit:] & numero 2. [si leues vteri fuerint, mulier in ventre non concipit nam genituram quidem suscipient, si non aliqua causa constiterit, sed semen foras emittunt], & deinde: [quandiu sane vleus habuerit in ventre, non concipit, non enim concipiunt vteri genituram.] & numero 4. [si vero mulieri menses non prodeant omnino aut ab omnibus relatis: etiam sic non concipit; venæ enim sanguine plenæ genituram non suscipiunt:] & numero 5. [& si os vterorum ex pudendis exciderit, neque sic concipit, nam os durum est & genituram non suscipit.] & iterum; [& si non prodeunt mēses, sed deorsum processerunt in sedem, neque si concipit;] & numero 6. lac mulieri masculum alenti dato & si eructauerit concipiet; sin minus, non] & rursum, [si cognoscere voles an mulier concipiet,] & assignat signa conceptionis, & iterum, [quæ in ventre habent, maculam solarem in facie habent, & postquam conceperunt, vinum habent odio & cibos auersantur;] nec hoc dici euenire in animatione fœtus, vt liquet, & si de similibus alijs locis, vbi semper apparet Hippocratem Conceptionem intelligere eam, quæ est seminum, non eam naturatū: & ego qui peruolutaui hæc loca Hippocratis in tot eius libris numquam obuiam habui vllam Conceptionem ab ipso habitam, vel quæ haberi posset pro illa naturarum. Quare luce ipsa clarius manet in ea antiquitate stetisse Conceptionem omnino pro illa seminum, non pro animatione, nec etiam naturarum. Atque hæc de Hippocrate sufficiant.

§. 11.

§. II.

Separatim adducitur pro eodem Galenus.

1 NOn minus apertè & euidenter ostendit Galenus pro eodem Conceptione saltem absolutè non intellexisse nisi primam mistuam seminum; & constare potest primo ex ijs quæ habet libro primo capite primo de semine, his verbis, [Dixerunt mihi mulieres vbi semen conceperint, quādam in se in vulua motionem sentire, quæ quasi conuellat, ac paulatim illam in se contrahat. Imo etiam mihi quod ipsum quod dicunt concipere semen, & nomen hoc, Conceptio ideſt comprehensio; hinc à mulieribus fuisse compositum videtur, [& deinde,] nonnulli diligenter vuluarum etiam motum adscripsere quoad semen contrahitur, ipsumque esse censui, vt integros libros omnium qui hæc scripserunt perlegerem, quos inueni etiam ipsos hoc idem affirmare, hoc est si Conceptura est mulier, opus esse genituram viri intus remanere; [& cap. 4. refert & rejicit Aristotelis opinionem quod semen diffluat in Spiritum, & ait, [quomodo igitur si in prima Conceptione genitum in Spiritum diffluit;] & paulo post: [si volueris statim vbi animal conceperit, dissecare vndequaque plane leui circuiectos locos inspicies, vbi legenti liquidò patet non posse loqui de Conceptione de prima animatione in qua Conceptio consistat, Similiter libro de dissectione vuluæ capite 10. [Quamuis reliquo toto expurgationis tempore aperta ita hæc sint (scilicet vulua) non tamen cum concipere mulier vllo modo potest, cum semen nequeat in vulua remanere, sed ab influentis sanguinis copia eleuatur:] libro item de fœtuum formatione repetit, & supponit doctrinam Hippocratis de Conceptione in Psaltria, quæ genituram motu expulit post sex dies, & idem cum eo sentire de Conceptione ostenditur. Vbi notat varios sensus Medicorum, & Philosophorum de anima quæ fœtui conceditur, vel negatur; & licet recenseat aliquos velle semen in Conceptione animam coniunctam habere, nihilominus expressè id sensit de anima vegetante, non verò de sensitiua, & multò minus de rationali, quam longo post tempore deuenire concedit, & post formationem membrorum corporis, quæ requirunt longam moram in sui organizatione. Vnde certum, & indubitatum est apud Galenum nomine Conceptionis non venire animationem Corporis factam per animam rationalem, atque adeò ex prima antiquitate Conceptionem mere significasse primam missionem seminum, illamque actionem primæ horæ, vel temporis formationis fœtus.

2 Operosum autem valde negotium esset vniuersa loca Galeni hoc idem concludentia recensere. Sed pro certo sit numquam Conceptionis nomen in homine stetisse apud Galenum pro prima animatione ex Brasauolo, qui diligentissimè in suo indice recenset omnia loca Galeni in quibus de Conceptione loquitur: nec vnquam illud vsurpat nisi pro dicta prima mistura seminum, & nunquam significare per illud voluit illam naturæ humanæ, quando primò incipit esse homo in prima infusione animæ rationalis. Legatur hic Auctor, qui primum citat Galenum notare omne animal habere concipiendi instrumenta scilicet 14. *de vsu, parte prima pag.* 204.

3 Rursum in Galeno notat *hoc eodem loco pag.* 329. concipiendis instrumentis naturam dedisse eximiam quamdam vim voluptatis effectricem. Tertiò notat vt vidimus ex eodem, vnde Conceptio dicta. Præterea quare mulieres rarò concipiant etiam si sæpe concumbant de historia Phil. pag. 10. [nec non conceptus habere sua statu tempora] secundo de diebus decr. 4. pag. 331. Similiter Conceptionis tempus esse incipientibus, vel cessantibus mensibus,] de dissectione vuluæ S. 109. Et de natura, & ordine cuiuscunque corp. pag. 47. [insuper concipere facilè mulieres post menses:] 1. de sem. pag. 321. [& conceptus cur non sit antequam veniant menses,] de dissectatione vuluæ p. 509. [Concipere non posse mulieres in tempore mensium intermedio de dissectatione vuluæ, [& quæ Conceptionis causa.] Notat itidem à Galeno colligi necessaria ad Concipiendum, nec non quomodo concipiant mulieres & quæ vasa aperiantur, & rursum: [si conceperit mulier quomodo cognoscatur; atque iterum si noscere velis conceperit ne mulier cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da, & si tormina patiatur, concepit; si minus non concepit mulier; scire autem velis si cõceptura est, pannis circumtectam subter suffias, & si odor videatur per corpus ire ad nates, & os, scito quod ipsa non ex seipsa sterilis est] tradit etiam ex Galeno quomodo sciant mulieres se concepisse tertiò de natura; & addit ex eodem; quod mulieres conceperint, vbi dixerint se quid sentire. 1. de sem.] obseruat itidem ex eodem notari tertiò de natura in Conceptus principio, prægnantes sentire veterum in se concurrere & rursum [nullum animal concipere semen ex se excernens primo de sem.] & aduertit in eodem Magistro haberi [Conceptionis maximum indicium esse si obstetrix poterit immisso digito os vteri tangere.] & subdit, [quomodo Conceptio in muliere ex oris vteri compressione cognoscatur:] præterea ait ex ipso Galeno, [in Conceptionis hora ita clauditur os internæ matricis, in quo inchoatur collum, quod non possit etiam acus intrare.]

4 Quæ omnia cœcus est, qui non videat ostendere Conceptionem esse opus, & actionem remotissimam, & diuersissimam ab animatione, neque vnquam eam vt coniunctam consignificare cum conceptione. Sunt & in eodem Brasauolo citata ex Galeno plura loca, his quæ hoc ipsum confirmant, & sic ibidem traditur de Galeno quod obseruarit Conceptionis indicium ex colore Conceptus sex dierum, qualis fuerit in concepto; hat item primis tribus diebus sex primos sequentibus post conceptum quomodo formetur fœtus & alia multa quæ ibidem in Indice notat per aliam integram columnam, vbi perpetuò confirmatus sensus noster, ita vt neque per modum dubitandi possit proponi

locus Galeni in quo per Conceptionem, actionem significet, vel cum ipsa animatione fœtus cõiunctam. Quare secundum ipsum ad euidentiam constat Conceptionis nomen significare in primæua antiquitate primam & solam primam misturam seminum. Id quod ostendit hoc idem haberi in cæteris auctoribus de medicina agentibus, & sequentibus magistros suos, Hippocratem & Galenum. Vnde ne molestias lectori inferremus decurtauimus loca cætera citare, eumque ad dictum Prasauolum remittimus, qui credendus est nullum de hac re præcipuum locum omisisse ex Galeno, & tutos nos facit de modo asserto.

Similiter Andreas Lacuna qui in Epitomem Galenum redegit, & omnes Galeni Opiniones ad eius mentem exactè deduxit hæc habet pagina centesima decima octaua, Editionis Basileensis, tractatu de semine, vbi Conceptionem comparat cum generatione plantarum, aitque perfecta animalia sine mare non posse concipere, quod manifestè de seminum mixtione intelligitur. [Possibile est animo concipere tale temperamentum corporis, quod imperfectum animal generet absque alterius miscella. Perfectum verò in seipso id concipere, sanè difficile, & fortassis etiam impossibile est. Porrò tale debet esse generatiuum semen, vt statim simulatque est diffusum, substantia ipsius partim in membranam abeat, partim in venas distendatur, partim denique pulset. Quod igitur in plantis est terra, hoc est in conceptibus mater, alimentum suggerens, donec totum animal perfectè absolutum fuerit. Et quemadmodum plantarum semini largus ex terra humor, sic animalium semini, materia in maternis venis insitum alimentum existit. Dicere autem qui possit. Si iuxta prædominans semen similitudinem particularem natorum ad parentes fieri contingit, omnes parentes fieri contingit, omnes partes alteri parentum necessariò futuras similes, cuiuscunque tandem semen prædominabitur: id quod secus apparet. Idẽ author pagina ducentesima, nonagesima sexta, eiusdẽ editionis quæ à Galeno acceperat fideliter reddit. [Omnibus siquidẽ animalibus natura concipiendi instrumenta congruentia tribuit: ipsisque instrumentis eximium quamdam voluptatis effectricem: animæ verò ipsis vsuræ, incredibilem vtendi cupiditatem coniunxit: à qua animalia incitata, stimulataque etiamsi rationis expertia, ætateque tenera sint, prouident tamen non secus ac si prudentissima essent, vt genus suum sit superstes.] Et paulò post. [Etenim collum matricis, in pudendum muliebre desinit, quod cùm animal concepit adeò ad vnguem clauditur, vt ne minimum quidem aut foras laxet, aut foris intrò recipiat.

§. III.

Pro eadem Significatione nominis Conceptionis stantis pro carnali & seminum, adducitur Auicenna, & alij præcipui ex Medicis commentantes tum priores, tum etiam absolutè Scribentes.

1 Post Galenum videatur Auicenna *de natura animalium lib.* 2. versus finem, qui memorat [, & iam contingit, quod castratus fuit taurus, & coiuit cum vacca, & concepit ex eo vacca:] vbi quis non videt hanc Conceptionem ex tauro non importasse animationem in fœtu? libro item 9. capite de gener. spermatis notat, Concipit ergo tunc semina in ventriculis multis. (Scilicet intercedentibus varijs operationibus viri) multos fœtus quia omnem inuolutum cum altero diuisodiuidit se ab altero:] vbi plura numerat quæ animationem abijciunt à Conceptione summopere; & aliquo interuallo interiecto, [& aliquando cum super imprægnatur pariter viro, cõcepit, & abhorret secundo conceptum;] vbi circumstantias notat remotissimas ab animatione, & lib. post medium decimo octauo [sunt quædam animalia, quæ concipiunt super conceptionem, & non semper concipient, sicuti habentia vngulam integram: & bos tamen & equus faciunt super conceptione; sed raro, & in pluribus abortitur.] Ex quibus apertè patet Conceptionem non afferre animationem secundum Auicennam.

2 Pro hoc eodem sensu legatur Ioannes Martinellus in Commentarijs super libros Hippocratis, & primo lib. primo initio statim [Abortus ille dicendus sit, qui est in primis mensibus, cum conceptui exordium factum est;] & paulo post, [abortus intra quadragesimum diem contingit;] & libro tertio pagina trigesima octaua [Mulierum quædam, in vtero semen recipiunt seruantes, quædam non concipiunt; harum autem quæ concipiunt, aliæ retinent fœtum, aliæ corrumpunt:] quo nihil clariùs pro re nostra, vbi definit hic Auctor Conceptionem, & rursum, [quæ non concipiunt aliæ videntur concipere, & non concipiunt, aliæ maximè:] hæ autem non certè, quæ fœtum, animatum habent & Paragrapho sequenti, [Ex mulieribus quæ magis, aut minus concipere solent ita considerationem facere oportet; paruæ ad conceptionem præstantiores sunt maioribus, tenues crassis, albæ rubicundis, nigræ liuidis:] quæ signa non dederis de fœtu animato, & alio sequenti in vltima colũna dictæ pagina. [signa iam factæ conceptionis leguntur quæ sunt in libro de superfœtatione pagina vigesima secunda

cunda] numero nono vbi permulta eorum tradit ex Hippocrate, quæ non nisi Conceptioni seminum applicari possunt, & pagina trigesima nona colũna prima initio, [si ob causas ante relatas mulier fœcunda non conciperet.] & Paragrapho sequenti, [tempus autem, quo concipiunt, constituitur vt proditum est.] & alio sequenti Paragrapho [Cæterum mulieres quæ concipiunt, sed fœtum corrumpunt,] qui cum non soleat esse animatus, iam patet Conceptionem esse ante animationem, vbi dictus Auctor hanc doctrinam centies replicat. Sicuti videri, potest vnde sufficit quæ notata sunt prælibasse ; cum idem iudicium esse possit, & & debeat de cæteris eius dictis.

3 Subscribunt eidem sensui Daniel Sennertus libro quàrtò de morbis mulierum sectione quarta, capite quarto [Conceptio est vteri actio, cum fœcundum maris, & fœminæ semen ab eis excipitur, miscetur, fouetur, eiusque vis ad munus proprium exequendum excitatur.

4 Pro eodem habes Fernelium libro sexto de hominis Procreatione capite. decimo. [Conceptio est vteri actio, qua seminis potestas excitatur, & insitum sibi munus ac ipsa obit, exequitur.]

5 Pro hac eadem significatione nominis Conceptionis habetur itidem vniuersa schola Medicorum, pro qua videndi sunt Valleriola, Vallesius, Andreas Laurentius, Deramatus, Saltimantius, Mena Capilanus, & recenter fusè Garzia Carreto, de quo in fine huius disputationis præcipuè agetur sed hanc veritatem maximè confirmauit, & confirmat controuersia diuturna quæ fuit Panormi apud Excellentes Medicos anno millesimo sexentesimo quinquagesimo primo de quodam panu nato vigesimo sexto Ianuarij qui conceptus supponebatur die quarto Iulij an posset dici nonimestris an non. Nam & si aliqui id concesserint, & multo plures negauerint ; nemo tamen ex eis ab animatione mepses conceptus numerauit, sed omnes prorsus vnaniminter à coitione prima viri, quæ contingit die quarto Iulij, & non posteriùs : nam sciebatur quod pater post quartum Iulij mortuus erat : nec si concubitus fuisset ante diem illum quartum Iulij cõtrouersia locum habebat. Ex quo patet manifestè, cum nemo insanus dicat, quòd pro tali die conceptus supposítus, fuerit animatus, patet inquam quod Medici omnes sine cunctatione conueniunt in æstimando, quod nomen Conceptio, & Conceptus etiam nostro tempore non solùm in antiquiori quod ipsi eo tunc peruolutarunt, significet, & significauerit meram Conceptionem seminum, & non primam infusionem animæ rationalis in homine, videre potes hanc controuersiam in Trutina Apologetica admodum docta Andreæ Vitrani panormi impressa dicto anno, qui præter dictos Auctores citatos affert ex cõtra sentiente pro numerandis mensibus lunaribus à die conceptus controuersi Fortunatum *lib. 3. suarum Relationum cap. 4.* Martianũ *lib. de septennio partu*, Franciscum Sanchez *in Censura sua*, Iacob Steue, & Augenium *lib. 2. de partu capite. 7.* Zacchiam *q. med. Leg. 8. tomo primo titulo. 2. quæst. 1.* Castrensem *lib. p. de alimentis.* Bonauiolum *in Controuersijs* ; & pro solaribus Scaligerum *lib. p. de Ebtendatione temp.* Marsil. Cagnatum *lib. 4. variarum obseruationum capite. 4.* Gentilem à fulginate, & Iacobum de partibus *in 21. Fen lib. 3. cap. 2.* Nicol. Nancel. *in anal. microcosm. lib. 7. parte. 4.* Lemosicum *in lib. 3. Galeni de naturali facultate*, qui omnes vnaniminter, pro Conceptu, & Conceptione, supponunt extra omnem controuersiam debere intelligi illam seminum, in quem sensum conuenere eo tempore omnes primates Medici, vt ipsemet Andreas refert cum Panormi, tum Messanæ, Syracusis, Catanæ, & Neapoli vt testatur idem Doctor Andreas Vitranus *quæst. 12. sua trutina*, quos licet ipse citet pro æstimando eo partu non nonimestri contra sensum cuiusdam Pauli de Strectes, ipse tamen. Paulus, quoad hoc omnine conueniebat cum suis Aduersantibus, quod Conceptionem illius, quem contendebat habuisse nonimestrem partum ; habitum certè ex concubitu viri cum fœmina eodem die, intelligeret, & significaret illam quæ esset seminum, non eam naturæ, seu illam quæ in prima infusione animæ rationalis in hominem consistit, vt patet ex ijs quæ refert idem Andreas de ipso Paulo. Quare dubium nullum esse potest quod nomen Conceptionis absolutè sumptum etiam vsque modo, ne dum in antiquitate steterit, & stet pro illa seminum ; & per consequens, quando in antiquitate legitur Virgo Beata concepta in peccato, non est intelligenda vlla ratione nõtari Deipara nisi prostatu carnalis suæ Conceptionis antecedenter ad infusionem animæ suæ.

DIVISIO IV.

Probatur auctoritate sacrarum Scripturarum frequentissima nomen Conceptionis importauisse primam introductionem dispositionum humanarum ad formationem corporis obtinendam; vel præscindendo à termino animationis. vel extra illum.

1 SI quis euoluat sacras Scripturas, certissimus erit de hac veritate. Sic leget ad Hebr. cap. 11. v. 11. [Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in Conceptionem seminis accepit, etiam præter terminũ ætatis] Vbi quamquam directè sit sermo de Conceptione actiua Isaac, nihilominus ipsa etiam actiua Conceptio Saræ, quæ proculdubio consistit ex Scriptura, in receptione, & dispositione seminis, & initiatione perconsequens organizationis corporis, vt patet, est eadem Conceptio passiua Isaac, quæ iam apparet non in alio, quam in dicta dispositione consistere ex sacro textu. Idem persuadetur

ex Eccles. 32.v.16.vbi præcipit sapiens vxorem habenti [Præcurre autem prior in domum tuã, & illic auocare,& illic clude,& age conception es tuas.] vbi certum est quod agere Conceptiones non potest pertinere ad introductionem animæ rationalis in fœtu, sed mere in initiatione formationis fœtus. Vnde Conceptio apertissimè in Scriptura ponitur pro statu fœtus in sui formatione vsque ab initijs suis.

2 Similiter Genes. 25.dicitur Deus orationibus Isaac Rebeccæ sterili dedisse conceptum, ait enim sacer Textus ; [Deprecatus que est Isaac dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis,qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ:] vbi non dixit filium, sed conceptum, qui sterilitati oppositus erat, conceptus autem qui sterilitatem tollit,non est,nisi prima receptio seminis initiãtis formationem corporis. Idipsum confirmatur ; quia ibidem dixit Rebecca,[Si sic mihi futurum erat, (quia scilicet pueri ad inuicem collidebantur) quid necesse erat concipere;vbi concipere præcedens distinguit à formatis & viuentibus pueris.cap. etiam 31.10.scribitur obseruauisse Iacob[conceptus ouium tempus; [quod certum est significare tempus, quando oues primam formationem in vtero matrum debebant accipere, [& eodem nomine Conceptus passiui notat sacer Textus Conceptiones ouium vltimo habendas in gtege,quas reseruabat Iacob socero suo:vnde dicitur Genes.30.[quando vero serotina admissum erat,& Conceptus extremus,non ponebat eas]scilicet virgas;pro Conceptu autemnon poterat introductionem animæ viuentis intelligere,sed formationem corporis ouium vt patet.Iob etiam 39.ver.2. scribitur [Dinumerasti menses & conceptus earum] & certum est non posse hos menses dinumerari à conceptu,si is dicat introductionem animæ,sed si primam,præparationem seminis significet. Oseæ etiam 9. vers. 11. dicitur,[gloria eorum à partu & à conceptu.] quo distinguntur tempus partus à tempore, quo puer infans in vtero moratur, & assignatur tempus tertium conceptus, seu primi initij fœtus, quod significat expressè Conceptum importare primam organizationem corporis.

3 Idem patet ex Genes. 4. vbi dicitur, Adam verò cognouit vxorem suam,quæ concepit ;] vbi ad cognitionem subdit sequutam Conceptionem,quæ non nisi formationem fœtus ad significet ex more communi loquendi. Ruth 1.dixit Noëm. [Etiamsi hac nocte possem concipere, & manifestè Conceptio ista non potest intelligi de introductione animæ rationalis, vt patet, quæ in illa nocte non poterat creari, cum requiratur plurium dierum formatio corporis fœtus. 2. Reg. 11. dicitur de Dauid.] Dormiuit cum ea,] scilicet Bersabea & subditur,[& reuersa est in domum suam concepto fœtu,] quod eo breui tempore contigit; nam in occulto cum ea commissit hoc peccatum Dauid,nec ea morata est in Palatio Regis pluribus diebus. Apertè autem hoc demonstratur in Iob. cap.3.ver.3.vbi habetur.[Pereat dies in qua natus sum , & nox in qua dictum est, conceptus est homo ;] hæc autem nox non potest intelligi nisi tempus, quo solent homines primo organizari, quodque potest agnosci, non verò illud quo animæ introducuntur in corpora ; expressiùs autem patet eiusmodi Conceptionem stare pro formatione fœtus ex vi seminis quia Iob.14.vers.4.scribitur, [Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine] quibus verbis Conceptio tribuitur coagulationi seminis, non verò introductioni animæ: vnde manifestè constat Conceptionem dictam passiuam; non enim de aliã est hic sermo, importare omnino corporis organizationem ex sacris Scripturis.

4 Genes. 16. dicitur quod Agar despexerit saram, quia Conceptionem suam cognouit post ingressum Abraham ad ipsam, id quod ostendit fuisse vt patet longè à tempore animationis fœtus. Sic ibi dicitur de Abraham,[qui ingressus est ad eam,at illa concepisse se videns despexit Dominam suam:] & sic Sara Abraham dixit de Agar. [videns quod conceperit despectui me habet.] Gen. 3. etiam dicitur. [multiplicabo ærumnas tuas,& conceptus tuos.] ideest vt glossat Cornelius, multiplicabo labores & dolores tuorum conceptuum,quos patitur mulier,numerãte eos Aristotele ab ipso citato à susceptu scilicet semine à viro, & *Genes.*19,de filijs loth,nocte qua inebriari fecerunt Patrem suum dicitur, [conceperunt ergo duæ filiæ :] quod certum est dici sine animatione fœtuum , & Genes. 38. de Thamar : [ad vnum igitur coitum mulier concepit :] scilicet de Iuda,socero suo,qui putauit eam meretricem, & ideo concubuit cum eâ : hæc autem Conceptio euidenter non importauit animationm fœtus. Mosæ item n.12.videtur agnouisse ex hoc differentiam conceptionis & generationis dicens.[numquid ego concepi omnem hanc multitudinem , vel genui eam, vt dicas mihi , porta eam in sinu tuo ;] quia videlicet sciuit Conceptionem esse quid primum in tota hominis generatione, quando scilicet incitur semen illius & primo coagulatur. Iob etiam 21. scribitur : [Eos eorum concepit , & non abortiuit , [quod significat retinuisse semen,non emisisse,scilicet opus seminis coagulati. Et Genes. 30. dicitur de Balam , [quæ ingresso ad se viro concepit] hæc autem Conceptio sic subitanea ad ingressum viri non potest dici vllo modo coniuncta cum animatione; & ibidem notatur de alia ancilla Rachel, quam dedit Iacob viro suo , de qua subditur : [qua post conceptum edente ,] quo annuitur manifestè post Conceptionem edisse & Conceptionem subsequutam traditioni viri à se factæ. Vnde omnino hæc Conceptio remota fuit ab animatione. Similiter Isaias refert *cap.* 8. *n.* 3. se accessisse ad vxorem suam & effectum accessionis fuisse , quod ea conceperit statim. [Accessi, inquit, ad Prophetissam', & concepit,] quod signum est manifestum Conceptionem non esse opus cum animatione fœtus coniunctum , quia animatio fœtus est opus valdè remotum ab accessu viri ad mulierem ; Subitus item Conceptus videtur innui ab Oseæ 1. post ductionem vxoris, quod in idem recidit,nam dixit Dominus Oseæ: [fac tibi filios fornicationum & c. & abijt & accepit Gomer filiam Debilam,' & concepit.] Lucæ item 1. narratur annuntiatio Angeli Zachariæ , quod procreaturus scilicet erat Ioannem ; id quod ei contigit , dum moraretur in templo, ibique ministraret , & Euangelista refert ; [& factum est,vt impleti sunt dies offi-

cij eius abijt in domum suam. Post hos autem dies, (qui omnino non nisi pauci fuere) concepit Elisabeth vxor eius,& occultabat se mensibus quinque :] quo ostenditur nouissimè concepisse statim post ingressum viri ad eam, atque adeo Conceptionem non importauisse animationem fœtus ; Id quod patet apertè,quia menses quinque quibus se occultabat,numerantur à primo coitu,atque ita interpretantur Patres hunc locum. De Ephraim item dicitur Paralip. 2. [Ingressus est ad vxorem suam,& concepit.] scilicet immediate post ingressum. Genes. 38. item de Iuda, qui duxit vxorem Chananæam, scribitur : [& accepta vxore ingressus est ad eam, & concepit] Dicitur itidem Ruth. tertiò quod Booz accepit vxorem Ruth,& statim concepit, quod probat ipsum. Sic ibi dicitur [tulit itaque Booz,& accepit vxorem, ingressus que est ad eam, & dedit illi Dominus,vt conciperet.]

5 Sancti etiam Patres in his locis exponendis, vel etiam alijs Scripturarum Sanctarum Conceptionem apertissimè signant sine animatione consistere. Sic Chrysostomus primam Conceptionem Euæ mero operi virili tribuendam supponit. Dum ait super illud Genes. 3. [Adam autem cognouit Euam vxorem suam, & concepit ;] vnde subdit, [Considera hoc quando factum sit post inobedientiam,post paradisi amissionem,tunc primum vsus rei veneræ cæpit ; ante inobedientiam enim Angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea sermo erat.]quod autem conceptus Euæ huic operi ab ipso tradatur patet,quia sequitur,[consequenter omnipotens Deus secundum suam sapientiam humani generis durationem gubernans concessit per coitum auctum iri nostrum genus.] quem scilicet coitum sequuta est Conceptio Cain ; & super illud Gen.16. [& ingressus Abraham ad Agar & concepit,] subdit Chrysostomus quod sæpe diximus, [statim congressum cum ancilla subsequuta est Conceptio :] quod probat ipsum nolle Conceptionem afferre fœtus animationem ; nam alioqui longum tempus requireretur ad Conceptionem dandam ;

6 Similiter *Genes.* 30. refert Concubitum Iacob cum Lia,quæ orauit Dominum vt conciperet, & concepit. sic ibi dicitur, [& dormiuit cum ea nocte illa,& exaudiuit Deus Liam & concepit ;] & subdit Chrysostomus, agnoscens Conceptionem illa nocte dicens [exaudiuit Deus Liam quia videbat eam dolentem, neque valdè marito probatam,] id quod fuit opus vnius noctis, quo ostenditur Conceptionem non requirere maius tempus & in Psal.50.coniungit operam viri cum Conceptione in Adamo dicens, [nam Adamus postea quam à diuino mandato recessit, ac paradiso absens,tunc denique vxorem suam cognouit, & illa concepit.]

7 sic etiam idem confirmat *Matth.*1. vbi ait de S. Ioseph discurrente super actiua Conceptione Virginis, [Numquid ad virum pertinet ista Conceptio mulieris;nam si Conceptio mulieris? semper pertinet ad virum, sine dubio quando vult vir,tunc conciperet mulier, nunc autem non quando vult vir ; tunc concipit mulier,sed quando vult Deus ;] serm.in natiu.Io. Bapt. ait, ex Scripturis haberi Conceptionis tempus tum Christi,tum etiam S. Ioannis Baptistæ, & sic habet. [Nec tantum modo ipsius Domini & Saluatoris Conceptio vel Natiuitas carnalis ostenderetur,quantum & Ioannis Baptistæ præcursoris eius ;] & deinde ait eam fuisse tempore æquinoctij hyemalis,sicut illa Christi in æquinoctio verno, sicuti natiuitas Christi in solstitio hyemali, & illa Ioannis in æstiuo: verba eius sunt. [hi sunt menses,in quibus dominus noster & Ioannes. Baptista concepti & nati sunt, istis quatuor temporibus scilicet verno & æstate, & autumno & hyeme per quæ annus vertens cognoscitur, & ideo Propheta dicit annum acceptabilem Domini :] & probat hoc ibidem ex festo scenopegiæ tempore septembris fuisse & ait : [Gesta sunt autem hæc mense Septembri octauo Kalen. Octobris incipiente Luna vndecima, quando oportebat Iudæos. Scenopegiæ ieiunium celebrare tunc verò post Tiberius Cæsar tempus, cursumque Lunæ collegit, & inuentum est ipso die octauo Kalendarum Octobrium esse æquinoctium, in quo est inchoatio noctis maior, quam lucis, illum enim oportet crescere,me autem minui:] & de Elisabeth sequitur recensere [ascendit maria ad Elisabeth alios menses tres,& sic expletis nouem mensibus in mense decimo peperit Ioannem octauo Kalendas Iubias, qui est nonus Mensis à septembri, & quartus à martio inchoationis anni :] vbi dum dat Conceptionem Ioannis mense septembri assignat Conceptionem pro tempore, quo animatus non erat fœtus, alioqui si animatus, cum corpus infantis formatur per triginta vel quadraginta dies ante animationem debuit concipi Ioannes mense Augusto, & eo tempore accessisse Zachariam ad Elisabeth, quod ibi probat Chrysostomus non contigisse. Paulò post etiam scribit [sed nunc dilectissimi post duo æquinoctia, quæ sunt duæ Conceptiones,intendenda sunt, & duo solstitia,in quibus duæ Natiuitates continentur] Replicat item mense septembri fuisse Conceptionem Ioannis, quia in die festo scenopegiæ, quod factum esse septembri mense dictum existimat. [Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam, quia meum tempus nondum aduenit] & addit, [nouerat autem mensis solennitatem in quo Ioannes conceptus est] quibus constantibus apparet Conceptionem Ioannis eo mense non potuisse esse animatam, & per consequens animationem non inferre Conceptionem secundum Chrysostomum scripturas explicantem.

DIVISIO

rent ei non ad liquidum eodem tempore potuisse nasci, quos constabat omnino eodem tempore fuisse conceptos. Vt hoc quod similiter, simulque ægrotabant, non daret de proximo pari corporis temperamento, sed eamdem quoque valetudinis parilitatem sydereis nexibus obligaret. Si igitur in conceptu tanta vis est ad æqualitatem fatorum, non debuerunt nascendo eadem fata mutari, aut si propterea mutantur fata geminorum, quia temporibus diuersis nascuntur, cur non potius intelligamus iam fuisse mutata, vt diuersis temporibus nascerentur? Ita ne non mutat fata Natiuitatis voluntas viuentium, cum mutet fata Conceptionis ordo nascentium?] Vbi & in sequentibus sæpe Augustinus ostendit Conceptionem esse primam dictam mixturâ seminum, quam astra respiciant, nulla ratione habita de animatione, quæ non potest constare, quando eueniat; rectè autem constet momentum Conceptionis in aliquibus casibus, quod pateat Astrologis ad iudicandum de euentibus, licet cum magna falsitate, vt probat ibidem sanctus Doctor?

4 Subscribit eidem sensui S. Hieronymus in quæstionibus super Genesim super pecora Iacob nascentia secundum varietatem colorum, qui erant in virgis positis ab ipso in aqua dum biberent. Vbi habet: [Obseruabat ergo Iacob, & tempore, quo ascendebant pecora, & post calorem dicit ad potandum auidè pergebant, discolores virgas ponebat in canalibus, & admissis arietibus & hircis, in ipsa potandi auiditate, oues & capras faciebat ascendi, vt ex duplici desiderio dum auide bibunt & ascenduntur à maribus, tales fœtus concipierent, qualas vmbras arietum & hircorum de super ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis, varius erat etiam imaginum color: nec mirum hanc in Conceptu fœminarum esse naturam, vt quales perspexerint, seu mente conceperint talem sobolem procreent; cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri, & Quintilianus in ea controuersia, in qua accusabatur matrona, quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentetur, hanc Conceptus esse naturam, quam supra diximus; & scriptum reperitur in libris Hippocratis, quod quædam suspicione adulterij fuerat punienda cum pulcherrimum peperisset vtrique parenti, genericque dissimilem, nisi memoratus Medicus soluisset quæstionem, cum cepisset quærere an fortè talis pictura esset in cubiculo, qua inuenta, mulier à suspicione liberata est,] & paulo post. [Veniebant ad potandum contra pecora vt conciperent eo tempore cum venirent ad potandum; & concebant pecora contra virgas Iacob, virgas quas posuerat coram pecoribus in canalibus ad concipiendum in eis.] Vbi loco Conceptum & Conceptionis nomen tribuit actioni & tempori, quo mulier accipit à viro semen, atque adeo nullo modo illud tribuit animationi primæ eiusdem fœtus.

5 Legendus est etiam S. Anselmus super Epist. ad Heb. cap. 11, vbi dicitur de Sara, [Accepit fide virtutem Conceptionis id est facta est virtuosa vt conciperet etiam præter tempus ætatis id est quæ vi rutem concipiendi in frigido sanguine tamdiu perdiderat, & hoc decrepita meruit cum è iuuentute fuisset sterilis, (quod non potest intelligi de virtute deficiente, & frigido sanguine inepto ad habendam primam animationem in fœtu vt patet) & licet ista duo impossibilia viderentur sterilitas & longæua senectus; tamen & ipsa Sara quæ hæc habebat, accepit virtutem in Conceptione seminis (aptè non in primam animationem,) id est vt posset cum semine suo capere viribus, calotis semen viri quod fides non natura operata est:] quo nihil clarius pro re nostra.

6 Theophylactus item super eumdem locum Pauli habet.] Virtutem in Conceptione seminis accepit, hoc est vires assumpsit & aptior rêddita est vt viri conciperet semen.]

7 In idem venit Chrisostomus super citatum Pauli textum, nam ait. [Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in Conceptione seminis accepit. Quid est ad deiectionem seminis? ad semen retinendum, ad susceptionem, virtutem accepit;] Vbi nullo modo animationem primam consignificat in istiusmodi Conceptione ab ipso explicata consistere in retentione seminis, vt patet.

8 Recensendus hic est etiam Tertullianus in Apol. in primis folijs. [Nobis verò homicidio, semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissoluere non licet:] & paulo post, [nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est & qui futurus est, etiam fructus eius omnis iam in semine est;] Vbi nota contra Caietanum bene in tali statu posse dici hominem concipi, & de exhortatione Castrensis. [Quid ergo facies si nouam vxorem de tua conscientia impleueris (cum scilicet fastidias educationem filiorum) puto nobis non magis dicere nascentem nocere, quam natum, sed fortasse illo tempore prægnantis vxoris remedium tantæ sollicitudini à Deo petere audebis, quod in te positum recusasti?] & *lib. de anima n.* 37. declarat fœtum humanum alium animatum, cuius occisio pœna mortis punitur, aliumque inanimatum tali pœna non mulctandum ex lege Moysis; verba eius sunt:] Ex eo igitur fœtus in vtero homo, à quo forma completa est. Nam & Moysis lex tunc aborsus reum talionibus iudicat, cum iam hominis est causa, cum iam illi vitæ & mortis status deputatur, cum & fato iam inscribitur, etsi adhuc in matre viuendo cum matre plurimum communicat sortem:] & paulo post, [societatem carnis & animæ iam dudum commendauimus à concretione seminum ipsorum vsque, ad figmenti perfectionem:] quo expresse declarat fœtum & Conceptum animatum dum illum scribit ad perfectum adductum, inanimatum verò Conceptum dum ad perfectionem tendit.

9 Idem ostenditur clarè ex August. *Epist.* 247. vbi dicitur. [Neque enim quis conuentus viri & fœminæ, vel cuiuslibet Conceptionis aliquando, quod in secreto formatur ratione poterit exponi,] & deinde; [de Conceptionibus coniunctorum (scilicet mari

maris & fœminæ) sine singularium nescio, quænam ratio possit exhiberi :] & paulo post, [nasci etiam in corporibus non solùm fœmineis, sed etiam vitorum intrinsecus dico quædam animalia, notum est omnibus, numquid ibi semen facit Conceptionem?] & de aliquibus animalibus scribit quòd, [sine seminibus concipiuntur ; ex quibus penitus reddi ratio nequaquam potest ;] & rursum, [soles enim audire quod aranea sine vlla virili Conceptione ;] quibus locis Conceptio attribuitur operi seminis, vel alterius rei æquivalentis corporalis, nec de animationis statu fit mentio.

Expressiùs item habes pro hac re Augustinum *lib. 80. qq. q. 5.* vbi ait. [Dicitur autem Conceptio humana sic procedere & perfici, vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem ; sequentibus autem nouem diebus conuertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem & octo firmetur vsque ad perfecta lineamenta membrorum ; & hinc in reliquo tempore vsque ad temporis partus magnitudine augeatur.] & lib. 1. qu. super Gen. q. 24. [in facto Iacob cum virgas excorticauit, detrahens viride, vt album variè appareret, & in conspectu fœtus pecorum variaretur cum matres in alueis aquarum biberent, & visis virgis illam varietatem conciperent,] & rursum ; [non ponebat virgas in 2. Conceptu ouium ;] & ibidem notat Conceptionem Æthiopissæ narratam ab Hippocrate & supra repetitam. Ex quibus aperte patet nomen Conceptionis stare & stetisse communiter in antiquitate sine vlla dubietate pro Conceptione carnali præscindente à prima animatione animæ rationalis in homine, vel alterius etiam perfectæ in alijs brutis

DIVISIO VI.

Ex Sanctis Thoma & Bonauentura antiquis Theologis scholasticis expresse demonstratur nomen Conceptionis tum absolute tum applicatum Deiparæ, stare pro organizatione eius corporis ante infusionem animæ ; & idem iudicium esto de cæteris Scholasticis illis coæuis, vel etiam antiquioribus.

1 AMplam tradit de Conceptione Doctrinam S. Thomas explicans quid hoc nomine importetur primò *in 3. sent. d. 3. qu. 2. ar. 1.* vbi ait [Dicendum videtur quod in Conceptione prolis inuenitur triplex actio ; vna quæ est principalis, id est formatio, & organizatio corporis, & alia actio est præcedens ad hanc actionem, & præparatoria ad ipsam, (quæ scilicet est illa, quæ subministratur materia formationi dictæ.) Tertia actio est cõcomitans, vel sequens actionẽ principalem, & c. quasi præbens fomentum, & hoc est, quod dicit Auicen. cap. de diluuijs, matrix non facit nisi ad meliorationem Concepti :] vbi non nisi in formatione corporis valde antecedenter præstitæ ad animationem, apparet S. Thomam ponere essentiam Conceptionis : nam tertia actio, vt ipse habet, confert ad melioratione Concepti, & prima est aliquid præuium, est cum secunda non est animatio, sed animatio est quid ad eam post tertiam subsequens, neque de ea vllo modo meminit hic S. Thomas ; patet perspicuè non significare Conceptionem in recto introductionẽ animæ, quod est quod volumus, & in 2. qu. 2. ar. 2. [Maris Conceptio non perficitur nisi vsque ad quadragesimum vt Philosophus in 9. de Animalibus dicit, fœminæ autem vsque ad nonagesimum] vbi citat Augustinum à nobis supra allatum tradentem varias actiones requisitas ad vltimum complementum Conceptionis, in quo est tandem animatio : vnde secundum ipsum non dicit Conceptio præsentiam animæ in fœtu, dum concipitur, & expresse habet ad 5. quod quando introducitur anima, tunc habeatur Conceptum esse, Conceptionemque præterijsse, & fuisse, non esse. Quo omnino distinguitur à S. Thoma Conceptio ab animatione ; quare nomen Conceptionis apud ipsum non importat animationem. Eandem Doctrinam 3. confirmat S. Thomas *in 3. d. 8. qu. 1. ar. 1. ad 6.* vbi habet [Dicendum quod genitum exit à generante dupliciter, vno modo secundum quod procedit in esse distinctum à generante, clausum (id est absconditum) tamen intra terminos generantis, & hoc propriè dicitur Conceptio. Alio modo secundum quod procedit in esse distinctum & manifestum, & quia res nominatur secundùm id, quod apparet, ideo ille modus exeundi facit natiuitatem secundum communem vsum loquendi, quamuis etiam primus aliquomodo facit natiuitatem secundum quod dicitur duplex Natiuitas, scilicet in vtero, & ex vtero, & quia in plantis simul aliquid procedit in esse distinctum, & manifestum, ideo non proprie in eis est Conceptio, sed natiuitas ; & ideo etiam verbum secundum quod distinguitur in intellectu, dicitur concipi, secundum quod autem extra pronunciatur, potest dici per similitudinem nasci :] In qua doctrina patet, quod Conceptio apud D. Thomam non importat nisi exitum à generante cum manentia & coniunctione in ipso sine esse manifesto, qui exitus cum habeatur antecedenter ad animam, secundum Sanctum Doctorem illam non importat ; & patet ex doctrina ab illo data in corpore, vbi Conceptionem facit habere quid commune cum generatione in õnibus corporibus corruptibilibus : & presslùs cum generatione speciali in corporibus animatis, quæ supra primam notat habere decisionem alicuius partis propriæ generantis, quæ per aliquod tempus manent, & adhærent in generante ; vbi nunquam meminit de animatione, quæ in Conceptione includatur ; & sic patet quod Conceptio in S. Thoma est quid contradistinctum ab animatione, nec venit animatio sub nomine Conceptionis

ceptionis. *Quo art. in 3. sent. d. 3. qu. 1. ar. 1. q. 2. ad 3.* loquens de S. Ioanne supponit animationem esse posteriorem Conceptione, nam ait. [Ad primum ergo dicendum, quod hæc verba, quæ erant Ambrosij, qui dixerat in Ioanne non fuisse spiritum vitæ, quando fuit sanctificatus) de Ioanne Baptista dicuntur pro tempore illo, quando ad ingressum matris Dei exultauit in vtero, quod fuit in sexto mense à Conceptione eius; vt verba Angeli ostendunt Lucæ 1. vnde constat, quod animam rationalem habebat.] Vbi suę ponit apertè quòd animatio eius posterior fuit & contradistincta à Conceptione, quæ nõnisi actionè in carne dicebat.

2 Praeterea tertiò in S. Thoma patet hoc ipsum, quia ipse *in eodem 3. d. 2. qu. 2. ar. 3.* instituit quæstionem de carne Christi, an fuerit caro Christi prius concepta, quam assumpta; vbi non meminit in toto illo 2. articulo de Conceptione, quam concomitaretur animatio. Similiter *d. 3. qu. 5. ar. 2.* quærit an Conceptio Corporis Christi fuerit facta subito vel successiuè, & concludit [ergo oportet vt Conceptio in Christo non præcedat tempore completam naturam carnis eius;] & cum completio naturæ carnis habeatur per animam, vt patet, relinquitur quod Conceptio ex se possit haberi, & habeatur ante hanc completionem & animationem in cæteris hominibus, licet non potuerit hoc in Christo contingere. In eo autem toto articulo supponit quod Conceptio ceterorum sit antecedenter ad animationem; & in Christo vt quid peculiare ponit, quod fecit simul cum animatione corporis; quæ omnia concludunt id quod diximus 2

3 Et hoc ipsum perspicuum sit in S. Thoma, qui agens de Conceptione Virginis de ea loquitur expressissimè, vt de aliquo antecedente ad animationem; vnde in *eodem tertiò d. 3. qu. 1. ar. 1.* quærit, an fuerit sanctificata antequam Conceptio finiretur, & in toto articulo supponit Conceptionem præcedere animationem, ergo indubitatum esse debet apud S. Thomam quod nomine Conceptionis non importetur ab eo status animationis, cùm ibidem distinguat expressissimè istos duos status, & in primo statu dicat sanctificationem non potuisse habere locum in Virgine, licet in secundo concesserit; quare si quis de hac re dubitare velit in sensu S. Thomæ; dubitabit etiam an apud Sanctum Thomam quando est sol sit dies. Legatur totus iste articulus; patet autem assumptum, quia inde probabat in corpore non potuisse Virginem sanctificari ante finem Conceptionis, quia caro eo tempore non est animata, ergo euidentissimè distinguit, & contradistinguit Conceptionẽ ab animatione, quis cæcus hoc non videat. Vbi nota hic, lector, vt quidcunque videns; quod quando S. Thomas tibi allegabitur quod dicat hoc vel illud de Conceptione Virginis, de ea loquatur Conceptione, quæ est quid contradistinctum ab animatione, & præcedit animationem, nec de aliquo prædicato eius agens, agit de eo, quod illi competit, citra animatione, quo nihil euidentius esse potest, nec aliud hic addo, sed hinc iacta fundamenta cuncti enis omnium Doctorum præceptorum, in quibus vim faciunt Aduersarij.

4 Non solũ D. Thomas Conceptionẽ contradistinguit ab animatione, sed etiam cæteri primates Theologi primo illo Scholasticorũ tempore. Sufficiat hìc adducere & notare aliqua loca i Sancto Bonauentura & Magistro sententiarum; & cum similia habeantur in Alberto magno, & Alensi antiquissimis Theologis quorum loca nos afferemus infraquilibet ea, poterit etiam in eis aduertere, & certior fieri, quod vsque ad D. Thomam nomen Conceptionis non importauerit animationẽ. Sanctũ ergo Bonauenturã huius fuisse sensus patet ex 3. *sent. d. 3. ar. 1.* in propositione aliquarũ quæstionũ de Virgine, vbi ait. [Primo quæritur vtrũ caro Virginis sanctificata fuerit ante animationẽ;] Sed non potuit loqui, neque loquitur ibi, vt patet, de sanctificatione carnis Virginis nisi pro statu Conceptionis, ergo de Conceptione hìc loquitur, & de ea cum dicit esse animationem, ad euidentiam, infertur quod Conceptio sit ante animationem, neque illam nomen Conceptionis importat. Hoc ipsum probatur ex primo argumento quod facit contra se in eo, cui non contradicit; nam scripsit [B. Virgo excellentior fuit, quam Hieremias, ergo prius fuit purificata eius caro, quam esset formata, sed ante fuit formata quam animata;] & hoc secundum non negat S. Doctor; ergo formationem corporis Virginis, quæ non est nisi eius Conceptio, vt patet ex ipso, est ante animationem, ergo pro ea non stat. Tertiò in secundo argumento contra se, cui non contradicit, infert. [ergo sanctificata fuit ante spiritum vitæ, & ita ante animationem]: nec negat hoc secundum S. Bonauantura si concedit primum, sed solum primum negat, vnde concedit Conceptionem præcedere animationem, & perconsequens vult in illa non consistere, & tandem in corpore concludit & ait. [& ideo simpliciter concedendum est, quod caro eius ante animationem non fuit sanctificata, & concedendæ sunt rationes, quæ hoc probant.] quare supponit omnino S. Theologus, quod caro; tæ fuerit in statu Conceptionis, non dicens vllo modo animationem; id quod confirmatur ex argumentis quæ pro se in hac re adducit, in quibus eam quam habet, suam etiam doctrinam profitetur, vbi sic scripsit [: Caro ante animationem non erat apta ad sanctificationem, ergo non fuit caro Virginis ante sanctificata, quam animata;] loquitur ergo de carne pro statu Conceptionis & eam omnino supponit, & asserit præcedere animationem, atque adeo firmum debet esse apud S. Bonauenturam, quod Conceptio præcedat animationem, atque illam non includat, sed ab illa contradistinguatur. in quibus locis S. Bonauenturæ licet aduertere, quod cum eiusmodi Conceptionem dicat caruisse sanctificatione, eam omnino voluit subiacuisse peccato originali modo quo explicabitur, & hæc loca valent ad probandum, tum positum hic, tum aliud, quod tradetur *disp. 4. dub. 2.* quando ostendetur ex Sancto Bonauentura Conceptionẽ Virginis in peccato nõ includere animationẽ eius ac proinde peccatũ dici de ea in statu ante animationẽ. Quare ibi hæc loca non reperiemus, sed solum notabimus istuc referemus.

5 Praeter S. Thomam & S. Bonauenturam, afferemus alios antiquiores, sed quoniam ij alibi sunt adducendi, & aperte in hunc eundem sensũ loquentur, qui eos videre desiderat legat Opusculũ de sensu antiquiorũ Theologorũ Quoniã autẽ alios locos obuios habui ex S. Th-

pro hac re, non pigeat eos recensere post dicta videlicet, 3. *p. q. 31. art. 5. ad tertium*, vbi dicitur primo, [in Conceptu virginali locum habere non potuit concupiscentia:] quam supponit in Conceptione eam locum habere quod non conuenit primæ animationi, & paulò post: [& ideo dicit Damascenus quod corpus Christi seminaliter Cõceptũ non est.] Quo loco supponit Conceptionem esse quid proprium corporis tum ex seipso, tum ex Damasceno, & præterea eam haberi seminaliter quod primæ animationi non conuenit. Et tertio loquens de sanguine menstruo ait. [Ex tali autem sanguine menstruo corruptionem habente quod natura repudiat non formatur Conceptus:] Quo loco supponit ex sanguine formari, & subdit ex quo sanguine formetur. Dicens quod hic sanguis corruptus. [Est purgamentum quoddam illius puri sanguinis, qui digestione quadam est præparatus ad conceptum quasi purior, & perfectior alio sanguine, & de tali sangnine & Conceptione ex eo sequitur inquiens, [habet tamen impuritatem libinis in Conceptione aliorum hominum,] & deinde. [Sed hoc in Conceptione Christi non fuit:] ea quibus apertè & sine vlla dubitatione ostendit se ponere Conceptionem in opera carnali & nullo modo in prima infusione animæ rationalis.

6 Alius locus S. Doctoris hunc item sensum eius uidentem facit scilicet *3. p. q. 27. art. 2. ad 3.* vbi ait; [ad 3. dicendum quòd licet Romana Ecclesia Conceptionem Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Vnde talis celebritas non est totaliter reprobanda, nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in Conceptione sua fuerit sanctata; sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis potius quàm Conceptionis in die Conceptionis ipsius:] vbi quia tempus & dies animationis ignoratur, dicitur dies sanctificationis, atque adeo omnino contradistinguitur à S. Thoma Conceptio ab animatione prima. Vide Calderonsus in fest. cap. 5. §. 18. n. 107. [In his verbis S. Thomam non intelligere nomine Conceptionis animationem, sed formationem fœtus in vtero, quæ tempore eam præcedit, manifestissimum est: tum quia nunquam Sanctus Doctor nomine Conceptionis aliud quam formationem intelligit (*vt luce demonstrauimus in Assertione Dominicano Immaculatæ Conceptionis*) tum etiam quia licet hoc non esset verum, tamen de præsenti loco negari non potest, id enim conuincit & titulus articuli & tertium argumentum in quo ex festo Conceptionis infertur Conceptio sancta, & ex sanctitate Conceptionis arguitur quod Virgo fuerit sanctificata ante animationem.]

Quo patet vndique confirmari nostrum assertum.

DIVISIO VII.

Adducitur Ius Ciuile cũ omni caterua Iurisperitorum, ad ostendendũ, quod in dicta antiquitate nomen Conceptionis significauerit id à seminũ.

1 VIderi potest doctrina tradita de sensu nominis Conceptionis primæuo ad satietatem vsque probata, auctoritate scilicet omnis generis scientificorum, atque Scriptorum, qui solent in hisce probationibus adhiberi à Theologis: sed vt vniuersi orbis sapientia appareat firmiter illi subscribere, eamque omnino indubitatam, neque cum apud sanæ mentis Viros controuertibilem derelinquat, aduertendum est quod illi non desit Ius vtrumque Ciuile & Canonicum, Humanum, & Ecclesiasticum cum vniuersa scientia Iurisperitorum, & Canonistarum, quæ cum huic veritati irrefragabiliter suffragentur, sunt etiam cum propria vnius cuiusque classe adducenda.

2 Et primò Ius Ciuile cum suis omnibus sectatoribus ab antiquitate Romana vsque ad præsens tempus, quod *libro primo de Digestis tit. 9. de senatoribus capite 7.* sic habet [Si quis conceptus quidem antequam Pater eius à senatu moueatur; natus est autem post Patris dignitatem amissam, magis est vt quasi senatoris filius intelligatur; tempus enim Conceptionis pectandum plerisque placuit. Si quis Patrem & Auum habuerit Senatorem, is quasi filia & quasi nepos senatoris intelligitur. Sed si Pater amiserit dignitatem ante huius Conceptionem, quæri potest, an quamuis quasi Senatoris filius nõ intelligatur, quasi nepos tamẽ intelligi debeat; & magis est vt debeat vt Auo potiùs ei dignitas prosit, quàm obsit Patris.] Quò loco manifestè Conceptus ante amotionẽ Patris à Senatoris munere, non potest intelligi quando iam peruenisset fœtus ad animationem, quæ nescitur quando sit, & non curatur percipi quando fuerit in nullo iure, neque obseruatione medicinæ vel alterius scientiæ & artis, vt patet. Sed etiam si ante viginti & triginta dies ante illam festet à Patre genitus, adhuc in eo haberet locum lex ista: quare ad euidentiam ostenditur quod Conceptio non importet in iure ciuili animationem fœtus, vel fœtum & genitum pro statu animati id quod patet secundo ex eo quod dicitur spectandum esse in eiusmodi casu tempus Conceptionis. Cum propriè tempus non inueniatur in animatione hominis, quæ non est successiua, nec habet tempus, sed in instanti habetur, & perficitur: atque adeo patet quod Conceptio intelligatur ea actio quæ habetur cum tempore; & præterea cum prima animatio non habeat signa per quæ possit percipi, nec in Auctoribus habetur; dum dicitur esse ostendendum tempus Conceptionis, nõ potest intelligi sermo de tẽpore animationis, sed omnino de antecedẽti; & tertiò denique dum dicitur quod si Pater amiserit munus Senatorium ante filij Conceptionem non potest haberi sermo de filio, qui possit dici senatoris filius ex eo quod fuerit animatus ante hanc amissionem, & amotionem. Nam si constet, vt constare potest, fuisse a Patre genitum per copulam cum vxore legitima per decem, aut viginti dies ante amotionem à gradu quemuis constet non fuisse animatum, adhuc habetur vt vere Conceptus à Patre Senatore, quia

quoad

quoad primam eius animationem, nulla alia interueniente, quam Patris: vnde stat Conceptio manifestè ante quamcumque animationem, nec ius ciuile Cõceptionem agnoscit pro animatione, neque cõcomitanter, ne dicã identicè.

2 Hanc doctrinam confirmat ibi Glossa eamque roborat, ex locis quæ citat. *c. de filis & lege. 1. ex libera in Gloss. fin. & de nupt. l. Imperator. §. illud eis & Inst. quibus mod. ius pat. primo fol. §. fa. ac contra. c. de natura lib. in penult. in fine*, ait enim debere inspici tempus Conceptionis, quod non potest applicari animationi primæ fœtus, quæ non habet vnde possit inspici, nec pro aliquo tempore ea locum habet, vt modo notauimus. Paulò post item pro secundo casu expresse posuit; [si ante animationem Patris filius saltem erat conceptus, tunc casus Patris non nocet in aliquo;] videlicet ne sit Aui senatoris nepos quo loco nemo certè intelliget quod debeat esse fœtus animatus ante amotionem muneris Senatorij à Patre, vt is possit frui sine dubio prærogatiua nepotis Aui senatoris.

4 Iurisperiti item omnes suffragantur huic doctrinæ in omnibus occasionibus in quibus de Conceptione & Conceptibus loquuntur quos agnoscunt concomitari copulam viri & mulieris, pro qua re vide Menoch. *de arbitr. iud. lib. 2. centur. 5. casu 89. n. 38. vbi ait* [: finge virum iam diu abfuisse, & domum reuertisse, ibique per triduum fuisse post modum recessisse iterum, si mulier intra octauum mensem pariat, & viuat filius, is à marito conceptus non creditur] vbi Conceptionem supponit omnino simultaneam cum copula debuisse esse & non fuisse quia debuerit præcedere vt partus esset vitalis vel alium mensem. & *n. 44.* quærit [an menses filij debeant numerari à die mortis Patris, vel Conceptionis]: vbi certum est ipsum loqui de die sequutæ copulæ, vbi signat diem Conceptionis, & addit, [ego credo decem menses in. ff. 1. Gallus. & in. ff. 1. contestato ceteris que similibus esse enumerandos à die Conceptionis secundum opinionem Hippocratis & ideo in ff. 1. Gallus, decem illi menses de imperfectis intelliguntur, ita vt computato tempore Conceptionis quod ante viri mortem est (quod omnino est si multaneum cum copula, vt patet ex 1. lo) & tempore natiuitatis filij decem menses perfecti, vel decem menses & duo dies, vel tres sint]. & paulo post; Iudex computabit & si comperi & in vltimo illo mense ex computo qui erat primus à Conceptione, virum fuisse ad generandum idoneum, iudicare poterit partum legitimum esse]: vbi Conceptionem notat eam quæ habetur ex vi generantis ad generandum idonei videlicet in actu copulæ, eamque vult concomitari copulam; quare cum aliis Iuris peritis, quos ibi citat, Conceptionis nomine non nisi carnalem intelligit & tradit. & secundũ hanc significationẽ prosequitur ibi loqui *n. 46. & 47.*

5 Legi etiam potest pro hac re Burlatus consilio 64. *n. 21* vbi ait.] vt notum est non attẽdunt sui menses tantum; vt dies sui currunt, ac secundum ordinem Augusti Cæsaris, sed inspicitur cursus lunaris, scilicet quod filius natus steterit à Conceptione per nouem lunas, vel quod tetigerit de nouem lunis in ventre matris,] vbi status fœtus numeratus à tempore quo primum fuerit in ventre matris in Cõceptione simultanea cum coitu viri cum vxore, atque adeo Conceptio non significatur alia nisi dicta seminum, & *num. 22.* ait, [finito calculo iuxta cursum lunarem & ephimeridum à die vigiliæ saluatoris anni 1557. quo tempore aduersantes dicunt matrem concepisse vel concipere incæpisse, ad diem 22. Augusti 1558. quando natus est filius, interuenere ac interfuere nouem lunæ, & sic nouem menses: ergo filius ille in nono mense natus dici potest:] In quibus apertè idem demonstratur. Videri possunt pro hac re insuper alij Iurisperiti, tum super legem citatam, tum etiam vbi inuestigant ex tempore Conceptionis legitimitatem filiorum. Nec non etiam præcipue vbi agunt de mensibus lunaribus vel solaribus, qui sunt attendendi in partibus, nam aliqui decernunt esse attendendos menses lunares vt citati, nec non Alciatus *in 1. qui mortui ff. de Verb. signif.* & Tiraquellus *in l. si vnquam C. de reuoc. donat. num. 208* & idem Menoch. *causa 86. n. 15.* contra vero alij menses solares videlicet Cuiac. *in lib. 4. sentent. Paul. tit. 9. §. septimo mense.* Alphonsus Perez *in cõpendio vitæ humanæ cap. 10. num. 11.* Alphonsus Carracta *de partu cap 12. §. 4.* & alij super *Gloss. l. si ceres. §. fin. ff. de fun.* & *leg. hæres* quos citat Andreas Vitranus pro suo sensu *in 9. sua Tractatu.* Nec video nec audio vnum aliquem esse in hac disciplina, qui aliter sentiat, & siue sit in sententia pro mensibus lunaribus vel solaribus requisitis, & computandis ad partum, vitalem nemo est qui non computet Conceptionem à die coitus & non agnoscat eam pro sola carnali: quare indubitata debet esse hæc veritas apud Iurisperitos.

DIVISIO VIII.

Adducitur Ius Canonicũ cũ Canonistis Ad demonstrandà Cõceptionẽ in eadẽ antiquitate stetisse pro dicta seminũ.

1 IVs Canonicum suffragari nostræ ponderationi, & assertioni, circa nomen Conceptionis attributi illi soli seminum, scilicet priscis temporibus patere potest *ex 4. Decretalium tit. 14. cap. 1. vbi* scribitur [Cum inter L. veteram, & T. mulierem diuortij sententia canonicè sit prolata, filij eorum proinde non debent exinde sustinere iacturam, cum parentes eorum publicè & sine contradictione Ecclesiæ, inter se contraxisse noscatur; ideoque sancimus vt filij eorum, quos ante diuortium habuerunt, & qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, & quod in bona paterna hæreditario iure succedant, & de parentum facultatibus nutriantur:] nemo autem nisi stultus dicat conceptos filios dici eos qui ante diuortium animati erant, non inanimatos, quia Conceptio animationem requirit: quo patet euidentissimè plusquam lux solis in meridie, quod Conceptio animationem non importet vllo modo, & filios ex semine Patris per vnum diem ante diuortium procreatos ac proinde non animatos, vere fuisse, & dictos fuisse conceptos à Matre opera Mariti, antecedenter omnino ad

animationem atque adeo animationem non importari à Conceptione.

2 Hoc ipsum Glossa tradit *ibidem*, quæ ait. [Casus, Ioannes cõtraxit Matrimoniũ cum Zebelga in facie Ecclesiæ de qua filios suscepit. Tandem cum grauida esset, accusatum fuit matrimonium de consanguinitate, fuit data sententia diuortij inter eos: dubitabatur an filij nati ante sententiam, & qui concepti antea fuerant, essent legitimi? Respondet Sapa super hoc consultus, quod filij non debent iure sustinere iacturam, cum parentes in facie Ecclesiæ publicè contraxissent, & ideo statuit Sapa vt filij eorum, quos habuerunt ante sententiam, & qui concepi fuerant ante sententiam, legitimi habeantur, & in bonis paternis hæreditatis iure succedant, & de parentum facultatibus nutriantur.] Quis autem nisi insanus, non videt, quod Conceptioni succedenti hæditati subsit in hoc casu is, qui ante sententiam diuortij mere per vnum diem cœperit organizari in ventre Matris, quando Conceptio distincta erat ab animatione in maribus per 40. dies, & per 80. in fœminis, & perconsequens quod Conceptio neque in animatione consistit, neque eam affert ex sua ratione concomitanter, nec in iure dicto, nec iuxta naturalem suam, & propriam significationem.

3 *Libro item 5. Decretalium titu. 12 capite* 20. in idem recidit quod habet Pontifex ibi ad Priorem & Fratres cuiusdam Ordinis, videlicet in titulo capituli, vbi sic scribitur. [Qui dat causam abortiui homicida est, si conceptum erat viuificatum animal rationale, aliàs secus:] & *capite dicit*, sic dicitur; [Sicut ex litterarum vestrarum tenore accepimus, cum quidam Presbyter vestri Ordinis, qui prius fuerat miser Monachus, quandam Mulierem prægnantem, cum qua contraxerat consuetudinem inhonestum, & quæ asserebat se concepisse ex eo per zonam attrectauerit quasi ludés, ipsa per hoc sic se asserit esse collæsam quod occasione huiusmodi abortiui, propter quod idem Presbyter proborum virorum vsus consilio, seipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum, & infra. Nos igitur deuotioni vestræ insinuatione præsentium respondemus, quod si nondum erat viuificatus Conceptus ministrare poterit alioquin debet ab altaris officio abstinere:] in qua decisione ostendit Põtifex abortum posse fieri ex Conceptu habito, & stante Conceptione absque eo quod subsequuta sit animatio; & perconsequens Conceptionem esse ab animatione omnino distinctam, neque eam ex propria ratione, neque concomitanter admittere: vbi Glossa hoc ipsum totum declarat quod Pontifex: & doctrinam nostram confirmat dum addit, [Nota quod antequam Conceptus sit animatus, non dicitur committi homicidium per abortum;] atque adeo supponit non esse de ratione Conceptus animationem; neque etiam eum dicere concomitanter, quod maximè volumus. Eandem doctrinam confirmat Bulla Six-Quinti contra procurantes abortum vbi clarè describit conceptus sine anima dum scribit. [Quis non abhorreat libidinosorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eo vsque processit, vt etiam venera, procuret ad conceptus fœtus intra viscera extinguendos & fundendos, etiam suam prolem prius interire, quam viuere:] vbi paulò post explicat statum Conceptionis antecedenter ad primam animationem, nam subdit, [dum natura recipit semen, receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit:] & apertè distinguit diuersitatem Conceptuum inanimatorum ab animatis, dum addit; [qui abortus seu fœtus immaturi tam animati quam inanimati formati, vel informis eiectionem procreauerint.] Vbi certum est quod dum fœtus ananimatus notatur pro concepto habetur, & perconsequens Conceptio absolutè loquendo animationem non includat, & in primo sui esse illam excludet, dum scilicet semen receptum ad Conceptionem & in Conceptione confouetur, & concorporatur, & membra distinguitur, antequam eadem membra compleantur. Hæc item veritas confirmatur ex Bulla sequenti Gregorij XIV. qui fœtum inanimatum & animatum in abortibus agnoscit & repetit in Bulla *Sedet Apostolica*, vnde admittit Conceptionem Gregorius in statu antecedente ad animationem secundum communissimam doctrinam Ecclesiæ recensitam *cap. aliquando* 32. *q.* 2. vbi citatur S. Augustin. *lib. de nupt. & concupisc. cap.* 15.

Chorus denique vniuersorum Canonistarum huic sensui subscribit pro quo legi debent Diana *tract.* 5. *de Aborsu in parte sua* 7. *resol.* 6. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Marchinus *de sacramento Ord. tract.* 1. *dar.* 9. *ar.* 3. *num.* 7. Trullench *in Decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 2. Molin. *de Iustit. tom.* 3. *tract.* 3. *disp.* 27. *num.* 1. Megala *in prom. tom.* 1. *ver. abortus num* 1. Coriol. *de casib. reser. p.* 2. *casu* 6. *num.* 4. Quaranta *in summa Bull. ver. abortus num.* 5. Scortia, *in Bull. Pontif. Theorem.* 376. & Naldus *in summ. ver. Abortus num.* 2. Quos citat idem Diana pro diebus quadraginta requisitis ad abortus animati decisionem, quare supponunt omnes conceptum antecedenter esse inanimatum, atque adeo in ratione Conceptus non includi animationem quæ asseritur tam longe posterior; vbi pro eodem citat Diana Machadum *de perfecto confess. tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 3. *tract.* 17. *decum.* 8. *num.* 2. & Bordonum *in confess. Reg. tom.* 1. *resol.* 45. *q.* 2. *num.* 2.

DIVI

DIVISIO IX.

Soluuntur aliquæ obiectiones quibus probatur Aristotelem & Antiquiores Medicos nomine Conceptionis intellexisse primam animationem hominis vel animalis.

1 HVic veritati in antiquis sæculis receptissimæ, nec ab vllo in controuersiam positæ de Conceptione stante pro illa seminum refrigari videtur tantum opus Petri Garziæ Carreno Calagurritani primarij Medicinæ Professoris in Academia Complutensi disq. 69. cap. 1. 2. [Existimo tamen Conceptionem dici primam animationem fœtus, statim enim quod viuere incipit dicitur Conceptus, & actio qua fit, dicitur Conceptio: quia vero Aristoteles posuit primam partem quæ producitur esse cor: statim quod factum est in ordine ad articulationem sequentem dicitur conceptus, & animatio Cõceptio. Vbi hic Auctor refert & distinguit varias actiones interuenientes in formatione fœtus; & Conceptionem in animatione consistere affirmat, id nulla fere ratione probans, sed id asserens fere ex se ipso, & tradens Aristotelem & Hippocratem aliosque Doctores qui dixerunt aperte Conceptionem in mistura seminum consistere, eamque significare hoc asseruisse de Conceptione impropriè non propriè dicta. nec alio modo hoc ostendit nisi quia aliquando nomen Conceptionis & Conceptus tribuunt outs; vnde infert, quod sicuti ibi vbi hoc tradunt, intelliguntur loqui de Conceptione, & Conceptus improprie dicto, ita vbi asserunt Conceptionem in mistura seminum consistere & similibus, debeant intelligi loqui de Conceptione impropriè, non propriè dicta: de cætero, neque ex Aristotele neque ex Hippocrate affert aliquid vnde probet Conceptionem in prima animalis vel hominis animatione consistere, & siquidem afferat quemdam sensum Hippocratis *lib. de natura pueri*, & Aristot: 6. *de hist: animalium cap*: 52. qui viderentur suum intentum tradere, tamen expresse decernit in eisdem euentibus non posse concludi, quod Conceptio sit apud ipsos prima animatio animalis, & Hippocratem vult loqui de productione membranæ obuoluentis fœtum, non de animatione fœtus: & Aristotelem similiter agere de præcedente actione ad animationem non de ipsa animatione.

2 Solum valdè implicitè videtur hanc suam conclusionem probare ex Galeno *primo de semine cap.* 10. ex eo quòd in quatuor tempora diuiserit totam fœtus fabricam, genituram videlicet primo & secundo coagmentationem informem partium corporis, tertio membrorum quamdam delineationem cordis & aliquorum sibi proximorum; & quarto quando bracchia & crura distinctè absolutè cernuntur. Sed qua ratione iste Auctor hinc inferat assumptum suum non apparet. Nam primo dato quod hæc quatuor tempora complectatur fabrica fœtus; quid inde & vnde concludi potest Conceptionem in animatione consistere. Ad summum posset hinc inferri, quod si fabrica tota fœtus sit vere Conceptio, in absoluta omnium membrorum formatione consistat quæ tempore vel saltem natura præcedit & causat primam animationem, non in ipsa subsequente ad ipsam animatione.

3 Præterea qua ratione potest vnquam hic Auctor probare ex his Doctoribus vel ex vno aliquo quem adducat, quod cùm admittat varias actiones & tempora quæ complectatur tota fabrica fœtus, Conceptio non vnam aliquam ex antecedentibus ex sua primæua significatione importet, sed absolute vltimam subsequentem ad ipsas videlicet primam animationem & infusionem animæ? certe ipse nihil tale aptum ad hoc probandum affert, nec vllam seruat formam syllogisticam & glomerat varia dicta Auctorum, quæ recenset, nec quicquam deducit, sed asserit quæ sibi videntur satis implicatè, nec ad conclusionem propositi, vnde non videtur quicquam de eius sensu curandum qui, nec qualis sit, potest satis liquere, nec absolutè censendus est opposito nostro, nam pro animatione fœtus videtur ipse aperte intelligere non primam infusionem animæ rationalis in hominem sed formationem primæ partis corporis hominis, videlicet cordis & similium, vt ex ipsius verbis citatis apparet; vnde antecedenter ad hanc formationem vult non haberi Conceptionem, post eam vero Conceptionem haberi concedit, quare pro animatione fœtus videtur intelligere illam, quæ potentia, non actu sit, de qua vt vidimus loquutus est Aristoteles. Id quod si asserat vt videtur, nihil contra nos habet, qui damus Conceptionem Galeni in eo quod antecedit primam infusionem animæ rationalis, loquendo de Conceptione hominis, esto de reliquo non consistat in prima mixtura seminum, sed & in alijs subsequentibus actionibus, dummodo intelligantur illæ quæ antecedunt, non complectantur primam animationem ipsius hominis, qua iam dicatur viuere homo vita rationali.

4 Id vero quod habet hic Auctor quod quando conceptionem Aristoteles, Hippocrates, & Galenus & alij dicunt esse primã mixturam seminum de Conceptione loquantur impropriè dicta, gratis id asserit & sine vllo fundamento valdeque futiliter, quia dum de Conceptione ita loquuntur, vt eam alicubi definiant & eam definire videri volunt, non possunt intelligi de Conceptione loqui impropriè, sed propriè dicta; sic si alicubi definitur V. G. anima, corpus, Angelus, elementa, mixta & quid simile, ignauè quis diceret quod eiusmodi Auctores loquantur de tali aliquo impropriè non propriè sumpto, & stultus esset qui putaret in tali casu definiri corpus mathematicum, non physicum & sic de similibus: In casu vero nostro certum est quod Auctores communiter, dum definire volunt euidenter Conceptionem, de carnali dicta & non de prima infusione veræ animæ loquũtur, vt patet in varijs locis Aristotelis, Hippocratis & aliorum: ergo nullo modo in his locis censendi sunt loqui de Conceptione

tione impropriè, sed maximè de propriè dicta.

5 His adde, quod quando hi Auctores decies, vicies, quadragies de Conceptione loquuntur, & deprehenduntur apertè de vno quodam genere Conceptionis loqui; si sit aliud genus Conceptionis, illique ipsi aptent hoc nomen valdè rarò & per quamdam similitudinem id faciant, cum primo nemo est qui non videat: quod Conceptio propriè dicta, censenda sit illa primi generis, non secunda: quia frequentia nominationis maximè, pro hoc vno significato patet stare.

5 Cõtra nostrum ibidem sensum videtur hîc posse obiici Arriaga *lib.1.de anim.d.1 sect.12.* qui censet animam rationalem in fœtu munera exercere animæ vegetatiuæ & sensitiuæ, quæ alij Doctores tribuunt distinctis alijs animabus præuijs antece dentibus animam ipsam rationalem in homine; atque adeo cum isti has animas in embryone admittant ante quadragesimum diem à conceptu, videntur admittere infusionem animæ rationalis antecedenter ad formationem omnium partium corporis humani: quare cogerentur dicere quod ante formationem eiusmodi partium, si desinat eas informare anima rationalis, vt euenit in abortibus, ea in Limbum trãseat & damnetur, atque adeo esset baptizanda ne pereat ante formationem eiusmodi partium, contra vsum & decreta Ecclesiæ, quod non est dicendum, vt patet ex dictis *Diuisione 8. an viuens iuribus* quare Pater Arriaga deberet, explicare quando velit infundi rationalem animam in fœtum ne videatur contra hanc doctrinam certissimam scripsisse.

DISPVTATIO

DISPVTATIO IV.

PROLEGOMENA.

De Conceptione in peccato vsurpata à Scripturis & Patribus vsque ad S. Thomam inclusiuè pro illa seminum, non pro illa naturæ.

1 VIDIMVS Disputatione superiori nomen Conceptionis vt sic siue alteri rei conceptæ applicatum, siue etiam Virgini; vsque ad tempora D. Thomæ vsurpatum esse pro Conceptione seminum contradistincta à Conceptione naturæ, nunc pressius ad nostrum intentum & scopum directa intentione, inquiremus de nomine Conceptionis in peccato, seu de Conceptione in specie subalterna, quæ contrahatur ad Conceptionem in peccato, an scilicet ex eo quòd dicatur, & dicta sit Conceptio cum addito, in peccato, extrahatur vel abstracta fuerit vsque ad S. Thomam à ratione Conceptionis seminum, ita vt quando à Scripturis vel Patribus, vel Theologis antiquis nominata sit Conceptio in peccato, significata sit dicta Conceptio seminum, an verò ea translata sit ad significandam Conceptionem naturæ scilicet humanæ in hoc vel illo filio Adæ, qui diceretur in peccato conceptus; In qua re firmamus vlteriùs sensum probatum, & dicimus vt indubitatũ apud Scripturas, Patres & antiquiores Theologos concipi in peccato, semper stetisse pro Conceptione seminum. Id quod non alio meliori modo possumus ostendere, nisi adducendo Scripturas & Patres, qui de Conceptione in peccato agunt; quemadmodum & antiquiores Theologos. Quare primò adducemus Scripturam psalmi quinquagesimi, quæ expressè tradit hanc Conceptionem in peccato; & secũdò aliã lobi 14. & tertiò aliam quæ in idem recidit, & super has præsertim in illam psal. 50. Quartò adducemus communem sensum patrum. Et quintò tandẽ afferemus loca S. Thomæ, & Sancti Bonaventuræ, in quibus traditur Conceptio in peccato, & non extrahitur sensus à Conceptione seminum.

DIVISIO I.

Adducitur versiculus Psalmi Quinquagesimi, Ecce in iniquitatibus Conceptus sum. *Et ostenditur ex vnanimi consensu SS. Patrum intelligi de Conceptione seminum.*

QVoniam Patres dum de Conceptione in peccato loquuntur, sermonem hunc habent super dictum versũ & eiusdem Catholica, & vera Interpretatio, maximè sit sumenda ex eorum sensu, dum illum adducimus simul cum Patribus interpretantibus ipsum de Conceptione seminum, duo probamus primò quod sacræ Paginæ. 2. quod Sancti Patres stanc pro parte nostra in conclusione posita, quod concipi in peccato intelligi debeat de Conceptione seminum in eisdem. Vbi aduertendum est, quod nos post primum §. diuidemus Patres interpretantes hunc locum, in duas classes; nam aliqui Conceptionem in peccato vsurpant pro Conceptione seminum, tradentes illam esse in peccato originali prout de peccato originali loquimur, secundum esse quod habet contradistinctum à fomite. Contrà verò alij interpretantur eumdem locum de Conceptione quidem seminum; sed illud concipi in peccato explicant per peccatum fomitis, & concupiscentiæ, quæ etiam in Scripturis dicitur peccatum, vt testatur Concilium Trident. Id quod aduertimus, ne ex hac diuersitate interpretationis in eo, quod nostra non refert, Lector non prætermittat aduertere vnanimitatem sensus Patrum in eo, quod notauimus; siue enim Patres hîc pro peccato intelligant radicem concupiscentiæ, seu primum originale peccatum, vel ipsam concupiscentiam, & fomitem formaliter sumptum; omnes tamen conueniunt, quod sermo hîc sit de Conceptione seminum, seu antecedenter ad animationem, quod nobis sufficit ad intentum, quia quãdo concipi in peccato à Patribus videbitur applicari Sanctissimæ Virgini, nihil poterit inferri de vero peccato pro statu animationis eius, pro quo nos Zelamur ardentissimè, ne scilicet impingatur Virgini verum formale peccati; de cetero vero modo nihil curamus dare Aduersarijs, quod ipsa in carne possit dici concepta in peccato, vel ratione carnis habentis corruptionem fomitis, vel habentis vim inficiendi animam vero formali originalis. In duos ergo §. diuidimus Patres iuxta tradita posse quenteum

sequentem, in quo explicationem dicti versiculi Ps. 50. merè proponimus.

§. I.

Ostenditur ex Psal. 50. expressiùs Conceptionem etiam in peccato intelligendam pro prima operatione præeunte ad formationem corporis humani in vtero matris antecedenter omnino ad animationem, seu introductionem animæ rationalis, intellecto peccato pro originali causaliter sumpto.

1 IN Scripturis ergo presè ad rem nostram veritas hæc demonstratur. Quia *Psal.* 50. Dauid inquit. [Ecce ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:] In quibus verbis apertè se loqui Dauid de formatione primi corporis sui & concursu matris ad illam. Patet ex Hebræo, in quo vbi dicitur *conceptus sum*: id habetur verbũ *CHOLALCHI* quod propriè significat *formatus sum*: id quod dicit figurationem corporis sui, & in eò, quod dicitur. *Concepit me mater mea.* Propriè verbum Hebræũ quod est *LECHEMATHNI* significat *vel calefecit me, vel calefacta est mater mea*, quo exprimitur manifestè actio materialis, in qua consistit Conceptio hominis, vnde manifestè concluditur hîc sermonem esse de Conceptione introducente istas dispositiones hominis in fœtum, & pro statu fœtus, in illis omnino stare; nulloque modo Conceptionem hoc loco significare introductionem animæ rationalis, quod est quod volumus. Sed quia sensus hic videri potest aliquibus vel distortus, vel parum fundatus, quia nomen Conceptionis in Virgine acceptionem aliam post aliquot sæcula tardam in antecedentibus venatum est, vti dicendum est, *dist. seqq.* Propterea is firmandus est magna euidentia, & aduertendum omnem aliam expositionem huius loci esse alienam à recto sensu, vt aduertit Biuarius in libello vindicante Patres à sensu ipsis imputato contra Immaculatam Conceptionem Lugduni impresso & quod pluris est à Bellarmino *lib. 4. de amissione gratiæ*, quorum auctoritas eò libentius à me affertur, quo meditanti, & hunc sensum dictare subdubiè volenti, diuina pœne prouidentia, obuia aliud mihi legenti fuit, & quod cogitabam tradere, firmauit certius; cum maximè Patres à me consultos pedibus, manibus que in hanc ire sententiam deinde inuenerim; ita vt obmutescere omnino debeam. Aduertiantes, qui quoniam in Sanctissima Virgine nomen Conceptionis stare vident pro primo signo & momento fuæ animationis ex Dicto Auctorum recentium, in eodem sensu esse intendum nomen Conceptionis apud antiquos Scriptores autfacter existimant: ac propterea irrident hanc interpretationem, vt paulò post videbimus ex Caietano. Iam isti, qui sic temere irrident veras, & genuinas Scripturarum & Patrum interpretationes audiant, fileant, & attendant prius ad sensa & probationes horum grauium Auctorum, & postea meditentur sensa Patrum

2 Et videatur pro hac se Biuarius *in Patribus vindicatis pro immaculata Conceptione*, qui expositionem sequuntur Bellarmini mox subdendi dãos, peccatum Cõceptionis hominis, in quantum is ex carne infecta concipitur, in qua est obligatio quod anima creanda inficiatur & contrahat originale; & rursum aliam tradit quod dicitur homo conceptus in peccato quia in fomite conceptus tum suo, tum parentum quod peccatum dicitur in Scripturis iuxta explicationem Concilij Trid. cuique expositioni congruit Chaldaica paraphasis quæ vertit [& in peccato fomitis praui incaluit de me mater mea,] vt notat Manar. *discur. n. 48. fomitis super miserere super cuatum psalmo. verſiculum.* Qui infra adducetur latiùs pro hac re loquutus.

3 Bellarminus *lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16.* item idipsum breuibus elucidat quam maxime & ait, [Tribus modis peccatum primi parentis cum filijs eius communicatur. Primò enim dicuntur Adæ filij in ipso Adamo peccauisse, cum ille præceptum Domini in paradiso trangressus est; & quoniam tunc non erant ipsi in actu, sed in potentia, ideo quoque tunc peccatum non actu, sed potentia contraxerunt; siue quod est idem, non in se, sed in parente peccauerunt, quemadmodum non in se, sed in parente subsistebant. Hinc S. Augustinus lib 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 10. Certè inquit manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quándo omnes ille vnus homo fuerunt. Deinde rursus dicuntur in peccato concipi omnes Adæ filij, cum primum fœtus in vtero matris existere incipit, quamuis informis, & inanimis: tametsi enim peccatum propriè non possit esse nisi in anima rationali & fœtus conformari incipiat longo tempore ante animationem, tamen quia tunc reuera incipit homo existere ratione vnius suæ partis, vnde dicuntur filij in veteris matrum nomen mentibus gestari 2. Machab. 7. & pars illa ex corrupta natura originem habet, & vitiata recte nominari potest, atque ei ex vi fuæ generationis debetur, vt cùm primũ animam rationalem sortita fuerit, inde existat homo peccator, & inæ diuinæ filij res propterea non immerito dicuntur homines tunc primum in iniquitatibus generari. Explicat hoc multis verbis S. Anselmus in lib. de Conceptu Virginis & peccato originali cap. 7. & de hac prima Conceptione exponit illud Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.]

4 Incognitus super eundem Vers. Psal. 50. ait. [Ex quibus apparet, quod peccatum, quod oritur ex carnis concupiscentia minus est, & magis venia dignum, quam fuisset ante, primum peccatum, quando concupiscentia non erat in carne, quia quanto peccatum à maiori tentatione

tatione & impulsu progreditur, tanto minus peccanti imputatur, quia minus habet de voluntario. Hanc ergo rationē adducens scilicet carnis concupiscentia, quæ continuum bellum contra spiritum facit, dicit. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, scilicet in peccato originali, ex quo caro concupiscit aduersus spiritum, & per consequens peccatum meum magis est remissibile. Sed statim insurgit dubium, quomodo Dauid, vel quilibet alius concipitur à matre in peccatis originalibus; quia certum est, quod tempore, quo mater concipit prolem, ibi non est conceptu anima rationalis quæ non creatur & corpori infunditur nisi post corpus conceptum, formatum, & distinctum; corpus autem conceptum non habet debitam formam, nisi post quadraginta dies à Conceptione si est masculus, si autem fœmina post octoginta. Cum ergo peccatum non possit esse nisi in anima, & quando mater concipit fœtum, ibi non est anima, quomodo ergo mater in peccatis concepit fœtum? Ad hoc respondetur dupliciter. Primò, quod illud peccatum, vel peccata, in quibus fœtus concipitur non sunt peccata prolis conceptæ, sed parentū concipientium; licet ante primum peccatum hominis carnalis copula posset fieri sine libidinosa concupiscentia, tamen post peccatum fieri non potest absque libidinosa concupiscentia, quæ semper est vitium & peccatum, vt dicit Magister lib. 2. sen. dist. 31 nisi excusetur per bona matrimonij, vt scilicet à mortali non imputetur. Sic ergo in peccatis concepit eum mater eius, quia parentes ipsum concipiendo peccauerunt ex libidinosa concupiscentia saltem venialiter. Secundo dicitur, quod in peccatis concepit eum mater eius, quia in conceptione seminis, in semine concepto est quædam necessitas ad causandum peccatum originale in anima, quando fuerit eidem coniuncta; sic enim aliud dicitur fieri, cum sit illud, ad quod necessario illud dicitur consequi. v. g. dixit Deus primis parentibus. In quacumque hora comederetis de ligno scientiæ boni, & mali morieimini, non quidem quod statim mortui fuerint, quando de ligno comederunt; quinimo post Adam vixit nongentis & triginta annis; sed idcirco dictum est quacumque hora comederitis, morte morieimini; dest contraxeritis necessitatem moriendi, sic in apposito. Et ideo notant Doctores quod peccatum originale contrahitur dupliciter, scilicet causaliter & formaliter contrahitur causaliter in conceptione seminis; quia tunc contrahitur necessitas ad ipsum contrahendum, formaliter, quando anima creata infunditur corpori.] Et deinde [& ambæ hæc prædictæ solutiones sunt Venerabilis Anselmi in libro de Conceptione Mariæ] Hæc incognitus & alij expositores frequentissimè. Vide si quid clarius & certius in hac re dici potest.

5. Nec dubites hanc esse genuinam expositionem sacrarum harum Scripturarum. Lege omnes expositores, quos in hoc sensu videbis esse concordes, fere similibus verbis. Latè hanc doctrinam (qui communissimam solet docere) prosequitur Iulius Mazarinus eloquens auctor & profundus interpres: Magnus etiam apud populos extricator quæstionum Theologica-

rum. Ita enim scripsit: *in discur. 48. citato qui est prior super versiculum:* Ecce in iniquitatibus: vbi ponit quæstionem notatam his verbis: *Prima dubitatio est, quoniam subiectum cuiuscumque peccati est, sicut & gratiæ anima est, at in tempore Conceptionis, quod pro indubitato tradit, non est adhuc creata anima, qua ergo ratione potest intercedere in conceptione peccatum?* & respondet paulo post dicens: *Prima dubitationi respondetur, quod tempore Conceptionis in principio generationis, seu conceptionis est peccatum vt in origine & causa & virtualiter, quemadmodum quando leprosus leprosum generat, lepra habet corpus subiecto, sed etiam ea est sicuti in origine in actuo principio, & clarius quamquam in conceptione non sit originale peccatum, vti dici solet, formaliter; tunc tamen contrahitur necessitas illud habendi tempore quo anima infundetur, sicuti dicit Anselmus in libro de conceptione; quoniam in illo initio generatiuo in concepto est necessitas causandi originale peccatum in anima, quando ea cū ipso vnietur: ad eum modum quo asserimus quod etsi Eua nō statim ac primū comedit mortua est, sicuti videbatur Deus comminatus; tunc nihilominus absque mora incurrit necessitatem moriendi:* quæ est sincera doctrina à prioribus expositoribus tradita. Qua nullo modo peccatum potest dici tributum à Propheta Dauid primæ animationi hominis; sed primæ eius formationi, & organizationi corporis extra omnem controuersiam.

6. Titelmanus eamdem expositionem firmat sequentibus, *& in peccatis concepit me mater mea. Huius versus partem secundam nonnulli ad ipsum conceptus peccatum referunt, & ad libidinem quæ est in conceptione prolis, dicentes, ob hoc in peccatis concipi hominem: quoniam libido adest quasi immaculans, aut vitians conceptum: verum non satis appareat, hanc esse sententiam Psalmistæ; quoniam vbi nos habemus,* concepit me mater mea, *additio Romana habet:* Peperit me. *Et similiter verius ex Hebræo sanctus Hieronymus: Translatio autem Augustini habet:* aluit me: *Hæc autem nullo modo prædictæ expositioni consonant: quomodo enim verum esse potest quod in peccatis nos pariant matres nostræ, vt in vtero alant, ac foueant, si ad peccatum ipsius matris referatur, id est ad libidinem: non enim in patiendo libido est, sed dolor & cruciatus maximus, forsitan & prioris delectationis expiatio: rectius ergo, & hæc particula vt (scilicet in iniquitatibus conceptus sum) ad peccatum originale istius cōcepti vel parti editi referetur, vt eadem habeat cum priore sententiam. Quomodo autem dicatur numero plurali in iniquitatibus, & in peccatis, cùm nonnisi vnum sit originale peccatum in quo concipimur, & quam intelligentiam illud requirat elucidatione lector attentus facilè per semetipsum aduertet:* Vbi apertè conceptionem peccaminosam nominat eam, quæ est cum libidine, & in ea vult contrahi originale residens in ea, nec meminit primæ illius animationis fœtus.

7. Hugo Cardinalis eidē doctrinæ subscribit sequens expositionē, quod Conceptio dicatur in peccato, quia communicata sibi est concupiscentia, in fomite: *Ecce non verbo:* in iniquitatibus conceptus sum, *idest in originalibus & talis vt pronus sim ad peccandum actualiter. In triplici iniquitate concipitur homo, idest in pecca-*

to originali: *Rom.* 5. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, *vel in pronitate & fomite*: & deinde super versum illum, *& in peccatis concepit me mater mea* subdit, *ideſt in concupiſcentiis libidinis, quæ peccatum eſt, niſi per bonum coniugij excuſaretur*, quod impoſſibile eſt dici competere primæ animationi, quæ non inuenitur in dictis libidinibus; iterum quærit cur in iniquitatibus parentum dicat ſe conceptum Dauid cum conceptus ſit ex legitimo matrimonio & reſpondet: *Solutio: iniquitatibus contractis à parentibus, quia dicit Chryſoſtomus, quod coniugium etſi non ſit peccatum, tamen malum eſt malitiâ pœnæ; & quia in opere eius de facili fit malum: numquam enim aliter dico Apoſtolus.* Secundum indulgentiam hoc dico. *Si enim ſimpliciter bonum eſſet, non competeret indulgentia.*

8. Et quod admirandum eſt hanc eamdem expoſitionem tradit Cardinalis Caietanus, qui eam irridet alibi: videatur quomodo coactus ſit veritatem hanc fateri, quando ſermo applicatur etiam ad Virginem: nam ſic ipſe exponit verſiculum dictum Pſalmi 50. *Eccè in promptu eſt ex parte meæ miſeriæ peccati ab initio formationis meæ, & in peccato calefacta eſt mater mea, Hebræa circumloquutione ſignificatur concubitus quo mater concipit filium per calefactionem matris de prole. Hic eſt textus unde traditur originale peccatum, quo ſcilicet quilibet commiſtione maris, & fœminæ conceptus dicitur in pecato originali: nec eſt opus peccatum attribuere matri, non enim matrem intendit accuſare Dauid, ſed miſeriam ſuam non pœnæ, ſed peccati; nec oportet matrem, aut patrem in actu concubitus committere peccatum veniale, niſi quis adeo deſipiat, vt putet delectationem naturalem voluntariam eſſe peccatum*; Vbi apertiſſimè concedit peccatum, & non pœnam tantum, Conceptioni carnali Caietanus, vt patet ex ſuis ipſiſſimis verbis, quod tamen, vt dixi immemor à ſe dicti, irridet applicatum Conceptioni Deiparæ carnali.

9. Simillimè Caietano, & clariùs ſcribit Genebrardus: *Conceptus ſum, formatus ſum. Propterea ſeptuaginta explicarunt fontem & principium peccati originarij: nempe in concepto transfunditur per ſeminis emiſſionem: ſemen enim virile eſt vehiculum, vt non ſit diſputandum animane an corpus illud inuehat. Concepit me Hebraicè calefecit me, calore concepit me.* Hama *transfertur ad fœminas concipientes, & per metaphoram concipere ſignificat. Inde ſe naturâ & origine propenſum ad peccatum quaritur: nam hoc intelligi de peccato & corruptela originaria, Hebræi nobiſcum aſſerunt, vt Aben Eſrain 14. lib. Iob, quam ſeptem nominibus appellari in ſcriptura docent: malum, præputium cordis, iniſtinctum ſine oſorem, ſine ſcandalum, ſine offendiculum cor lapideum, ſine lapidem; aquilonem, ſive eum qui ab aquilone eſt, denique immundum*: & paulò poſt expreſſiùs: *Ineptè nonnulli, non de peccato originis, ſed actualis parentum libidinis, & concupiſcentiæ intelligunt. Præterea in Hebræo ſingulariter in iniquitate, in peccato; quoniam nonniſi eſt vnum peccatum originale, in quo concipiamur, & nobis ad malum proclinitas inferatur quod tamen multa dici poſſit, quia eſt omnium aliorum fomes, origo, & ſeminarium: vnum ergo eſt per ſe, multa per effectus*: Quo loco nullo modo peccatum poteſt dici tributum à Propheta ſecundum Genebrard. primæ animationi, ſed primæ eius formationi & organizationi corporis extra omnem dubitationem.

10. Lorinus eamdem interpretationem ſequitur explicans verbum: *Conceptus ſum*, & ſcribit, *certè non refertur ad editionem gignendi, in qua peccatum eſſe poteſt, ſed ad formationem corporis, quæ fit poſt concubitum*: & clariùs idem explicat dum ſubdit: *Ex parte fœtus ante animationem, non poteſt dici fœtus concipi in peccato, niſi prout illa materia per commiſtionem ſeminum coacta, obnoxia eſt, vt cum primum animabitur, anima peccatum contrahat*, quod repetit item aliàs in explicatione textus, vt cum dixit: *Rarò quidem vſus coniugalis, qualis fuit, quo Dauid conceptus fuit, abſque nonnulla immoderatione libidinis fit, & aliquo peccato veniali.*

11. Gloſſa idem interlinearis eidem ſenſui ſuffragatur dum affert Caſſianum dicentem: *Minuatur inuidia peccati, ſi à radice peccatorem ſe confitetur*: ideſt à carne, vnde trahit originem. Et rurſum Auguſtinum ſuper verba: *In iniquitatibus* his verbis: *Non quia peccatum eſt miſceri coniugibus, ſed quod ſit, de carne pœnali, ſit, & quod de corpore mortuo propter peccatum ſeminatur, iam vinculo peccati naſcitur, & moritur*: Vbi expreſsè de ea Conceptione loquitur, quæ ex carne ſit in miſtione coniugum.

12. Nec ab hoc ſenſu abeſt Gloſſa ordinaria quæ habet: *Ecce in iniquitatibus, ideſt in concupiſcentia libidinis, quæ peccatum eſt, niſi excuſetur per bona coniugij: nam hoc opus caſtum, in coninge non habet culpam, ſed origo peccati in prole ſecum trahit debitam pœnam*: Subſcribit Nicolaus de Lyra ſuper illud: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* dicens: *ex parentibus enim contrahit homo originale peccatum*, quod nonniſi in ſuſceptione carnis ab ipſis habetur, ſcilicet in Conceptione carnali.

13. Annuit item Sanctus Thomas exponens hunc locum Dauid? nam inquit: *Radix omnis peccati eſt originale, quod à parentibus trahitur illo infectio: hæc infectio erat in ipſo Patre Dauid & Matre*, ideſt in carne eorum: *quantum ad Patrem dicit in iniquitatibus; conceptus ſum, non actualibus, quia non de adulterio, ſed de matrimonio, & ſancto Ieſſe natus eſt, vt dicitur Ruth. vltimo*: Quare loquitur de Conceptione in actu coniugali, & conſequenter carnali, & ſubdit: *Sed numquid non erant mundati parentes Dauid per Circumciſionem à peccato originali? dicendum eſt quod Baptiſmus & Circumciſio mundabat ab originali, ſed adhuc remanet fomes; & Circumciſio fiebat in carne, & homo generat filios carnales in carne*; Quare de carnali generatione & conceptione loquitur: *Et ideo neceſſe erat, quod iterum filius natus circumcideretur, ſicut modo natus ex parentibus baptizatis baptizatur*, alia littera habet *caluit me mater mea*. Quare admittit Conceptionem matris in fomento eius conſiſtere, non in primâ animatione, quam non nominat.

14. Pineda huc etiam aduocandus eſt ſuper tertium Iobi ſuper illa verba, *pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo*; vbi ſubiungit, *tenebræ & nox Conceptio-*

ni

ni locum prabent, quam solet qui opportunus somnus fouendo semini & fœtui elaborando, vt indicat sapiens, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conueniente: & deinde, *nox non cæca sed oculata Conceptionis*: Quod non potest intelligi de prima animatione, & super illud caput 14. *Quis potest facere mundum de immundo*, ait: *Non me debes propter peccati sordes abiicere, nam illas ex ipsa Conceptione contraximus, videmusque propterea intimis hærere medullis cum immundo semine, ex quo progeniti sumus.* Et fusius idem habet. *Iob.* 13. *Iob.* 3. Glossa ordinaria similiter de Conceptione carnali loquentem eum enunciat: dum dicit: *Perat nox in qua dictum est, conceptus est homo, ideſt talis conceptus*: scilicet signatus in nocte, qui non est in prima animatione; & super cap. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*: Vbi subdit: *Quin homo originale peccatum trahit per hoc quod ab Adam secundum rationem seminalem descendit.*

16. Nicolaus item de Lyra primum locum Iobi interpretatur similiter de Conceptione carnali, quia ait quod Iob imprecatur hæ natiuitati & deinde: *Et eo modo intelligendum est de his quæ sequuntur, quantum ad noctem suæ Conceptionis. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, hic consequenter maledicit nocti suæ Conceptionis in speciali*: Conceptio autem opposita & contradistincta à natiuitate non est nisi carnalis. Circa secundum locum item, habet: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, quia homo originale peccatum trahit per hoc, quod ab Adam secundum rationem seminalem descendit.*

17. Similiter sanctus Thomas primum locum Iob Conceptioni carnali adscribit dicens; *Iob. natiuitatem & Conceptionem suam, ex quibus in hanc vitam deuenerat, odio habebat, & per consequens diem natiuitatis & noctem Conceptionis secundum illum loquendi modum, quo ex iis quæ tempore aguntur, aliquid adscribere temporibus bonum vel malum consueuimus*: Et similia prosequitur de temporibus notis natiuitatis, & Conceptionis, quale non est instans primæ animationis: secundum verò locum quo dixit Iob. *Quis potest facere mundum*, &c. Ita interpretatur vt de carnali Conceptione eum intelligat dum subdit: *Semen quidem hominis immundum est, non secundum naturam, sed secundum concupiscentiæ infectionem, de hoc autem immundo semine conceptus*, quam Conceptionem adscribit operi seminis, & conceptum immundum vult ex semine tempore delectationis; atque adeo non de prima animatione loqui vult Iobum, sed de seminali ortu hominis.

18. Venit in idem Antonius Agellius Episcopus Acernensis in suis Commentariis super Psalmos, inquiens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Neque solum peccatum & iniquitatem meã cognosco, verum etiam in iniquitatibus me conceptum fateor, cum in peccatis conceperit me mater mea. Quibus verbis peccatum originis adstruit, quod per transfusionem seminis in posteros propagatur: simul etiam Iudicem ad misericordiam flectit, relaxandique peccati sui si ex æquitate, & decentia iudicare velit, non nihil adesse causæ asserit, quod infecta per generationis & originis vitium natura non mirum est si peccata alia proferat, & germinet: quamuis autem vnum fuerit peccatum originis, sic tamen de eo tamquam de multis loquitur*: In iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea: *Nam etiam si vnum est tamen ex eo tamquam ex radice, ac stirpe multa prodeunt, atque nascuntur. Hoc igitur est cum tam infirmus ego sim, tamque abiectum, & peccatis obnoxium meum figmentum; æquum est vt non summo iure, sed clementer mecum agas, & meam iniquitatem non tam admissi sceleris, quam infirmitatis habita ratione relaxes.*

19. Eiusdem sensum prosequitur latè Corderius adducens plures Patres & ait: *A primordio, natura iam inde à primis parentibus peccato succubuit; quod per eorundem preuaricationem inualescens, viam quandam, & semitam per humanum genus sibi apparuit: non quod peccati efficacia sit naturalis* (alioquin enim expers esset punitionis) *sed quod pronitas ad peccandum cum natura hæreditetur* (vincit tamen actio & labor) *quin neque necessitas imperat propter libertatem, vel quia primario intendebat Deus, vt non per nuptias nasceremur & corruptionem; preuaricatio vero nuptias introduxit eo quod iniquè egisset Adam, preuaricator effectus mandati, omnes qui ex Adam descendunt in iniquitatibus concipiuntur, progenitoris damnationi succumbentes. Et quia etiam Eua prima concepit peccatum concupiscens voluptatem, idcirco, & nos in iniquitate concipi dicimur abstinentia igitur nuptiarum horum omnium malorum immunitate gaudet.* Quo loco semper in opere carnali Conceptionem tradit, secluso à prima animatione animæ rationalis in homine.

§. II.

Animaduertitur ex vnanimi consensu, hunc locum Psalmi 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, *sermonem habere de Conceptione carnali prout dicit primam initiationem formationis corporis humani, nulla mentione facta de prima animatione fœtus, & intellecto peccato pro eo quod contrahitur ab Adamo seminaliter.*

1. NOuum & audax videtur dictum, quod non solùm in Scripturis sacris, sed etiã in sanctis Patribus atq; vnanimiter, nomẽ Conceptionis, dum maximè ea dicitur esse in

peccato, impottet merè Conceptionem seminum non naturarum, vt eam distinxit Scotus; seu Conceptionem carnalem præscindendo à primo signo infusionis animæ, seu primæ animationis, vt stantis, vel attinentis ad Conceptionem: nam diceret aliquis, si hoc verum esset, nullum esset argumentum Aduersantium Immaculatæ Conceptioni, prout stat pro prima animatione Virginis, si hoc modo scilicet quoad carnalem, sumitur à Patribus, qui dicunt Beatam Virginem conceptam fuisse in peccato originali, nemo enim non videt, quod ex his verbis sanctorum Patrum non posset deduci, quod quando anima Virginis sanctissimæ primo infusa est corpori, fuerit priuata gratiâ, & filia iræ, atque adeo nihil inde prorsus posset concludi cõtra Immaculatam Conceptionem: at subderet is. In hoc, seu in his dictis Patrum triumphant Aduersantes concludentes Virginem sanctam in prima sui animatione fuisse filiam iræ, & vsque modo laboratum est in eiusmodi dictorum expositionibus; vnde non potest vlla ratione dici, & audax erit, & nouum dictum, quod vnanimi consensu Patres Conceptionem hominis in peccato explicauerint, & senserint pro dicta carnali.

2. Secunda etiam iteratione is aliquis adderet, non esse dubium, quin aliqui Patrum ita exponantur ab aliquibus Doctoribus; sed valdè nimium est affirmare, quod non solum quadret hæc interpretatio nominis Conceptionis, sed ita sit certa, vt dicenda sit audacter haberi ex vnanimi consensu Patrum, & rectè hinc posset inferri valdè ineptè, & eiuscemodi dictis Patrum argutum huc vsque fuisse contra Conceptionem Immaculatam Deiparæ eo modo, quo disseritur, & prædicatur modo in Ecclesia Dei, de illa; scilicet secundum quod significat primam sui animationem sanctam, & præditam gratia sanctificante: at quisquis ille sit, qui hoc blaterare vellit, audiat sigillatim suis verbis Patres super hunc locum Dauid, & nobiscum sentiat, aduertens, quòd cùm scripturæ euidentissimè sint demonstratæ Cõceptionem nonnisi pro prima mixtione seminum intelligere, & tradere; nihil mirum, imo congruentissimum fuerit, ita loquutos Patres fuisse, qui modo loquendi scripturarum perpetuo debebant se accommodare, cum maximè naturalis & primæua significatio huius nominis hoc ipsum afferret vt vidimus supra manifestè *disp.* 3. *d.* 4.

3. Sed attendantur verba Patrum, vt hæc veritas luce clarius eluceſcat. Et primo allegentur ij, qui Conceptionem in peccatis, quam sibi attribuit Dauid in hoc Psalmo, explicant de transfusione peccati originalis, prout peccatum originale inficit carnem primo conceptã, vt ex illa debeat anima priuari gratia, & similibus donis; & secundo recenseantur alij, qui concipi in peccatis explicant de concipi in concupiscentia, vel fomite peccatorum, vel qui est in parentibus, vel qui communicatur in fœtu; qui tamen omnes notabuntur de Conceptione loqui, prout merè significat primam seminum humanorum mixturam antecedenter ad animationem, quod est id, quod hic solùm & maximè intendimus demonstrare.

4. Manifestissimè autem pro hac re est. Anselmus, *lib. de Conceptu Virginis cap.* 7. vbi explicat quomodo semen hominis dicatur in mundum, & is pro eo statu dicatur concipi in peccatis, quamuis in eo non sit peccatum, & ponit titulum, *Quod semen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamuis in eo non peccatum*: vbi pluribus *in d. cap.* quærit quomodo dicatur à Dauid, *ecce in iniquitatibus conceptus sum*; & subdit: *Videtur itaque sequi, quod aut infans statim à sua conceptione animam habet rationalem, aut in eo non est originale peccatum, mox vt conceptus est*: Et deinde, *quod autem mox à Conceptione rationalem habeat animam, nullus humanus suscipit sensus*: Et subdit hoc esse impossibile, quia ait: *sequitur enim vt quoties susceptum semen humanum etiam ab ipso momento susceptionis perit, antequam perueniat ad humanam figuram, toties damnetur in illa humana natura.* 1. fœtus vnius diei si pereat, damnabitur homo, quod est falsissimum; ex quo discursu infert esse impossibile quod infans statim ab ipsa Conceptione habeat animam rationalem, & concludit: *Hæc ergo pars relinquenda est*; quia videlicet est apertè falsa, vnde euidentissimè tradit Conceptionem ex vi vocabuli non significare fœtum animatum, quod est quod volumus. In quo Sancto aduertendum, quod nomine Conceptionis nonnisi primam dictam susceptionem seminis in vtero intelligit, & nihil aliud ab illa, quod pluries repetit in *d.* & pro eodem habet nec in aliud tempus distrahit Conceptionem vlla ratione ab ipso momento susceptionis seminis. Verba eius sunt adducenda: nam ait; *Queram igitur si possum quomodo (quamuis non statim ab ipsa Conceptione* scilicet in rigore) *sit in infantibus peccatum; de immundo tamen semine in iniquitatibus & peccatis concipi dicantur*: & respondet: *sæpè vtique diuina scriptura asserit aliquid esse, quando non est, idcirco quia certum est futurum esse*; *sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit*: In quacumque die comederis ex eo; *morte morieris*, non quod eo die mortuus sit corpore, sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi: deinde: *Simili modo de immundo semine & in iniquitatibus, & in peccatis concipi potest homo intelligi*, non quod in semine sit immunditia peccati, *aut peccatum, siue iniquitas*; *sed quia ab ipso semine, & ab ipsa Conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem vt cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, qua non est aliquid, quam peccatum & iniquitas*: Id quod etiam repetit *cap.* 14. vbi expressè tradit Anselmus Conceptionem in peccatis tradi pro signo Conceptionis carnalis, & seminum, licet in ordine ad primam animationem, & infusionem animæ rationalis; quod est quod animaduertimus debere censeri certum apud Recentiores.

5. Sanctus Ambrosius itidem pro simili expositione Anselmi stat, dum ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea* super hæc verba: *Quis tanto affectu egit pœnitentiam? humi stratus iacuit fusus in lacrymas, cibum non gustauit, lauacro se abdicauit. Quid iam reliqua dicam quod abstinuerit ornatu & comitatu Regio? adiunxit confessionem iniquitatis suæ, & in perpetua fa. ulæ toto canendam*

dam orbe transmisit. Ecce inquit in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. *Antequam nascamur, maculamur contagio, & ante vsuram lucis, originis ipsius excipimus initiriam, in iniquitate concipimur; non expressit vtrum parentum, an nostra, & in delictis generat vnumquemque mater sua. Nec hic declarauit vtrum in delictis suis mater pariat, an iam sint & aliqua delicta nascentis. Sed vide ne vtrumque intelligendum sit, quoniam & parentes non carent lapsu, nec conceptus iniquitatis exors sus est, nam si nec vnius diei infans sine peccato est, multo magis nec illis materni conceptus dies sine peccato sunt.* Bonum quidem coniugium, sancta copula, quia honorabile connubium, & totus immaculatus; sed tamen qui habent vxores ita sint ac si non habentes, & nemo alterum fraudare debet, nisi forte ad tempus; vt vacent orationi, & iterum in vnum conuenire, nec tentet satanas propter incontinentiam. *Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur; sed & ipse partus habet contagia sua, nec vnum tantummodo habet ipsa natura contagium. Vnde in lege Dei partus & plerique alij à sacrificio feriati sunt; mulier enim, quæ generauit non potest in diebus purgationis sue offerre sacrificium, nec ingredi sanctuarium, donec legitimo ritu mundetur à fœtu. Ideo in quo voluit Dominus nulla huiusmodi originis esse contagia, dicit illi:* Prius quam te formarem in vtero matris tuæ, noui te, & priusquam exires de vulua sanctificaui te, & Prophetam in gentibus posui te. *Quis tantus, cui tam magna delata sunt? numquid Hieremias? non vtique. Ille enim non in Gentibus Propheta propositus, sed in Iudæa tantum licet nunc etiam in nationibus, quæ in Iesum Dominum crediderunt. Vide igitur? ne illi dicatur, qui antequam nasceretur ex Virgine, iamdudum erat, & erat semper, & operabatur in vtero Mariæ constitutus, & ita sanctus erat, vt sanctificaret Prophetas suos; in quo solo & Conceptus Virginalis, & partus sine vllo fuit mortalis originis inquinamento. Dignum etenim fuit, vt qui non erat habiturus corporea peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo Dauid, flebiliter in se deplorauit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inceperat in homine macula, quam vita.* In quibus verbis S. Ambrosius loquitur de Conceptione, quatenus importat copulam coniugum eamque declarat, quomodo soleat aliquo peccato inquinari, quo inficiantur parentes, & purificatione indigeant, & rursum declarat quod ipse partus peccato sit inquinatus & maculatus, antequam vitam incipiat, & his similia, nulla mentione prorsus facta de animatione in conceptum & expresse de statu ante vitam & animationem loquitur. Quæ omnia ostendunt Ambrosium loquutum in hoc loco de Conceptione carnali in immixtione seminum, & prima operatione directa ad formationem corporis hominis.

6. S. Hieronymus pariter est eiusdem sensus, dum explicat hunc locum & ait: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea: *Hic versiculus totius generis humani casum exponit sicut in Iob,* nec si vnius diei infans sit super terram, potest esse mundus a sorde peccati: *Concipitur autem, & nascitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur, sed baptismo per gratiam Christi purificatur*: quibus verbis constat loqui Hieronymum de Conceptione in priori ad animationem, quia nomen Conceptionis supra vidimus ipsum non applicare corpori hominis animato, sed pro statu pro quo formatur in ventre matris fœtus, & embryo antecedenter ad animam. Et rursum dum notat hominem concipi, & nasci in peccato originali contradistinguit Conceptionem à Natiuitate, & de Conceptione loquitur, quæ trahit originale ex Adamo, quod non nisi via feminis, & in prima receptione seminis in vtero matris habetur in priori ad animationem, quare de ea ostendit se hic loqui.

7. Nec à simili sensu Sanctus Augustinus in hoc loco Psal. 50. longè est, quem omnino supponit, & declarat pluribus, itaut non posset aliter interpretari, nam ait: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: *Tamquam diceretur, vincuntur illi, qui fecerunt, quod & tu Dauid, non enim hoc paruum malum paruumque peccatum adulterium, & homicidium. Quid illi, qui ex quo nati sunt de ventre matris sua nihil tale fecerunt? etiã ipsis imputas alia peccata, vt ille omnes vincat*; scilicet Deus bonitate sua, *cum caperet iudicare, suscepit personam generis humani Dauid, & attendit omnia vincula, propaginem mortis consideranit, originem iniquitatis aduertit & ait*: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. *Numquid Dauid de adulterio natus erat, & de Iesse viro iusto, & coniuge ipsius? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ: Dicit & in alio loco Propheta.* Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. *Nouimus enim ex baptismo Christi solui peccata, & baptismum Christi valere ad remissionem peccatorum: si infantes omnimodo innocentes sunt, cur matres ad Ecclesiam cum languentibus currunt? quid illo baptismo? quid illa remissione dimittitur, innocentem magis video flentem, quam irascentem. Quid diluit baptismus? quid soluit illa gratia? soluitur propago tibi; quia si loqui tibi posset infans ille diceret, & si iam intellectum haberet, quem habebat Dauid, respondere tibi. Quid me attendis infantem? Numquid vides facinora mea? Sed ego* in iniquitate conceptus sum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit. *Præterhoc vinculum carnalis concupiscentiæ natus est Christus sine masculo ex Virgine concipiente de Spiritu sancto. Non potest iste dici* in iniquitatibus conceptus, *non potest dici* in peccatis mater eius in vtero eum aluit, *cui dictum est*, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; *Non ergo ideo in iniquitate concipiuntur homines, & in peccatis in vtero à matribus aluntur, quia peccatum est misceri coniugibus, sed quia illud quod fit, vtique fit, de carne pœnali. Pœna enim carnis mors est, & vtique inest ipsa mortalitas. Vnde Apostolus non moriturum corpus dixit, sed mortuum:* Corpus quidem mortuum est, *inquit*, propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam. *Quomodo ergo sine vinculo peccati nascitur*, quod concipitur & seminatur de corpore mortuo propter peccatum? opus hoc castum in coniuge

non habet culpam, sed origo peccati trahit secum debitam pœnam. Non enim maritus quia maritus est, mortalis non est, aut aliunde, nisi peccato mortalis est. Erat enim & Dominus mortalis, sed non de peccato suscepit pœnam nostram & ideo soluit culpam nostram. *Merito ergo* in Adam omnes moriuntur, in Christo autem omnes viuificantur. Per vnum hominem enim, *ait Apostolus* peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt [solus esse innocens infans potuit, qui de opere in Adam non est natus.] In quibus sanctus Augustinus in verbis Dauid notauit ipsum Prophetam agnouisse originem iniquitatis, & propaginem mortis, quæ trahitur ex Adam. Id quod contingit in prima mixtione, & receptione seminis ordinati ad formationem corporis humani. Rursum de Conceptione illa loquitur, quæ habetur ex opera legitima, & maritali, non adultera, quæ certè est antecedenter ad animationem. Tertio de ea Conceptione sermonem habet, quæ est de concupiscentia, cùm contradistinguat illam à Conceptione Christi, quæ fuit sine illa, quæ nonnisi ea, quæ antecedit animationem, esse potest. Quarto notat non esse in peccato hominem conceptum, quia peccatum est opera maritalis, sed quia genitura coniugum est, & fit ex carne peccati. Vnde manifestè totum refundit in opus carnale, quod prouenit ex carne parentum infecta, & transfusiua originalis radicaliter, vt prima disputatione explicauimus, & alibi differetur fusius. Quinto concipi confundit cum seminari sanctus Augustinus dum scribit; [quod concipitur & seminatur de corpore mortuo propter peccatum.] Sexto repetit quod opus hoc (certè nonnisi formationis corporis) castum in coniuge non habet culpam;] animatio enim & infusio animæ rationalis non est opus coniugum, sed Dei creantis, & ad summum coniuges dicuntur disponere materiam, ad introductionem animæ. Septimo manifestè sanctus Augustinus Conceptionem in peccato refundit in susceptam carnem mortalem morti subditam propter peccatum Adæ, quam non habuit Christus; talem scilicet, seu procedentem, vt ipse habet de opere in Adam, v. g. per seminalem rationem; vnde manifestè loquitur de Conceptione feminum, & per consequens de mera carnali; nec vila ratione meminit de prima animæ infusione in dicto homine concepto, vt patet.

8. Sanctus item Gregorius super Psalmos Pœnitentiales adstipulatur huic doctrinæ, nam scribit in versiculum psalmi [ecce enim, &c. Non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit coniugibus commiscerì, (quare supponit in eiusmodi commistione consistere Conceptionem) hoc enim castum opus, non habet culpam in coniuge, quia nuptiale fœdus non exorbitat à fide: Deus enim maritalem copulam instituit; quia masculum & fœminam in principio creauit, qui quidem sine peccato filios ederent (scilicet in Conceptione) si in Paradiso positi in conditionis obedientia perstitissent. Sed quia à statu rectitudinis primo homo peccando corruit, peccati pœnam ad filios misit:] explicat autem, quæ sit hæc pœna peccati dicens [carnalis enim delectatio (quæ deordinata remansit peccante homine) pœna peccati est, quæ ex radice peccati ita contrahitur, vt nullus absque illa in mundo generetur] quod est idem quod concipiatur, & per consequens peccatum trahat; quod peccatum agnoscit in Conceptione ipsa carnali. *Et cap. 14. in Iob*, in illud [quis potest facere mundum, &c.] subdit [Immunditias homo traxit ab origine ipsa quippe propter declarationem carnis, eius Conceptio, immunditia est. Vnde & Psalmista ait] ecce in iniquitatibus conceptus sum & in delictis peperit me mater mea:] En quomodo Conceptionem peccato inuoluram, & immundam agnoscit in delectationis coitu, & paulo post. [Potest verò in hoc loco intelligi, quod Beatus Iob Incarnationem Redemptoris intuitus, solum vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic in mundum venit ex Virgine, vt nihil haberet de immunda conceptione.] Explicat autem quid sit, & in quo consistat Conceptio eaque immunda dicens [Neque enim ex viro & fœmina, sed ex sancto Spiritu & Maria Virgine processit. Solus ergo in carne sua, vere mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit. Quia nec per carnalem delectationem huc venit.

9. Gregorio suffragatur, Rupertus Abbas *in Gen. 23.* & ait: [Nónne omnes & quæ sanctæ dicuntur mulieres, præter vnicam Filij Dei genitricem in iniquitatibus conceperunt & concipiunt.] Vbi ex consequenti dicit Virginem ab Anna in peccato conceptam, quare eodem modo intelligenda est dici ab ipso concepta in peccato, quomodo hic dicit mulieres ceteras concipere solere alios à Christo: dum ergo cæteri mulieres & Anna hic dicitur concepisse in peccato, loquutione habita de Conceptione carnali eique attributo peccato; ita quando alibi adducetur, quod Beatissima Virgo concepta fuerit, non debet, neque potest intelligi ab eo dicta concepta in peccato, nisi sermone habito de Conceptione eius carnali. Quod est notandum propter dicenda paulò post: explicat autem conditionem huius Conceptionis Rupertus, & subdit immediatè [Non derogatur hic quicquam beatis manibus Sanctorum, quæ magna fide beatam progeniem de qua Deus & homo Christus natus est, ædificauerunt. (Quod est idem quod formauerunt, & conceperunt carnaliter, nam non dici potuerunt ædificare filios propter actum infusionis animæ rationalis vt patet) veruntamen sicuti in dolore pepererunt filios suos, sic & in iniquitate non solum originali verùm etiam in propriæ libidinis peccato conceperunt.] Quis hic dicet nisi fatuus Rupertum sermocinatum esse de prima animatione? Quod patet magis ex sequentibus; vbi habet, [peperisse autem, & hanc ipsam Rebeccam in magno dolore, ipsa Scriptura testatur dicens deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, deditque conceptum Rebeccæ; sed collidebantur in vtero eius paruuli, quæ ait, si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? [itaque nec sine peccato libidinis concepit, quæ in tãto dolore

peperit,

pepetit, vt pene non concepisse maluerit.] in eundem scopum collimant paulò post adiecta, [Igitur cum reprehenderent homines Deum, quod infaustos mulieris conceptus multiplicet; se ipsos potius, vel parentes suos accusent, quod suos ipsi concubitus multiplicent non gignendæ proli ad honorem Dei; sed luæ potius studentes libidini: non enim quia Deus dixit multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; id ideo naturâ mulieris conceptibus superfluis fluxa facta est, sed quia peccauit mulier, & peccato suo vitiata est, idcirco prædixit Deus, quod illi ex vitio suo esset prouenturum.] Quo loco ad super euidentiam patet de Conceptione in peccato loquutum Rupertum consistentem in carnali formatione fœtus, non in prima eius animatione.

10. Super eadem Verba Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus, est allegandus pro eadem sententia, S. Bruno inquiens, [Ecce enim in præsenti est, vnde possit hoc percipi, quod vincis, & me, & omnes in humano genere. Nam cum tu sis immunis à peccatis, ego in iniquitatibus originalibus conceptus sum: quod est dicere, ego existens prius in iniquitatibus originalibus conceptus à matre mea. Ac si dicat: antequam à matre conciperer, cum adhuc in lumbis Patris essem, iam in iniquitatibus originalibus eram. Vnde Apostolus, mors in omnes pertransiit, ideſt peccatum originale, per quod ad mortem venitur, nisi baptismate purgetur. Non solum ante Conceptionem fui in iniquitatibus originalibus, sed & me concepit mater mea in peccatis, ideſt in iniquitatibus originalibus; ideſt, sed & in ipsa Conceptione fui in ipsis iniquitatibus originalibus. Et hoc totum est, ac si breuiter poneret; in hoc & me, & omnes homines, vincis, quia tu semper immunis es à peccato, ego vero, & omnes homines & ante Conceptionem, & in ipsa Conceptione iniquitatibus originalibus aggrauamur. Bene quidem ponit iniquitates pluraliter. Multipliciter enim Adam peccauit, scilicet delectatione, & actus, & exemplum peccandi posteris derelinquendo. Et verè vincis omnes in bonitate.] Hæc S. Bruno, in quibus verbis nemo non videt de Conceptione loqui S. Brunonem, quam attingit mater suo fomento, vel etiam actione vt alij dicunt, prout talis Conceptio contradistinguitur à continentia fœtus in lumbis Patris, & quam ponit immediatam, & sequentem statum hominis in lumbis Patris; quæ non est nisi carnalis vt liquet.

11. Cassiodorus eandem perhibet expositionem super eadem verba Dauid inquiens; [Ergo iste sensus est. Quid dicam me modo feciſſe, quæ arguor, qui iam ex originali peccato in iniquitatibus probor esse conceptus, vt ante peccatum contraxerim, quam vitæ principia recepissem.] Id quod sensum repetit, Ambrosij cum summa euidentia pro sensu tradito, qui peccatum tribuit Conceptioni ante vitam, & animationem, & per consequens in Conceptione seminum. S. Bernardus in Meditationibus cap. 2. iridem ait, de homine concepto in peccatis [secundum exteriorem hominem de parentibus illis veni, qui me ante fecerunt damnatum, quam natum.] Et explicat quando fecerunt damnatum, subdēs [peccatores peccatorem me genuerunt, & de peccato genuerunt & nutriuerunt:] & clarius, [fui enim in momento Conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa crescendo caro facta est.] quo quid clarius pro signo pro quo fuerit in peccato conceptus homo; scilicet, quando caro eius est sicut spuma, quæ aucta & formata exprimit partes omnes corporis humani, post quas introducitur anima rationalis in corpus. Insigniter etiam veritati huic fidem adhibet, Sanctus Fulgentius de veritate prædestinationis cap. 4. [Scriptura diuinitus inspirata testatur, quod a sorde non solum nemo mundus esse possit hominum, si vnius diei sit vita eius super terram (scilicet in prima animatione, sed ipse quoque generis humani legitimus nuptialisque Conceptus, qui est distinctus ab eadem animatione non sit à culpa iniquitatis extraneus. Quod idem fusè prosequitur ibidem, vbi de concupiscentia, & libidine, [ipsa conceptos polluit.] Et de sancto Dauid; [maculam generationis carnalis deplorat;] atque adeo de conceptione in carne loquitur, & hoc ipsum habet, de Incarnatione, & gratia Christi capite 4. his verbis. [Omnes homines ex coitu maris fœminæque nascentes, ipsius Conceptionis exordium originalis peccati, habent contagione respersum.] Vbi videtur loqui de natiuitate in vtero concomitante coitum in primis verbis: & exprimit apertius Conceptionem quam dicimus, in sequentibus; cùm dicit esse quid habens Principium & finem, & de ipso eius principio dicit esse respersum contagione peccati: quo quid quæso magis perspicuè pro re posita enunciari potest?

§. III.

Recensentur alij Patres, qui concipi hominem in peccato tradunt per hoc quod ex concupiscentia, & carnis corruptione generatur; & demonstratur eos semper loqui de Conceptione carnali, & seminum, dum de dicta Conceptione in peccato loquuntur.

1. Sanctus Basilius *in schol. Psal. 50.* primus potest esse pro hoc sensu Conceptionis dictæ in peccato, quod habetur scilicet, per opera concupiscentiæ carnalis saltem habitualiter, & ita ait; ecce enim in iniquitatibus conceptus: [non incusat hic nuptias, sicuti quidam stultè suspicati sunt, ita intelligentes] quod dicit in iniquitatibus conceptus sum; [sed præuaricationem, quæ initio mundi à progenitoribus nostris est commissa; in medium pro-

ducit,

ducit, & hanc fontem esse factam ipsorum fluentorum dicit. Si enim (inquit) non peccassent, mortis vtique mulctam non incurrissent, si autem mortales facti non essent, corruptione quoque subiecti non fuissent, si hæc gubernacula remisissent, locus peccato non fuisset. Iam vero quoniam peccauerunt traditi sunt corruptioni, corruptibiles autem facti, consimiles genuere posteros. Talibus iam concupiscentiæ, & metus, & voluptates adhærent? in hoc certamine, & ratio versatur, quæ si vicerit celebratur: si verò victa fuerit, cum dedecore damnatur: Symmachus pro eo, quod hic est & in peccatis concepit me mater mea, posuit, peperit me mater mea: Vbi sanctus Basilius de ea Conceptione apertè loquitur, quæ cum peccato parentum haberetur, vel quæ peccaminosa poßet existimari vitio; & culpâ parentum; quam ipse pernegat proinde dici, in peccatis. Sed hæc Conceptio quæ in peccato dici potest ex culpa parentum, non est nisi dicta ex coagulatione, & receptione seminum; ergo de hac loquitur sanctus Basilius, qui paulo aliter ac alij Patres citati explicat Conceptionem esse, & dici in peccatis, quia proximè hoc refundit in corruptionem naturæ transfusæ in posteros Adæ, quæ carnem concupiscentiæ, & deordinatis passionibus subditam causat, quæ est ergo peccatorum; licet omnino agnoscat Basilius contra Pelagianos, quod hæc omnia, scilicet corruptio naturæ & fomes in Adamo & posteris eius dimanarunt à peccato eius, & solùm differentia explicationum harum est, quod primi Patres Conceptionem Dauid, & hominum in peccato dictã voluere, quia in carne infecta eam dixerunt, quæ inficere deberet animã in prima sui infusione. Basilius verò, & alij sequentes de hoc futuro in animatione præscindentes, eam in peccato dixerunt, quia de concupiscentia, & in concupiscentia transfusa in prolem eam notauerunt; quæ peccatum dicitur.

2. Beda etiam super hunc eumdem locum Psalmi eodem modo loquitur, dicens [ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: quasi dicat: ecce quomodo vinc is omnes, non enim solus vincis tales, qualis ego sum, nunc post tantum commissum, sed etiam vincis me talem, qualis primum fui, & omnem hominem, quia habes, quid ab ipsa origine mihi & omnibus imputes, quod sic dicit transferendo in se humanum genus: nam ego conceptus sum in iniquitatibus, sicut omnis homo. Numquid iste ex iusto viro Ioseph, & de legali coniuge natus est in iniquitatibus, id est in adulterio conceptus? Neq; aquam; hoc enim castum opus in coniuge non habet quidem culpam, sed tamen attrahit debitam pœnam, id est delectationem, quæ quia ex iniquitate, id est ex prævaricatione hominis primi processit, & quia ipsa quodammodo iniquitas est, ideo dicit in iniquitatibus conceptus sum. Ille verò victor, quia solus sine delectatione conceptus est; ideo solus sine dolore natus est, & ideo solus habet, quod etiam vnius diei puero imputet, & in peccatis concepit; probat quasi à maiori per sexum fragiliorem, quod dixit, quasi dicat, verè in iniquitatibus conceptus sum, nam si hæc possunt esse, quod à Patre in iniquitatibus conceptus sum, necessario mater mea in peccato delectationis concepit me. Facilius enim & magis etiam fœmineus sexus delectatione corrumpitur;] in quo modo applicandi peccatum in Conceptione, quod ait haberi & consistere in delectatione & concupiscentia coniugum, & præsertim fœminei sexus, manifestè ostendit se loqui de Conceptione, quæ habetur tempore copulæ maritalis; quam dicit esse licitam in legitimis coniugibus, nec ex sua ratione admittere culpam, qualis est in illa adulterij, vel fornicationis; propter quam expressè negat, quod inde Dauid dictus sit concipi in peccatis, quare euidenter loquitur de Conceptione carnali.

3. Sanctus etiam Chrysostomus super eumdem versiculum Dauid subscribit huic sensui apertè, & inquit: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea [antiquius, atque ab initio naturæ peccatum inualuit; siquidem diuini mandati transgressio Euæ conceptionem antecessit. Nã Adamus postea quam à diuino mandato recessit: ac Paradiso priuatus est; tum denique vxorem suam Euam cognouit, & concepit illa, & peperit Cain. Hoc igitur dicere vult peccatum, quod generis nostri Principes atque auctores superauit, viam quamdam ac semitam per generis successionem sibi fecit. Per hæc autẽ omnia illud edocemur, peccati operationem minimè naturalem esse, (nam alioqui à pœna immunes essemus) verum naturam ab animi perturbationibus, & calamitatibus vexatam, & infestatam ad lapsum pronam esse, nientem tamen laborum ope, atque auxilio victoriam obtinere. Quamobrem non hoc loco coniugium accusat, vt quidam stultè existimarunt. Sic videlicet hæc verba intelligentes, in iniquitatibus conceptus sum. Verum flagitium illud, quod à primis parentibus perpetratum est, medium profert, illudque harum profluxionum fontem extitisse ait. Nam si illi non peccassent, inquit, mortis pœnam minimè subiissent: nisi autem mortales fuissent à conceptione alieni fuissent, incorruptioni porro perturbationi & immunitas coniuncta fuisset, qua quidem vigente, peccato locus nullus extitisset; postea quam autem illi peccarunt, corruptioni mancipati sunt. Corruptibiles autem effecti tales quoque filios progenuerunt. Tales autem progenitos & cupiditates, & metus & voluptates comitantur; aduersus quæ ratio depugnat, ac parta quidem victoria velut præconis voce celebratur; sin autem succumbat, dedecore, atque ignominia perfunditur] Vbi primò dum Conceptionem illam esse declarat, quæ subsequuta est in cognitione Euæ ab Adamo post peccatum, quis non videt quod de illa seminum, quæ per cognitionem viri habetur, loquutus est? Secundo, id patet quia de illa Conceptione hic loquitur Sanctus Chrysostomus, quæ habetur in vsu coniugij, quam aliqui apprehendebant, ipse acriter defendit, sed hæc est dicta seminum conceptio; ergo. Tertio patet eius sensus: quia peccatum refundit in corruptionem carnis, in qua concipitur homo; sed hæc habetur in Conceptione dicta. Ergo de hac loquitur Chrysostomus

dum

dum explicat Dauidem in iniquitatibus dici conceptum. Quarto peccatum antecedenter ad carnem refundit Chrysostomus in concupiscentiam, seu in priuationem immunitatis perturbationum, quæ fuisset in Adamo si non peccasset: & de qua ait, [qua vigente, peccato locus nullus extitisset] ex eo scilicet, quia à radice non inquinata, cum prodissent filij Adæ, non profluxisset ab ea semen immundum peccati delatiuum, vt nos supra notauimus; & per consequens Chrysostomus non meminit hic de animatione fœtus, sed de carne infecta, in qua homo concipitur.

4. Similiter expressiùs habet ipse super eumdem locum Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea. Et subdit interpretans hunc locum Psalmi aptè in dictum sensum. Quis est, Domine, vt misereatis, quia ab ineunte vitæ primordio in peccati foueam incidi, & concupiscentiæ carnalis sordibus inquinata, natiuitatis meæ initia contraxi, non in me illa, quam nouiter admisi, sola viget iniquitas, habeo in me etiam ex vetere, quod ignoscas, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit coniugibus commiscere; hoc enim opus castum non habet culpam in coniuge, quia nuptiale fœdus non exorbitat à fide; Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum & fœminam in principio creauit, quidem sine peccato filios ederent; si in Paradiso positi in obedientia conditoris perstitissent; sed quia à statu rectitudinis primus homo peccando corruit, peccati pœnam ad filios misit. Carnalis enim delectatio peccati pœna est, quæ ex radice peccati ita contrahitur, vt nullus absque illa in mundo generetur; sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: confiteatur ergo pœnitens de culpa quod meruit, vt consequi valeat de venia, quod cupit] quo loco habeti notatum peccatum ab homine notat in actu coniugij; & per consequens non loquitur de Conceptione alia, quam illa seminum: alia enim naturæ habetur longissimo tempore post Conceptionem dictam.

5. Chrysostomo annecti debet etiam Sanctus Ildephonsus nuper à me adinuentus lib. de parturitione Virginis; His verbis [Deus humanæ naturæ fœcunditatis dona contulit; libidinis verò malum creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de mundicia nuptiarum nullus homo mundus nascitur, quia interueniente sordida libidine seminatur. Hinc & beatus Dauid qui se nouerat de legitimo connubio generatum, huius tamen rei conscius, maculam carnalis generationis, non sine graui gemitu deplorabat dicens, ecce in iniquitatibus conceptus sum,] & deinde, [Hæc paucis dicta sunt vt nouerimus maculam originalis peccati non in legitimis nuptiis, sed in voluptate & delectatione constare libidinis:] In quibus verbis dum sordes peccati agnoscit prouenire ex actu nuptiali, qui non est nisi carnalis coitus & rursum maculam peccati repetit inueniri in carnali generatione & constare in delectatione libidinis: apertissimè ostendit conceptionem Dauidicam exponere de illa seminum, quod semper concludimus.

6. Inuenimus etiam fere casu pro eadem expositione scribentem Vrbanum IV. [In sua Paraphrasi super Miserère in Bibliotecha Patrum; quod continget etiam Lectoribus inuenire in aliis locis Patrum, quos nos obuios fortè non habuimus: sanctus autem hic Pater exponens allegatum Dauidis versiculum sic habet; [In iniquitatibus & originalibus & actualibus me dico conceptum. Hoc est in illa lege nostræ originis vitiosæ, in qua omnes corrumpimur & nascimur in vtero & ex vtero filij iræ tuæ; atque per traducem libidinosa carnis concupiscentia, etiam antequam peccemus actualiter, constituimur peccatores, & ad actualia proniores:] quo loco originale agnoscit in illa lege seu necessitate, quam contrahimus in natiuitate in vtero, quæ non est nisi Conceptio carnalis, Id quod magis patet quia sequitur dicens, quod constituimur peccatores per traducem, & media libidinosa concupiscentia, quæ non nisi carnalem Conceptionem attingit. Confirmant id ipsum subsequentia, nam subdit [dicendo pluraliter in iniquitatibus originalibus & actualibus me conceptum, intelligo dicere me conceptum de illo vno & singulari peccato, in quo omnes peccauerunt, vt in natura vel in massa, nam in eo seminaliter omnes erant, quando ipse naturam corrupit humanam, & ab illo vno homine in quo omnium nostrum fuit materia & otigo; omnes concupiscentialiter descendunt, & per propagationis successionem, & carnis concupiscentiam occultè illa corruptio in posteros demigranit; nec tamen hoc fecit propagatio, sed libido,;] In qua sententia de peccato & Conceptione loquitur, quæ habetur per propagationem, concupiscentiam, & libidinem; atque adeo sermonem habet de Conceptione carnali & peccato in ea residente; & vlteriùs confirmatur quia sequitur, [non enim quia ab Adam per carnis concupiscentiam descendimus, ideo originali peccato tenemur: cum tu ipse, Domine Iesu Christe, qui omni peccato originali & actuali caruisti, in medicamentum nostri vulneris, sine opere concupiscentiali in sola materia corporali per diuinam Conceptionis, formationisque rationem descendens ab eodem, sed quia concepti sumus in illa vitiosa lege concipiendi, nobis ex peccato primi hominis occultè & miserabiliter accedenti.] Vbi de ea loquitur quæ diuersificatur ab illa Christi, quæ certè non est nisi carnalis, vt liquet & magis apparet ex sequentibus paulò post, scilicet: [Homo ille per quem hoc peccatum originale intrauit in mundum, in se omnes de stirpe sua venturos occulta tale & fœditate suæ libidinosæ concupiscentiæ

adeo talificauit, quod anima à te Deus creando infusa corpori naturaliter tabificato, maculatur, polluitur, & fœdatur, sicut in vase non sincero vinum infusum, licet optimum, inficitur & fœdatur:] quo nihil clariùs, nam Conceptioni cum tabe in carne opponit infusionem animæ, atque eam signat pro tempore sequenti; vnde priorem vt Conceptionem habet, & nominat, non verò posteriorem: & tandem clarissimè scribit Vrbanus, [In omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & vinculum peccati, & propago mortis: (te solo excepto qui natura mirante de Spiritu sancto es conceptus) & in peccatis libidinis concepit & alnit me mater mea; hæc est concupiscentia libidinis. Quæ peccatum est nisi per bona coniugij excusetur, & licet in vtroque parente meo qui te, Domine, timuerunt & in non adulterio, sed in casto coniugio genuerunt, culpam non habuerunt, opus illud tamen in prole secum debitam pœnam trahit;] Vbi loquitur de Conceptione habita in libidine matris & de prole in quam exereet actionem suam opus coniugale, quæ non est certè prima infusio animæ rationalis ab ea remotissima, vnde omnino loquitur Vrbanus de Conceptione dicta carnali & seminum.

7. Afferuntur etiam in quinquagintà Dauidicos Psalmos Doctorum Græcorum catena interprete Daniele Barbaro electo Patriarcha Aquileiensi complures Patres quos modo inuenio: & primò allegatur Hesychius dicens: [Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea. Hæc non dicuntur solum propter sordes ab Adam contractas: nam polluros nos eius causa nasci cognouimus; ita vt priùs quàm ad ætatem boni & mali discretricem perueniamus, quasi à parentibus commaculata purgatione indigemus; quod etiam ab ipso Iob dictum est. Quis gloriatur mundus esse à sordibus, etiam si vnius diei sit vita eius. Præterea peccati patrem diuina Scriptura concupiscentiam appellare solet: Rursus verò mortem vtriusque cognatam esse Iacobus testatur, dicens concupiscentia cum conceperit parit peccatum peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem, quare cum peccamus in peccatis concipimur:] Vbi dum ab eo quod à parentibus trahimus Conceptionem in peccato agnoscit, de carnali loqui non est dubium.

8. Ibidem adducitur Apollinaris in hæc verba; Veniæ petitio est, quoniam iuxta primum generationis ortum peccatum nobis innatum est à matribus concipientibus in nos translatum: nam per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: & malum in muliere prima radices egit, & ex illa in genitorum generationes pertransiit. Proprie autem hoc de matre dicitur, licet à Patre quoque peccatum deriuetur: quoniam feminis origo est à Patre, sed perfecte a matribus concipitur & in lucem emittitur [quare dum Conceptionem quæ à matre fouetur notat, de illa seminum sermonem habere comprobat.

9. Sic Cyrillus: [Mos fuit sanctorum virorum Deum placare, tum multis rebus aliis, tum propriæ infirmitatis professione; dicunt enim quòd puluis sumus: Homo sicut fœnum dies, & rursus, memor sis, quæ mea substantia: Hoc verò Iob. tolerantissimus clamabat, nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti; pelle & carnibus vestiti me, ossibus & neruis compegisti me; vitam & misericordiam posuisti apud me? Nunc quoque idem generationis exordium non sine labe adamatæ carnis fieri dicit: Honorabile proculdubio connubium est, sed si quis huius occasionem & causam quærat, appetitum carnis inueniet ad eum compellentem. Punitur autem iste congressus nisi nutricem habeat legem, & à natura iniectum desiderium sobolis procreandæ veram huiusce rei occasionem. Proinde quod cupiditates solas, & motum carnis venit, in iniquitatibus nostris conceptio est; & in peccatis patres concipiunt. Quod si generatio corporum radicem habeat carnis actionem, tum eam tum quæ ab ipsa nascuntur, labefactat. Quæ contra carnis impulsus & motiones Paulus clamat dicens; Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia autem à Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, per quem lex peccati etiam manufacta est, & carnalium commotionum impetus vel inuitus spiritus continentiæ cedit. Hoc enim vna cum ceteris præstitit nobis vnigenitum Dei verbum homo factum. Id D. Paulus affirmat cum dicit. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus filium suum in similitudine carnis peccati de peccato damnauit peccatum in carne; vt iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum? Vbi ex multis liquet Cyrillum agere de conceptione carnali.

10. Sunt etiam Theodoreti verba pro eadem veritate dicentis, [à primordio inquit peccatum damnatum est naturæ, nam Euæ conceptum mandati transgressio præcessit, nam post inobedientiam, & Diuinam sententiam & expulsionem à Paradiso cognouit Adam vxorem suam Euam, & cum concepisset, peperit Cain. Hoc igitur vult innuere, quod cum peccatum primos parentes occupasset, viam quandam, & semitam per humanum genus sibi aperuit. Hoc enim à D. Paul. dicitur; Tunc enim per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Hoc quoque vniuersitatis Deus admirando Noë dixit, sensum hominis in malum vergere ab adolescentia sua omnibus diebus. Cæterum per hæc diximus peccat efficaciam non esse a natura inditam (alioquin à pœna liberi

liberi essemus) sed naturam esse ad peccatum procliuem cum affectionibus perturbetur : vincit tamen ratio & voluntas cum laborum auxilijs vtitur : Non igitur , vt nonnulli suspicati sunt , hoc loco nuptias , & matrimonij coniunctionem damnat , & iniquitatem vocat , quemadmodum temere aliqui affirmarunt versiculum istum hoc modo accipientes , in iniquitatibus conceptus sum , & in peccatis concepit me mater mea? sed affert primorum parentum inobedientiam & mandati transgressionem factam ab initio , & illam horam fluctuum originem fuisse dicit : nam si illi non peccassent nec mortem quidem peccati præmium accepissent ? quod si mos non fuisset , nec perturbationibus obnoxij essent ; quæ si abessent , nullus etiam peccato locus relinqueretur , sed quoniam peccauerunt morti traditi sunt , & mortales facti , mortales quoque filios procreatunt , quos libidinum motus , voluptates , mœrores , ira , & inuidia sequuti sunt ; cum his atque illis , quæ inde pullulant , ratio continuo decertat : Vincens commendatur , & triumphales coronas adipiscitur ; succumbens autem ignominiâ afficitur ; & pœnas luit. Pro conceptus sum , Aquila & Symmachus interpretati sunt , cum dolore parturiit me mater , quod fere idem significat) ex quibus , vt alias notauimus , idem sensus educitur.

11. In idem recidit Eusebius , (ecce enim in iniquitatibus ; similia sunt hæc iis quæ à Iob. dicta sunt. Pereat dies , in qua natus sum : & nox in qua dictum est , natus est masculus. [Cur ergo pereat , nisi quod in iniquitatibus conceptus est ? Consentaneum enim fuit vt peccatum maledictio sequeretur. Iisdem vsus est verbis Ieremias dicens :] Maledictus dies in quo natus sum , & nox in qua concepit me mater mea : Optimum fuisset , si neque prima mulier Dei præceptum violasset, neque cum viro à Paradiso eiecta fuisset , corruptæ generationi post dolores partus inserta non fuisset , & similem Angelis vitam ducens in Paradiso pertransisset : at inuidiâ diaboli mors intrauit in mundum , morti vero generatio quæ fit per carnem , & sanguinem ad conseruandum mortale genus ministrauit. Quare factum est vt conceptus ille tamquam morti subiectus à veris Sanctis damnaretur. At illud : Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum , [iuxta Symmachum ita vertitur.] In vtero à matre dolores pariendi habente gestatus sum , atque conceptus , vt ad iniustitiam exirem , vt in peccato conceptus arguere. Et hæc habeo , quæ illi primæ naturæ obiciam. [Iuxta igitur hanc intelligentiam non in iniquitatibus matris meæ conceptus sum ; neque mater ipsa , quæ genuit, suis in peccatis me genuit , sed ego (inquit) ad iniustitiam genitus sum , & in peccatis concepit me mater mea. Cum dolore namque in vtero gestatus sum , atque conceptus moribunda carne circumdatus fui, vt decidam in iniustitiam , & peccatum , & vt qualis genitus sim deprehendat , & hæc dico , quoniam veritatem dilexisti : in quibus loquens de Conceptione in nocte peracta , & à matre habita aliisque eiusmodi circumstantiis loquitur, de carnali intelligendum Dauidem demonstrat.

12. Sic Seuerus , [Quemadmodum Paulus ad Galatas scribens , segregatum se dicit ab vtero matris suæ , in Ministerium Euangelij , omissis illis , quæ interiecta sunt , scilicet quod Ecclesiam persequutus sit , cum esset blasphemus & iniurius , tamquam ab optimo fine qui occultus est à postremis bonis omnis eius vita iudicari debeat : ita qui in peccatis extremum diem finierunt , ex eo tempore , quo ex vtero prodiere , abalienati esse à Deo dicuntur , qui præcognouit eos iuxta id , quod in Psalmis dictum est :] Alienati sunt peccatores à vulua , errauerunt ab vtero : loquuti sunt falsa & aduersus Hebræorum populum per Isaiam dicit Deus , scio quod præuaricans , & transgressor ab vtero vocaberis ; huiusmodi , & hic dicit B. Dauid præter hoc præcipuè iustificatus. Ecce (inquit) in iniquitatibus conceptus sum , & in peccatis concepit me mater mea : [Præter enim hæc peccata & ingentes iniquitates, in adulterium quoque lapsus sum , & cædem, & oblitus eorum quæ iuste antea , & sanctè fecerim , totam vitam meam condemno , meque mihi ipsum auctorem fuisse puto , vt in iniquitatibus & peccatis à matre conciperer,ac in vtero gestarer. Sunt aliqui præterea qui secus interpretantur proposita verba , dicentes; Dauid concupiscentiam ipsam iniquitatum matrem appellare , propter appetitum rerum turpissimarum ; quasi concipiens , & peccati actionem parturiens etiam peccatorem illud agentem , & patrantem parit , vt istius partus dolor , mors peccatoris sit finis ; sic enim scribit Iacobus :] Vnusquisque verò tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum , peccatum autem cum consummatum fuerit , generat mortem. [Ab huiusmodi ergo iniquitate , tamquam peccatorum matre generatum se atque conceptum Dauid affirmat :] vbi ex multis nostrum patet intentum , quæ satis sit ponderauisse in aliis Patribus.

13. Est etiam pro eodem Athanasius : & in peccatis concepit me mater mea , [ostendit quomodo initio natura hominum sub peccatum conciderit , & ortus eorum præuaricationi , & maledictioni Euæ succubuerit , atqui altiùs sermonem texit dum diuini muneris amplitudinem quærit ostendere.]

14. Et tandem Nicephorus , ecce enim in iniquitatibus conceptus sum , cum iniquitatibus & mater mea (vt videtur) ad hoc me genuit , scilicet ad peccandum illud autem quod dicitur, & in peccatis concepit me mater mea. Et Symmachus reddidit.& in peccatis genuit) quibus adiunctis,quid huic veritati confirmandæ maius adduci potest vbi nulla mentio de prima animatione hominis & omnia dicta de opere carnalis Conceptionis aduertuntur ?

DIVISIO II.

Conceptionem in peccato in Scripturis vlterius intelligi de illa seminum ostenditur ex illo Iobi 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine; nonne tui qui solus est?

1. PRæter sanctum Dauid Conceptionem in peccato, acceptam pro illa seminum, tradit eam itidem sanctus Iob loco citato, vbi interrogatiuè loquens cum Deo, petit ab eo [Quis possit mundare hominem conceptum ex immundo semine?] quo expressè tradit hominem concipi ex immundo semine; quæ immunditia cum non sit alia, nisi illa originalis peccati: ex hoc ipso manifestè ostendit Conceptionem in peccato ab eo intelligi carnalem, eamque quæ dicitur maximè seminum, non naturæ humanæ primo & per se; licet consequenter eam connotet vt quid necessariò consequens ad Conceptionem seminum.

2. Patet autem apertè hominem conceptum ex immundo semine intelligi pro eo, posito in prima sui organizatione; quia de illo & pro illo statu loquitur Iob, qui formatur, & pro statu pro quo formatur vi seminis; de ea enim actione & Conceptione sermonem habet, quæ fit ex semine & semine immundo; sed talis actio ex semine, non est nisi dicta vt liquet, nam prima animatio non dicitur ex semine habita: ergo de dicta organizatione omnino loquitur Iob: saltem primo, & principaliter.

3. Probatur secundo hæc eadem veritas; quia maximè loquitur Iob: de eo qui possit esse mundus, etiamsi in sui conceptionem concurrit semen immundum; nam ait [quis potest facere vt sit mundus ille qui concipiatur ex semine immundo?] ita videlicet vt in eum non transeat immunditia, nam non vult Iob, quod impossibile sit, quod qui ex semine immundo procreatur, non potest impediri quin immundus primo sit, vt patet: nam hoc derogaret Omnipotentiæ Dei, atque hoc grande miraculum ipse Iob vult exaggerare & tribuere Deo, quod videlicet ille qui esset concipiendus & ad cuius formationem concurrerit semen immundum: tamen ipse in Conceptione esset mundus, ex eo quod scilicet statim ac semen immundum coaptaretur formationi, in priori naturæ vel instanti vltimo ad opus Conceptionis per potentiam Dei mundaretur, vnde ex eo sequeretur munda Conceptio quæ ab ipso est. Quemadmodum si manus immundæ debeant mundare vel causare mundiciem in aliquo immundo, prius mundarentur, & sic ex eis fieret opus mundum, ita in semine. Quod autem hoc sit intentum huius dicti Iob, patet; quia de illa immunditia loquitur Sanctus introducenda in hominē, quæ faceret illum mundum in Conceptione quæ habetur vi seminis, dum sanctus loquitur expressè de concepto ex semine & ex vi eius, sed hæc non est prima eius animatio, sed merè carnalis Conceptio: ergo de ea loquitur quæ faceret mundum hominem dum formatur & organizatur, atque adeo de munditie cadente in Conceptionem carnalem, non eam primæ infusionis animæ.

4. Id quod confirmatur vlteriùs, quia si non loqueretur Iob de munditia introducenda in hominem qui non diceretur immundus in sui Conceptione, & in quo immunditia nullum locum haberet: non grande quid tribueret Iob Deo, sed quid commune, quod solet ipse facere in hominibus quos de immundis in peccatis, facit mundos: ad hoc ergo vt intelligatur loquutus Iob de grandi aliqua operatione, eaque insolita & stupenda omnino: credendum est loquutum fuisse de hac immunditia impedita ne transiret in conceptum, alioquin formatum ex semine de se immundo, & causatiuo immunditiæ & per consequens nonnisi de Conceptione omnino antecedente ad animationem, vti sæpè dictum est. Ostendunt hoc ipsum de loco Iobi Patres & Expositores, quos hic subdimus & primo Augustin. *lib. 5. Hypogn. cap.* 4. vbi ait, [quis potest facere mundum de immundo conceptum semine: ob hanc igitur solam sordem peccati, quam trahit, non de coniugij bono; sed de libidinis malo paruulus breuis vitæ & plenus iracundiæ est:] vbi nemo non videt de ea Conceptione exponere hunc locum sanctum Doctorem, quæ ex libidine procedit, quæ certè non est nisi carnalis, non illa primæ animationis: nam prima procedit ex libidine, non secunda & immediatè superiùs ait [paruuli vtique, vt dicit Apostolus, natura filij iræ, Adæ scilicet parentis sicut sæpè diximus offensione connexi, non enim dicerentur filij iræ, nisi iram ideſt peccatum protoplasti, qui peccando Deum ad iram primus in genus nostrum prouocauit, traherent seminati;] Vbi refundit tractionem originalis sanctus Augustinus in id, quod si minati ab Adam procederent; atque adeo vult sanctum Iobum immunditiam agnoscere in semine & in actione seminali, quæ est carnalis Conceptio, non prima animatio.

5. Secundo sanctus Gregorius eodem modo hunc locum intelligit, dum illum exponens habet de homine [ipsi quippe propter delectationem carnis conceptio immunditia est:] Vnde de Conceptione loquitur, quæ cum delectatione perficitur, quæ nonnisi illa carnis & seminum est; & immunda esse non potest nisi propter peccatum, vnde sequitur [vnde & Psalmista ait, ecce in iniquitatibus conceptus sum.] Vbi adiunge alios Patres Gregorium qui hunc textum Dauidis supra à nobis explicatum de Conceptione seminum, similiter interpretatur. Ex his etiam quæ subdit sanctus Doctor idem perspicuum fit, quia scripsit, [potest verò hoc loco intelligi quia beatus Iob Incarnationem Redemptoris intuitus solum vidit hominem in mundo de immundo semine non esse conceptum, qui sic mundus venit ex Virgine, vt nihil haberet de immunda conceptione, neque enim ex viro & fœmina,

na, sed ex sancto Spiritu & Beata Virgine processit. Solus ergo in carne sua mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem hunc delectationem venit] quo nihil apertius ad ostendendum quod de Conceptione seminum hic sermo habetur ex sensu Gregorij, cum eam Conceptionem posse fieri à Christo mundam subscribit, quæ ex mistione seminum maris & fœminæ & delectatione carnis habetur. Quod non conuenit primæ infusioni animæ, vt patet. Vbi subde quod si de Conceptione primæ animationis loqueretur ea agnosceretur esse eodem modo à Gregorio cum in Christo, tum in aliis hominibus: ipse autem longè diuersam agnoscit in Christo & cæteris, non nisi quia de carnali intelligit Scripturam, & eam Christi vult sine semine, illam hominum omninò cum semine peractam in omnibus, at vtrobique de carnali.

DIVISIO III.

Eamdem Conceptionem in peccato intelligi pro illâ seminum in Scripturis, demonstratur alias ex eodem Iobo cap. 3. vbi dixit: Pereat dies, in qua dictum est; conceptus est homo.

1. MAledictio ipsa symbolica sancti Iobi, quæ cecidit super signum & noctem Conceptionis humanæ, non potest intelligi quod super eam cadat, nisi quia Conceptio hæc supponitur in peccato: ac per consequens de ea in peccato habita dicitur; quod propterea pereat nox illa, in qua ipsa sit habita: nisi enim Conceptio hæc in peccato esset non habuisset vlla ratione sufficientem causam Iobus maledicendi eiusmodi nocti, vt communiter Patres & Expositores tradunt, & omnis Ecclesia intelligit; quod propterea non curamus fusiùs ostendere? quod autem, (vbi punctum est rei notatæ) sermo hic sit de nocte, in qua homo primo incipiat in corpore organizari, & non pro signo primæ infusionis animæ rationalis in eodem corpore iam formato; perspicuum est, vt sit; quia si sermo hic haberetur de Conceptione naturæ humanæ, & quæ importat primam animationem, non assignaretur illi nox in contradistinctionem diei assignatæ natiuitati, ad significandum quod Conceptiones seminum habeantur in nocte: vt de se refert Salomon tamquam de aliquo hominibus communi *Sap.* 7. dum ait, [In ventre matris figuratus sum caro vt ex semine & delectamento somni conueniente;] quare nocti assignat communes Conceptiones, quæ tempus est somni nihil autem tale vnquam tributum est primæ animationi animæ rationalis, quæ scilicet peragatur in nocte; ab ipsa ergo signatione peculiari temporis, sufficientissime patet, quòd de Conceptione seminum hic loquatur sanctus Iob, non de alia.

2. Secundo patet id ipsum: quia de ea Conceptione hic est sermo; quæ solet sæpe aduerti & signari vt peracta propter signa, quæ eius sunt & possunt haberi de facili pro tempore copulæ coniugalis: nam maledicit Iob nocti in qua dicitur, seu propalatur quod conceptus est homo: sed hæc non est prima animatio, quæ non subsistat his signis, neque vnquam auditum est quod aliqua mulier, vel aliquis peritus Medicus, aut quuis alius homo sine reuelatione & humanitus procedens, dixerit vnquam hac nocte facta est prima animatio fœtus humani: ergo nullo modo de ea loquutus est Iob, & omnino intelligendus est fuisse loquutus de nostro genere Conceptionis: quod volumus ex hoc etiam textu deduci.

3. Confirmant hunc eumdem sensum Patres, & Expositores, qui supponunt hanc veritatem in expositionibus sacrarum Scripturarum: sic Ambrosius hunc textum allegans [Pereat nox in qua dictum est conceptus est homo, hæc explicat dicens: Pereat nox in qua generatus est homo;] generatio autem hominis, certum est quod habetur in prima permistione seminum: nec non quia apertum est hic non repeti signum natiuitatis, sed aliud à natiuitate contradistinctum, licèt de re corporali qualis est organizatio primæ carnis & corporis animalis & hominis; & cum de nullo Patre possit adduci locus quo ostendatur, quòd aliquis eorum exposuerit hunc textum de prima infusione animæ rationalis: restat quòd omnino intelligi debeat, iuxta id quod in primæua & vsurpata sua significatione, nomen Conceptionis semper importauit.

4. Quod confirmari potest tertio, quia de ea Conceptione loquitur Iob, cui non facta est, neque contigit conclusio ventris, sed concessa est aperitio vuluæ; nam sequitur [quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me:] hæc autem Conceptio non est nisi dicta coagulatio, & commistio seminum; vnde sanctus Gregorius ait, [non conclusit enim dicit, ideſt aperuit] per primam autem animationem non dicitur aperiri ostium ventris, bene autem per Conceptionem seminum. Et paulò ante Gregorius de hoc genere Conceptionis loqui Iob ostendit: nam loquens de Conceptione nostra in Paradiso terrestri scripsit; [Ibi Conceptio nostra coaluit,] quod coalescere non potest aptari primæ infusioni animæ & bene primæ organizationi corporis.

5. Si quis autem dubitet, an de eiusmodi Conceptione prædicentur maledictiones conuenientes peccato, & propter peccatum quod in ea fuerit; legat contextum scripturæ & perpendat expositiones sacras, quæ apertè hoc demonstrant. Sequitur enim sanctus Iob de hac nocte dicens, [noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni nec numeretur in mentibus, sit nox illa solitaria nec laude digna. Maledicant illi qui maledicunt diei;] Vbi quis non videt hæc mala non posse conuenienter Conceptioni imprecari: nisi propter peccatum quod in illa inuenitur, scilicet causaliter? Sic S. Gregorius aduertit quòd ipsæ pœnæ, quæ hic numerantur

omnino refundantur in culpam dictæ conceptionis: vnde ait [Sanctus igitur in pœna quam tulerat, ad culpam mentis oculos reducat, maledictiones item omnes non nisi in peccatum cadere declarat, dum super dæmonem peccati auctorem, ac proinde reum & peccatoris hominis veluti dominum cadere demonstrat, & sacra verba declarat scribens: [tenebrosus ergo turbo noctem hanc possideat, quia apostatam spiritum à conspectu distincti iudicij ad externa supplicia pauenda illa tempestas rapit: turbine ergo nox illa possidetur, quia superba eius cœcitas districta animaduersione percutitur,] & super illa verba; [nox illa sit solitaria nec laude digna, subdit, nox illa solitaria dicitur, quia distinctione perpetua à frequentia supernæ patriæ separatur] quæ separatio non nisi propter peccatum contingit quod in carne supponitur, quæ pro illa nocte concipitur; peccatum autem causaliter, sæpè repetitum.

DIVISIO IV.

Ex sancto Thoma & S. Bonauentura ostenditur, quod concipiin peccato, importet merè peccatum, quod dicitur esse in carne vel in anima, tantùm in debito.

1. EX eo quia S. Thomas dicit Virginem conceptam in peccato originali, triumphare sibi videntur in hac controuersia Aduersarij, & inferunt Sanctum Doctorem voluisse in primo instanti infusionis animæ eamdem animam SS. Virginis filiam iræ, & priuatam gratia sanctificante. Sed falluntur solenniter, quia vidimus concipi apud ipsum non importare statum animationis, sed organizationem corporis. Et nunc secúdo videbimus, quod concipi in peccato, neque per eum importat in anima verum peccatum, sed ad summum merum debitum peccati, sicuti illud importat in carne & propriè apud ipsum non afferre concipi in peccato, nisi peccatum in carne eo modo, quo peccatum in illa reſider; nam ipse absolutè concedit peccatũ in carne præcisa animatione, & carnem eiusmodi vocat carnẽ peccati, atq; hoc ita verum est, vt ipse hanc veritatem supponat, neque controuertat, an peccatũ sit in carne, sed an magis sit in carne quã in anima. Vt prim 2. q. 83. a. 1. & sic inquit. [Respõdeo dicendum potest esse in aliquo dupliciter, vno modo sicut in causa principali, vel instrumentali, alio modo sicuti in subiecto. Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud Apostoli ad Rom. 5. in quo omnes peccauerunt. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali eo quod per virtutem actiuam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana:] Et notat [sed sicut in subiecto nullo modo potest esse in carne humana, sed in anima. Quare pro re nostra, si quæreres hic à S. Thoma an peccatum originale fuerit in carne Virginis tamquam in causa instrumentali sua, nihil alienum, imo conformissimum doctrinæ suæ doceret, si absolutè rem affirmaret; & per consequens ex hoc bene assereret etiam quod in sua Conceptione tale peccatum habuisset, & in eo concepta fuisset; nam sicuti ratione carnis suæ ipsa dicitur concepta, ita ratione carnis conceptæ in peccato, ipsa diceretur à S. Thoma concepta in peccato. Sic pari modo dicitur, quod generans sit in sua virtute à Philosophis communissimè: quare multo magis potest determinari Virgo concepta in peccato ratione carnis, & partis suæ conceptæ in peccato, nam in ea est ipsa inadæquatè, & si generans est in sua virtute, multo magis quid est in sua parte. Hanc autem peccati originalis manentiam in carne, & propter carnem in posteros Adæ fatetur ibi S. Doctor dicens. [Peccatum originale primi parentis traducitur in posteros per quamdam generatiuam motionem,] ad primum; rursum ibidem concedit peccatum originale habitare in carne, quod idem ibi probat. Notat præterea ad primum S. Thomas infectionem originalis peccati non causari à Deo, & subdit; [Ideo habito respectu ad corpus, cui infunditur,] cui corpori consequenter tradit vim maculandi, & inficiendi sibi traditam, & diffusam ex vi originalis peccati in existentis in corpore, tamquam causæ in sua virtute.

2. Confirmatur eadem doctrina ex S. Doctore *q.* 81. *a.* 1. *ad* 3. qui ait, quod [etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute naturæ humanæ, quam concomitatur talis culpa] vbi concedit expressè quod etiam culpa sit in carne in aliquo sensu, quod tantumdem est, & dicere fuisse culpam modo dicto in carne Virginis, & ad secundum [Per virtutem seminalem traducitur in prolem cum natura humana naturæ infectio;] atque hanc doctrinam vbique replicat S. Doctor ore pleno, tradens carni peccatũ, & peccati residentiam in carne. Vnde *in 4. sent. d.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *gl.* 1. *ad* 3. asserit, [ad tertium dicendum quod quamuis peccatum originale sit in anima sicut in subiecto, tamen causatur in anima ex infectione seminis, & est in eo, scilicet in semine, quamuis non sicut in subiecto, sed sicut in causa, & ideo per traductionẽ seminis, & nõ animæ peccatum originale, & similiter notat, quod peccatum originale potest esse in aliquo, velut in subiecto proprio, vel sicuti in causa instrumentali; & deinde descendens ad particulare de residentia peccati in carne subiungit: [Oportet, quod proprium subiectum cuiuscũq; peccati sit id, quod est proprium hominis, idest anima rationalis, secundum quam homo est homo: & sic peccatum originale est in anima rationali sicut in proprio subiecto; semen autẽ carnale sicut est instrumentalis causa traductionis humanæ naturæ in prolem, ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis,] & concludit expressè ibidem: [& ita peccatum originale est in carne, idest in carnali semine virtute, sicut in causa instrumentali:] Cùm ergo constet ad euidentiam. S. Thomam agnoscere peccatum in carne pro signo Conceptionis seminum: nam cognoscit illud in carne, vt trãsfusiua originalis in animã,

quod

quod non contingit nisi in Conceptione seminum, & aperte loquitur de carne, vt antecedente ad animam; apud ipsum idem valet hoc dictum, ac dictum cõcipi, & organizari in peccato. Quare ex ipso D. Thoma firmum manet quod concipi in peccato non conuenit posteris Adæ, nisi ratione carnis, & verificatur per consequens, secundum ipsum de Conceptione seminum proprie loquendo.

3. Sic etiam Chrysostomus *in Psal.* 50. scribit [Peccatum quod generis nostri Principes, atque auctores superauit, viam quamdam ac semitam per generis successionem (quod idem est, ac per virtutem carnalem seu seminalem) sibi fecit] quod est id, quod habet S. Thomas; quod peccatum originale residet in carne, tanquam in sua causa instrumentali. Infectionem etiam originalis circa posteros Adæ attribuit corruptioni carnis Chrysostomus; qui scribit. [Postquam autem illi peccarunt, corruptioni mancipati sunt, corruptibiles autem effecti eosdem quoque filios progenuerunt;] vbi ex corruptione carnis deriuatæ in posteros agnoscit peccato subditos posteros sanctus Chrysostomus, & Basilius supra.

4. S. Thomam imitatur in hac re & in hoc sensu etiam S. Bonauentura *in 3. disp. 3. art. 1. q. 1. in argumento sed contra*; qui similiter, concipi in peccato, vsurpat pro Cõceptione, vt cõtradistincta ab animatione, nam agnoscit & affirmat etiam ipse peccatum in carne, & illud explicat in eodem sensu, quo vidimus, quod illud explicauerit S. Thomas. Vnde loco cit. scribit. [Sed contra Bernardus in Epistola ad Lugdunenses ante Conceptionem sanctificari minimè poterat, quia non erat, sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat] & subdit hæc verba citans, & glossans S. Bonauentura. Sed constat quod illud non est dictum propter peccatum, quod esset in parentibus, quia potuissent eam concipere sine peccato; ergo dicit propter causam peccati, quæ erat in carne, ergo videtur quod sanctificatio non fuerit ante infusionem animæ;] ex quibus verbis duo ostenduntur. Primum quod loquens de Conceptione S. Bonauentura vt contradistincta & antecedente animationem, vt liquet ex vltima consequentia: necnon Conceptione quæ potest accipi actiuè, prout est in parentibus, quos dicit potuisse concipere sine peccato, quod omnino intelligitur de Conceptione seminum: de hac inquam Conceptione seminum loquens ait, quod in ea in erat peccatum, & per consequẽs quod qui in ea, & per eam concipiatur in peccato vtique concipiatur secundum sensum tanti Doctoris. Alterum quòd hinc liquet. est, quod S. Bonauentura expressè explicat Bernardum loqui de Conceptione seminum in illa epistola ad Lugdun. quod est notandum, vt liqueat omnes antiquos ita etiam intellexisse S. Bernardum: & sileant Aduersantes, qui putant nostram expositionem illius Epistolæ esse reiiciendam, nullumque habentem fundamentum, imo & falsam, vt illam appellat Caietanus summa cum audacia. Vbi aduerte quod approbat S. Doctor in fine corporis totam doctrinam huius argumenti, *sed contra*.

5 Hæc ipsa mens S. Bonauenturæ perspicua etiam fit ex secunda ratione, quam affert in corpore articuli ad probandum quod caro B. Virginis non fuit sanctificata ante animationem, quoniam inquit. [Secunda ratio est, quia & si hoc esset possibile quod sanctificatio deriuaretur à parentibus in prolem, sicut originalis iustitia, nunquam tamen deriuaretur mediãte coitu libidinoso, quia tunc duo opposita essent simul & semel in eodem (scilicet sanctificatio & peccatum, quod est in illo coitu) & ideo dicit Bernardus forte inter amplexus maritales sanctitas ipsi Conceptioni e immiscuit, vt simul sanctificata fuerit, & concepta. Sed hoc ratio non admittit, quomodo namque sanctificatas ab que Spiritus sancto sanctificante, aut Spiritus S. societas cum peccato fuit: aut quomodo peccatum non fuit, vbi libido non defuit?] Quare apertissimè de Conceptione seminum loquitur S. Bonauentura, & in ea agnoscit peccatum, & sic Conceptio in peccato apud ipsum verificatur de Conceptione seminum, quod nos intendimus. Hìc etiam est aduertendum, quod de Conceptione seminum, iterum intelligit Bernardum sanctus Bonauentura.

6. Tertio in sancto Bonauentura hoc patet ex principio corporis, vbi ait: [caro virginis ante animationem non fuit sanctificata, non quia Deus non potuerit carnem Virginis purificare quam animare.] Quare cum eiusmodi caro sit illa, quæ stat sub Conceptione seminum; & indiget purificatione secundum ipsum, eiusmodi Conceptio impura erat & sub peccato non nisi originali: ergo.

7. Quarto, in responsione ad secundum expressè agnoscit carnem infectam & nonnisi originali, & nonnisi in statu Conceptionis seminũ, nam ait [at illud, quod opponitur, quod caro potest inficì ante animationem, ergo & sanctificari, dicendum quod non est simile, quia generatio carnis ex carne est carnalis, & non spiritualis; ideo magis debet transfundi caro vitiosa ex carne vitiosa, quàm sancta ex parentibus sanctificatis per gratiam.] idem est dicere carnem conceptam in peccato, ac carnem vitiosam, vt liquet.

8. Sexto idem euidentissimè constat in responsione ad tertium vbi dicitur. [Ad illud quod opponitur, quod Conceptio Virginis fuit ex legitimo matrimonio (& quæ hæc est nisi Conceptio seminum apud omnes? ergo est dicendum quod totum illud est probabile; v.g. quod concepta fuerit ex sterili, & ex coitu coniugali (certè non nisi ex conceptione seminum) absquè tamen actuali culpa. Sed non propterea sequitur, quod concepta fuerit absque causa peccati, (quam supra vocauit peccatum) quia ita transfunditur originale ex illis, qui generant ex coitu adulterino:] vbi dubitare non licet de mente huius sancti Doctoris in hac re; & idem censeat lector de aliis antiquioribus Theologis, vt in dicto Opusculo patebit clarius.

His locis adde iterum pro sensu S. Thomæ prius explicato alia loca eiusdem sancti Doctoris scilicet 3. p. q. 31. *art.* 7. *in corpor.* vbi ait [Cùm caro humana inficiatur ex hoc quod est per concupiscentiam concepta, sicut tota caro alicuius hominis per concupiscentiam concipitur, ita tota peccato inquinatur, & immediate post: [& ideo dicendum est quod ora

caro

caro antiquorum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid à peccato immune de quo post modum Corpus Christi formaretur] & ad secundum Christus assumpsit carnem peccato non infectam, sicut fuerat caro ante hominis ante peccatum; non autem hoc intelligitur secundum continuationem puritatis, ita scilicet quod illa caro pueri hominis conseruaretur à peccato immunis vsque ad formationem corporis Christi: Vbi semper liquet S. Doctorem admittere peculiarem rationem modo tradito in carne, vt sic licet numquam in ea agnouerit verum peccatum, seu peccatum formaliter sumptum.

DISPVTATIO V.

PROLEGOMENA.

DE CONCEPTIONE IN PECCATO tributa à Sanctis Beatissimæ Virgini, intelligenda pro illa seminum, qua ad summum transfuderit debitum originalis in animam Sanctissimæ Matris.

1. GRADATIM incipiendo à nomine Conceptionis absolutè progressi sumus. Secundo ad nomen Conceptionis in peccato, & nunc in tertio venimus ad nomen Conceptionis in peccato non in genere, sed in specie, & signanter tributæ à Sanctis Sanctissimæ Dei genitrici, vt ostendamus eos vsque ad sanctum Thomam inclusiuè non vsurpasse hoc dictum de illa, nisi ad significandam eius Conceptionem seminum, vel in ea sistendo, vel in quantum ipsa Conceptio declarauit debitum originalis peccati in anima eiusdem Dei matris; & quia hic modus loquendi non inuenitur nisi in sanctis Patribus, iisque etiam recentioribus, vel in aliquibus sanctis scholasticis; ideo omnes hos nos hic afferimus, eorumque loca expendemus ferè de verbo ad verbum, & variis rationibus ostendemus eos non habuisse sermonem nisi de dicta Conceptione. Pro qua re adducemus etiam Patres antiquiores, qui licet non dixerint Beatam Virginem conceptam in peccato originali loquendo de eius Conceptione carnali, tamen ea protulerunt de carne ipsius, vt in causa fuerint, quare aliis posteriores Conceptioni Virginis dederint originale, sed nonnisi illi seminum, quia tamen Patres & sancti loquentes de Conceptione Virginis sanctissimæ aliquando enunciarunt, non de passiua sui, sed de actiua in ordine ad filium eius sanctissimum. Primum videbimus in iisdem Patribus hanc diuersam acceptionem Conceptionis Virginis actiuæ & passiuæ. Deinde quia latiùs quàm omnes Patres de Conceptione in peccato Deiparæ visus est loquutus sanctus Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses: primo eius integram Epistolam recitabimus & ex toto contextu, ni fallimur, fere ad euidentiam demonstrabimus auctoritate etiam suffulti Sanctorum Thomæ & Bonauenturæ, & aliorum antiquiorum Scholasticorum, quod hic sanctus de Conceptione dicta seminum sermonem habuerit, nec ad statum animationis eius illum extenderit. Post Bernardum adducemus Anselmum, Rupertum, Abbatem, Fulgentium, Damianum, Augustinum, Ambrosium & Tertullianum. Ex quo ostendemus (tempore quando scilicet ad sensum Patrum pro Immaculata Conceptione veniemus) eos ipsos Patres qui contra nos adducuntur pro nobis stare potioti iure esse dicendos.

2. Diuisione tertia à contrario sensu ostendemus Patres locutos de Conceptione seminum, quando eam dixerunt in peccato, quia de Conceptione seminum alij complures etiam loquuti sunt, licet illam non in peccato, sed purissimam asseuerauerint variis modis: & vt confitemur vlterius Conceptionem in peccato tributam Deiparæ non se extendere ad aliud, hoc ipsum probabimus diuisione quarta ex Christo Domino, qui si ex semine genitricis fuisset, contraxisse diceretur peccatum originale. Et quinta diuisione respondebimus, & demonstrabimus nihil valere aliqua obiecta, quæ fiunt, ne Patres, & sancti possint intelligi loquuti de Conceptione seminum modo dicto, quando eam in peccato dedere Dei matri. Et sexta diuisione tandem ex Primatibus Aduersariorum ostendemus tum ex Sancto Thoma, cum ex Patribus Conceptionem in peccato originali Dei Matri non posse afferre illi ad summum nisi originale in debitrice potentia.

DIVISIO I.

DIVISIO I.

Distinguuntur nomen Conceptionis applicatum Deiparæ in actiuam & passiuam; aduertiturque communiùs stare apud Patres pro passiua, quam pro actiua.

1. NEque in hoc est valdè immorandum, sed presè veniendum ad nomen Conceptionis, seu Conceptus applicati ac sanctissimam Virginem, quod certissimè applicatum aliquando fuit Conceptioni eius tum actiuæ, in actu scilicet quo concepit Christum Dominum Filium Dei, tum passiuæ quando genita est à matre sua Anna, ipsaque dicta est fuisse concepta, non vero concipere, vel concepisse filium Iesum. Vnde Patres generationem Virginis à Sancta Anna Conceptionem Deiparæ appellant, & rursum generationem Christi ab eadem Deiparâ sub nomine Conceptionis etiam ipsius Deiparæ solent aliquando appellare, quæ attentè sunt discernenda, vt quidquid significatum sit per hoc nomen Conceptionis, probè teneatur.

2. Et quidem Conceptionem Virginis aliquando vsurpari à Patribus pro actiua, qua ipsa genuit Christum, patet; nam Cyprianus de Cardinalibus Christi operibus ait, serm. de Natiuit. [ô Virgo iusta & omni iustitia plenissima cuius Conceptio singularis,] scilicet Verbi Dei, ibi enim loquitur de afflictionibus partus ipsam dedecentibus, subdit enim [ideoque innoxia affligi non debet.] Quare non loquitur de Conceptione passiua sui, sed actiua circa filium suum.

3. Hoc idem liquet in Liturgia Rex Græcis, quas tradidit Claudius Spendeæus, vbi habetur, [qui consecuti sumus gaudium in tuo Conceptu ô plane immaculata salutamus te cum Angelo clamantes,] in quibus verbis cum sermo sit de tempore salutationis Angelicæ, non possunt ea congrue applicari nisi ad præsentem Conceptionem Virginis de filio suo, non verò ad suam in prima sui natiuitate in vtero.

4. Hoc ipsum persuadet Bernardus serm. 4. in Vigilia Natiuitatis Domini scribens: [Attende & Conceptum inuenis sine semine. Quid glorioſius quam sancta & sincera Conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis?] Hæc autem Conceptio, quæ nihil habet sordis, & pudoris non est nisi illa, qua Virgo genuit Christum, nec illa Virginis passiua poterat dici conceptus iuuenis.

5. In Breuiario etiam Sancti Isidori referuntur sequentia verba quæ in idem recidunt [Domine Iesu Christe, qui sic Virginem honorificasti, quousque Conceptionis eius gratia eam coram te suffragatricem incomparabilem inuenimus:] Non enim dici conuenienter potest, quod gratia Conceptionis alia sit, nisi illa, qua filium suum concepit Virgo & fuit mediatrix inter genus humanum & Deum.

6. Refertur etiam Paulus Horosius scripsisse ad Eustochium discipulam S. Hieronymi teste Mauritio de villa probata, [in Corona Mariana serm. 16. & Bernardino de Bustis sermo 8. de Concept. part. 3.] in hæc verba, [coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuotè Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur:] vbi videtur quod parturientibus non inuocatio Conceptionis passiuæ Virginis, sed actiuæ congruè erat inuocanda, quando Virgo consecuta est, vt sine dolore, & communibus ærumnis mulierum posset parere. Sed alibi ostendemus fusiùs auctoritatem hanc Horosij, cum de eodem loquemur in recensitione aliorum Patrum pro Immaculatâ Conceptione S S. Virginis stare ex eo, quod rectè potest intelligi Horosius locutus de Conceptione passiua sanctissimæ Matris, nam nihil tam grande diceret Horosius, si miraculum frequens parturientium attribueret Conceptioni actiuæ Virginis, & Incarnationis Filij Dei mysterio summè grandi, quod de reliquo magnæ admirationis fuisset, si hæc miracula Conceptioni passiuæ sanctissimæ Virginis non ita vt mirabili cognitæ tribuerentur.

7. In hoc sensu itidem vsurpari nomen Conceptionis in Virgine persuadet à pari de Conceptione, qua concepta est passiue ipsa sanctissima Virgo in Menologio Græcorum die 9. Decembr. de ea scribitur, [Conceptio B. Annæ Dei, & Domini nostri Auiæ:] & Syri in Calendario dicunt, [Conceptio Annæ iustæ in Domina nostra Genitrice Dei die 9. Decembr.] Quemadmodum ergo Conceptio, qua ipsa Virgo concepta est passiuè, dicta est Conceptio S. Annæ matris suæ, scilicet actiua, ita Conceptio Christi passiua, quæ fuit à Virgine Deipara, potuit illis temporibus rectè dici Conceptio Deiparæ, cum præsertim in Scripturis, vt vidimus Conceptiones filiorum dicantur Conceptiones matris; & matres absolutissimè in omnibus Scriptoribus, & omnibus temporibus dictæ sint, & dicantur concipere filios. Atque hæc sufficere possunt, vt pateat nomen Conceptionis Virginis Deiparæ vsurpatum fuisse pro Conceptione eius actiua. Sed hîc animaduertêdum est primo, quod hæc dicta vsurpatio nominis Conceptionis Virginis sanctissimæ, absolutè prolatâ non fuerit frequens in Patribus, sed valdè rarò, & communissimus modus loquendi eorum, & quorumcumque Scriptorum est, & fuit nomen Conceptionis tum Deiparæ, cum etiam aliorum hominum non tradere concipientibus matribus, sed conceptis filiis, neque significare frequenter hoc nomine actionem concipiendi matrum, sed passionem conceptorum filiorũ. Id quod ostenditur, quia rara proferuntur, & proferri possunt exempla prioris acceptionis, cum innumera inueniantur secundæ. Vbi etiam secundo notandum est quod hæc loca adducta de appellatione Conceptionis Deiparæ actiuè sumptæ, non omnia apertè declarant intentum præter illum Cypriani & Bernardi, qui verè non potest aliter interpretari; cætera au-

tem aliqui interpretantur etiam de Conceptione passiua. Tertio notari hîc debet, quod hæc Conceptionis Virginis acceptio actiuè sumptæ, si & quando inuenitur in Patribus, ita traditur, vt hoc ratò veniat, imo rarissimè, & ex circumstantiis appareat sermonem eorum esse de Conceptione actiua, vnde quando eæ non inueniuntur, inepte quis Conceptionem Deiparæ intelligeret, vel dubitaret sumendam, & intelligendam pro actiua: nam absolutè loquendo communissimus vsus scribendi tum Patrum, cum aliorum Scriptorum pro Conceptione hominum, vel etiam sanctissimæ Virginis; dum nihil aliud addit, non tradit actiuam, sed omnino passiuam, quemadmodum communissimè etiam nomen Conceptionis cum suo genitiuo possessionis quocumque non actiuam, sed passiuam significat.

8. Id quod notatum volo propter aliquos, qui dum in antiquis scriptoribus inueniunt Conceptionem Virginis Deiparæ absolutè traditam, confestim decernunt eam debere intelligi pro actiua, non passiua. Ratio autem huius notationis est, quia cum huiusmodi nomina, quæ actionē & passionem significant, absolutè traduntur cum suo genitiuo possessiuo; talis genitiuus non solet pro agente stare, sed pro patiente. Quare si sermo sit de calefactione v. g. ferri igniti, quamuis ipsum possit intelligit calefacere actiuè, vel calefieri passiuè, dum absolutè promitur calefactio eius, ea stat potiùs pro passione, quam pro actione, & explicat calefactionem ferri non agentis, sed patientis, & recipientis illam; sic illuminatio lunæ absolutè prolata exprimit illuminationem, quâ ipsa habet a sole non verò illud, quod communicat, dum nihil aliud additur; nam eiusmodi nomina potiùs denominant subiectum & terminum actionis, quam agens, à quo procedunt. Sic generatio hominis vel Petri, aut huius, vel illius individui absolutè potiùs stat pro generatione passiua, quam actiua Petri. In quo apparet differentia inter verba denotantia actiones immanentes ab illis, quæ denotant transeuntes: nam priores in oppositum posteriorum, denominant agens vt agens; & sic si dicatur visio oculi, cognitio intellectus, electio voluntatis, ipsa magis denominant potentias, à quibus procedunt, quam terminum, vel rem visam; & quando quis absolutè enunciat visio oculi, potius exprimitur actio videndi, quæ elicitur ab oculo, quam esse visum, quod potest habere oculus ex eo scilicet quia communis modus loquendi contra se habet in hoc in actionibus immanentibus, ac in transeuntibus, in quibus postremis vt dixi, magis denotantur termini, & subiectum ipsorum, seu res quæ passiue afficitur per ipsas.

9. Sic apparet apud Patres & Scriptores quòd nomine Conceptionis Deiparæ communissimè non intelligitur Conceptio Virginis sanctissimæ actiua, sed passiua; sic in prima antiquitate, vt bene notat Salazar sæculo primo, vbi expressè de Conceptione sub verbo passiuo & passiuè sumpta refert dictam Virginem sine peccato conceptam, alioqui non potuisset dici gratia plena.

10. In eodem sensu vsurpauit sanctus Athanasius Conceptionem Virginis passiuè tom. 3. serm. de sanctissima Deipara Maria [quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse.] Quæ verba expenduntur strictius *in Opusculo de sensu Patrum.*

11. Apertissimè etiam hoc sentiens vsus est nomine Conceptionis Idiota, vt constabit maximè ex dicendis paulò post; vbi expressè dicit de Virgine, [tota pulchra es, & macula non est in te. Pulchra es in tua Conceptione ad hoc solum effecta vt esses templum Dei altissimi] vbi ex contextu patet loqui de Conceptione eius passiua, quam ibidem repetit sæpè fuisse ab omni macula peccati alienam, vbi etiam specificat de peccato originali.

12. Testatur item Baronius Leonem Imperatorem orationem habuisse de Pura Virginis sanctissimæ Conceptione, certè non nisi passiuè sumpta; nam de ea item habetur oratio eiusdem Leonis in qua loquitur cum sanctissima Virgine, dum in lumbis Patris sui erat, & proditura erat ad Conceptum vtique passiuum, cuius verba videri possunt citata à nobis, dum eum adducimus cum aliis Patribus ad confirmationem sensus de Immaculata Conceptione: atque hoc, quod habetur ex Leone Imperatore, habetur etiam ex Georgio Episcopo Nicomediensi, cuius orationem de Immaculata Conceptione sanctissimæ matris citat itidem Baronius, eamque cum illa Leonis testatur seruari in Bibliotheca Sfortiana.

Idem nomen Conceptionis in sensu passiuo solenne fuisse tempore & opera Gundissalui Archiepisc. Tolos. multis probare prosequitur Salasarius cap. 35. d. 7. num. 50. Et res est clara in Idiota in contemplatione de Beata Maria cap. 3. vbi ait, [tota pulchra es in tua Conceptione & macula non est in te, adhoc solum effectu vt templum Dei altissimi.]

13. Centies S. Anselmus sub hac significatione vsurpat nomen Conceptionis, dum scribit: [occurrit hodierna festiuitas de Conceptione Mariæ Matris Dei,] & post pauca: [Primordia Conceptionis eius tanta diuinitatis sublimitate præsignata;]& deinde, [& ideo eiusdem Conceptionis dies festiuis laudibus à cunctis fidelibus celebratur:]& paruo interstitio, [sed cum ipsa Cōceptio Mariæ, fundamentum fuerit habitaculi summi boni; Et sic in innumeris locis. De veritate autem horum testium habes probationes validas: [in Opusculo afferent auctoritates PP. pro Immaculata.

14. S. Bernardus etiam frequentissimè in epistola ad Lugdunenses sub nomine Conceptionis Virginis nonnisi passiuam significare vult, dum ait: [an non potiùs, quia præcessit absque sanctitate conceptus (scilicet Virginis,) oportuit nimirum sanctificari conceptum, vt sanctus sequeretur iam partus? (scilicet eiusdē Virginis) an fortè mutuatus sit sanctitatē à posteriori prior? potuit sanè illa, quæ in iam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum, qui consequebatur transire natalem, redire verò retrorsum ad conceptum, qui præcesserat, iam omnino non potuit. Vnde ergo Conceptionis sanctitas?] In quibus verbis & sequentibus tertio quoque verbo de Conceptione passiua Dei Matris loquitur, vt legenti constat apertè.

18 Concilium autem Oxoniense idem testatur

statæ, quod celebratum fuit in Anglia sæculo 13. cap. 1. vbi meminit festi Conceptionis Virginis, quod, ait, à S. Anselmo creditur institutum, quod non potest esse dictum nisi de Conceptione Virginis passiuè sumpta.

16. Nec valet hic recensere Theologos & Sanctos, qui ab hoc sæculo 13. vsque ad præsentem diem semper de Conceptione Virginis passiuè sumpta loquuti sunt, vtpote qui sint innumeri & alia occasione recensebuntur seq. diuis. dicto opusculo. Quo notatum volo ab hoc tempore, vel neminem, vel ferè neminem loquutum esse de Conceptione Virginis alia, quam de passiua; dum nomen hoc Conceptionis Virginis vt sic vsurpauerit. Nam sæpè inuenietur dictum de ea, quod conceperit Christum, non verò, quòd Conceptio eius, seu Virginis sit vsurpata ad significandam actiuam Christi nonnisi enim aliqui antiquiores, iique pauciſſimi hoc nomine Conceptionis vti sunt ad significandam actiuam.

DIVISIO II.

Adducitur Epistola sancti Bernardi 174. & ostenditur Sanctum non repugnauisse Immaculatæ Conceptioni prout de ea nos loquimur, sed sermonem eius fuisse de Conceptione ante animationem.

SOlet afferri Sanctus Bernardus veluti primus, & præcipuus propugnator pro maculata Conceptione sanctissimæ Virginis, quique Imaculatam omnino reiecerit, & verè qui non distingueret de Conceptione carnali & naturæ difficilè hunc Patrem intelligeret; nam cum ex vna parte videat sanctum Festo Conceotionis, vtpote non sanctæ aduersantem, statim existimaret eum omninò Immaculatam Virginis Conceptionem auersatum. Sed si distinxerit, & applicauerit, quæ ipse habet Conceptioni carnali, illico sui erroris erit conscius, qui quæ dixerit Sanctus Bernardus de Conceptione carnali, & ante animationem applicauerit eius Conceptioni in naturæ receptione, id quod vt pateat registranda est hic tota Epistola sancti Bernardi, & deinde ostendendum est eum loquutum esse de Conceptione carnali, nec vlla ratione obesse Immaculatæ Conceptioni, prout de ea loquimur; atque hinc remittemus Lectorem ad alia loca, in quibus Sanctus Bernardus videtur apertè stare pro Immaculata Conceptione.

§. PRIMVS.

Registratur Epistola 174. Sancti Bernardi, in qua videtur pugnare contra Immaculatam Virginis Conceptionem, ad Canonicos Lugdunenses de Conceptione Sanctæ Mariæ, Epist. 174.

INter Ecclesias Galliæ constat profecto Lugdunensem hactenus præeminuisse, sicut dignitate Sedis, sic honestis studiis, & laudabilibus institutis. Vbi enim æquè viuit disciplinæ censura, morum grauitas, maturitas consiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis insignè? Præsertim in officiis Ecclesiasticis haud facilè vnquam repentinis visa est nouitatibus acquiescere, nec se aliquando iuuenili passa est decolorari leuitate Ecclesia plena iudicij. Vnde miramur satis quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? Periculosè præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiuerit omnino diligentiam præteriisse. At valdè honoranda est, inquis, Mater Domini, bene admones, sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo Regia falsò non eget honore veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitæ sanctitatem, mirare fœcunditatem, in Virgine prolem venerare diuinam. Extolle nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis desideratam gentibus, Patriarchis Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi securus, & teneo, & trado, quod non scrupulosiùs fateor, admiserim. Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de sæculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum; sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse vt sancta prodiret. Et de Hieremia siquidem lego, quod priusquam de ventre exiret, sanctificatus sit, & de Ioanne Baptista non secus sentio, qui ex vtero dominum in vtero sensit. Videris etiam tu an & de sancto Dauid idipsum liceat opinari pro eo quod dicebat

Deo. In te, ait, confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. Item de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me. Et Hieremiæ quidem sic dictum est. Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te. Quã pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero diuinum distinxit oraculum, vt illam tantum præcognitam, istam & sanctitatis munere præornatam ostenderet, ne quis Prophetæ prærogatiuã de sola præscientia, seu prædestinatione putauerit æstimandam. Esto tamen vt hoc de Hieremia concedamus. Quid respondebitur de Ioanne Baptista, quem Angelus pronuntiauit Spiritu sancto repletum iri adhuc in vtero matris suæ? Prorsus hoc ad prædestinationem præscientiamque referri posse non arbitror. Verba nempe Angeli (sicut ipse prædixit, completa absque dubio sunt in tempore suo, & quem præloquutus est Spiritu sancto replendum, non est fas credere non repletum, idque loco & tempore, quo prædixit. Certissimè autem sanctus Spiritus, quem repleuit sanctificauit. Ceterum quatenus aduersus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit siue pro isto, siue pro illo Propheta, vel si quis alius simili præuentus gratia fuerit, non temerè dixerim, sanctificatos tamen non dubitauerim dicere quos Deus sanctificauit, & cum eadem sanctificatione prodisse ex vtero quam acceperunt in vtero, nec reatum quem in Conceptione traxerunt valuisse vllatenus horum natali iam donatam præpedire, seu præripere benedictionem; attamen quis dicat Spiritus sancto repletum manere adhuc filium nihilominus iræ; & si mori in vtero contigisset cum hac plenitudine spiritus, pœnam luiturum damnationis? durum est. Minimè tamen ausim hinc quippiam mea sententia definire. Sed quicquid de hoc sit, merito Ecclesia, quæ cæterorum non natiuitatem, sed mortem Sanctorum iudicat, & prædicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis præfert gaudiis, veneraturque illius natalem, de quo nuntiante Angelo singulariter legit. Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Cur enim non sit illius exitus sanctus, ac proinde festiuus ac lætus, qui potuit exultare in vtero? quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virginis esse negatum, per quã omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit proculdubio & Mater Domini ante sancta quàm nata; nec fallitur omnino sancta Ecclesia, Sanctum reputans ipsum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuersæ terræ votiua celebritate suscipiens. Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitæ & iustitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensã prodiens ex vtero sanctitas, Sanctum fecit illum. Quid adhuc addendum his putamus honoribus? vt honoretur inquiunt & conceptus, qui honorandum præiuit partum, quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quod si alius propter eamdem causam etiam vtique parenti eius festos honores asserat deferendos? sed de auis & proauis idipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum, & festorum non esset numerus. Patriæ est, non exilij frequentia hæc gaudiorum & numerositas festiuitatum ciues decet, non exules; sed profertur scriptum supernæ vt aiunt reuelationis, quasi & quiois nó queat scriptum æquè producere, in quo Virgo videretur idipsum mandare; & de parentibus suis iuxta Domini mandatum dicentis, honora patrem tuum, & matrem tuam. Ipse mihi facilè persuadeo scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere auctoritas; nam quid consequentiæ habet, vt quoniam sanctum præcessit natalem conceptus, propterea reputetur & ipse sanctus? nunquid quoniam præcessit eum fecit & sanctum? quia si præcessit vt esset, non tamen vt sanctus esset; vnde etenim illa ipsi sanctitas, quam sequuturo transmitteret? an non potiùs quia præcessit absque sanctitate Conceptus, oportuit nimirum sanctificari conceptam, vt sanctus sequeretur iam partus? an fortè mutuatus sit sanctitatem à posteriori prior? potuit sanè illa, quæ in iam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum, qui sequebatur, transire natalem, redire verò retrorsum ad Conceptum qui præcesserat iam omnino non potuit. Vnde ergo Conceptionis sanctitas; an dicitur sanctificatione præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, & per hoc sanctus fuerit & Conceptus, quemadmodum sanctificata iam in vtero dicitur, vt sanctus consequeretur, & ortus? sed non potuit ante sancta esse, quam esse, siquidem non erat antequam conciperetur; an fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit, & concepta? nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit: at certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit? nisi fortè quis dicat eam de Spiritu sancto & non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. Lego denique Spiritum sanctum in eam non cum ea venisse, dicente Angelo, Spiritus sanctus superueniet in te. Et si licet loqui, quod Ecclesia sentit (& verum ipsa sentit) dico glorioſam de Spiritu sancto concepisse non autem & conceptam fuisse, dico peperisse Virginem non tamen & partam à Virgine. Alioquin vbi erit prærogatiua matris Domini, qua singulariter creditur exultare, & munere prolis, & integritate carnis, si tantumdem dederis & matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere; si igitur ante Conceptum sui sanctificari minimè potuit quoniã non erat, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat, restat vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem, non tamen & Conceptionem; quamobrem & si quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum

sanctitate nasci, non tamen & concipi: vt vni sanè seruaretur sancti prærogatiua Conceptus qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus & ante Conceptum sanctus, quo excepto, de cetero vniuersos respicit ex Adam natos, quos vnus humiliter de semetipso, ac veraciter confitetur. In iniquitatibus inquiens conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum hæc ita se habeant, quænam iam erit festiuæ ratio Conceptionis? quo pacto inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est, aut festus habebitur, qui minime sanctus est? libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens deuotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, & cuius specialiter filius sum superstitione deprehensa, nescio an sine graui offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ autem dixi absque præiudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt vniuersa reseruo: ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.

§. II.

Expenduntur aliqua loca istius Epistolæ, in quibus potest patere, quòd sanctus Bernardus locutus sit de Conceptione carnali Virginis, nec primæ infusioni animæ eius dedisse originale; prout de ea modo loquimur.

2 LOquutum fuisse sanctum Bernardum de Conceptione Virginis carnali, & quod primam figurationem corporis eius sine anima vetuerit pro festo sancto celebrandam, constare potest primo quia ipse notauit in hac Epistola, hanc primam formationem corporis in vtero, incapacem sanctitatis. Etenim super illud. [Priusquam tè formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te dixit: Quam pulchrè inter figurationem in vtero, & parturitionem ex vtero diuinum distinxit oraculum, vt illam tantum præcognitam istam & sanctitatis munere præornatam ostenderet, ne quis Prophetæ prærogatiuam de sola præscientia, seu prædestinatione putauerit æstimandam:] Vbi S. Bernardus formationem merè corporalem, nonnisi præcognitam dicit, & reliquum statum fœtus etiam ante exitum ex vtero in sanctitate fuisse asseuerat. Quo videtur aperte notauisse statum fœtus ante animationem, & ab ea contradistinctum quando eius membra primo formantur ante animationem, nam expressè cum dixit figurationem; sequens autem status fœtus, quando ei infusa est anima, non est status figurationis membrorum eius, sed augmenti membrorum, prius formatorum, & figuratorum. Id quod aduerti, vt ostendam sanctum Bernardum primo hîc loquutum de Virginis Conceptione carnali prout importat formationem corporis; vnde infero quod si quando dicit aliquid de Conceptu Virginis, rectè potest intelligi de eius conceptu in tali statu, & ante animationem. Quod autem de Conceptu carnali Virginis totus Bernardus in hac Epistola sit intelligendus loqui, videamus ex iis, quæ loquens de eo asserit, & aduertamus contextum. Concedit post iam notata sanctus hic, Virginem fuisse in vtero sanctificatam, fuit Ieremias & Ioannes Baptista, & addit cumulationibus gratiæ donis præcelluisse Virginis sanctificationem eius in vtero. Vnde addit. [Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato, ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.] In quo loco dum ait munus vitæ & iustitiæ omnibus obtinere (in quibus originalis remissio includitur) quomodo in illud eam voluisset incidere, non intelligo. Post hæc ergo magna dicta de Virgine, & notata eius immensa sanctitate, dum etiam de vtero exiuit, subdit. [Quid adhuc addendum his putamus honoribus.] Et subdit immediatè ipse sibi respondens; [vt honoretur inquiunt, & Conceptus; qui honorandum præiuit partum, quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoraretur:] quo loco quis non videt non posse dici Bernardum loqui de Conceptione secundum terminum animationis, cum nomen Conceptionis hoc non importet, nec ex circumstantiis id liceat inferre, quales essent nostræ præsentes, in quibus dum loquimur de Conceptione Virginis, sermo noster est de primo signo eius animationis in vtero matris.

2. Præterea nostrum intentum patet, quia hæc ratio, quam adhibebant Lugdunenses de Conceptione Virginis: celebranda est, quia præiuit Natiuitatem Virginis: [& si ea non præcessisset, nec Natiuitas esset honoranda] sumpta videtur esse ab homilia sancti Anselmi super hoc festum, vbi expressè coli intendebatur ipsamet conceptio carnalis, vt latè patero potest ibi, quæ Epistola à nobis affertur, dum in Catalogo Patrum pro Immaculata Conceptione recensemus Anselmum. Quare Sanctus

Bernardus de Conceptione hac carnali videtur loquutus ex hac valida secunda coniectura.

3. Tertio idem Sanctus probat suum intentum, quia si celebranda est Conceptio Virginis, quia præcessit Natiuitatem suam, esset etiã celebranda Conceptio Sancti Ioachimi, & Annæ, & aliorum auorum Virginis, quia præcesserunt Natiuitatem Virginis subdit, subdit enim: [Quid si alius propter eamdem causam etiam vtrique parenti eius festos honores asserat deferendos? sed de auis & proauis idipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum, & festorum non esset numerus:] Si autem Bernardus loqueretur de Conceptu Virgini spirituali sancto, non posset contra, hac ratione pugnare; nam respondissent Lugdunenses non esse ad rem sequelam Sancti, quæ optimè prosequitur si de conceptu carnali sermo est, vt pote principio Natiuitatis sanctæ Virginis, quemadmodum & de simili principio animaduerso si posset in Conceptione auorum Virginis: Ne ergo sanctum Bernardum ineptè faciamus concludentem; dicendum est omnino eum loquutum esse de Conceptu Virginis carnali, eique vt pote non sancto, festum prohibuisse.

4. Quarto subdit sanctus Bernardus non esse Ecclesiæ militantis hæc festa celebrare, sed Patriæ; sed si sermo esset de Conceptu spirituali, & infusione prima animatum in corpus, non bene diceret talia festa in cœlo celebrari posse, vt pote de Conceptionibus, & animabus cum peccato originali; & filiatione iræ inquinatis, & mixtis. Dũ autẽ est sermo de organizatione corporum ordinatorum ad procreationẽ Virginis, & filij eius, bene potest intelligi, quod festum, fieri possit in Patria, in qua videntur futura remota notata in præsentibus, & in istis gaudium potest haberi ex visione futurorum, digna sint gaudiis, vt pote mysteriis, & sanctitate plena.

5. Quinto idipsum probatur, quia Sanctus Bernardus obiicit sibi reuelationem circa hanc rem factam, contra quam sic habet [sed profertur scriptum supernæ, vt aiunt, reuelationis, quasi & quiuis non queat scriptum æquè producere, in quo Virgo videatur idipsum mandare, & de parentibus suis iuxta Domini mandatum dicentis honora patrem tuum, & matrem tuam;] Vbi assignat prorationẽ, quod non debeat susciri reuelatio de Conceptione Virginis celebranda, quia idipsum posset ab aliquo dici reuelatum à Virgine de suis parentibus, vt scilicet festum eorum Conceptionis celebraretur vt pote sanctorum. Nemo autem intelligit hîc quod quis reuelationem fingeret de Immunitate ab originali parentum Virginis, vt pote de re in nomine sanctorum prætensa, nec probabiliter. Vnde restat quod Sanctus Bernardus loquatur merè de festo Conceptionis alicuius sancti, in quantum celebraretur bonum, quod ex tali Conceptione proueniret mundo, quæ esset scilicet principium, vnde deinde Virgo mater Dei esset nascitura, quemadmodum sæpè celebraretur memoria aliquorum corporalium, vnde deriuata sint spiritualia, & sic Abraham celebrauit tanquam festum diem ablactationis Isaac, & sic de similibus.

6. Sexto alia ratio, quam proponit S. Bernardus idem persuadet, quia ait; [Nam quid consequentiæ habet, vt quoniam sanctum præcessit natalem Conceptus, propterea reputetur & ipse sanctus? numquid quoniam præcessit eum, fecit & sanctum, quia si præcessit, vt esset, non tamen vt sanctus esset:] quo ostendit Bernardus se loqui de Conceptu, qui non posset transfundere, & seruare sanctitatem in partu. Si autem locutio esset de conceptu spirituali, & in natura non bene diceret; nam Conceptio naturæ & spiritualis sicuti prætendi poterat à Lugdunensibus bene poterat transfundere sanctitatem in partum; posito enim quod in ea fuerit sanctitas in Conceptione, bene & intelligebatur protendi vsque ad Natiuitatem. Et ratio hæc Lugdunensium, seu Anselmi benè potuit hæc ratione procedere. Virgo fuit sancta ante Natiuitatem, & in vtero: & non est ratio, quare vno vel altero mense ante Natiuitatem. Ergo ex initio suæ Conceptionis (de qua Virgo sanctissima præceperat festum secundũ ipsum) organizationem habuit puram & sanctam; cui respondet S. Bernardus Conceptionẽ istam esse principium essendi, non sanctitatis afferendæ. Quare subdidit, [vnde etenim illa ipsi sanctitas, quam sequuturo transmitteret?] Id quod non posset interrogare, si supponeretur Conceptio sancta, vti dicebant Lugdunenses & Anselmus: & immediatè confirmat intentum dicens] an potiùs quia præcessit absque sanctitate conceptus (consistens scilicet in organizatione dicta) oportuit nimirum sanctificari concepta, vt sanctus sequeretur iam partus.] Vbi ostendit in termino Conceptionis, seu organizationis, & primæ infusionis animæ sanctificationem debere illi dari non ante: nam ait requiri Conceptionem ad sanctificationem, vt scilicet post eam in posteriori naturæ infunderetur gratia, vt alias diximus de sancto Thoma, *Opusc. de eius sensu*: Vbi itidem notat S. Bernardus, quod ad sanctificationem Virginis requirebatur Conceptio, quæ præcessisset, quod dum nihil aliud additur manifestè intelligitur de organizatione corporis eius, quia scilicet sanctificatio, vt communiter à S. Thoma & aliis dicitur, animationem requirit. Quare dicit S. Bernardus [potuit sanè illa, quæ in iam concepta, facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem, redire vero retrorsũ sanctitas (ad statum scilicet præsertim ineptum receptioni sanctitatis) omnino non potuit;] si enim de statu esset sermo, qui esset receptiuus sanctitatis, Natiuitas ad sanctitatem in Conceptionem per hoc, quod sanctitas Natiuitatis deriuata ex priori sanctificatione, recte inferebat sanctitatem priorem, atque adeo in animatione, ex eo quod non esset maior ratio, quare in hoc vel illo tempore post animationem, & non ipso animationis instanti. Cum ergo sanctus Bernardus inferat, & ostendat non potuisse sanctitatem Natiuitatis inferri, & prodire ex sanctitate Conceptionis, signum est, quod per Conceptionem non intellexerit ipse spiritualem & naturalem, seu in prima Virginis animatione, sed meram corporis organizationem.

7. Septimo confirmant hoc ipsum sequentia; nam subdit S. Bernardus; [Vnde ergo Conceptionis sanctitas: an dicitur sanctificatione

præ

prætenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus, quemadmodum sanctificata iam in vtero dicitur vt sanctus conciperetur & ortus? sed non valuit ante sancta esse, quàm esse, siquidem non erat, antequam conciperetur.] In quibus verbis ostendit sanctus Bernardus quod Conceptio Virginis sancta esse non potuerit, ex eo quod ante Conceptionem fuerit Virgo sancta, antequam esset, & conciperetur. Vnde de ea sanctitate loquutus est, quæ præcesserit Conceptionem etiam corporalem; ex quo valet inferri, quod de organizatione corporis eius loquutus est S. Bernardus: nam sermo eius fuit de sanctitate, quæ præueniret Conceptionem, & per consequens organizationem; nam quando fœtus organizatur, certum est quod hoc vel illud individuum hominis concipitur, & dicitur in Conceptione esse, nec potest dici non esse vllo modo; cum ergo dicitur à Sancto Bernardo quod ante Conceptionem non valuit esse, signum est, quod loquutus sit de tempore organizationis, & per consequens quod intelexerit Conceptionem pro organizatione, in qua fœtus incipit esse.

8. Octauo hoc ipsum modo dictum, & quod intendimus aperte infertur ex sequentibus, vbi sanctus prosequitur, quod Virgo sicuti non potuit esse sancta ante organizationem corporis sui, ita nec in ipsa organizatione; nam subdit,] an fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit, & concepta? neque hoc quidem admittit ratio:] vbi ordinatè videtur sanctus in argumentando procedere, & cum hic loquatur de Conceptione, vt de prima organizatione, vt patet ostendit in antecedenti se loquutum de signo priori ad Conceptionem, prout ea importat organizationem, & sic ordinatè procedit in argumentando. Habet autem hîc, quod neque Conceptio potuit esse sancta inter amplexus maritales; ergo manifestè loquitur de Conceptione, quæ habetur ex commistione maris & fœminæ, quæ non est nisi organizatio corporis, & conceptus carnalis; nam Conceptio prout dicit primam infusionem animæ non est ista, neque dicitur esse inter complexus maritales; vt liquet manifestissimè.

9. Hoc ipsum etiam confirmatur nono ex ratione, quam sanctus assignat, quod Virgo non potuerit sanctificari inter amplexus maritales, scilicet in prima organizatione membrorum suorum; nam subdit: [Quomodo autem sanctitas absque spiritu sanctificante, aut societas Spiritui sancto cum peccato fuit, aut certè quomodo peccatum non fuit, vbi libido non defuit:] vbi vel ex eo quod in complexibus maritalibus Spiritus sanctus interuenire non soleat; aut si dicatur, quod is in eis fuerit, quia societas non est illi cum peccato, quod soleat interuenire in eis saltem veniale, aut si non aliud peccatum, certè fuit peccatum concupiscentiæ, & libidinis, quæ peccatum dicitur, quia inclinat ad peccatum, sicuti declarat Concilium Trid. ex D. Paulo. Ex hac inquam disjunctione probat non potuisse in tali Conceptione, quæ est inter amplexus maritales interuenire sanctificationem Spiritus sancti, quæ omnia non qua erat, si sermo S. Bernardi fuerit de prima infusione animæ, quæ post tres ferè menses sequitur ad Conceptionem carnalem dictam, seu ad organizationem fœtus in ventre matris; & confirmatur manifestè cum loqui hîc de organizatione corporis Virginis, nam subdit. [Nisi forte quis dicat de Spiritu sancto eam, & non de viro conceptam esse, sed id hactenus inauditum:] Vbi clarè liquet de Conceptione hic loqui, quæ soleat haberi per virum, & suppleatur a Spiritu sancto quæ non est nisi illa, quæ habetur per organizationem corporis. Vbi S. Bernardus dicit quod si Virgo concepta & organizata fuisset non per humanam operam, sed ex Spiritus sancti, atque adeò non inter amplexus maritales, tunc benè poterat hoc festum Virginis celebrari etiam præcisa infusione animæ, quia celebraretur festum de quodam opere Spiritus sancti; vnde ex omni parte patet sanctum Bernardum non reiecisse Immaculatam Conceptionẽ Virginis, prout nos de ea loquimur, sed merè prohibuisse festum Conceptionis, secundum quod importabat organizationem Corporis Virginis, quæ durat per menses sine anima; & cum voluerit forte Virginem non fuisse immunem à debito contrahendi originale, rectè ex hoc principio prohibuit festum de eiusmodi Conceptione carnali. Id quod rectè concluſit sanctus Bernardus, dum paulò post explicans quod Beata Virgo conceperit de Spiritu sancto, non fuerit concepta de Spiritu sancto, alioquin, ait ipse, tantumdem dederis & matri ipsius, subdit. [Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat (scilicet neque ex parte in carne sua) sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat (scilicet in parentibus & in carne eius causaliter) restat vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur:] scilicet in instanti animationis, quod sequitur post tres menses ad organizationem.

10. Decimo patet concluſum de sancto Bernardo, quia vltimò is excludit omnes à Conceptione sanctos, & solum Christum dicit in Conceptione fuisse sanctum, quia & ante illam fuerat sanctus; in quo contradistinguit à Virgine, quæ ante Conceptionem non fuit sancta, quia non erat: quemadmodum ergo, quando dicit de Christo, quod ante Conceptionem erat sanctus, loquitur de tempore ante organizationem corporis sui, ita & quando locutus est de Virgine, quod non erat sancta ante Conceptionem, quia non erat; loquutus est de Conceptione sumpta pro organizatione; atque adeo quando dixit, quod neque in Conceptione fuit sancta, loquutus est de Conceptione, quæ sequuta est ad non Conceptionem, & per consequens de organizatione corporis eius Verba S. Bernardi sunt. [Vni sanè seruatur sancti prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret solus absque peccato veniens (scilicet etiam in matre, nec in carne infecta, vt aliàs explicamus) purgationem faceret peccatorum, solus itaque Dominus Iesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus & ante conceptum sanctus:] & euidenter hoc ipsum concluditur, quia sicuti loquitur de conceptu Christi, Bernardus hic sermonem habet de carnali eius organizatione

ganizatione, ita dum nominat Conceptum Virginis ibidem, de tali carnali Virginis Conceptu censendus est loqui, qui sequutus sit ad non esse Virginis de quo ipse loquitur. Idipsũ etiam persuadetur ex eo quod vltimò concludit S. Bernardus: [cum hæc ita se habeant, quænam iam erit festiuæ ratio Conceptionis, quo pacto inquam aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est;] Vbi ex eo quod organizatio corporis non fuit opera Spiritus sancti, sanctitatem excludit à Conceptione Virginis; vnde loquitur manifestè de Conceptione sumpta pro organizatione sui corporis; & addit præterea quod dicit de Spiritu sancto non esse, relinquens dicere, quod de peccato fuerit, [ne dicam de peccato est, aut festus habebitur, qui minimè sanctus:] dum autem dicit conceptum Virginis de peccato fuisse, ostendit se loqui de peccato, non quod fuit in Virgine, sed de quo processit Virgo per seminalem scilicet rationem procedens cum carne infecta, & libidine habituali; quæ concupiscentia & peccatum dicitur, vt explicauimus alibi. Quæ omnia quis non videt quod bene aptata verbis S. Bernardi sine vllo dissensu distorto, ostendunt verè Sanctum hunc nihil prorsus hîc definiuisse de Cõceptione Virginis prout in præsenti nos loquimur; & ex his dictis non posse colligi, nisi quod ipse ad summum dederit Conceptioni Virginis debitum contrahendi originale, licèt expressè falsus sit in hac re, nouitatem maximè sibi displicere, & præcipitantem deliberationem sine graui consilio Doctorum vitorum? Vnde subdidit: [Quæ autem dixi absque præiudicio dicta sint saniùs sapientis,] & cum paulò supra Lugdunenses reprehenderit, quod nõ consuluerint Apostolicam Sedem, subdit tandem; [Romanæ præsertim auctoritati, atque examini totum hoc, sicuti & cætera, quæ eiusmodi sunt, vniuersa refetuo ipsius si quid aliter sapio paratus iudicio emendare.] Quibus verbis hanc ipsam doctrinam ostendit se tradere cum formidine oppositi, & si in præsenti videret Ecclesiam Romanam tanta cum voluntate amplexatam hoc festum, omnino etiam inclinaturum ad dãdam Virgini, non solùm Immaculatam Conceptionem in actu, sed etiam in debito. Quod autem is maximè in hoc dubitauerit, nec quæ tradiderit, apud se firma habuerit; patet ex eo quod ipse testatur dissimulauisse sensum in contrarium, qui apud alios vigebat de sancta Conceptione Virginis, & modo in præsenti reprehendisse hæc noua introduci in Ecclesiam, sine auctoritate Pontificis, qui de reliquo aliquo pacto probabile existimauerit oppositum; nam si absolutè falsum id iudicauerit, dissimulare non debebat, sed corrigere factum, licet sub specie deuotionis habitum; quibus perpensis non video quid possit alicuius momenti obiici contra præsentem S. Bernardi interpretationem, quæ si ab alio tam firmiter non fuerit data, mirum non est, quia non est facta reflexio supra diuersum modum sumendi Conceptionem Virginis, carnalem videlicet & seminum; & aliam naturæ, & cum animatione Quam inueninus in Anselmo, qui primus forte iussit in Anglia festum hoc celebrari, quodve priùs forte non ita latè celebrabatur in Ecclesia Latina.

11. Hæc autem nostra expositio de sancto Bernardo est expressè Bellarmini *lib. 4. de amissione gratia c. 16.* qui fusè etiam probat sanctum non fuisse loquutum de alia Conceptione Virginis, nisi illa seminum. Idem probat Biuarius *in Patribus vindicatis* quatuor rationibus. Et nos hîc vidimus ita interpretatum fuisse Bernardum sanctum Thomam, & sanctum Bonauenturam; & in Opusculo de Scholasticis antiquioribus eumdem sensum Epistolæ S. Bernardi eos tribuisse probabimus. Hanc expositionem dedit etiam huic, & similibus locis Scotus, & eius Sectatores, eamque refert Caietanus *in Opusculo de Conceptione cap. 5.* & approbant etiam Cismontana Familia & Calderonius, aliique complures; Vbi notandum quod ita dicimus Bernardum & Patres aliquos loquutos fuisse de Conceptione seminum; vt etiam voluerint illam pertingere ad inficiendam animam originali in debitrice potentia; cui sensui subscribit magnus ille Doctor Suarius *3. p. disp. 3. sect. 4.* qui profunditate sui ingenij omnia fere tangit, quæ in vna materia aptè dici possunt.

§. III.

Explicatur & probatur Rupertus Abbas loquutus de Conceptione carnali Virginis, quique non dederit ei originale nisi pro statu Conceptionis carnalis.

1. VAlida alia auctoritas præter adductã S. Bernardi, quam sibi videntur afferre Aduersantes contra Immaculatam Conceptionem, desumitur ex Ruperto Abbate, sed ea, vt videbimus, expensa confirmatio præsentem nostrum sensum de intelligentia Conceptionis carnalis, quam habuere frequentissimè Patres dum de Conceptione Virginis sunt loquuti. Vbi enim Rupertus existimatus est cum Bernardo Virginis Conceptionem maculasse, ibidem videbimus nihil in anima eius veri peccati induxisse, sed merè in iniquitatibus voluisse Virginem conceptam, vtpote qui putauit carnalem eius Conceptionem fuisse ex semine originalis transfusiuo, licèt de ceteto satis se explicauerit non voluisse in Virgine actu originale. Verba de hac re habentur: *lib. 1. de Canticis*, ad illa verba: [Meliora sunt vbera tua vino (vbi inquit) & tu veraciter dicere poteras. Ecce in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas, sed ante faciem huius amotis; peccatum nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem huius ignis omnis stipula interiit, vt totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis nouem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua sancta Dei sapientia domum æternam sibi ædificaret:] In quo loco

omnino

omnino dicendum est loqui Rupertum quemadmodum & Bernardus, & Anselmus de Conceptione Virginis præcisâ animatione, & antecedenter ad eam: quia originalis contractionem. Refundit expresè Rupertus in carnem, quia ait Virginem esse de massâ Adami, ac proinde deberi sibi contractionem originalis, & nullo pacto meminit de anima eius; quare optimè fit, vt originalis contractio per ipsum cadat merè supra carnem Virginis pro statu Conceptionis, quam Conceptio illo tempore importabat. Secundo, subdit Rupertus quod hoc peccatum originale non potuit stare ante faciem diuini amoris, quod non videtur congruè posse interpretari de originali peccato formaliter sumpto, quod in anima Virginis fuerit etiam per aliquod breuissimum tempus, vel instans, iam enim stetisset in ea. Dum autem Rupertus dixerit stare, non potuit; non bene interpretabitur, nisi quod initiatiuè fuisset in carne, sed verum dominium, & statum non habuit in Virgine. Si enim per instans in ea fuisset, optimè diceretur in ea stare potuisse & stetisse; quibus adde quod eodem modo loquitur Rupertus de originali ac de alio peccato; quemadmodum ergo aliud peccatum verum nullo modo stetit in anima Virginis ita & originale. Tertio bene hoc peccatum vocauit stipulam Rupertus, quod consisteret in carne infecta, & exsiccata propter peccatum Adæ, rectéque dixit interiisse, quia non fuisset causa, quare anima Virginis non vireseeret in gratia in instanti animationis.

2. Quarto, id ipsum confirmat, quia subdit hoc præsertim fuisse Virgini vt esset eo tempore habitaculum Deo totum sanctum eo tunc non fuisset tale si per instans filia diaboli fuisset. Et quinto nisi caro Virginis animata fuisset ab anima sanctitate prædita, non posset subdere idem Pater hæc præstitisse Deum, vt Caro Virginis esset tota omnino munda, nam iam inquinata verâ inquinatione fuisset per maculam veri peccati originalis in actu. Et multò minùs talis esset æstimanda, vt posset dicere Rupertus quod in ea habitauerit Deus totis nouem mensibus. Nam in primis duobus vtpote infecta non erat dignum Dei habitaculum: Rupertus autem dicit quod eam Deus formauit, vt in ea habitaret totis nouem mensibus, quomodo habitauit in ventre matris. Et ne quis posset dubitare quod hæc dona, & prærogatiuæ gratiæque dicerentur à Ruperto de Virgine pro reliquo vitæ tempore, post eius natiuitatem legantur sequentia, vbi ait hæc præstita ipsi antequam nasceretur, his verbis, [& quia cum tanta dulcedine amoris pretiosa plenæ gratiæ simul infusa sunt charismata, ceteris ab eodem spiritu dispertiuntur sanctis & electis rectè vbera illa dixeris fragrantia vnguentis optimis: [& explicans hæc vnguenta, & odores subdit; [inter ceteros odores vnguentorum quibus perfusa es, prophetia fragrauit etiam longè antequam nascereris;] vnde non est recurrendum in his ad aliud post natiuitatem. Quod confirmatur per priora verba: qua cum tota dulcedine amoris repleta es:] Nam illum ipsum amorem, quem voluit originale abiecisse, eumdem repetit eam impleuisse omnibus gratiis pro ipsomet tempore Conceptionis: quare videtur Rupertus annuere quòd vt videbimus sanctissima Virgo animata fuit post breue tempus Conceptionis carnalis vel saltem quod Conceptio eius carnalis purificata fuerit longè antè animationem, vt posset dici quod in Virgine ratione carnis purificatæ Deus habitasset totis nouem mensibus, quo morata est in vtero matris, nec non quia subditur quod totum hoc fuerit peractum, vt esset tota omnino munda materia in qua Deus habitaret, & ædificaret sibi domum; nec certè posset esse tota munda, vt constat, materia in Virgine, si ea inquinata fuisset in prima animatione vero peccato formaliter sumpto. Persuadent etiam in hoc sensu fuisse Rupertum alia eius loca, in quibus originale à Virgine semper patet eum abalienasse, sed quia hoc negotium alibi est complendum cum auctoritatibus aliis Patrum adducendis pro originali a Virgine omnino reiecto, ibi fiat ista collatio, & firmetur magis traditus sensus Ruperti, qui certò non dederit primò animatæ Virgini originale, sed merè eius carni, & pro tempore, pro quo verè dicebatur concipi secundum modum loquendi suo tempore vsurpatum, quo Conceptio non stabat apud vllum saltem communiter pro prima animatione.

3. Hic autem non est itidem prætereunda alia explicatio sufficienti nixa fundamento, quam de Ruperto affert Biuarius, qui existimat Rupertum hic loquutum de fomite, qui solet denominare Conceptionem nostram in peccato. Id quod bene ipse comprobat, & mihi magis arridet propter auctoritates plurium adductas suprà, qui illud Psalmorum. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, refundunt maximè in Conceptionem in peccato, ex eo quod prodeat ex fomite, & cum fomite, qui etiam apud Scripturas dictum est peccatũ. Pro qua re lege Biuarium in Patribus vindicatis. Et hinc aduerte quod secundum Patres siue vno, siue alio modo explicetur concipi in peccato; semper ij loquuntur de statu Virginis in prima sui organizatione corporali quod est id, quod hic firmare contendimus. Pro hoc autem sensu Biuarij in exponendo Ruperto, vide quæ idemmet Rupertus habet in Commentariis Genes. cap. 24. supra à nobis citatus; vbi explicans Conceptionem in peccato & de carnali loquens dixit de mulieribus; vt latè ibi vidimus, [Mulieres in iniquitate non solum originali, verum etiam in propriæ libidinis peccato conceperunt,] quo nihil euidentius pro sensu dato à Biuario, qui locus etiam, vt supra eum fusiùs adduximus, perspicuè commonstrat quod omnino si peccatum originale concedit Rupertus Conceptioni Dei parentis non illud tradit animationi Virginis, & exponit ipse se expresè illud tradere merè Conceptioni carnali eius, quod nostrum firmat assumptum.

3. Tandem Rupertum non nisi modo tradito esse interpretandum patebit ex alio loco in quo totam pulcram, & sine vlla macula asseuerat Deiparam. Nec non etiam, quia gemitus peccati cuiuslibet ab ea remouet, de quibus latè cum de sensu Patrum.

§. IV.

Adducitur præterea sanctus Anselmus pro acceptione Conceptionis sanctissimæ Deiparæ intellectæ pro carnali.

1. IN hac assertione, qua volumus firmissimè apud Patres, & Sanctos omnes, dum sermo præsertim est de Conceptione Virginis in peccato, sermonem esse omnino de Conceptione eius carnali; deueniendum est ad eorum peculiaria loca, vbi hac ratione de Conceptione Virginis tractant: vt videatur, an extenderint sermonem ad instans infusionis animæ eius, quo Virgo sanctissima filia esset diaboli, & gratiâ esset priuata pro qua re videamus post Bernardum sanctum Anselmum, qui (in lectionibus Officij, quod creditur is præcepisse vniuersæ Angliæ, vel saltem communicauisse veluti Primas & Archiepiscopus Cantuariensis expresè omnes ad hortando ad hoc festum celebrandum propter reuelationes & miracula, quæ alibi ipse refert) distinguit duas Conceptiones in Virgine, vnam carnalem, aliam spiritualem, & vtramque vult celebratione dignam; verba eius sunt quid Salazarium cap. 32. sæculo 11. de homilia scilicet eiusdem sancti, quæ inuenitur in Breuiario Segouiensi & citat eam Bacchonius in 4. & Ioannes Gerson. serm. de Conception. consideratione 3. & alij communiter. Verba eius sunt. [Iam quod duæ sunt Conceptiones hominis, vna scilicet spiritualis, & alia carnalis, vna qua carnalis copulatio viri & mulieris, alia qua spiritualis anima pura & noua Domino operante corpori diuinitus datur, & coadunetur, si non placet illis celebrare solennia Conceptionis carnalis dominicæ matris, placeat eis colere animæ eius spiritualem creationem, ac corporis & animæ copulationem:] & deinde concludit, [celebremus ergo hodie dignis officijs vtramque Conceptionem eius, spiritualem scilicet, & humanam, vt ipsius meritis & precibus à sæcularibus cutis & à cunctis vitiis mereamur eripi, & ad æterna gaudia paradisi perduci: [& superiùs dixerat:] In memetipso probabo, quod animo erubescant omnino insensati, qui tantum diem, tantaque Sacramenta, ac mysteria tenebris ignorantiæ respuunt celebrare, eoquod viri, & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit: & licet eius Conceptionem (eo quod carnalis extitit) stultis non placeat hodie celebrare, tamen diem illum & noctem quamuis sint multis incognita, & tempus & horam, spiritualis Conceptionis hodie celebrare delectat, quia ipse, quia est animarum creator, animam suæ matris dignam sanctissimo corpori Virginali eius Angelis ministrantibus copulauit:] & deinde subdit quæ retulimus [iam quod duæ, &c.] In quibus verbis quis non videt apertissimè sanctum Anselmum distinxisse duplicem Conceptionem Virginis, vnam consistentem in organizatione corporis & habitam in copula suorum parentum; & aliam in prima creatione animæ eius. Ex quo licet inferre euidenter quod quando aliqui sancti loquuntur de Conceptione sanctissimæ Virginis rectè & optimè, & iuxta sensum, quo solita est accipi antiquo tempore Conceptio eius; possunt & debent bene intelligi de Conceptione carnali; nec est ridicula, distorta, & temeraria hæc expositio & declaratio dictorum, quæ habemus ex Patribus, nisi de cetero contextus ostendat sermonem non esse de Conceptione eius carnali, sed de spirituali, seu pro signo primæ creationis animæ eius, & infusionis in corpus. Quando ergo maximè cum aliquibus indiciis ex contextu videmus Patres loqui de Conceptione carnali Virginis, interpretationem eiusmodi dare possumus satis rationabiliter, vt verè & sine controuersia sanctum Anselmum nomen Conceptionis Virginis præsertim in peccato, vsurpasse & intellexisse, quod staret pro carnali, patere omnino primo potest ex dictis supra disput. 4. §. 2. Vbi vidimus quod explicat, quomodo rectè possit dici homo concipi in peccatis pro signo, pro quo anima non est infusa corpori; id quod pari ratione conuenire potest Conceptioni Virginis pro statu, pro quo anima eius non intelligitur infusa fuisse corpori; atque adeo patet in ipso signo Conceptionem in peccato absolutè fuisse & per consequens Conceptionem sanctissimæ Virginis in peccato apud ipsum importare tantummodo Conceptionem pro prima organizatione corporis stantem.

2. Secundo patere potest sanctum Anselmum nomine Conceptionis Virginis Deiparæ in peccato non intellexisse nisi dictum signum primæ organizationis corporis eius; quia contextus ipse in eo loco, vbi hoc asserit, id omnino significat, & persuadet: nam libro secundo, cur Deus homo cap. 15. ita habet. Nam licet ipsa hominis eiusdem (ideſt Christi) Conceptio sit munda & absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipsa vnde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius; & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.] In quibus verbis apertissimè patet in eo sensu, & secundum eum modum de Conceptione Virginis loquutum fuisse Anselmum, quo hoc eodem loco loquutus est de Conceptione Christi, sed de Conceptione Christi loquutus est, prout non importabat delectationem carnalem, quæ non conuenit nisi Conceptioni carnali; ergo pari ratione de Conceptione Virginis loquutus est in quantum carnali, & prout dicebat primam formationem corporis sui; quod autem de Conceptione Christi loquutus sit Anselmus prout dicit organizationem corporis, &

num

non prout positiue includit animationem eius patet, quia munditiem Conceptionis Christi Anselmus non refudit in primam infusionem animæ eius sine peccato, sed in coagulationem carnis operatam sine vlla delectatione, & operâ viri, vnde dixit: [nam licet Conceptio eiusdem sit munda, & absque carnalis delectationis peccato:] vt scilicet significaret ex eo mundam, quia exercita erat sine delectatione carnali, id quod non conuenit Conceptioni pro signo primæ animationis, sed pro illo primæ mixturæ seminum.

3. Hoc autem ipsum confirmatur tertio. Quia referens munditiem Conceptionis Christi in negationem operæ viri & delectationis carnalis, dixit illam negantem peccatum delectationis, atque adeo ideo mundam & sine peccato, quia sine peccato delectationis; quo nos merito inducit ad existimandum, quod per ipsum in tantum dicta est Conceptio Virginis in peccato, & sub ea affirmatione, sub qua dicta est Conceptio Christi sine peccato: Cum ergo Anselmus se explicauerit, peccatum à se negatum Conceptioni Christi Domini fuisse peccatum delectationis carnalis; similiter ostendit, quòd peccatum à se datum Conceptioni Virginis non fuerit peccatum priuationis gratiæ residens in animâ eius, sed peccatum delectationis parentum ipsius in sui corporis primâ formatione, seu primâ mixturâ seminum vtriusque parentis tui, vel quid competens carni. Quo manifestè deinde concluditur quod sermo Anselmi de Conceptione Virginis Deiparæ in hoc loco non fuerit de alia Conceptione, quam de carnali, & nullo modo de eâ sumptâ pro primâ animatione, de qua numquam vel ferè numquam Patres loquuti sunt vt de Conceptione absolutè dictâ.

4. Quarto, hoc ipsum potest ostendi ex ratione, quam assignat sanctus Anselmus, propter quam vult Conceptionem Virginis dicendam esse in peccato, quia scilicet ipsa in Adam peccauit; hæc autem ratio, vt videbimus infra latius, non probat ad summum nisi immunditiem in semine ponente debitum radicale peccati originalis, & rursum in eo sensu debet intelligi, quod dicat Conceptionem in peccato, quo Patres soliti sunt eam dicere in peccato: cum ergo supra ostenderimus hominem dici ab ipsis concipi in peccato primi hominis, inquantum semen infectum peccato, eos denominat in peccato conceptos; pari ratione quando Virgo sanctissima dicitur hîc ab Anselmo concepta in peccato, sermo eius omnino intelligendus est de Conceptione eiusdem mere prout importat primam formationem corporis eius, compacti ex semine parentum infecto ab originali.

5. Quinto persuademur idipsum, quia expresse sanctus Anselmus peccatum quod concedit Virgini, quodque negat Christo, non est nisi peccatum massæ peccatricis, de qua cit Christum assumptum. Iam peccatum massæ peccatricis, non est nisi peccatum quod agnoscitur in semine infecto, quod non est peccatum residens in anima, atque adeo semper constat ex Anselmo peccatum ab ipso datum Conceptioni Virginis, non esse illud priuationis gratiæ, & pro signo primæ animationis eius, sed illud attributum illi pro prima organizatione corporis eius.

6. Sexto, item persuaderi potest hoc ipsum, quia paulò post munditiam ab omni prorsus vero peccato etiam originali tribuit Anselmus sanctissimæ Virgini, nam eam comparat munditiei Christi, de quo loquitur vt de mundo ab omni originali peccato, & obiicit sibi; quod si Virgo fuit ita munda, non potuisset dici solus Christus mundus ab omni peccato, sed præter illum fuisset munda Beatissima Virgo ab omni peccato; quare omnino videtur illam munditiem tradere Virgini, quæ eam eximat ab omni peccato originali residente in anima rationali. Audiamus Anselmum, qui ait in persona discipuli. [Placeret mihi multum quod dicis, nisi cum ipse debeat à se habere munditiem (excludentem scilicet etiam originale) videtur eam habere à matre; & per se mundus non esse, sed per illam:] & respondet, concedendo in matre similem munditiem, & solum aduertit hanc ipsam munditiem maternam habitam fuisse ex meritis Christi, & ab eo deriuatam, atque adeo eum solum per se esse mundum. Vnde subdit. [Non ita est, sed quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo; ipse quoque per se ipsum, & à se mundus fecit;] Ex quibus verbis ita licet inferre sensum Anselmi. Sanctus Anselmus eam munditiam dat Deiparæ, quæ suo modo faciat denominare Christum mundum ea munditia, quæ est sui propria; sed hæc non potest esse munditia à solis actualibus; ergo debet esse munditia residens in Virgine, quæ in ea expulerit originale: maior patet, quia Anselmus ait in persona discipuli prius Christum habuisse munditiem à matre, & idipsum ipse annuit in sua responsione, in qua concedit Christum dictum mundum etiam extrinsecè, quia ortus ex munda. Minor probatur, quia munditia propria Christi sine dubio est illa, quæ excludit originale, vt patet ex Scripturis, Patribus, & Ecclesia vniuersaliter negante in sua munditie originale peccatum, nec illud in ea vllo modo ferente, & rursum quia toto illo capite de tali Christi munditie excludente originale sermo est: vnde primo incepit illud Anselmus dicens. [Primum scilicet, qualiter de massa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato (omnino excluso etiam peccato originali vt patet, quod est illud quod primo habetur in homine) quasi azymum de fermentato Deus assumpsit:] & paulò post vt vidimus expresse loquitur de Conceptione Christi munda, munditie certè primo excludente originale: deinde hoc ipsum repetit, dum ait: [cùm enim constat Deum hominem fieri oportere, dubium non est sapientiam illi non decuisse, vt hoc sine peccato fiat.] Peccatum autem primum in homine

mine est originale', atque adeo dum dicitu Deus ab Anselmo homo factus sine peccato, omnino intelligitur ab originali exclusus, & mundus, & per consequens cum eiusmodi munditie Christi dicatur illi extrinsece à matre etiam detiuata, apertè patet ex Anselmo omnino sanctissimam Deiparam fuisse illatam vt ab omni peccato etiam originali immunem. Quare rectè dũ Concept. Virginis ab ipso datur peccatum, ne eum demus sibi contradicentem in eodem: debemus asserere, quod nonnisi Conceptioni carnali Virginis beatissimæ dederit ipse peccatum: quo stet, Patres etiam ceteros nomine Conceptionis, & Conceptionis Virginis, nec nõn etiam Conceptionis Virginis in peccato rectè à nobis dici, quod intellexerint carnalem in sensu tradito.

7. Septimo rectè Anselmum hic loquutum de Conceptione carnali Deiparæ, qua attribuit illi peccatum & non de Conceptione pro signo primæ infusionis animæ eius, & constare potest; quia non solum Anselmus hic dixit Virginem conceptam in peccato, sed natam in peccato; quare cum non possit intelligi loqui de peccato residente in anima tempore nativitatis eius, quæ fuit sancta, & celebrabatur ab Ecclesia, vt testantur Patres antiquiores, qui de festo Nativitatis Virginis sermonem habuerunt, vel eam vt sanctam Ecclesiæ tradiderunt vnanimiter, rectè potest explicari quod pro nasci in peccato illud ipsum intellexerit, quod complures Patres intellexere, quando dixerunt hominem concipi in peccatis, v. g. concipi in carne subdita fomiti, qui solet dici peccatum, nec non etiam peccatum originis, quia est proximus effectus eius, & ratio in parentibus vnde transfundatur in homine peccatum originale formaliter sumptum. Qua explicatione tradita, quam videbimus alibi in similibus inueniri apud plures ex Patribus, constat quòd cum dicitur ab Anselmo Deipara concepta in peccato bene potest dici, quod loquitur quod sit fomes, in quo ab ipso creditur nata, & per consequens omnino de Conceptione in peccato, is loquitur, quæ sit carnalis, & in qua considerat merè fomitem, non verò priuationem gratiæ, & peccatum in anima Virginis residens; atque huic explicationi subscribit Biuarius *in Ps. vindicatis*.

8. Nec prætendi potest quod in Anglia fortè eo tempore non celebrabatur festum Nativitatis Virginis, nec constabat sanctitas Nativitatis eius Anselmo; nam neque librum illum composuit in Anglia, sed in Italia vt scribit Edinerus, nec potest dici quod ignorauerit hanc festi celebrationem; nam ipse scripsit ad Epistolam ad Episcopos Angliæ circa illa tempora & narrauit eis miraculum quod Herluino Abbati contigerat proximo submersioni, quando diuinitus ei præceptum fuit vt celebraret festum Conceptionis 8. die Decembris, & reciteret illum ipsum Officium quod recitabatur in festo Nativitatis Virginis.

9. Neque dicas in his verbis Bonosium non loquutum fuisse de Nativitate ex vtero, sed de Nativitate in vtero, seu de ipsamet Conceptione: nam primò ipse contradistinguit Nativitatem à Conceptione, dum dicit, quod Virgo in iniquitatibus concepta fuerit, & deinde addit, & cum originali peccato nata est; quare dum nominat Nativitatem post nominatam Conceptionem, quam dicit & notat etiam associatam peccato originali; eam omnino vt diuersam à prima debet intelligi eam attulisse: cum præsertim communiter apud Patres, quando nominantur simul Conceptio & Nativitas, nisi aliud ostendat contextus, hæc duo nomina sumuntur vt quid, vnum ab alio. Et rursum cum hic modus loquendi quod Virgo fuerit nata in peccato originali, ab oluit ut & fuerit eo tempore falsus in Ecclesia, non erat certè vsurpandus, neque credendus est fuisse ab Anselmo vsurpatus, præsertim sine vlla expressa declaratione, quod ipse loqueretur de Nativitate ex vtero. Et quemadmodum hoc tempore si quis vsurparet hunc modum loquendi, meritò esset redarguendus, & suspectus de errore, ita similiter eo tempore qui eiusmodi modum loquendi vsurpauisset, fuisset omnino arguendus, quod non est concedendum de dicto Anselmi, qui maxime in loquendo cautus est inter Patres & assimilatur plus quàm alij Patres, Scholasticis Theologis.

11. Hæc etiam nostra animaduertio de sancto Anselmo, potest confirmari ex eo quod notat Salazarius de eo, quod cap. 27. eiusdem libri discurrit inquiens quod Christus Dominus potuit quidem concipi de matre peccatrice, sed id fuerit indecens; atque adeo quod Virgo fuerit mundissima, & nullo modo peccatrix: peccatrix autem fuisset, si in anima originale contraxisset in se sicuti ceteræ mulieres quæ in noua lege indigent Baptismo ad delendum verum peccatum quod habent.

12. Tandem hanc veritatem demonstrat id quod paulò post notabimus, scilicet diuis. 4. huius disput. videlicet quod sanctus Anselmus in Monasterio Beccensi sub Herluino Abbate (antequam esset Archiepiscopus, & quando composuit ex Edinero librum (cur Deus homo) celebrauerat quolibet anno festum Conceptionis; vnde non potest supponi, quod ex suo sensu protulerit Virginem in iniquitatibus conceptam, quod vide vt dixi in sequentibus.

13. Quæ omnia confirmat axioma illud ab Anselmo emanatum in Ecclesia, & in ea receptum; quod deceat Matrem Dei ea puritate nitere, quæ maior sub Deo non possit intelligi, nam vt de eius sensu late disseremus; satium videtur esse firmiter positis dictis interpetrari hoc dictum de peccato originali, quod admitteretur residisse in Virgine; & quia fuerit deinde remissum; proinde ea esset intelligenda nitere puritate ea maiore, quæ sub Deo posset intelligi: nam quis non videt quod Angeli illo immunes in comparatione cum Virgine deberent dici sub Deo, maiore puritate nitere quàm ipsa, si ea pro aliquo tempore impura fuit impuritate originalis. Sed hoc satis sit hic innuisse.

14. Præterea notari hic debet quod hoc vbi sanctus Anselmus dicit Beatissimam Virginem in peccato conceptam & natam, & si non loquatur

quatur, vt apparet ex contextu ponderato, nisi de Conceptione carnali; nihilominus id non scribit ex suo sensu, sed ex illo Bonosij sui discipuli: nam ad modum Dialogi ibi loquitur, & introducit loquentem Bonosium & hæc assertа proferentem quę non esse digna Anselmo patet, quia in ijs ponit etiam natam in peccato Virginem, quod non erat ab ore Anselmi proferendum absolutè, quamquam in sensu supra tradito vt vidimus. Nec quia expressè dictum Bonosij Anselmus non retractauit, & signauit falsò prolatum, censeri potest quod ipse illud approbauerit, quia vt suo loco videbimus, alia siue expressa reprobatione solitus est reiicere sensa Bonosij: reprobauit autem Anselmus hoc præsens speciale effatum Bonosij, dum inunditiem Beatissimæ Matris tantum extollit, vt de ea mundum Christum dici asseuerauerit, vt explicatum est: quare meo iudicio ad euidentiam constat, quod vel ex vno vel ex alio modo respondendi hic notato, sanctus Anselmus non potest recenseri pro eo qui primæ animationi Virginis originale formaliter sumptum præstiterit, & omnino si peccatum in alio sensu ei tradidit, id non tradidit nisi carni, & illud quod ei proportionatum est. Quod fortiùs persuadetur, vt notauimus, quia suo tempore celebrata est Conceptio sanctissimæ Virginis, & summis laudibus est elata & prædicata immunis ab omni peccato, vt probabimus alibi latius. Quare ad summum si quid probatur ex illo, id non est nisi quod concesserit aliquando peccatum originale merè caualiter & in carne, seu ratione carnis sanctissimæ matri; considerato eius contextu & ceteris adiunctis.

DIVISIO III.

Ex alio 2. capite.

Nihil prorsus concludi ostenditur ex dicto Conceptionis Dei Matris in peccato ex allegatis Patribus, quia illi ipsi euerterunt hoc dictum.

1. DEmus aliquo modo propendisse Patres aliquos ad concedendum verum peccatum originale Beatissimæ Matri in aliquo sui effato, non est tamen illud acceptandum, neque ei assentiendum à fidelibus & ab Ecclesia vllo modo tot præsertim in contrarium obstantibus; quia hi isti Patres eiusmodi dictum euerterunt, nec solidam probabilitatem continere ostendendum: etenim si apud ipsosmet natauit hic sensus & maturiore consideratione iudicatus fuerit vel falsus vel dubius, cum tanta formidine & mediis falsitatis, non est vllo modo à magistra veritatis recipiendus nec eo imbuendi fideles, dum maximè in dubiis non sit admittendum quod præiudicet sanctissimæ Dei parenti, & omnino ferè habendum pro nullo, & leuissimi ponderis; in falsitati magis propinquo, quam veritati: assertа enim Patrum retractata, communiter falsa sunt posterioribus sæculis quæ retractationi eorum faueruut, vt patet in illis Augustini, S. Thomæ & aliorum, & non retractata, sed in dubium reuocata propter maturius iudicium retractans saltem & abiciens humanitatem priorem ex hociplo apparent ab ea remittentibus in dubium de aliquantula saltem falsitate notari licet sub dubio. Atque adeo ex hoc capite pœnè nonnisi pro nullis habenda.

2. Quod autem hæc dicta de Conceptione Virginis in allegatis Patribus hanc mutationem sint passa, patet ex Anselmo primum, qui vt vidimus nomine Bonosij protulit quod primo fuerit in originali concepta, non proprio, vt ostenderet suum non esse eius sensum, quod non admisit, sed reiecit in sequentibus & in oppositum absolute deinde inclinauit, & pro eodem opposito proclamauit, vt vidimus. Rursum idem sanctus serm. de Assumptione sub dubio ponit, an Beata Virgo originale contraxerit, vt alibi vidimus, ratione scilicet Conceptionis carnalis, sed etiam si loquatur de Conceptione naturæ: hoc dictum subdubiè positum, vt nullum est habendum, vt diximus.

Tandem cum ipse senior factus & ad Episcopatum assumptus Cantuariensis Ecclesiæ; Italus de reliquo natione nec in Anglia educatus, præsulibus Angliæ scripserit pro Immaculata Conceptione cum carnali, tum naturali, vtramque distinguens omnino euerit priora alia dicta quæ habuit & scripsit in Gallia degens, vt notat Bellarminus ex Edinero in libello de Scriptoribus Ecclesiasticis. Quare pro nihilo prorsus remanet priùs dictum, cum perfecto suo suffragio eoque digniori illud pro Immaculata Conceptione pro qua directè oppositum persuasit vniuersæ Angliæ: quæ omnia rectè conueniunt: nam posito priori suo sensu, rectè potest sustineri, & iudicari. Quod dum nesciret in Gallia celebritatem & causam celebritatis Conceptionis Virginis habitæ, in Anglia censuit dicendam Deiparam in originali conceptam, sed in vltimis annis suæ ætatis quo peruenit ab Presbytero ad Archiepiscopat. Cantuariensem & primas electus Ecclesiæ Anglicanæ, & in Episcopatu vixit tredecim annis, oppositam amplexus est sententiam; ac proinde sit numerandus pro præcipuo Doctore Immaculatæ Conceptionis, & euersore contrariæ & contrarij dicti, seu contrarij sensus, si fortè eum verè amplexus est. Vbi est etiam notandum, quod si expositiones in Epistolas Pauli sunt Anselmi, prout in eius operibus inseruntur, eique adscribuntur, ibi expressè pro immaculata pronuntiat apertissimè, magisque euertit dictum illud Bonosij.

4. Eamdem euersionem similis dicti vibrati à Bernardo in Epistola ad Lugdunenses habes apud ipsum Bernardum primo in ipso fine Epistolæ, vbi subdubiè se loquutum esse ostendit, nec firmo & asseuerante sensu voluisse Virginem conceptam in peccato, dum quæ dixerit ibidem melius sapientis iudicio submittit dicens, quæ autem dixi absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis: quæ

verba non vsurpantur in veritatibus pro certo habitis, sed merè in illis in quibus formido intercedit & rationabilis dubitatio, oppositi, quod confirmatur quia hoc peculiare suum iudicium ibi probatum peculiariter submittit iudicio Ecclesiæ Romanæ subdens: [Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini eorum hoc sicut & cetera quæ huiusmodi sunt vniuersa referuo, ipsius si quid aliter sapio paratus iudicio emendare,] quo ostendit hoc iudicium à se habitum subdere mutationi & emendationi, nec non se existimare quod esset examine dignum atque adeo dubium & sub periculo falsitatis. Tertio, liquet hoc ipsum quia in tantum visus est inuehi contra Immaculatam Conceptionem aliquanto acrius, quia Canonici Lugdunenses ex se ipsis festum eius celebritate donare præsumpserint sine Episcopi auctoritate & inconsulta Sede Apostolica ad quam erat recurrendum; & rursum qui præcipitanter hoc egerint, & ducti imperito rum consilio & impulsu. Vnde ostendit contra rei substantiam & sensum Immaculatæ Conceptionis non firmiter pronunciare, sed tantummodo contra audaciam introductionis noui festi in Ecclesiam Lugdunensem sine debitis requisitis instituti: quemadmodum Petrus Cellensis qui celebritatis institutioni restitit, non veritati Immaculati Conceptus, vt alias videbimus. Quarto, quia apud sanctum Bernardum hic sensus priuatus de Virgine Immaculatè Concepta, nec fuit reiectus, nec correctione pulsatus, atque adeo non æstimatus improbabilis, prout is retulit paulò superiùs, dicens: [& ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimularam parcens deuotioni quæ de simplici corde, & amore Virginis veniebat,] quo loquendi modo non detraxit hic sensui tanquam erroneo errore censuræ, sed errorem appellando sensum illum qui à se non æstimaretur veritate plenus; nam si de errore loquutus fuisset falsæ doctrinæ erat insimulandus, & saltem correctione carpendus, à qua cum abstinuerit sanctus Abbas omnino illum censui esse de numero eorum qui remouendi non essent à mente fidelium.

7. Efficacius item quarto hæc S. Bernardi assertio patet quod apud ipsum fuerit dubia, quia in sermone de Assumptione non iam absolutè protulit Virginem in peccato conceptam sed merè conditionaliter & omnino dubitanter; nam scripsit [quod si originalem à parentibus maculam traxit] si autem absoluti sensus contrarij fuisset, ab hac dubitatiua particula & conditionali quæ nihil ponit esse quando bene poterat, omnino abstinuisset, & cum non abstinuerit vt alias latiùs perpendemus hunc locum, cum de sensu Bernardi agemus cum reliquis Patrum, signum est manifestum quod quicquid in citata Epistola scripsit vel penitus retractauit, vel non asseuerantèr dixit, vel si absolutè pronunciauit, deinde ad hoc absoluto sensu verè recessit.

8. Quibus addit quinto, quod in sermone super salue, & in Cœna Domini apertissimè originale detestatus est à Deipara, & si quiputant hosce sermones non fuisse Bernardi Abbatis: sunt etiam aliqui qui Epistolam Bernardi ad captandum eius odium dicant fuisse suo nomine confectam à Nicolao Monacho Cistercienſi, qui pro immaculata pugnauit, sicuti alias solitus fuit facere teste eodem Bernardo ad Eugenium Papam. Et præterea idem S. Bernardus serm. de S. Ioan. Bapt. in editione Lugdunensi apud Ioannem Marcscal 1530. scribit: [quicumque de massa prævaricante mundum ingredimur, testem longam originalis peccati nobiscum trahimus, solus ille qui peccatum non fecit excipitur, & quæ cum Virginalis vteri sui thalamo ignorans virum & ignota viro in terris effudit: & paulò post [cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium sanctificatum legimus præter Hieremiam à Ioannem Baptistam: quamquam & de singulari Virginis nulla sint ambiguitas quin ipta maternis circumsepta visceribus sublimioris sanctificationis genere præseruata sit.] Si autem loqueretur de sanctificatione post originale in re, non esset eiusmodi sanctificatio diuersi generis, nec ea præseruasset, sed emaculasset Virginem. Quare his dictis euertit Bernardus omnino si quid contra immaculatam prodidit Conceptionem, quod idem ostenditur ex serm. de B. Maria pluribus locis.

9. Euersorem tandem assertæ Conceptionis Deiparæ in peccato censent etiam complures Rupertum Abbatem cum in contextu, cum etiam alibi vbi remouet à Virgine, vt annui, omnino gemitus propter peccatum & eam totam pulchram sanctam, & omni maculâ expertem prædicat. Quare pro compertò habendum est quod illi ipsi Patres qui dixerunt Dei genitricem in peccato conceptam, ita hoc asseruerint, vt eiusmodi dicto ipsimet de veritate fidem ademerint; atque adeo ab eo omne pondus suæ auctoritatis auerterint: quo repulso, nihil prorsus ex eo potest coniici contra Immaculatum conceptum æstimandum, estque omnino pro nullo: quod erat demonstrandum: pro quo vide quæ dicimus supra de Ruperto. Neque hic adiicias, quod si hoc dictum non habet vim ex citatis Patribus, illam habebit ex S. Thoma, S. Bonauentura, Petro Comestore S. Gerardo, Alberto magno, Alensi, S. Antonio Paduano, S. Vincentio Ferretio & aliis: nam omnes hi, si quid contra censuerũt, omnes prorsus prius suum dictum euerterunt, quod ostendemus ad euidentiam in sequentibus Opusculis, eorum legitimas & autenticas auctoritates afferentes multo clariores & certiores illis quæ attulimus in Patribus dictis, & absolutè ad euidentiam concludentes. Quod hîc non agimus, vt vnicuique rei suus sit proprius locus. Hæ videbis Lector, in Opusculo de sensu S. Thomæ, & aliorum antiquiorum Theologorum. Nec non in eo de sensu Patrum, vbi agitur de sensu sanctorum. Solum hic nota falso citari Petrum Comestorem, S. Gerardum Martyrem; nec non S. Antonium & S. Vincentium Ferretium; nec non S. Anselmum in lib. de Meditationib. pro simili modo loquendi; non enim extant eorum verba citata, vel sunt ab Aduersariis transposita iuxta morem complurium ex ipsis.

DIVISIO

DIVISIO VI.

Denuo ex alio tertio capite confirmatur ex dicto Conceptionis Virginis in peccato non inferri id formaliter, & euerti ostenditur dictum de Dei parẽte concepta in peccato ex dato & facto oppositè diametro aliarum Ecclesiarum & Patrum cum istis allegatis coauorum.

1. QVia si solicitati, & tam pauci Patres vsurpauerunt hoc effatum, quòd Virgo Beatissima fuerit concepta in peccato; perstrepuere & adhuc perstrepunt vehementissimè Aduersantes quod non sit dubitandum de veritate ab ipsis in hac re concluſa, vtpote tam apertè & in terminis declarata, & quasi definita nec controuertibili; nec aliter eo antiquiori tempore neque etiam opinata, aut opinabili, vt ausus fuit dicere Caietanus 3. *p. q.* 27. *in Commentario art.* 2. *S. Thomæ*, videlicet quod in primo instanti suæ animationis & infusionis animæ rationalis Deipara fuerit sanctificata & prædita gratia sanctificante: & quid quæso dicent? & non ne in suo silentium imponent summo pudore suffusi & capite inclinato, quando viderint eo ipso tempore quo priores dicti, S. Anselmus, S. Bernardus & Rupertus Abbas, alios coæuos istorum contrarium expresè pronunciauisse: atque his multò grauiores antiquiori tempore, & primis sæculis viciniores, nec non in numero valdè excedenti?

2. Ad rem veniamus & dicto ex tot capitibus claudicanti, S. Anselmi opponamus dictũ S. Isidori Archiepiscopi Thessalonicensis, & dum his ex Bonosio dixit, Virginem in iniquitatibus vtique conceptam, audiant hunc sanctum Archiepiscopum dicentem de Deiparente oratione de ingressu Virginis in Templum [sola de se ipsa potest affirmare, solam non in peccatis concepit me mater mea,] & si Rupertus Abbas in eodem modo loquendi cum Anselmo consentit. Nec se satis explicauit in contextu, & aliis quam pluribus locis; legatur Hugo de sancto Victore qui floruit paulò post Rupertum, videlicet vndecim annis teste Bellarmino qui omnino euertit eius sententiam *lib.* 3. *Miscell. cit.* 113. vbi inquit de Beatissima Matre, [in hoc enim se immunem, esse in conceptu ostẽdit ex illo præscripto Prophetico, ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.] Optasne lector, quærisue Aduersans clariora verba euertentia assertum Ruperti?

3. Et si Bernardum tandem obiicis ad Lugdunenses scribentem Virginem absolute in peccato conceptã, nec vtentem, sed alludentẽ ad versiculum psalmi, lege in ipsum Bernardum, alium Bernardum in 4. sermone super salue, enunciantem: [innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te:] qui iterum repetit citans Augustinum; [ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte actualis peccati: eâ ergo solâ excepta cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Ioannes, si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est? Ego quoque pia fide opinor in vtero matris suæ ab originalibus & absolutam peccatis, nec vana est fides & opinio falsa: denique & rationes & auctoritates inueniuntur isti adstipulantes.] At si vt annui, neges hunc esse Bernardum Abbatem; accipe & tene esse S. Bernardum Archiepiscopum tempore ipso S. Bernardi, Toletanæ Ecclesiæ, cuius manu exarati sunt hi sermones & seruati vsque ad annum 1110. à Iuliano Petro in suo Chronico, hoc testante prout in Trutina breuiori allegatur propriis verbis. Euertit autem hic dubium sensum S. Bernardi Abbatis nouiter inuentus S. Bernardus pro Immaculata Conceptione, prout notat Heribergh. in Epistolicis dissertationibus epist. 15. qui refert vetustum hunc Iulianum typis editum opera Illustrissimi Domini Don. Laurentij Ramirij de Prado supremi Hispaniarum Senatus Consiliatij Regiique ex legati: quia & hic Bernardus Toletanus in Ecclesia Eminentia dignitatis præcellebat, & cum dicetur deuotiùs incubuisse celebritati Conceptionis in sua præcipua Ecclesia Toletana ex relatione Iuliani eiusdem, maioris ponderis fuit hæc auctoritas illa priuati Scriptoris. Nam supponitur quod vel ante huiusmodi Sanctum Præsulem, hæc celebritas solennis erat quod certè actum non fuisset sine communi Doctorum aliorum consensu, vel ipsemet S. Bernardus eam introduxerit, quod certè sine simili virorum Doctorum sententia non egisset: atque adeo valdè pluris hæc auctoritas fuit, illâ sancti Abbatis Claræ Vallensis, qui super re non ampliùs meditatus fuerat, quam equisitum erat ad respondendum litteris Lugdunensium super eum ipsum consulentium. Quare clare liquet è conspectu tantæ auctoritatis oppositæ, priorem trium dictorum Patrum pœnè euanescere. Similiter si sermo de Cœna Domini & de Beata Maria non est Bernardi, erit alterius similis ipsi.

4. Nec euersio demonstrata capita hæc tantummodo suæ euersionis experitur, sed multò maiora quæ sibi obueniunt ex multitune Patrum & Ecclesiarum qui illo ipso tempore, quo Anselmus, Rupertus & Bernardus Abbas de re hac dubitare visi sunt, sensum maculatæ Conceptionis propulsarunt: nam contra diuinitus sensit S. Ecclesia Anglicana quæ antequam Anselmus scribit librum (cur Deus homo) & de conceptu Virginali in Italia, celebrabat festum Conceptionis ex testificatione miraculi, quod contigit Helsimo, seu Herluino Abbati & multitudinem hominum submersioni maris proximorum, in qua re certè conuenire dicti viri in eo casu consulti, & verosimiliter Rex ipse Angliæ qui Helsimum

mum, seu Herluinum miserat, cui in primis narrauit idem Helsimus miraculum.

5. Quibus adde quod constet ex Epistola Anselmi ad Episcopos Angliæ festum Conceptionis ante Anselmum celebratum fuisse, prout notauit etiam Baronius in Martyrolog. 8. die Decembris, & antecessor eius in Archiepiscopatu fuit Lantfrancus, qui primo censendus est hoc festum approbauisse in Anglia, quique fuit sanctissimus vir & in doctrina excellens & conuicit Berengarium, præsentiam Christi Domini negantem in Eucharistia, eumque adurere fecit scripta sua contra Catholicum dogma exarata.

6. Ad euidentiam autem videtur hoc constare quantum ad correspondentiam temporis, quo celebritas ista cæpit in Anglia ante assumptionem Anselmi in Archiepiscopatum Cantuariensem; nam Guilielmus comes Normannorum coronatus fuit Rex Angliæ ab Aldredo Archiepiscopo Eboracensi die 11. Octobris anni 1066. & non à Stigando, qui erat Archiepiscopus Cantuariensis intrusus eo tempore & à Sede Apostolica ab munere suspensus, nec habitus habere liberam iurisdictionem: nec enim & tunc euenerat miraculum Herluino Abbati; ita vt circa id tempus festum potuerit attribui isti Stigando; & rursum etiam si eo tunc accidisset, neque Rex Angliæ, neque cæteri digni viri qualis erat Herluinus, seu Helsimus Abbas ad eum accurrissent propter eiusmodi festi institutionem, cum de eius omnimoda dispositione & abiectione ab Archiepiscopatu eo tempore ageretur vsque ad annum septuagesimum: quando assumptus est in Archipiescopatum Cantuariensem Lantfrancus ex Abbate Cadomensi.

4. Quod autem circa tempora dictæ Assumptionis suæ euenerit miraculum Herluino, seu Helsimo, patet, quia non statim Rex Angliæ Guilielmus misit Helsimum in Daciam. Sed postquam audiuit ibi parari prælium contra Angliam, qui belli apparatus certè tempus non exiguum requisiuit, cum classis paranda esse deberet maritima & magna contra Potentissimum Regnum, iure susceptum ex institutione & testamento S. Odoardi Regis & ab Apostolica Sede confirmatum ipsi Guilielmo. Post hæc missus fuit Helsimus Abbas, qui bellicum apparatum exploraret, atque hunc non omnino publicum; nam vt refertur in Epistola Anselmi illuc Helsimus perrexit, cum donis ad placandam gentem illam & pro amica habendam. Dum autem hi apparatus ordinarentur, certè anni temporis intercesserè ex initio Regni Guilielmi vsque ad reditum Helsimi è Dacia in Angliam; nam aliqui anni interceserunt antequam mitteretur & cùm in eodem Regno sciatur Helsimus moratus, & cum proceribus regni conuersatus, à dicto anno 1066. in fine vsque ad reditum suum, in Angliam, certè tres vel etiam quatuor, si non plures anni intercesserè: nam scribitur in lect. 1. Officij: [Rex Daciæ secum illum non paruo timore retinuit,] vnde institutio festi Conceptionis debuit incidere cum tempore assumptionis Lantfranci in Archiepiscopatum Cantuariensem, vel versus ea tempora agnoscere sui initia, & per consequens apertissimè Lantfrancus credendus est maximè fauisse, vel instituisse festum hoc in Anglia, posito quod receptum sit, & in historia patet, quod ante sanctum Anselmum videlicet post reditum Helsimi in Angliam, festum hoc celebrari ibi cæperit: & si, vt dicunt Aduersarij, sanctus Anselmus voluit Virginem maculatam peccato in Conceptione, quia in Italia scripsit librum (cur Deus homo) in quo Bonosius eam dixit conceptam & natam in peccato; hoc omnino reprobatur propter euidentiam miraculi Helsimi sibi eo tempore cogniti vt videbimus paulò post, nec non quia doctos viros in celebritatem Conceptionis merito venisse; viderit; & præsertim Lantfrancum, suum antecessorem virum sanctitate & doctrina celebrem in Concilio etiam Romano, in quo interfuit, & adiuuit Pontificem Nicolaum II. in condemnatione vltima Berengarij.

8. Solum hic posset dici, quod non constat in Ecclesia Cantuariensi celebritatem Conceptionis ante Anselmum solennem fuisse, sed in aliqua parte Angliæ, & in monasterio tantum Beccensi vel Rhemensi vbi fuit Abbas Herluinus, seu Helsimus: nam in eo celebritatem hanc memorant tantum ipsum constituisse, vt patet ex Epistola Anselmi ad Episcopos Angliæ, sed quamquam hoc verum sit, nihilominus constat quod Helsimus siue Herluinus, vt in dicta Epistola dicitur, quæ audiuerat & viderat quibus potuit notificauit: & cum sanctum Nicolaum viderint etiam nautæ & qui erant in naui & se liberatos à magna tempestate & proximis syrtibus viderant, absque dubio tantum miraculum omnibus prædicauerunt; quare tota Anglia peruulgatum fuit, & receptum incunctanter ex tam multiplici testimonio, nec potuit non celebrari ex eo tempore multis in partibus Angliæ, & præsertim in Cantuariensi Ecclesia, quæ erat prima inter ceteras Anglicanas & in qua erat Regis sedes, ad quam Herluinus, seu Helsimus peruenit, vt Regi patefaceret quæ in legatione peregisset si autem Helsimus, seu Herluinus eo tempore, vt ibidem dicitur præerat in Cœnobio Beccensi & in eo quoad vixit, celebrari fecit, Officium Conceptionis; ibidem illud celebrauit S. Anselmus qui erat Monachus & Prior eiusdem Monasterij eo tempore provt refertur in eius vita: nam is natus est anno trigesimo supra millesimum: & vigesimo septimo ætatis suæ factus est Monachus in eodem Monasterio Beccensi, in quo officium Prioris exercebat Lantfrancus, cuius consilio & instructione Anselmus Monachatum elegit, eoque magistro & consiliario multum in perfectione perfecit; & assumpto Lantfranco in Archiepiscopatum Cantuariensem, in eodem Monasterio remansit: quare ibidem degebat & degit tum anno septuagesimo eius sæculi, in quo assumptus fuit Lantfrancus; tum posteriori quando verisimiliter Lantfrancus ex relatione Herluini siue Helsimi, Abbatis Monasterij, in quo ipse nutritus fuerat, in Ecclesia Cantuariensi instituit eiusmodi festum quòd apertiùs confirmatur, quia in primitiuo Officio de hoc festo dicitur, [in Occiduis regionibus valdè celebratur, atque per totam Angliam

Britan

Britanniam, Daciam, Normanniam, Germaniam magna cum deuotione colitur: colendúmque per omnes mundi partes Deo gratias largiente portigitur, illud nimirum deuotè celebretur: & omne Officium quod in eius Natiuitate agitur, in hac eius Conceptione agatur, sicut & inuitatorium, & Antiphonæ, & Lectiones: atque responsoria in natiuitate dicuntur, ita in hoc festiuo die Conceptionis dicentur:] Quod pariter etiam certus sit, quia S. Anselmus in libro de Conceptione Beatæ Mariæ initio testatur, quòd festum Conceptionis suo tempore multis in locis celebrabatur: quod non potuit contingere, nisi quia post miraculum, quod Herluino contigit; festi celebritas successiuè in varias regiones extensa est: & primùm omnium in Anglia, & Ecclesia Cantuariensi: quamobrem dubitari non debet quod tempore Lantfranci hoc festum celebratum fuerit in Cantuariensi Ecclesia, & alibi Lantfranco scilicet approbante, qui vt erat eiusdem animi cum Anselmo, non potuit Anselmus, si ipsemet celebrauit præsertim in Monachatu festum Conceptionis, sentire cum Bonosio sanctissimam Virginem in peccato conceptam, dum illum dialogum scripsit in Italia iam Archiepiscopus: vel si ita verè sensit, quia festum hoc ignorauerit, vel maturè cætera non discusserit occupatus in variis persequutionibus quas passus est ab initio sui Archiepiscopatus à Guilielmo II. Rege Angliæ, qui quærebat à se & cæteris Præsulibus pecuniæ summum pro eorum inuestituris; dum deinde in Angliam rediit Archiepiscopus potuit Melius callere cuncta: & iterum è Gallia discedens, reuocauisse suum sensum visus est manifestè, in libro [de concepta Virginis,] Lugduni composito: vbi eam puritatem concedit Virgini quâ maior sub Deo nequit intelligi; quod dictum valdè oppositum est illi Bonosij, quòd Virgo fuerit in iniquitatibus concepta & nata, & ni ante dictum suum discessum ab Anglia scripsit ad Anglicanos Episcopos pro Immaculata Conceptione, id egit post secundum suum redditum, quando pacificatus cum Guilielmo Rege pacificè rexit Ecclesiam suam, & Primatis exercuit imperium in Episcopos, qui antè ei restitere Guilielmo Rege ipsum exagitante, vt Edinerus scribit.

9. Nec sit nouum, nec sine fundamento dictum putetur quòd annui, sanctum scilicet Anselmum & Lantfrancum fuisse Monachos sub Abbate Herluino in Monasterio Beccensi & Anselmum in eo Monasterio degisse, postquam Herluinus à Dacia regressus est in Angliam; & celebrauit vsque ad finem vitæ & celebrari fecit in eo Monasterio festum Conceptionis. Nam in Epistola Anselmi ad Episcopos Anglicanos, alij legunt Helsimum, alij Herluinum. Et Herluinus certum est quod fuit eo tempore Abbas Monasterij Beccensis, cui successisset in Abbatia sanctus Anselmus, cuiusque Prior in Monasterio fuerat Lantfrancus, antequam factus fuisset Abbas Comiensis, eique successit in Prioratu Anselmus, & deinde in Abbatia Herluino. Quare cùm consentiat nomen, & tempora, & in Epistola maximè nominetur Monasterium Beccense, non potuit non esse nisi Herluinus hic Abbas, sub quo Monachus fuit Beccensis sanctus Anselmus operâ & consilio Lantfranci, quique nomine Guilielmi Regis Daciam petiit, ad inuestigandum de bello parato contra Angliam: Consentiunt enim tempora, quia Abbas missus à Guilielmo in Daciam fuit post annum sexagesimum sextum illius sæculi quo certè viuebat Herluinus in Monastetio Beccensi Abbas. Quod ostenditur, quia Anselmus anno, vt diximus, vigesimo septimo ætatis suæ, sub eo habitum monachalem suscepit in dicto Monasterio, prout refert Edinerus in eius vita à Siuio edita, & post tres annos sub eodem Abbate in locum Lantfranci fuit electus eius Prior; videlicet sexagesimo anno sæculi, quia trigesimo natus est. In Prioratu autem vixit Anselmus longo tempore viuente Herluino, vt patet ex eius historiâ, cùm valdè multa de eo narrentur hoc tempore, & maximè sciatur quòd in Prioratu duraverit vsque ad tempora Lantfranci Archiepiscopi, qui postquam multum temporis exegerat in Anglia, refertur quòd quæ dubia habebat de Anglis, dissoluta habuerit ab Anselmo eo anno, quo absoluerat Prioratum & factus fuerat Abbas, quando ipsum Lantfrancum adiit, cùm ad eum conueniendum, quem vt Patrem habebat, tum etiam ad consulendum bonis Monasterij sui Beccensis, quæ erant in Anglia. Quo liquet Herluinum superuixisse supra annum septuagesimum illius sæculi, & sic benè potuisse quantum ad temporis correspondentiam legatione fungi pro Guilielmo in Dacia, & agnosci regressum in Angliam & in suum Monasterium Beccense.

10. Neque obiicias quòd Monastetium Beccense erat in Normandia, nec nisi ex Anglia Guilielmus creditur suscepisse Abbatem ad legationem Daciæ: atque adeo non Herluinum dictum, sed alium. Nam cum ipse Guilielmus esset Normannus, ex Normandia potiùs suscepit hominem fidum, qui se quasi connaturalem respiceret Dominum; & vereri poterat de Anglis quos nouiter suo subiugauerat imperio; & patet ex eo quod refert Baronius ipsum prima munera regni contulisse Principibus Normannis, de quibus scilicet eo initio magis fidebat, vnde de hac eorum Normannorum promotione, Angli querebantur. Quare valdè congruum est, quod ex Monasterio Normandiæ, & non Angliæ Abbatem eligeret ad perficienda secreta cordis sui: nec non quia Herluinus erat vir opulentus, qui suis expensis à fundamentis erexit cœnobium Beccense, vt refert Edinerus. Et erat ex hoc cognitus Guilielmo, qui erga hoc Monasterium erat propensus, cum ex eo Monachum elegerit Lantfrancum in Archiepiscopum Cantuariensem, & filius eius deinde Anselmum ipsum.

11. Nec rursum dubitari debet quòd de

Abbate cœnobij Rhemensis sit historia non Beccensis, quia non est vllo modo putandum quod Guilielmus è Monasterio extra suam ditionem Abbatem sumpserit ad tractandum negotium Regni Angliæ, cum illo Galliarum de reliquo æmuli: nec non etiam quia de cœnobio Rhemensi vtpote etiam remoto non constat, sicuti de Beccensi, quod esset Regi cognitum; dum ergo de Beccensi reperiatur scripta historia de eo est verificanda, pro qua sunt tot indicia, quæ concernunt ad tractationem negotiorum pertinentium ad conseruationem statuum.

12. Quæ autem dicta sunt, vide in Anselmi vita, qui primo vt diximus sub Herluino professus est, nam refert Edinerus. [Anselmus sęculo relicto Beccis Monachus factus est, anno ætatis suæ vigesimo septimo. Regebat eo temporis cœnobium Dominus Abbas Herluinus vir grandæuus & magna probitate conspicuus:] & deinde: [Lantfrancus gradum Prioris obtinebat,] & de Anselmo prosequitur dicens: [ita per triennium semper in melius proficiens, magnus & honoratus habebatur: venerabili autem Lantfranco in Cadomensis cœnobij regimen assumpto, Prioris officio functus est,] & de hoc tempore vsque quo in Abbatem fuit electus loco Heluini in morte eius refert, [libros qui ante id temporis nimis corrupti vbique terrarum erant: nocte corrigebat:] rursum narrat Iuuenem Monachum, à se abhorrentem, ita blandimentis suis, tolerantiâ defectuum, & permissione eorum, quæ ordini non obstabant, ita sibi deuinxisse vt se Anselmo dirigendum totum tradiderit, & monita eius susceperit, moresque suos composuerit; & paulatim ad eum perfectionis gradum eum detulerit, vt de eo Osnero nomine referat Edinerus: [quid ille? æquanimiter cuncta sustinet (quæ scilicet mortificationis causa circa eum exercebat, etiam cum verbetibus) confirmatur in proposito Religionis, feruet in exercitio discendæ omnis sanctæ actionis, suffert patienter aliorum contumelias, opprobria, detractationes, seruans erga omnes affectum sinceræ dilectionis:] Et narrat hinc Anselmum concepisse, spem, eum ad magnum Ecclesiæ fructum proficere, cum tamen mors ei superuenerit: Quare ad aliquam maiorem ætatem saltem quatuor aut sex annorum ad tantum culmen perfectionis ascendit Osnerus, vt posset congruè dici deuenisse ad tantum gradum, & cum tanta firmitate in perfectione acquisita, quæ magnum in Ecclesia futurum ipsum ostenderet: nam tempore, quo Anselmo infestus erat, adolescendulus dicitur ab Edinero. Post mortem item eius Anselmus integrum annum sacrificauit pro illo. Post hæc quia vndique ad eum omnes accurrebant, & diuersa diuersorum negotia fatigabant, Prioratum voluit à se abdicare, sed renuit Archiepiscopus Rothomagensis quem consiliarium adhibuit, isque ei prædixit nouam præfecturam, quam non respuere ei præcepit. Vnde rediit ad munus suum. Post hæc in Angliam perrexit rogatus à grandi viro, & post reditum circa illa tempora scripsit, [de libertate arbitrij, & de casu diaboli;] nec non alium librum edidit nominatum *Prosologia*. Et præterea ait Edinerus, [inter hæc etiam scripsit complures Epistolas,] & deinde ait post multa de eo relata, [talibus studiis intendebat, in istis Deo seruiebat, per hæc bonis omnibus valdè placebat. Vnde bona fama eius non modo Normandia tota est respersa, verum etiam Francia tota, Flandria tota, continuaque his terra omnis; quin & mare transiit, Angliamque peruenit:] & pauco interuallo [crescit cœnobium illud intus, & extra; intus in sancta religione extra multimoda possessione:] & de Herluino notat inter hæc peruenisse ad ætatem decrepitam vt, [quicquid agit oporteret, sub Anselmi, vt pote Prioris, dispositione fiebat:] Quare in his narratis plusquam quindecim vel etiam viginti anni intercessere à receptione Anselmi in Monasterium vsque ad mortem Herluini, post quam creatus fuit Abbas Anselmus. Vnde benè hic Herluinus potest censeri ille qui missus est à Rege Guilielmo Daciam, & festum Conceptionis celebrari fecit vsque ad mortem in cœnobio hoc Beccensi, in quo Prior erat Anselmus & post modum Abbas. Id quod confirmatur, quia de Anselmo, tempore, quo Abbas fuit vsque ad nonagesimum tertium annum illius sæculi, sexagesimum tertium suæ ætatis, non ita multa referuntur ac priora. Et sic vix decem aut paulo plures quàm decem, degit annos in Abbatia à qua assumptus fuit ad Cantuariensem Ecclesiam dicto nonagesimo tertio anno pridie nonas Martij prima Dominica quadragesimæ teste Edinero. Quamobrem de eo videtur constare, quod simul cum Herluino & Lantfranco celebrauerit festum Conceptionis, & quòd omnino Lantfrancum præhabuerit huius festi institutorem, & promotorem, vel seruatorem: quo patet quanta auctoritate festum hoc fuerit in Ecclesiam Anglicanam introductum, & euertitur hinc omnino, quicquid contra obiicitur ex ipso Anselmo, Bernardo & Ruperto, causas huius festi duobus vltimis omnino ignorantibus: nam Bernardus dixit eius fautores fuisse imperitos.

§. II.

Notantur aliæ Ecclesiæ præter Anglicanam, quæ celebrantes eo tempore Conceptionem Beatissimæ Virginis, euerterunt magis dictam paucorum Patrum, quòd ea fuerit in peccato concepta.

1. COnstare debet vt certum, quod præter Anglicanam Ecclesiam circa illa tempora vel antecedenter, celebrata fuit Conceptio

Conceptio Dei matris in aliis Ecclesiis, & in Gallia quidem & Germania constare potest, quia Beatus Nortbertus Magdeburgensis Archiepiscopus ex reuelatione Virginis, celebrauit hoc festum, & officium in eiusmodi celebritate instituit seruandum in sua Religione Præmonstratensi, vt patet ex Missalibus & Breuiariis in principio Ordinis, prout habes, teste Neribergh, apud Magistrum Bernardum Legionensem Vitis Abbatem in Prologo primæ partis suorum Opusculorum: nam in quodam Officij versiculo habetur, [Aue Virgo Spiritu sancto præseruante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphasti innoxia;] & cum Ludouicus X. Francorum Rex anno 1145. refundat in quadam priuilegio institutionem Ordinis Præmonstratensis in apparitionem Deiparæ, quæ vestem coloris albi perscripsit Nortberti Religiosis, in signum Immaculatæ Conceptionis, ostendit quòd in Gallia celebrabatur hoc festum saltem in Religione Præmonstratensi, & à simili in aliis Ecclesiis, in quibus saltem certè laudabatur & acceptata fuit talis institutio, Verba priuilegij sunt quæ sequuntur: [Mistico spiramine ac Beatissima, & Gloriosissima Virgine Maria Christi Domini nostri Matre reuelante per pium illius Ordinis Patrem, primumque institutorem Nortbertum virum quidem vitæ sanctimonia, multisque coruscantem, & clarascentem miraculis, nascitur institutus, atque illi candidus dicti Ordinis habitus in honorem suæ purissimæ Conceptionis pariter; atque locus in pago Laudensi per eamdem Beatissimam & Gloriosissimam Virginem Mariam, vbi Præmonstratense Monasterium Præfati Ordinis caput & fundamentum constitui deberet, Præmonstratus; vnde Præmonstratensium Ordinem sibi nomen sumpsisse, multis authenticis documentis historiisque probatissimis compertum est.] Expeditum item fuit aliud priuilegium à Carolo VIII. 1475. in quo sic scribitur de S. Nortberto;] Habitum tamen album iam deliberauerat assumere, de quo à Beata Virgine admonitus fuerat aspiciebat enim in honorem suum, & suæ purissimæ Conceptionis candidum ordinem præparari; ideóque aliquando dictum est ab ea, Nortberte accipe candidam vestem. Qua factum est, vt locum & habitum sancto viro mirabiliter præmonstraret.] De quibus vide Bernardum de Leon in Prol. ad Lectorem 1. par. Opusc. vbi citat historias prædictæ Religionis, ab Hugone discipulo S. Nortberti habitas; & traditionem vniuersalem Religionis. Pro quo vide etiam Bernardum, tract. de Concept. dist. 3. fol. 56.

2. In Belgio similiter celebratum fuisse eo tempore festum Conceptionis liquido constat ex duobus diplomatibus Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ teste Miræo apud Neribergh cap. 26. in suis exceptionibus Concilij Tridentini & Georgio Coluenerio in Kalendario 8. Decembris & in primo dicitur, [actum in solennitate Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ anno 1195.] & in secundo, (actum mense Decembri in Conceptione Gloriosæ Virginis Mariæ anno 1195.) quæ acta ostendunt hoc festum fuisse vniuersale in Belgio, non enim signatus fuisset eorum dies hoc festo, si illud celebrauisset vna vel altera Ecclesia illius Regni, vel aliquis Ordo Religiosus, vel etiam hæc vel illa Ciuitas: nam apud ceteras ignoraretur quis hic dies esset, qui non esset communiter in regno notus, cum præsertim in primo Acto non memoretur nec mensis nec dies suæ publicationis.

3. In Italia item celebratum fuisse idem festum apud Aquileiam, patet ex Archiepiscopo & Patriarcha Aquileiensi; cui Beatissima Mater hoc præceptum imposuit teste S. Anselmo in Epistola ad Anglos Episcopos, quæ in suo loco integra recitabitur, & rursum patet ex Adriano 4. Anglo, de quo Possevinus in apparata sacro litt. A. notat. [scripsit ante Pontificatum de Concept. B. Virginis Mariæ ad Petrum Pontiniacum lib. 1.] quod argumentum est hoc festum etiam in Italia, ne dum in Anglia receptum eo tempore fuisse, vel non abiectum.

In Tolosana item Ecclesia celebratum fuisse hoc festum à Gondisaluo Archiepiscopo constat ex Officio Conceptionis approbato à Sixto IV. quod habes in Cisnontana familia in regesto pag. 80. vbi dicitur, [de beato enim Gundisaluo Archiepiscopo Tolosano, qui propter singularem erga Dominam nostram deuotionem, eius Cappellanus appellatus est, legitur quod quotiescumque celebrabat, aderat ei Virgo benedicta. Cùm autem in die Conceptionis eiusdem se ad sacrosancta Missarum solennia præpararet, apparet illi Dei genitrix Maria, eique vnam mundissimam planetam niueo candore radiantem tradidit, dicens. Scias Gundisalue me sine originali macula fuisse conceptam; reuerenter igitur festum intemeratæ Conceptionis meæ, celebrare procura. Archiepiscopus verò non surdus auditor composuit pulcherrimum de Conceptione Virginis tractatum, ordinauitque festum Immaculatæ Conceptionis per totam Hispaniam solemniter celebrari, totóque vitæ suæ curriculo annuatim publice de Conceptione Beatæ Dei genitricis, omni qua potuit eloquentia perorauit, [quomodo autem Tolosana Ecclesia eo tempore pertineret & præesset Hispano regno, alias differemus: pro qua re legi potest Salazarius cap. 35. n. 50.

4. Nec dubium est quòd celebrata fuit Conceptio sanctissimæ Virginis in Toletana Ecclesia auctore S. Bernardo Archiepiscopo eius, prout supra vidimus, imò hæc certa relatio confirmat illam, quæ habetur in eadem Ecclesia de S. Ildephonso, quod iam itidem celebrauerit item festum dum celebrauit festum Natiuitatis, quia in relatione S. Bernardi iam dicti dicitur quod ipse deuotiùs celebrati fecit festum Conceptionis: quare videtur supponi quòd ante ipsum celebratum fuerit: & rectè ad S. Ildephonsum reducitur item celebratio, quia ipse visus est celebrauisse Conceptionem sanctissimam simul cum eius Natiuitate ex eo quod scripsit: [dies quando inchoata est felix Mariæ Natiuitas beata prædicatur & sacra Religione colitur:] Natiuitas autem Virginis certum est quod fuerit inchoata in sui Conceptione, non in egressu ab vtero: & iterum serm. de Natiuitate, [in hac siquidem die competenter

Beatissima Virgo Maria sponso illi cœlesti proclamat, tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti me & cum gloria suscepisti.] quæ verba non congruunt natiuitati, nisi per ea dicatur quod ante illam à tempore Conceptionis & primi sui esse vsque ad exitum ab vtero matris, Beata Virgo præseruata fuerit & deducta à Deo in sua gratia.

5. Quod autem hæc duo mysteria, simul celebrari consueuerint à Sanctis patet ex Missali sancti Isidori in Mozarabe Missali, vbi Sacerdos ad populum in festo Natiuitatis aiebat, [quique matrem seruauit à corruptelæ contagio, signum vestri cordis emaculet a peccato;] & rursum ex Leone Imperatore oratione de Natiuitate vbi subscripsit, [O Conceptionem partumque ac infantem quibus exitiosus peccati partus elanguit, salutisque multa prole innotuit,] quo loco in Conceptione simul & Natiuitate dixit elanguisse peccatum; & Georgio Metropolita. serm. 3. in quo pro titulo habuit, [Oratio in Conceptionem & Natiuitatem sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis :] & idem vsurpauisse Damascenum & Andream Cretensem notatur cum Fulberto Carnotensi apud Græcos; & de facto notat licet nobis Aduersarius Franciscus Combefis Dominicanus, compilator auctarij Bibliothecæ Græco Latinæ in notis ad sermonem primum Georgij Metropolitæ, cui titulus est ex Neribergh in oraculum Conceptionis Deiparæ sanctæ. Vbi pro hoc adducit Andream Cretensem, Germanum Constantinopolitanum, & Damascenum & addit [Putem ego vti cæpta est secũda Mariæ Natiuitas ac ex vtero, festis coli honoribus ad instar ac exemplo olim celebris diei natalis sancti Ioannis Baptistæ, ac Præcursoris, cum necdum Augustini tempore ea Mariæ festiuitas ageretur saltem in Occidente aut Africa vt liquet ex eius sermone 10. de Sanctis: ita & primam eiusdem Natiuitatem ac in vtero, quam vulgo Conceptionem vocant.)

6. Proxime item & circa & ante hæc tempora plura sunt testimonia huius ingentis & extensæ celebritatis in Græcia tota dum anno 1166. Manuel Commenus Imperator Orientis meminit huius festi celebrationi dati, scilicet in constitutione festorum vbi ait, (Decembris dies nonus, in quo scilicet Conceptio sanctissimæ Matris Dei nostri celebratur:) & apud Baronium notatur *tom. 12. ann. Eccles. anno 1156. num. 4. fol. 686.* vt refert Neribergh; ante autem hunc Imperatorem per aliquot sæcula tanta celebritate coli hoc festum notat Georgius Nicomediensis *serm. de Concept.* citatus ab eodem Neribergh vt scripserit, & habetur in antiquo dicto, tum primò publicato à Combefis in hæc verba, [cum itaque hodierna festiuitas illustrioribus omnibus solemnitatibus miraculorum in ipsa consummatorum ratione præeat: iisque seu fundamentum quoddam aut crepido supposita; quicquid in illis sacramentorum dispensatum est, pro fundamenti ratione in se colligat: par omnino est aut tamquam principio ac causæ vniuersorum bonorum venerationem ei adhibeamus impensiorique eam gaudio celebremus. Decet planè vt salutis initia honore prosequamur,] & Georgius item Nicomediensis in Meneis die 21. Nou. [Venite ait populi omnes & laudibus celebremus solam Immaculatam, solam Virginem & immaculatam choreas ducant Ioachim & Anna: quoniam ex eis processit fœtus sanctus, Maria Lucifera, diuina lampas: ad te omnino immaculatam missus fuit Gabriel. O sine macula, non coinquinata Dei Mater in cœlo & in terra glorificata:) & in oratione de Conceptione & serm. de præsentatione; similia in hanc rem de qua alibi; quo apertè patet hoc festum Conceptionis in Græcia latè patuisse & magna solemnitate extensum ante tempora Anselmi, & pietate & imperio Imperatoris etiam Leonis honestatum: qui de eadem Immaculatione Conceptionis scripsit, & in suo Imperio extensum supponit, nec controuersiis nostris expositum, aut vllis aliis. Quo Aduersarij tandem è somno resipiscant, & animaduertant si paucula verba summè dubia trium dictorum Patrum ad maculandam animam Virginis vero peccato, etiamsi certè eam maculassent; animaduertant inquam, an penitus atque penitus euertantur ab auctoritate tot Ecclesiarum in contrarium, & ex diametro contra ipsum sentientium, quæ certè sanctissimos homines habuere Doctores sapientiâ præstantes, nec solum nominatos, sed alios innumeros qui in eisdem Ecclesiis secum sensere & floruere per sæcula quorum aliquos in sequenti §. recensebimus.

---

§. III.

Recensentur Patres, qui circa tempora Anselmi, Bernardi & Ruperti in magno numero euerterunt dictum Deiparæ concepta in peccato explicitissimè, simul cum aliis multo prioribus antiquioribus & in numero valdè excedentibus.

1. NOn solum euersionem sui habuit dictum de Virgine in peccato ex numeratis Ecclesiis, sed frequentissimè ex Patribus circa eadem tempora & superiora; qui hic adducendi sunt non omnes, sed ij qui è diametro oppositi sunt, & euerterunt hoc dictum: neque hic numero Hugonem, Bernardum, Toletanum & Isidorum, sicut & Northertum iam citatos, sed primo Beatum Iosephum Hermanum qui in expositione Canticorum iussu Virginis composita, vocans Deiparam rosam sine spina & columbam sine felle, eam ab originali vindicat prout habetur à Bernardo Leonino Opusc. 10. & Philippo Quintanilla in Epistola ad Philippum Regem & nos trademus cum de sensu Patrũ latè in simili dicto apud Sedulium & Adamum Victorinum, cui dicto annec-

cte aliud quo cecinit; [tu es rosa singularis, sola rosa tu vocaris:] quia scilicet tota in gratia sine vlla priuatione gratiæ, & sine vlla spina peccati: nam aliter non esset tota rosa sed partim spina, & rursum, [Mater Dei Virgo pura, pulchra nimis intus foris,] atque adeo quæ nullibi & nullo tempore fœdata fuisti, atque adeo sine originali & tertio: [Gaude Virgo numquam arens, [arens autem fuisset in ortu in quo notatur in Scriptura, & vt Virga scribitur in Isaia, & ad quam alluditur dum dicitur Virga: videlicet recta, orta & admirabiliter orta, quæ talis non fuisset si in originali fuisset animata & adhuc [tu in eo verè tota, fixa manens, & immota; & iterum: [Gaude lux indefectiua, tenebrarum expulsiua,] & alias,] nusquam absque pia Trinitate es Maria.]

2. Petrus item Blesensis eo tempore serm. 2. de Assumptione: [ab Angelo Benedicta esse dicitur quasi à primordiali maledicto liberata.

3 Petrus Cellensis Episcopus Carnotensis in Epist. 10. lib. 9. ad Nicolaum Monachum sancti Albani: Credo, dico, assero Beatissimam Virginem nostram in æterna prædestinatione singulari priuilegio munitam, nec à sua Conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse, & permansisse illibatam; & sicut beatam, supra humanam & ceterorum hominum naturam, sic secreta & incognita manet vltrà omnium notionem.

4. Adamus Victorinus hymno de Virgine & familiaris sancti Bernardi: [Salue mundi sacra parens, flos de spinâ spina carens.]

5. Goffridus Abbas postea Vindocinensis, & Cardinalis serm. 3. [Christus de Virgine carnem in Virgine non quidem de Adam peccatore, sed vnde Adam iustus, animam suscepit; [& rursum, [habitauit in nobis ideſt in carne nostra, secundum carnis proprietatem & non secundum peccati originem ipse enim in sancta immaculatam, in immaculata matre animam suscepit & carnem.]

6. Ipse Nicolaus de sancto Albano in dissertatione de ea, & in epistola ad Petrum Cellensem: Virginis ipsius animam pertransiuit gladius non solum olim in folij passione, sed etiam nuper in Conceptionis suæ damnatione. [Atque adeo voluit sine peccato conceptum, quia dictum de se concepta in peccato dixit pertransisse gladium suam animam.

7. Petrus Comestor in lib. de Immaculata Conceptione: [Dicat ergo, dicat Ecclesia salue festa dies, salue dies veneranda Conceptionis, in qua initiatum est sacramentum nostræ redemptionis, per quam extincta est tramea versatilis, & aperta ianua nostræ salutis; gaudeat oro omnis terra in Conceptione tantæ Virginis, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus,] quæ citat Neribergh post communiter citata ex ipso apertè sentiente pro Immaculata.

8. Hildebertus Turonensis in Gallia Episcopus sancto Bernardo coæuus, in Prosa de Natali Domini alludens ad illud: egredietur Virga, dicit de ea: [Virga Iesse florida, [atque adeo in egressu suo sine peccato.

9. Ad cuius instar Matthæus Cantacuzenus in cant. cap. 8. scripsit: [Quæ est ista quæ ascendit in radice, scilicet veluti ramus quidam gratia refertus. Candida ideſt pura, & non inquinata:] quæ cum dicat de Virgine in primo ortu, tollit omnino ab ea incursum in originale formaliter sumptum.

10. Gilbertus Pictauiensis serm. de Maria Virgine, enunciat de illa: [purissima fuit ab omni malitia & immunditia, affirmante Scriptura, quod in maleuolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis;] & sermonem habet de anima & carne: nam præmiserat, [cuius anima & caro, quam elegit, & fecit sibi habitaculum Sapientia Patris:] Et deinde sequitur quod diximus & vt clariùs ostenderet quomodo filius sibi eam construxerit subdit, [ipsa quoque benedicta Virgo à filio suo præseruata, potest dicere illud Iudith 23. non permisit Dominus me ancillam suam coinquinari.]

B. Petrus Mauritius, vel alias dictus Venerabilis, qui correspondentiam litterarum cum sancto Bernardo habuit in Prosa secunda de Matre Domini; [Tu serpentem eiecisti, cuius caput contriuisti:] si autem vicit, non fuit victa, alioqui similis gloria in serpente qui habet simile in ceteris Sanctis, & loquens cum Virgine: [Auroræ lucis præuia & dies noctis nescia,] & in Versibus, [ad antiquam originem redit homo per Virginem;] nec si aliqua creatura humana vt ipsa caruit originali potest hoc verificari.

12. Guerricus Abbas Igniacensis serm. primo de Assumptione: [nihil contemplatur supra se mater, nisi solum filium, nihil miratur supra se Regina nisi solum Regem;] miraretur autem puritatem illibatam Angelorum si originali fœdata fuisset, & serm. de Natiuitate, [illa sanctorum sanctissima quæ nihil purgandum habuit,] cum ceteri scilicet etiam sancti Innocentes habuerint in quo purgarentur.

13. Honorius Augustodunensis æqualis & Conciuis Bernardi 2. Cantic. [Immaculata mea ab omni sorde peccati segregata,] & sordes in Scriptura dantur etiam infanti vnius diei, atque adeo ab ea segregauit eas Honorius, & cap. 1. idem dixerat; [ignorauit maculam sordis,] & paulò antè, [nullas cuiusuis peccati tenebras habuit;] vnde comparauit eam meridiei, & in Præfat. tit. de epist. vocat eam: (Palmam sanctificationis) certè victricem, vt sic cuiusque peccati.

14. Galfridus Antisiodorensis Monachus Cistercienſis sub disciplina Bernardi super illud num. 23. [Orietur stella ex Iacob,] [scripsit, [Mira res humanum genus ex humo factum est etiam ante culpam, & quomodo iam inde stella? Quomodo ex terreno germine syderea proles;] si proles autem cælestis non fœdata peccato est dicenda ex Galfrido, & subdit: [in quo tamen quæ sola solem iustitiæ genuit non humanas tantum,

sed Angelicas stellas supergressa est vniuersas,] & deinde : [nihil ergo mirum si ex humano genere stella ortitur , vnde etiam ortus est sol ille qui numerat multitudinem stellarum :] dum autem Virgo oritur splendens vt stella , tenebris vacat originalis peccati in hoc ortu , alioqui oriretur vt mortua.

15. Petrus de Rìga Rhemensis in Campania Gallus in Euangelia metricè : nam nec maculam natura reliquit in ista ; ad caput à planta transuolat iste decor , peccatum autem naturæ est originale , quod in ea maximè non est permissam à natura ex Petro.

16. Gotfridus S. R. E. Cardinalis serm. 3. [Christus de Virgine non quidem de Adam peccatore , sed vnde Adam iustus animam suscepit ,] atque adeo in Virgine non erat Adam peccator.

17. Ioannes Locharius Italus Anagninus Patria, & Pontifex anno 1198. & Innocentius III. appellatus serm. 2. de Assumptione : [Cum aurora sit finis noctis & origo diei, merito per auroram designatur Virgo Maria , quæ finis damnationis , & origo salutis fuit , finis vitiorum , & origo virtutum;] vbi mitto alios vulgatos.

18. Nec assertiones hæc Patrum magis recentium destitutæ sunt aliis , etiam expressioribus antiquiorum : nam S. Faustus Rhegiensis Episcopus & Martyr , qui respondens ab aliqua obiecta fidei primus qui sciatur in Ecclesia apertissimè quinto à Christo sæculo de Virgine intonuit : [Quæ absque omni peccato concepta est in vtero.] Post sanctum Faustum similiter loquutus est Emmanuel Palæologus iisdem ferè verbis oratione de Dormitione Virginis : [simul atque concepta fuit Beata Virgo , Deus illam gratia implebat.]

19. Nec non sanctus Amphilochius prior illo,& Hieronymo teste non nisi æquandus Gregorio Nazianzeno , & Basilio , oratione scilicet in sanctam Deiparam : [Qui enim antiquam illam Virginem(idest Euam) sine probro condidit,& secundam sine nota & crimine fabricatus est.

20. S. Proclus in oratione de Natiuitate Christi de Virgine inquit , [quam citra vllam sui labem formauerat.]

21. S. Sabbas qui ante 1200. annos floruit die 9. Ianu. Ode septima. [In te primi parentis substitit lapsus , vltra peccandi facultate sublatâ.]

22. Sanctus Iosephus Confessor Siculus , qui floruit sæculo septimo Ode in Cathedra S. Petri, [mors cuius præcipitem cursum reprimere nullus potuit , ad te vsque perueniens attonita stetit.]

23. Ioannes Geometra in Hymno ex Theodosiis, [Gaude primæui libera labe Patris,] & paulo ante [vitij nostri crimine Virgo carens] & rursum , [ex purissima radice & sata à Trinitate.

24. Leo Imperator serm. de Annun. similiter scripsit : [Maledictio figmentum Dei depascebat , sed retroactus & conuersus est mali impetus;idque vi,& obiectu benedictæ.]

25. Hic annumera Georgium Nicomediensem supra allegatum , qui tam grandia scribit de festo sanctissimæ Conceptionis, & S. Ioannem Damascenum die 12. Augusti ; [Equidem videbatis , ô Virgo esse filia Adami collapsi; at re vera eras tu ipsa genitrix Dei eumdem restituens in integrum.] Si autem videbatur esse filia collapsi, non erat.

26. Honorius primus Pontifex in rescripto; [quæ ante peccatum erepta est , non quæ post prævaricationem est vitiata ,] & expresè remouet ab ea : contagium naturæ vitiatæ.

27. Menologus die 25. Martij homil. de Annunc, [sacra Virgo ab ipso vitæ suæ principio , tam omnino esset pura , quam esse puram decebat illam , quæ tanto bono idest Christo digna existeret ,] & 5. Maij Ode 3. de S. Irene : mors instar fluminis ruens , apud te perdidit vires : quo sanè facto permoti primitias te immortalitatis vocamus.

28. Georgius Metropolita serm. de Conceptione : [Hodie terra illustrioribus, supra cœlum gratiæ fulgoribus lætam faciem explicat , augustiùs Cælo spiritali claritate splendet,maiori supra mundi cœlum decore pollet,quippe natum suscipit superius cœlum :] & deinde habet Conceptionem Virginis cohærere cum illa Christi , nec cœlum superius posset dici in Conceptione & comparari cum illa Christi nisi originali esset defœcata. Vbi non adduco S. Andream Apostolum,non S. Ignatium, non Dionysium , non Presiphontem , non Liturgiam S. Iacobi minoris , neque Athanasium, Cyprianum , Nazianzenum , Basilium , Ildephonsum , Augustinum , Hieronymum , Ambrosium & Vniuersam pœne Græcam Ecclesiam : nam hoc est negotium longius , & solum hic ostendere intendimus , quam clarè in tota etiam antiquitate fuerit proclamata ipsa etiam Conceptio carnalis Deiparæ vt pura : pro qua sunt etiam complurimi Patres qui eam denunciantes à Spiritu sancto formatam, hoc ipso eam à peccato alienam faciunt , vt aliàs demonstrabimus : quo patet totalis euersio dicti Conceptionis Virginis in peccato.

DIVISIO V.

Ostenditur quarto , dici Conceptam Beatissimam Virginem in peccato , esse intelligendum de Conceptione carnali , & ratione eius , quia ceteri Patres ab allegatis pro hoc dicto , non nisi carni Virginis visi sunt tribuisse peccatum.

1. VT pateat quarto : Effatum Virginis dictæ in peccato conceptæ , non significasse apud aliquos Patres verum peccatum

in

in anima eius, sed solum in carne, & ratione carnis, ostendendum est ex eo, quia cæteri communiter ad summum carni eius, nunquam animæ, peccatum dederunt: quare priores sunt concludendi loqui secundum sensum communiorem aliorum Patrum, qui hîc recensendi sunt, vt notata veritas demonstretur vlteriùs. Hîc autem non prætereunda est, vel despicienda interpretatio communiter adducta à Doctissimis Viris, quod illi Patres, qui Virginis carni dederunt peccatum, in eaque dixerunt carnem peccati, & naturam eius dixerunt peccatricem, non sunt loquuti de natura, & carne eius in indiuiduo, & vt ad ipsam singularizata, sed solum in specie, quasi dixerint, Christum sumpsisse ex ea carnem peccato obnoxiam, & quod ipsa eadem Domina carnem habuisset peccati, quæ peccatum in se verè non habuit, sed in Patribus; quodque ipsi competeret præcisâ gratiâ & priuilegio, & quia ipsa erat derivata per modum communem ex se delatiuum peccati; qui modus interpretandi Patres optimus est; & de eo nos loquemur cùm debitum proximum contrahendi originale negabimus Virgini. Sed in eo modo confirmando non immorabimur; nam illud damus Aduersariis in præsenti, ne quæstiones immisceamus, & certiora cum minùs certis inuoluamus: vndè solùm aduertimus quod Patres si quando peccatum tradunt Virgini, non nisi carni eius tradunt, & pro statu carnali Conceptionis dictæ seminum non naturæ; vbi notandum quod apud ipsos hæc denominatio carnis peccati in Virgine perseuerat itidem post Conceptionem ipsius carnalem, sed ratione prioris status, cùm eadem sit itidem post animationem, & ante ipsam. Quare non valet inferre quod Christus ex Virgine sumpserit carnem peccati pro signo assumptionis, quando caro erat animata, ergo pro eo signo ea erat infecta originali; sed pro signo tantum Conceptionis, quod secundum, omnes tenentur fateri: cùm præsertim, vt alias videbimus, complures Patres ante Incarnationem prædicent carnem Virginis mundatam & sanctificatâ per extinctionem fomitis, atque adeò non habentem reliquias originalis, & originali omnino extorrem. Ad asserti ergo manifestationem ponderabuntur complures Patres, qui carnis Virginis visi sunt tribuisse peccatum originis; Ij autem sunt sequentes, qui sigillatim afferentur, & expendentur. Et primo Damianus, & Ildephonsus, qui ita dedere peccatum originali carni Virginis, vt denominationem eiusmodi in ea non seruauerint pro statu suæ animationis, sed ad summum pro illo meræ Conceptionis carnalis. Quo confirmatur expositio nostra, & arguitur quod non soli ipsi; sed etiam alij non aliter senserint: licet de Damiano & Ildephonso sit aliàs dicendum, quod ipsi non admiserunt verè in Deiparâ denominationem carnis peccati, vt in sequentibus notabimus ex parte.

§. I.

Recensetur Beatus Damianus, qui expressè loquitur de Deiparæ Conceptione seminum in peccato, & inferre nos facit quod cæteri Patres non de aliâ loquuti sunt.

1. QVod Patres adducti dum Dei genitricem Mariam conceptam in peccato dixerunt, id intellexerint omnino de dicta Conceptione seminum, validè probamus, ex eo quia inuenimus cæteros ex ipsis, quod dum dant Conceptioni eius peccatum, profitentur expressè illud dare carni, non animæ. Sic Damianus de contemptu mundi cap. 19. apertè scribit: [Ex ipsa carne Virginis, quæ de peccato concepta est.] Ex quo loco Damiani ita licet arguere. Dum in controuersia ponitur à Theologis in quo sensu vna propositio, quæ in tribus, vel quatuor, aut pluribus Patribus reperitur, sit accipienda; ad illum est trahenda, qui clariùs exprimitur ab aliquo, vel pluribus aliis Patribus; Sed hæc propositio, quòd Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, ab aliquibus, & multis Patribus accipitur ratione Conceptionis seminum, non verò ex Conceptione eius naturæ humanæ. Ergo ratione Conceptionis seminum est potiùs intelligenda hæc propositio, quod Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali, & non ratione Conceptionis eius, quæ dicitur naturæ. Maior patet manifestè in similibus, vbi Patres minùs se declarant, qui interpretantur secundum quod alibi expressiùs vel ipsimet, vel alij interpretari debent, vt apparet in visione Dei intuitiua, qua videtur negari ab aliquibus, & adhibetur expositio de visione comprehensiuâ, quia alicubi ita se explicant vnus aut alter. Dicto item quod Angeli sunt corporei traditur expositio, quod scilicet habeant sæpè corpora assumpta non à se informata, & sic passim in Theologia. Minor probatur: quia sicuti Damianus, ita alij peccatum, quod tribuunt Virgini in sua Conceptione, tribuunt carni eius in statu Conceptionis expressè, non autem animæ: ergo de tali Conceptione sunt intelligendi loquuti, & per consequens de eadem loquuti sunt alij qui Dei Matrem in peccato dixerunt conceptam. Confirmatur dictum ex eodem Damiano, quia ipse vt videbimus explicitissimè maculas peccati excluſit à Deipara, dum dixit de illa, quod maculas Adæ non admisit: Quare quando peccatum concedit carni Deiparæ in statu certè Conceptionis, & non nisi ad eandem solam Conceptionem seminum illud restrinxit, & nobis ostendit, quod similiter interpretandi sint alij Patres, qui asserunt Virginem sanctissimam in peccato conceptam. Tertio notandum est quod Damianus explicitiùs præfefert verum peccatum formaliter sumptum non voluisse in

Virgine

Virgine, quia eam non in peccato, sed de peccato conceptam in carne voluit, quare quando alij illam dicunt conceptam in peccato, rectè possunt intelligi ita dixisse, quia agnouerint in illa peccatum causaliter non formaliter sumptum, quòd magis exprimitur ex dicto, quòd eius; caro sit concepta de peccato, quia scilicet fuit genita ex semine traducente peccatum originale, & sic propriè de peccato, non in peccato. Qui modus loquendi inuenitur etiam in Bernardo, qui de peccato esse conceptum Virginis affirmat: & in idem venit S. Bonauentura, & alij vt ostendemus, cùm de eius auctoritate. Vbi notandum quòd Damianus neque admisit absolutè peccatum in carne Virginis, nam dixit: [caro Virginis maculas Adæ non admisit;] sed dixit quod de peccato fuit concepta non admittens in ea vllo modo peccatum, sed in concupiscentia parentum suorum tantummodò, quòd benè potest intelligi similiter sensisse alios Patres.

3. Sed dices; esto Patres, qui dicunt sanctissimæ Virginis carnem conceptam in peccato, vel de peccato, non sint existimandi voluisse Virginem conceptam in peccato; tamen non propterea, qui hoc absolutè tradiderunt; absolutè non sunt intelligendi, & restringendi ad Conceptionem seminis, cùm nulla sit ratio huius restrictionis, sed iam data est ratio restrictionis debitæ; & præterea id patet quia fidem Patres aliis locis cùm absolutè ab omni peccato liberam tradant Virginem, ex hoc ipso ne sibi contradicant interpretari debent, quòd cùm peccatum originale tribuunt Virgini, non loquantur de vero formali peccato, sed de causali dicto. Tertio, hoc potest patere ex S. Thomâ, qui ferè interpretans, qua ratione sanctissima dicatur concepta in peccato, id tradit, quia caro eius fuit caro peccati; quare omnino videtur refundere dictum Conceptionis in peccatum, in dictum Conceptionis seminum, non Conceptionis naturæ.

§. II.

Recensetur itidem S. Ildephonsus pro acceptione simili Conceptionis Virginis in statu carnali.

1. DE Conceptione Virginis nonnisi quoad carnem loquutus est etiam sæpissimè Ildephonsus in lib. de Virginit. & partur. Mariæ, qui scribit: [vt verò B. Maria licet ipsa de carne peccati sit nata & procreata;] vbi dum originem suam refundit in carnem, de qua procreata est ipsa Virgo: loquitur de ea carne, quam accepit à parentibus suis, atque adeò de Conceptione carnali, non de ea, quæ dicit infusionem animæ; nam hæ duæ sunt contradistinctæ, & distantissimæ tempore mẽsium, præsertim in fœminæ partu. Quod autem omninò, Ildephonsus loquatur de Cóceptione carnali prout diximus, patet ex antecedentibus & consequentibus; nam in antecedentibus expressè de tali generatione carnis vt sic loquitur, dum scribit: [Non genuit Christum Virgo Dei genitrix ex origine primæ prævaricationis, vt renascatur, sed de Spiritu S.] Quare loquitur de opera organizationis corporis Christi, quam quia sine delectatione constat fuisse, inde ab ea remouet in partu tristitiam, doloré grauedinẽ & similia, & subdit: [quoniam omnia iustissimè damnatæ carnis in prima origine, retributiones sunt & vindictæ:] pœnæ scilicet relatæ & annexæ sine dubio Conceptioni carnali. Quibus subnectit deinde Ildephonsus: [at vero B. Maria licet ipsa de carne peccati sit nata & procreata, ipsáque quámuis caro peccati fuit:] vbi patet expressè de simili procreatione, quantum ad carnem hîc loqui sanctum Doctorem, vbi dicit Virginem fuisse genitam de carne peccati, quòd non potest intelligi nisi pro tempore, vel quo ipsa intelligebatur in lumbis paternis, sicuti de ea loquitur Leo Imperator, & nos vidimus *supra*, vel de eadem ante animationem: quoniam benè notat Bellarm. *supra* ratione partis & carnis denominationem transire in Virginem; confirmat id ipsum, quia subdit Ildephonsus: [Et si caro eius de massa primæ prævaricationis venit, quomodò Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit? Vbi semper de carnis susceptione sermonem habet, quod habetur in Conceptione carnali vt patet.

2. Manifestissimè item hoc patet, scilicet Ildephonsum non de alia Conceptione Virginis in dictis verbis loqui, quàm de carnali, quia de ea Conceptione Virginis passiua hîc loquitur, quæ esset similis illi Christi, de qua ibidem ipsemet sanctus loquitur: nam sicuti loquitur de carne, de qua procreata est Virgo, ita per totũ illum librum loquitur de Conceptione Christi filij eius; sed certum est ibidem ipsum loqui de Conceptione carnali, & prout dicit susceptionem carnis Christi ex Virgine. Ergo similiter quando loquitur de Conceptione Virginis, nonnisi de carnali eiusdem Virginis loquitur apertissimè: subsumptum autem quod de Conceptione Christi, vt merè dicit susceptionem carnis, loquatur, patet manifestè, quia disputat contra aliquos sectatores Heluidij, qui volebant Christum natùm secundum legem communem naturæ, atque adeò aperuisse vulnam Virginis, contra quos ipse disputat dicens; quòd quemadmodùm in Conceptione non est sequutus legem naturæ, vt pote qui genitus fuerit absque opera viri, ita extra naturæ leges sit natus nullo dolore. Nullaque vulvæ aperitione, & sic ait: [vnde plurimum desipiunt, qui dicunt eum communi lege naturæ natum, qui non ea lege constat esse conceptum, quoniam hæc lex nascendi, quæ nunc lex nascendi vocatur, ex vitio primæ damnationis est;] & iterum, [quòd si nouum fuit & admirabile, quòd Virgo concepit sine semine:] Vbi nihil respicitur ad animationem, sed ad formationem meram fœtus, esto in Christo in eodem instanti ea fuerit; iterũque & tertiò ait: [Quia licet clauso vtero sit natus, quoniam ipse sibi peruium fecit saluo sigillo pudoris, sicut & conceptus; tamen de carne Virginis procreatus est. Quare

semper

semper de opere exercito in carne pro signo Conceptionis Christi continuat sermo in Ildephonso, sicut & in sequenti, vbi habet: [Nam sanguis & fons pudoris, qui corruptus non fuit in Conceptione prolis ex coitu viri, non credo quòd corrumpi debuerit in Nativitate:] & deinde, Beata Virgo Mater Virgo in vtróque permansit. Idest in conceptu mater, & in partu Virgo, quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo fuit; quæ nec Adam ad se admisit, nec Euæ colluuione filium suscepit;] & paulò post, [Vnde constat, quòd sicut clauso vtero concepit, ita & clauso vtero peperit non communi lege naturæ vitiatæ, & maledictionibus damnatæ:] Ex quibus & aliis pluribus dicti Ildephonsi, constat, quòd dum de Conceptione Christi loquitur Ildephonsus *loco citato* de carnali loquitur. Vnde similiter quando de Conceptione Virginis sermonem habere inuenitur, nonnisi similiter de carnali eius loqui censendum est.

3. Quibus omnibus adde, quòd suò loco ostendemus aperte, Ildephonsum in hoc libro auertere omninò à Virgine verum peccatum originale formaliter sumptum, ex quo comprobatur apertissimè, quòd quando de Conceptione carnis peccati ipse loquitur, non potest loqui nisi de Conceptione carnis, quæ peccatum initiatiuè habent, in quantum illud debet in animam transfundere; quamuis ex recta perpensione Ildephonsi ostendemus, ipsum neque veram carnem peccati agnoscere in Virgine, vt ipse se explicat, sed loqui de carne peccati, quæ talis fuerit in suis genitoribus, non verò in formatione sui fœtus, de quo cum de debito Virginis ad contrahendum originale sermonem habebimus. Quoniam nobis sufficit in præsenti ostendere Patres, dum agnoscunt in ea carnem peccati, & similiter Conceptionem in peccato, non loqui nisi de Conceptione ipsius carnali, nec ab iis diuersum esse Ildephonsum, & nulla ratione neque illos, neque ipsum sermonem trahere ad primam animationem Virginis, seu de peccato originali se extendente vsque ad animationem & residentiam formalem sui in anima Virginis. Hoc autem eo euidentiùs patet quòd sanctus Ildephonsus, tamquam absurdum contra Heluidium infert, quòd Christus assumpserit ex Virgine carnem quæ fuerit caro peccati. Nam scripsit: [Quia si ita peperit, ergo adhuc ac si cum malla primæ damnationis contra Angeli vocem maledictioni subiacuit ac Verbum Patris, de carne peccati, quòd absit, vt caro fieret, hominem assumpsit:] Et si quando nominat in Deipara carnem peccati, sub conditione id ponit cum particula, si, vel particula, licet, non vero absolutè. Sed de hoc aliàs.

§. III.

Aduertitur itidem de sancto Augustino quod in sola carne Virginis non in anima peccatum admittere visus est: atque adeò concipi in peccato eamdem: quòd habetur in aliis Patribus, intelligendum est ratione Conceptionis carnalis.

POnderandus est pro hac re primò S. Augustinus eiusque loca recensenda vbi dat carni Virginis peccatum. Et primò videndus est *in libro contra Iulianum & Claudium cap. 5.* Vbi loquitur de omni carne humana & sic fatsus est: [Omnis caro, excepta illa, quæ sine peccato venit in similitudinem carnis peccati, sub peccati origine, & sub peccati lege nata est:] Vbi Augustinus loquitur includendo etiam Ioannem & Ieremiam, ac proindè loquitur de carne nascente in vtero, non ex vtero, atque adeò de Conceptione carnali & in speciali de Conceptione Virginis carnali meminit *lib. 10. in Genes. ad lit. cap. 18.* his verbis. [& quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro etiamsi de peccati propagatione venit,] & post pauca, [corpus Christi quamuis ex carne fæminę assumptum est, quæ de illa carnis propagatione concepta fuerat,] Conceptionem ergo Virginis eam nominat Augustinus, quæ tota est de eo, quòd sumpsit ipsa ex parentibus, quæ apertè est Conceptio carnalis?

2. Idipsum patet ex Augustino *lib. 1. contra Julian. cap. 15.* vbi ait: [Quòd si dementis est dicere, & sine dubio caro Christi non est caro peccati, quid restat vt intelligamus, nisi eâ exceptâ omnem reliquam humanam carnem esse peccati, & hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propagationem mali, quia Mariæ corpus quamuis inde venerit, tamen eam nó traiecit ad corpus, quòd non inde concepit:] quo loco S. Augustinus statuit carnę omnem exceptâ illâ Christi esse carnem peccati, atque ab hac traxisse corpus sanctissimâ Virginem, ac proinde propter hoc potuisse dici conceptam in peccato. Vbi S. Augustinus dũ hæc scribit, non potest intelligi, quòd velit dicere aliud, nisi hoc tale de peccato restrictum ad carnem, non verò extensum ad animam Virginis; nec est interpretandus, quasi vero ex hoc ipse & cæteri Patres inquinare voluerint verâ & propriâ maculâ peccati animam sanctissimæ Virginis: extra rem est enim ad hoc deducere Augustinum, cum ipse huius rei non memnerit neque à longè, nec vllum verbum in his dictis eius inuenitur, quòd possit significare, quòd is voluerit refundere peccati veram maculam in animam Virginis. Id autem ex eo

probo efficaciter, quia eo modo dat peccatum carni Virginis in sui Conceptione Augustinus, quo signat eiusmodi carnem peccati non posse neque per aliquam dementiam tradi Christo Domino, sed Christo Domino non laboratur ab Augustino, vt non detur caro peccati, quæ transfundat veram maculam peccati in animam Christi Domini, sed solum ne possit dici caro peccatrix, & habere maculam etiam debiti peccati in carne: ergo nonnisi dictam carnem peccati tribuit Augustinus SS. Virgini, & nullo modo ex his textibus potest illaferri, quod Virgo fuerit concepta in peccato, nisi loquendo de peccato, quódq; potest dici posse competere Conceptioni carnali etiam Christi si diuino modo genitus non fuisset. Maior syllogismi patet, quia comparatio tota est circa carnem sumptam à Virgine, qua ipsa concepta est modo communi, & per consequens super hæc duo est affirmatio vel negatio, vnde id quod negatur Christo, hoc solum hîc traditur Virgini de carne à se suscepta in Conceptione sui. Minor item liquido constat, quia quando agitur de remotione peccati à carne Christi, non intenditur controuerti, nec dubitari, quòd Christus in anima sua sanctissima contraxerit verum peccatum; nam hoc nemo vnquam in dubium reuocauit; sed sola inquisitio fit, & facta est à Patribus, quomodo is, qui suscepit carnem humanam, non dicatur, quòd susceperit carnem peccati, seù peccato obnoxiam. Ex quo constat manifestissimè quòd in his loquutiõnibus sancti Augustini, & aliorum Patrum, qui dant Virgini carnem peccati, ad summum illi dant carnem, seu transfuiuam originalis, vel carnem naturæ corruptæ & non integræ, & habentis fomitem. Nam diuisi sunt in hac re Patres vt vidimus, & aliqui esse conceptum hominem in peccato tradunt per hoc, quòd per ipsum transfunditur originale in animam, vel per hoc, quòd concipitur omnis homo ex concupiscentia, & trahit naturæ corruptionem, & fomitem, qui dicitur peccatum, vt explicauit Concilium Trid. sess.

3. Hunc etiam sensum fuisse Augustini patet ex Hypognosticon contra Pelagium. Quo loco scripsit. [In peccato damnauit peccatum in carne, quia de humana carne peccatrice absque culpa suscipiens, & hanc innoxiam crucifigens, peccatum quòd nos damnauerat per inobedientiam Adæ, pro nobis patiendo damnauit:] & iterum lib. cur Deus homo cap. 10. nec non lib 1. de peccatorum meritis cap. 24. [solus ille etiam homo factus maneps Deus peccatum nullum vnquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamuis ex materna carne peccati:] In quo loco S. Augustinus quando ait Christum sumpsisse carnem ex humana carne peccatrice, non potuit loqui de carne Virginis, quæ vt animata esset talis, & per id, quòd habuit eius caro vt animata, & propria eius; sed vt caro erat ab Adam deriuata, propter quam derivationem dicebatur caro humana peccatrix, seu procedens à primo homine peccatore, transfundente peccatum originale per semen in illam: nam tum Patres, tum Theologi, & ipse Augustinus humanã carnem peccatricem, quæ transfundit originale, & dicitur peccatrix, non intelligit nisi semen humanum, quòd est virtus generantis, quo medio transfunditur originale: semen vero humanum præsertim præcisum à generante non est animatum, & vt sic præcisum est virtus generantis, & infecta & peccatrix caro; ergo quando Augustinus de tali carne loquitur, non debet intelligi vlla ratione de carne animata loqui, quæ est constitutiua compositi Virginis, sed de semine, ex quo ipsa formata est, quæ est caro peccati, quòd quia non habuit Christus, ex quo scilicet genitus fuerit, sed ex puris sanguinibus Virginis; Vnde dicunt Patres quod ipse non habuit carnem peccati, etiamsi origo carnis suæ fuerit ex carne, quæ verè genita fuit ex semine, & semine immundo iuxta immunditiem, quæ illi competit. Quam declarauit supra optimè S. Anselmus citatus *disp.* 4 § 2. & Bellarminus *vbi supra citatus disp. eadem* 4 § *p.* 3. quem sensum rectè confirmat secundus locus Augustini adductus, qui concedit Christum sumpsisse carnem ex materna carne peccati (legendum ex natura carnis peccati, sed ait non sumpsisse propterea carnem peccati; & primum videtur destruere secundùm: nam si ipse dicitur sumpsisse carnem ex materna carne peccati; ergo conceditur quod ex carne peccatrice sumpsit carnem, & cum omnis caro, quæ erat in Virgine erat caro peccati, dum eam dicitur Christus suscepisse, carnem peccati debet dici suscepisse, alioqui concedendum esset, quòd in Virgine fuisset aliqua pars carnis, quæ non esset caro peccati, quasi verò Deus in Adam aliquã partem carnis reseruauerit ab infectione, & hæc propagata fuerit ab Adam vsq, ad Virginẽ, de qua cõceptus sit Christus, vt voluere aliqui falsissimè.

4. Ex hoc autem quòd obiicitur, constat, quòd quando Augustinus dixit, quòd Christus sumpsit carnem ex materna carne peccati, sed non carnem peccati, omnino debet intelligi, quod voluerit maternam carnem dici carnem peccati, quia profluxerat, & formata fuerat ex semine infecto, & transfundente ex natura sua originale, vel deriuante in Virginem fomitem, sicut alij ex Patribus solent hoc explicare; at quia Dominus Iesus ita sumpsit carnem ex ista carne infecta, vt non haberet ab ea particulam carnis transfusiuam originalis vel fomitis, proinde non potest, neque potuit dici, quòd sumpserit carnem peccati, sicuti sumpsit carnẽ peccati Virgo, quæ propterea dicitur habuisse carnẽ peccati; nam ipse non est genitus, sicuti ipsa ex semine. Vbi nota quòd benè potest dici, quod Christus Dominus sumpserit materialiter illam carnem quæ fuerat infecta in Virgine, sed non suscepit illam taliter, quæ infectionẽ in ipsum transfunderet, sicuti in omnes alios genitos, & quæ esset caro peccati quasi formaliter secundum modum, secundum quem erat in ipso; vndè absolutè dicitur quòd non suscepit Christus Dominus carnem peccati.

5. Sed dices quomodo caro, quæ erat in Virgine caro peccati, in Christo desierit esse caro peccati. Ad quod Resp. quod ad hoc vt caro illa sumpta ex Virgine, in Christo esset caro peccati, debuisset sumi à Christo eo modo, quo sumpsit illam Virgo à parentibus suis, & ex Adam via scilicet seminali; vt sic enim retineret rationem carnis peccati (etiam facta

posi

positione diuinitatis, quæ eam sanctificaret) quando autem caro Virginis translata est ad Christum sine illis conditionibus, quas requirebat, vt similem denominationem formalem deret: amisit omnino in eo rationem carnis peccati. Quæ omnia dicta sint, vt appareant manifestissimè hæc omnia, quæ tradit Augustinus de carne peccati nulla prorsus ratione pertinere ad carnem, quæ esset animata, & haberet in se residens originale in actu secundum propriam rationem veræ maculæ priuantis animam Virginis gratia sanctificante. Nam certum est euidenter quòd etiamsi Deus constituisset non priuare Virginem gratiâ pro primo instanti infusionis animæ eius, tota hæc doctrina de carne peccati, quæ fuisset in Virgine, verificaretur de ea, & verè diceretur, quòd ipsa esset genita ex carne peccatrice, & habuisset carnem peccati, & Christus Dominus sumpsisset ab ea carnem, sed non carnem peccati: eo prorsus modo, quo loquitur Augustinus. Vnde impertinentissimum est ex verbis sancti Doctoris velle inferre, quod ipse voluerit dicere carnem Virginis carnem peccati, quia per aliquod instans eius caro animata fuit maculata originali in actu, & priuatione gratiæ; cùm prorsus vt vidimus, nihil conferat ista suppositio originalis taliter contracti ad eius dicta verificanda: cui discursui non video prorsus quid possit in contrarium adduci, quòd habeat aliquam vim pro inducendo diuerso sensu in carne peccati. Stet ergo quod quando ab Augustino agnoscitur in Virgine caro peccati, non agnoscitur in ea nisi peccatum originale causaliter sumptum, nec ipse de Conceptione Virginis aliâ loquutus est, in qua agnouerit carnem peccati, nisi eam quæ consistit in organizatione corporis, non verò in aliâ, in qua est infusio animæ, & dicitur Conceptio naturæ.

---

§. IV.

Ex Tertulliano, sancto Ambrosio, & sancto Fulgentio manifestatur quòd quando dicitur Christus sumpsisse carnem de carne peccati, non possit intelligi caro Virginis affecta verò peccato formaliter sumpto, sed ad summùm causaliter, atque adeòi non dederint vnquam peccatum nisi eius Conceptioni carnali.

1. CArni item Virginis peccatum non verum & formaliter sumptum, sed causaliter & in debito datum à Patribus patet ex dicto Tertulliani, ex quo immeritissimè contra Immaculatam Conceptionem arguunt Aduersantes ex his verbis de carne Christi cap. 16. vbi scripsit: [Quod ipsa non peccatrix caro Christi eius fuit par cuius erat peccatum, genere non vitio Adæ: quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cuius natura est in nomine peccatrix:] ex quo loco conferunt, quod cùm Christus susceperit carnem à Virgine; & carnem vtique assumptam constet non aliunde quàm ab illa Virginis: ipsam eamdem volunt peccatricem; & nonnisi quia Virgo fuit verè peccatrix per verum peccatum originale in ea existens pro aliquo momento vel parte temporis. Sed primò non video quomodo Aduersarij ex hoc loco possint inferre prolatum intentum, tùm Tertullianus solùm dicat, quod caro Christi non dicenda peccatrix vllo modo fuit par in genere & origine, non ex culpa & vitio cum carne humana. Et addidit quòd hinc benè infertur, & confirmatur quod si par est caro Christi carni nostræ & humanæ in origine, non iam est euacuata in Christo caro peccati, sed solùm peccatum ex ea: vbi liquet quòd non intendit Tertullianus dare verum peccatum carni Virginis, seu carni ab ea assumptæ, de qua non meminit vllo modo: sed solùm notare & concludere quòd caro in Christo non fuit differens in origine à nostra, quæ ex iis quæ sibi conuenerunt dicitur & est peccatrix, videlicet quia propagata ex semine infecto.

2. Pro qua re sciendum est quòd Tertullianus eo loco solùm contendit ostendere, quòd caro Christi non fuerit cœlestis, neque alterius naturæ & speciei à nostra, ac proinde quod non benè dictum sit à quodam hæretico quod euacuata fuerit caro humana in Christo, sed solùm euacuatum peccatum ab ea, cùm ipsa de reliquo humana caro in eo constiterit perfectè: quare retexendus est contextus Tertulliani qui capitis 16. initio sic habet: [In super argumentandi libidine, locum sibi fecit Alexander ille; quasi nos affirmemus; idcirco Christum terreni census induisse carnem, vt euacuaret in semetipso carnem peccati: quod & si diceremus, quacumque ratione, muniremus sententiam nostram, dum ne tanta amentia, qua putauit tamquam ipsam carnem Christi opinemur vt peccatricem euacuatam in ipso, cum illam & ad dexteram Patris in cœlis præsidere meminerimus, & venturam inde suggestu Paternæ claritatis prædicemus; adeò, vt euacuatam non possumus dicere, ita nec peccatricem, nec euacuatam, in qua dolus non fuit; defendimus autem non carnem peccati euacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non materiam, sed naturam; non substantiam, sed culpam, secundùm Apostoli auctoritatem dicentis, [euacuauit peccatum in carne,] nam & alibi [in similitudine, inquit, carnis peccat] fuisse Christum; non quod similitudinem acceperit quasi imaginem corporis & non veritatem, sed similitudinem carnis peccatricis vult intelligi quod ipsa non peccatrix caro Christi fuit par cuius erat peccatum, genere non vitio Adæ: quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cuius natura est in homine peccatrix & sic in illa peccatum euacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ

in homine sine peccato non habebatur. Nam neque ad propositum Christi faceret euacuantis peccatum carnis, non in ea carne euacuare, illud in qua erat natura peccati neque ad gloriam. Quid enim magnum si in carne meliori & alterius ideſt non peccatricis naturæ nauum peccati redemit:] Vbi Tertullianus primo arguit Alexandrum hæreticum qui putauit Catholicos illius temporis in tantum admisisse carnem cum conditionibus peccatricis, vt ipsam carnem peccati euacuarent. Et primò ait quod si aliqua ratione id dicerent Catholici, quòd scilicet Christus assumpsisset carnem cum conditionibus peccatricis, seu cùm mortalitate quæ est quidam effectus & affectio peccati: non tamen id ita dicerent vt in Christo admitterent carnem peccatricem, & in eodem ipso Christo euacuatam, sed solùm peccatricem & euacuatam peccato carnem nostram, seu humanam; & à sua carne euacuatum peccatum carnis; quia videlicet Christus assumpsit carnem quæ est par nostræ in origine & secundum corpulentam substantiam, non cum vitio Adæ, & cum mortalitate & corruptione vt sibi debita, sed quæ videbatur debita, & in similitudine, non in realitate carnis peccati. Aduertit itidem Tertullianus quòd non est intelligendus Christus assumpsisse carnem in similitudinem carnis peccati, quasi verò non assumpsisset veram carnem humanam. sed vel cœlestem vel alterius naturæ, quia par erat caro Christi cum carne nostra in substantia: vbi neque per somnium dicit sumpsisse carnem peccati ex Virgine, neque carnem Virginis, aut ipsam nominat peccatricem; esto aliquis alius Pater hoc dicat, prout citatur Chrysostomus in quo nihil tale inuenitur. Quare Aduersarij quantum ad hoc visi sunt in aëre venatum quætitasse. Et de reliquo ex his quæ habet Tertullianus potiùs maximè cõfirmatur explicatio illa cõmunis in Theologicis, quod Beatissima Virgo dicatur non habuisse carnem peccati; & non ex carne peccati procreatam fuisse in simili sed inferiori modo ac Christus; quia scilicet ab originali immunis, nec non etiam à proximo eius debito: & in tantum in ea tradatur caro peccati in quantum erat caro humanæ naturæ ex sua specie peccato infectæ.

3. [At nos ex hoc Tertulliani asserto præter dicta deducimus, quòd quando Patres carnem peccat inominant, & de peccato carnis loquuntur, quemadmodum ipse in citatis verbis, vbi dicit Christum assumpsisse naturam non peccatum carnis, & quando ait non euacuatam esse carnem peccati in Christo; non loquitur de vero peccato formaliter sumpto & residente in anima, sed de peccato causaliter & proprio carnis, vt verba ipsa sonant; nec est in Tertulliano verbulum quod de primo genere peccati concludat; sed de secundo; nam de eo peccato est sermo hîc quòd intelligeretur residere primò in ea carne sumenda à generando, quæ deinde fit propria geniti, seu quæ à generante decimari debet, atque est transferenda in carnem geniti; & in Christo ex particula illa seminis vel sanguinis puriſſimi, ante organizationem corporis Christi localiter condumata in vtero & loco generationis, quæ secunda & prima caro non potest intelligi capax peccati formaliter sumpti, sed solùm causaliter positis ponendis; & ratio est manifesta, quia Tertullianus sicuti & cæteri Patres in simili loquuntur de carne peccati quæ ab Adam mediis parentibus trahitur, & transfunditur in posteros, & attenditur in priori & vt materia generationis, quæ non est nisi caro seminis ac proinde inepta ad subiiciendum & habendum peccatum formaliter sumptum, vt liquido constat.

4. Præterea hoc ipsum patet quia de ea carne peccati loquitur hîc Tertullianus, quam hæretici tamquam indignam Christo etiam secundum substantiam acceptam: sed caro eiusmodi, quam hæretici dicebant esse indignam Christo, erat caro mortalitati subiecta, & peccato subdita, merè propter corruptionem mortalitatis: vnde in eo volebant aliam carnem: ergo istam corruptibilitati & morti subiectam vocabat & volebat etiam Tertullianus, & sic alij Patres carnem quàm dicebant carnem peccati: & per consequens non prout affectam macula originali formaliter sumptam & vt corruptioni subditam propter Adæ peccatum.

5. Tertiò id ipsum potest constare, quia in eo sensu loquitur de carne peccati habita à posteris Adæ Tertullianus, quæ esset verè talis in ordine ad carnem Christi, quæ esset & fuit merè in similitudinem carnis peccati: sed Christus dicitur sumpsisse & habuisse carnem peccati in similitudine, in quantum sumpsit & habuit carnem mortalem, quæ videretur esse sicuti cætera caro humana, quæ erat mortalis, mortalitate proueniente ex peccato Adæ, & non ex proprio beneplacito assumpta: ergo caro peccati vera est æstimanda in respectu, & in comparatione ad illam Christi quæ fuit in similitudine, & non est nisi caro corruptibilis & mortalis subdita corruptibilitati & mortalitati ex vitio Adami; atque adeò ex se & formaliter non importans peccatum formaliter sumptum, sed modò superiùs dicto: vnde non valet ex ea in Virgine sanctissima inferre peccatum originale formaliter.

6. Quarto quia de illo peccato carnis loquitur hîc Tertullianus, quòd est euacuatum in carne Christi: sed peccatum euacuatum in carne Christi est peccatum causaliter & non peccatum formaliter sumptum: ergo de peccato causaliter loquitur hîc Tertullianus; & per consequens ex eo non potest concludi, quòd B. Virgo contraxerit verum peccatum in re & formaliter. Maior argumenti patet ex expressis verbis Tertulliani allegatis suprà. Minor probatur, quia de eo peccato carnis vt euacuando & euacuato in carne Christi loquitur Tertullianus, quòd habere locum poterat in Christo quódue esset tale quòd deberet in eo ponere òbnoxietatem ad contrahendum originale in re, si Deus non esset & natura eius non suppositata fuisset à Verbo: nam certum est quòd non potest agi de peccato vero, quòd resideret in anima eius in re: nam hoc tale peccatum non poterat in eo habere locum vt certum est. Sed istiusmodi peccatum quòd poneret obnoxietatem dictam, non est nisi peccatum causaliter sumptum, vt explicuimus: ergo de peccato originali causaliter sumpto loquitur

quitur Tertullianus dum sermonem habet de peccato carnis euacuato in Christo.

5. Quinto de illo peccato loquitur Tertullianus quòd in natura humana residet, & in omni homine, seu carne eius inueniatur, quando generat alium hominem; nam dixit Tertullianus; [Et sic in illa (scilicet carne) euacuatum peccatum, quòd in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatus;] Vnde qui generatur homo dicitur generari ex carne peccati etiam residente in genitoribus. & quæ carnem peccati transfundit in posteros; & tamen in genitoribus certum est, quod frequentissimè, si sint Christiani, peccatum formaliter sumptum non habent, sed solùm causaliter. At si dicas verũ est quod in genitoribus habetur caro peccati etiãsi non habeãt originale formaliter sumptũ vtpote deletum; tamen illud quia habuerunt, eius caro dicitur caro peccati & sic si caro peccati admittitur in Virgine, infertur in ea non residere quidem pro omni signo peccatum originale, sed certo pro aliquo in re vere residisse: sed nulla instantia, quia etiamsi peccatum originale non contraheret in re aliquis homo, non proinde si generaret, dummodò fomes in eo non fuisset extinctus, nõ transfunderet carnem peccati, neque in se haberet carnem peccati, vt infra dicemus, atque adeò nulla instantia, imo ex hoc casu possibili ad euidentiam conuincentur Aduersarij *in §. vltimo huius diuisionis.*

8. Sexto denique patet quòd statuimus, quòd scilicet caro peccati dicitur illa quæ merè procreata est & transfusa per viam seminis; quia Tertullianus expressè post dicta volens ostendere quòd Christus non assumpsit carnem peccatricem, in se habentem formam peccati, sed euacuauit peccatum carnis? id probat absolutè, quia non fuit procreatus ex semine, quòd perspicuum facit assertum nostrum, quòd in ea carne admittitur peccatum carnis, quæ ex modò generationis communis & seminaliter procreatur: licèt de cætero aliena fuerit à peccato formaliter sumpto, quòd in anima rationali animante carnem resederit, & ea media in carne à se animata. Verba Tertulliani sequentia sunt quæ subdo: [Concepit igitur Virgo & peperit Emanuelem, nobiscum Deum; hæc est natiuitas noua, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est, & carne antiqui seminis suscepta sine semine antiquo, vt illam nouo semine, idest spiritaliter reformaret exclusis antiquitatis sordibus expiatam;] vbi expiationem carnis ab inquinamentis originalis tribuit Tertullianus formationi carnis habitæ sine semine: quare tota inquinatio ex ipso comprobatur agnita quòd euenit ex vi seminis: vnde omninò caro peccati tantùm habetur ex hac procreatione ex semine; atque adeò ex eo peccato quod in semine agnoscitur quod non est peccatum formaliter, sed causaliter sumptum, vt sæpè vidimus.

8. Ex Ambrosio similiter constat idem assertum, etiamsi *is serm. 6. super Psalm.* 118. allegetur pro opposito, vbi ait; [Venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit,] quem locum aliqui ex Aduersariis deprauarunt addentes in carne *in Matre* peccato obnoxia, sed nihil tale Ambrosius, qui solum dicit Christum exercuisse militiam in carne peccato obnoxia & non addidit, *in Matre*; sed loquutus est de obnoxietate quæ erat in carne non sua, sed humana & in specie; & quòd de ea loquutus sit, & sic de ea loquutus sit, quia erat propagata seminaliter ab Adamo patet; nam paulò superiùs dixerat de Patre qui miserat Christum dicens: [Mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines: sed in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: peccatum erat caro, secundum illud quia hæreditario erat damnata maledicto:] qua sententia ostendit in tantum carnem peccato fuisse affectam, imò & peccatum dictum quia erat propagata cum destinatione & damnatione ad maledictionem & mortem spiritualem & corporalem; quæ destinatio & damnatio carni non communicatur, nisi quia propagatur ex semine naturæ corruptæ. Nec in his verbis Ambrosij est vllum verbum, vel indicium quòd ipse loquatur de peccato formaliter sumpto, quòd confirmatur, quia si de eo loqueretur formaliter sumpto, non illud prædicaretur de ea in recto sed in obliquo; daret enim ipsi peccatum, & vocaret illam carnem peccati solùm, non vero peccatum in recto, dicens peccatum erat caro; hic enim modus loquendi in tantum ei potest conuenire, & dici caro peccatum, quia sermo est de peccato causaliter; nam cum ipsa caro sit causa transfusionis peccati originalis, benè potest dici peccatum causaliter, non verò peccatum formaliter, quemadmodum patet manifestè in concupiscentia quæ dicitur peccatum causaliter, ex sensu Concilij Tridentini, non verò formaliter.

9. Denique pro posito manifestè venit sanctus Fulgentius *libro de Incarnatione & gratia Christi cap.* 6. vbi habet Christum Dominum natum sumpsisse carnem in similitudinem carnis peccati, sed de carne peccati, & expressè declarat quare dicatur procreatus de carne peccati, & non nisi quia Virgo fuit genita ex semine, & per consequens in peccato. Quòd est quòd volumus ad excludendum sensum quem ex his verbis volunt Aduersarij extorquere, quòd Christus dicatur natus & carnem suscepisse de materna carne peccati, quæ scilicet animata subdita fuerit vero originali peccato formaliter: nam præterquamquod is sensus est ab ipsis intrusus, & longissimè petitus per varias falsas & futiles consequentias, non est vllo modo, secundum mentem Patrum, qui se explicant ex alio capite carnem humanam excepta illa Christi esse carnem peccati, & vt diximus, quia omnis alia genita est ex semine humano, quod illam peccato inficit; non formaliter vt sic & in hoc stando præcisè, sed merè causaliter. Attendantur tandem pro hoc concluso sæpiùs ex aliis Patribus, Verba S. Fulgentij [factum est, vt Deus; qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur at-

que nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati]& assignat rationem quare dicatur natus de carne peccati, subdens immediate, [caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta: caro fuit vtique peccati: quæ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati;] vbi patet quod assignans rationem, quare Christus dicatur sumpsisse carnem peccati, non aliam tradit, nisi quia caro Virginis fuerat concepta humano modo, ideſt per viam seminis in peccato; ac proinde esset caro affecta peccato. Id quod ad maiorem euidentiam liquet ex sequentibus, vbi explicat vnde Christus Dominus dicatur sumpsisse in similitudine carnem peccati, vnde nobis ostendit in quo consistat vera ratio & non similitudinaria carnis peccati; & ait in tantum dici in hac similitudine sumpsisse carnem peccati, quia sumpsit carnem mortalem sic affectam ex pœna peccati, quare declarat quod vera caro peccati & non similitudinaria; qualis est nostra, seu illa Virginis; in tantum dicitur, & est caro peccati, in aliquo vero sensu Christi carni non competente, quia caro nostra est mortalitati & corruptioni subiecta pœnaliter ex peccato Adami, non tamen proprio; quâ ratione Christus non susceperit carnem mortalem vt demeritoriè in se causantem mortem ex peccato Adæ, sed meritè ex sua voluntate, & amantissimo beneplacito: vnde patet manifestè & plusquam manifestè: quod quando Fulgentius tradit Beatissimæ Matri carnem peccati, non illi tradit peccatum formaliter sumptum, sed effectum peccati, & affectionem talem in ea, quæ ad summum debeat in eadem inferre obnoxietatem ad contrahendum formale peccatum in re, seu peccatum causaliter: nam caro mortalis & infecta ex semine corruptæ naturæ ordinata ad generationem Virginis sanctissimæ: debebat inferre in ea secluso priuilegio verum peccatum originale, idque formaliter sumptum.

9. Quod autem S. Fulgentius pro carne peccati intellexerit carnem ex peccato Adæ mortalitati subditam, & corruptam: patet ex eius expressis Verbis. Nam sequens loco citato ait, [in similitudine carnis peccati Dei filius missus apparuit, quia in eius vera carne humana, non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit. Similitudo vero carnis peccati cum in Dei filio, vel potiùs Dei filius in similitudine carnis peccati cum dicitur; credendum est vnigenitum Deum de Virginis carne mortalis, non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturæ integram veritatem,] vbi patet quod sicuti similitudinaria forma carnis peccati admissa in Christo explicatur à Fulgentio consistere in similitudinaria mortalitate, quæ videtur esse in eo cum illa naturæ corruptæ: ita per ipsum vera forma carnis peccati intelligitur & traditur consistere in mortalitate absoluta, & ex necessitate contractâ ex peccato Adæ. Quòd item liquet in eo quòd pro æquiualenti dat Christum sumpsisse carnem, de carne peccati; ac sumpsisse carnem de carne Virginis mortalis, & aduertit quòd non propterea sumpserit sordem peccati, sicuti alibi dicitur, quòd quia sumpsit carnem de carne peccati, non propterea sumpserit carnem peccati: quare omninò carnem peccati habet Fulgentius pro carne naturæ corruptæ & mortalis, talis factæ ex peccato Adæ, & nullo modo eam intelligit vt affectam originali formaliter sumpto. Et id quòd dictum est de his Patribus, idem intelligendum est de aliis quando similiter loqui inuenirentur, vnde patet ex iis deduci omnino pro, non contra Immaculatam Conceptionem; vt vanissimè blaterant Aduersantes.

---

§. V.

Ad euidentiam ni fallimur demonstratur quod, quando Beatissimæ Genitrici attribuitur caro peccati, vel ipsa etiam dicatur concepta in peccato originali, non possit vllo modo inferri quòd nominatio peccati extrahatur à carne, & animam eius inficiat vero peccato formaliter sumpto.

1. VT Aduersarij penitus conuincantur, nec audeant deinceps cogitare, quòd caro peccati attributa Deiparæ à Patribus, possit inferre in ea peccatum formaliter sumptum; imo nec ipsam dici expressè conceptam in peccato vt in antiquis Conceptio in peccato significabat; probatur & ostenditur manifestè ex eo, quia indubitatum omninò est, vt ipsi Aduersarij concedunt, quòd etsi Beatissima Virgo de facto non fuerit præseruata à peccato originali formaliter sumpto; nihilominus potuit (etiam stantibus Scripturis vniuersaliter dantibus originale cæteris posteris Adæ ipsâ solâ exceptâ) ab ea remoueri originale, nec permitti incidere in ipsum: & tamen in tali casu si quis filius ex ea natus fuisset, præciso omni alio priuilegio, certè de carne peccati natus fuisset; nec quia peccatum originale formaliter sumptum in ea non habuisset locum; fomite non extincto, eius caro non fuisset caro peccati, nec propterea ipsa non dicta fuisset concepta carnaliter in peccato causaliter: ergo ad euidentiam constat, Christum Dominum dici natum de materna carne peccati, & carnem peccati fuisse carnem Virginis; eámque fuisse in peccato conceptam loquendo de Conceptione carnali; non potest in ea inferre peccatum formaliter sumptum: quod est nostrum frequens assumptum.

2. Iam consequentia huius enthymematis patet sine vlla dubietate, quia si caro peccati, & concipi in peccato in conceptione carnali, & nasci Christum de materna carne peccati, inferret & includeret peccatum formaliter sumptum, eo ablato caro peccati modo dicta, desineret esse caro peccati, nec eo submoto, staret

in

in Virgine concipi in peccato neque in Christo Domino nasci ex ea tamquam ex carne peccati; nam cùm caro peccati & sequentia, traherent secum necessariò peccatum formaliter sumptum, non constaret ea vtique ipso ablato: quicquid enim trahit aliquid necessariò, si hoc tale secundum desit, ipsum non constat vt patet ex Logicis, & sic quia rationale trahit necessariò risibile, si risibile non est rationale vtique non est: à pari ergo si caro peccati trahit, necessariò peccatum formaliter sumptum: hoc amoto caro peccati certè non constat; & si constat, ad euidentiam concluditur quòd ipsa non trahat. Neque inferat necessariò peccatum formaliter sumptum: & malè & nulliter & inanissimè inferunt Aduersarij, Caro Virginis dicitur caro peccati, & Christus dicitur sumpsisse carnem de carne peccati: ergo Virgo contraxit peccatum formaliter sumptum in anima sua.

3. Id quod vt euidens fiat; oportet demonstrare. Quòd si sanctissima Virgo genuisset filium præcisè præseruata in prima infusione animæ suæ ab incursu ab originali in re, filius natus fuisset ex ea tamquam ex carne peccati: id quòd patere potest, quia eiusmodi filius prodiisset ex ea non diuerso modo ab illo, quo nascuntur filij cæterì ab aliis matribus; & quemadmodum illi traherent carnem peccati de carne peccati, ita & ipse, & per consequens in ea patefieret caro peccati quamuis originali in re ab eadem amoto. Nec aliquis est qui diceret quòd eiusmodi filius non traheret carnem peccati de carne peccati; cùm præsertim S. Thomas.

4. Supponens Virginem sanatam à natura corrupta post Incarnationem filij sui, nihilominus vult quòd filius, qui ex ea natus fuisset ni pater esset similiter sanatus, carnem peccati ab ea traheret, nec originali immunis fuisset. Id quòd inde perspicuum esse potest, quia in tantùm Christus Dominus de Virgine dicitur non traxisse carnem peccati, quia eam non traxit ex semine, quare si ex semine traxisset, vtique carnem peccati traxisset, & per consequens de carne peccati eam traheret.

5. Sed ad manifestam euidentiam patet quòd caro Virginis caro peccati fuisset, etiamsi ea præseruata fuisset ab originali in re, fomite tamen non extincto; quia si quis vir ex gratia speciali ab originali in re fuisset immunis; vel etiá nunc, nec fomes tamen ab eo extinctus certum est quòd si is generaret filium, illum generaret originali obnoxium: & ni nouo speciali priuilegio is præseruaretur, contraheret peccatum originale in re, & traheret vtique carnem peccati de carne peccati; & caro eiusmodi hominis, sic exempti ab originali, omninò esset caro peccati; quòd signum est manifestissimum quòd exemptio mera & præcisa quam modo nos contendimus in Virgine ab originali in re, non potest inferri in ea, quia in ipsa inuenta fuerit caro peccati, & dicta concepta in peccato originali, nec non Christum sumpsisse carnem de carne peccati.

6. Quòd autem filius genitus ex patre qui numquam habuerit originale formaliter sumptum & in re; non propterea esset exemptus ab originali perspicuum est, quia is genitus est ex semine naturæ humanæ corruptæ & instrumento transfusionis originalis; nec haberet vnde præciso nouo priuilegio, esset eximendus originali peccato, quia peccauit in Adam, eique essent applicata omnia ea quæ trahunt originale in prole: nam patrem exemptum fuisse ab incursione maculæ sui propriæ, est beneficium personale; nec se extendit vltra indiuiduam personam, nec sanat naturam corruptam: atque adeò eam relinquit in prioribus conditionibus, quarum vna est vt si ea debeat communicari & communicetur, non aliter id fiat, quam eo ipso modò, quo si persona particularis habeat vel non habeat in re peccatum originale: in ordine enim ad transfusionem originalis in re tantumdem est si pater sit baptizatus & originali mundatus, ac si sit paganus & in originali in re degens actualiter: in transfusione enim peccati originalis non attenditur quòd est persona; sed quòd est naturæ; ac proindè cùm natura corrupta remanet in præseruato ab originali, is eodem modo se habet in ordine ad transfusionem peccati originalis in posteros, ac ille qui in re contraxit, nec adhuc liberatus est ab originali formaliter.

7. Pro qua re apertè habes sanctum Thomam *in 3.d.3.art.1.q.prima*, vbi inquit, [Conditio specialis personalis à parentibus in prolem non transit nisi sit ad naturam corporalem pertinens:] qualis esset illa si sanaretur & sequitur, [& sanctificatio parentum in Virginem Beatam transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solùm quòd personæ est, sed id etiam quòd est naturæ in quantum huiusmodi,] quo patet hominem qui præseruatus è fuisset ab originali, vel præseruaretur ab eo de contrahendo si nullum aliud donum ei superadderetur, nec fomes illi extingueretur; filios vtique produceret cùm carne & ex carne peccati. Et idem confirmatur ex eodem sancto Doctore qui ad secundùm respondens ait (gratia sanctificans non omnino directè opponitur peccato originali, sed solùm prout peccatum originale personam inficit, est enim gratia perfectio personalis, peccatum vero originale est vitium naturæ, & ideo non oportet quod gratia sanctificans à parentibus traducatur, si peccatum originale traducatur:) quare cum homo per gratiam merè ab originali macula præseruatus, naturam adhuc vitiatam haberet, filios non nisi originali infectos generaret. Quã similem doctrinã repetit *3.p.q.27.a.2. ad 4.* vbi ponit duplicem sanctificationem personalem vnam in patria, aliam in via: & de hac secunda inquit, [Alia vero est sanctificatio personalis quæ non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem sed mentem: & ideo si parentes Beatæ Virginis fuerunt mundati à peccato originali, nihilominus Beata Virgo peccatum originale contraxit, cùm fuerit concepta secundùm carnis concupiscentiam ex commistione maris & fœminæ, dicit enim August. in lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 12. circa princ. tom. 7. omnem carnem quæ nascitur de concubitu, esse carnem peccati,] & idem habet *prima 2.q 81. a.3. ad 2.* Quare si quis pater à prima infusione animæ suæ habuerit gratiã relicto fomite, cùm

hæc

hæc gratia non attigerit carnem sed mentem, & de reliquo is generauerit per concubitum solitum, ex hoc omnino non tollitur, quin de carne peccati & carnem peccati generet: quare caro peccati non consistit neque infertur in originali aliquando in re & formaliter contracto in anima. Quæ doctrina etiam confirmatur ex variis locis S. Thomæ & S. Augustini qui absolutè docent quòd peccatum originale transfunditur à parentibus etiamsi generent sine vlla inordinatione; & neque delectatione, dummodo ex concupiscentia eorum habituali proles deriuetur: quia ex habituali immediatè & necessariò ea inficitur si non sit fomes extinctus. Et sic est interpretrádus Augustinus *cap.* 24. citatus à S. Thoma *1.c.3.p.art.3.in corp.* vbi ait [libido est, quæ peccatũ originale transmittit in prolem,] licet si intelligatur de libidine actuali, cùm hæc non repugnaret in homine qui præseruatus fuisset, ab originali, multò certiùs cùm hac libidine secundùm hos Doctores transfunderet originale, vtique de sua carne peccati, & generans carnem peccati quo nihil euidentius pro re concluſa.

8. Quòd autem non libido actualis: sed habitualis concupiscentia transfundat originale habes perspicue in S. Thoma *prima secundæ q.* 83 *ar.*4. *ad* 3. vbi ait: [Ad tertium dicendum quòd libido quæ transmittit peccatum originale in prolem non est libido actualis, quia dato quòd virtute diuina concederetur, quòd nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret peccatum originale in prolem, sed libido illa est intelligenda habitualiter, secundùm quòd appetitus sensitiuus non continetur sub ratione formæ vinculo originalis iustitiæ & talis libido in omnibus est æqualis.

§. VI.

Efficacissimè iterum probatur quòd dictum de Beatissima Virgine concepta in peccato non concludat in ea contractionem originalis formaliter sumpti, quia benè cohærent immunitas ab originali in re, cùm dicto Conceptionis in peccato.

1. AD euidentiam ferè ostenditur benè cohærere, hæc duo dicta, scilicet animam Dei genitricis non fuisse priuatam gratia in prima infusione animæ eius in corpus; & in Conceptione carnali potuisse rectè dici conceptam in peccato; quia ponamus quòd per absolutam Dei potentiam, & ex speciali gratia Dei aliquis sanctus sit ab originali præseruatus in re, non tamen extincto eius fomite, neque is fuerit excluſus à pacto habito à Deo cùm Adamo; quis potest dubitare, quòd sicuti vt vidimus hic homo habet carnem peccati, & de carne peccati generaret, ita deberet dici conceptus in sua seminum Conceptione in peccato? Quare, cùm de reliquo in re originale non contraheret apertè constant quòd benè cohærent hæc duo, concipi in peccato, & fore, & esse immunem ab originali in re: nulliter ergo ad euidentiam liquet quod inferatur contraxisse Virginem peccatum originale in re, ex eo quia dicta sit concepta in peccato.

2. Neque dicas quòd dici Virginem conceptam in peccato debet intelligi dictum pro signo primæ infusionis animæ eius in corpus; nam esto possit dici quòd hæc propositio in antiquis potuerit habere hunc sensum; quis nisi fatuus positis dictis, non videt, quòd loquendo de Conceptione carnali benè potuit intelligi etiam in antiquis dictus vnus aliquis sanctus priuilegiatus conceptus carnaliter, & antecedenter ad animationem: quare cum hic talis sanctus vir non posset dici in tali statu, quòd non haberet debitum contrahendi originale, omninò esset dicendus conceptus in peccato; & non sine peccato, in ea scilicet acceptione peccati, quæ pro tali signo habet locum, & in antiquitate est vsurpata, videlicet agendo de peccato causaliter non formaliter dicto.

3. Id quòd vlterius ostenditur, quia etiam pro præsenti tempore, si sermo esset de Conceptione hominis, quæ haberetur ex coniugio legitimo, & parentum sanctorum, nec non ex priuilegio in infusione animæ rationalis esset is gratia sanctificante decorandus, malè negaretur in actu Conceptionis carnalis quòd esset conceptus sine peccato, absolutè prolato hoc sermone, & parum tuta in fide esset hæc propositio negatiua nullo alio addito facto: ergo omninò vera esset absoluta propositio, qua diceretur iste homo conceptus in peccato. Nam quemadmodum de sua Conceptione propter peccatum protulit Iob, & Ieremias: *Pereat dies in qua natus, & nõ in qua cõceptus est homo*, ita vt hoc ipsum de quolibet homine sic Concepto verificaretur, sicuti etiam de omni homine dictum est, & dici potest de quolibet quòd sit conceptus de immundo semine; ita similiter deberet dici de istiusmodi, quòd verè conciperetur in peccato, & in peccatis conciperet eum mater eius ex auctoritate Psalmistæ. Rectè ergo congruunt hæc duo, videlicet dici aliquem concipi in peccato, & ex priuilegio in prima infusione animæ rationalis eumdem gratia sanctificante imbui, & per consequens non valet inferre ex dicto. Quòd aliquis concipiatur in peccato; quod non possit in prima infusione animæ suæ, sanctitate decorari ex priuilegio; & primum debeat inferre priuationem gratiæ, in anima, & negationem priuilegij de eius collatione.

4. Quæ veritas maximè confirmatur ex doctrina immediatè in antecedenti posita, quòd ex carne peccati non possit inferri in eam habente, vel trahente, verùm peccatum originis, scilicet in anima formaliter residens; quare à simili neque ex dicto, quòd quis concipi fateatur in peccato, potest concludi quod in sui prima rationali animatione, verò peccato originali

originali & in re subiaceat; nam caro peccati omnino supponit Conceptionem in peccato, nisi enim aliqua caro in peccato concipiatur, denominationem carnis peccati non habet, quæ tota refunditur ex Patribus in concubitum maris & fœminæ, & processum per viam seminalem, & mediante libidine, vel actuali, vel habituali, prout dictum est, & dicetur infrà latè.

5. Ostenditur autem hæc nostra assertio valdè efficaciter, quia licet aduertere in Doctoribus sacris vtrumque modum dicendi, & quod Virgo sit concepta in peccato, & quod vero originali non sit infecta, sed ab eo immunis fuerit, & illibata; & primo ea patet ex Bacconio *lib. 3. quodlib. quæstione 13.* vbi Virginem contraxisse originale confitetur: *Et in 4. dist. 2. quæst. 3. art. 3.* ab ea verum originale penitus auertit, cuius verba quia recitanda sunt per extensum *in Trutina breuiori in fine opusculi cap. 6. §. 2.* iterum hîc non adduco. Et liquet probatio quia Bacconius fuit vnus ex præcipuis propugnatoribus Immaculatæ Conceptionis.

6. Notata item hæc veritas elucet luce clariori in S. Thoma ipsissimo, qui *Opusculo 8. de salutatione Angelica*, explicitissimè Virginem sanctissimam, sicuti *in primo sententiarum* repetit immunem ab originali, & ibidem sentit illam in peccato originali conceptam, facta comparatione cum Christo dicens, [Sed Christus excellit Beatam Virginem in hoc, quod sine originali conceptus, & natus est. Beata autem Virgo in originali est concepta, sed non nata.] Et quamquam in præsenti Opusculum hoc deprauatum fuerit, non propterea rei veritatem non prædicat. Nam ad euidentiam constat ex tabellis obsignatis similia loca sancti Thomæ deprauata, & decurtata fuisse; quare dum antiqui auctores grauissimi & veracissimè citent hæc eius verba verum originale excludentia à Beata Domina & reliqua de Conceptione in peccato replicentur in eodem opusculo, constat nostra assertia notatio ad euidentiam; vbi non admitto vlla ratione quod scilicet sicut deprauatum fuit Opusculum in assertis verbis de immunitate ab originali decurtatis, ita etiam fuerit deprauatum in vsurpatione, & additione dicti quòd fuerit in peccato concepta. Nam cum sæpè sæpiùs, & perpetuo sanctus Thomas scripserit sanctissimam Virginem in peccato conceptam cum in sententiis, tum in quæstionibus disputatis, tum etiam in quodlibetis, & in summa; non est vllo modo putandum ex hoc quod eamdē doctrinam non tradiderit in Opusculo, & omnino dicendum quod cum eam conuixerit cum immunitate absoluta Virginis ab originali, putauerit verè hæc duo benè & optimè posse cohærere, & de facto sibi inuicem congruere.

7. Testes autem rei quam adduximus sunt vt notant communiter recentiores Petrus Canisius *primo lib. de B. Virgine c. 6.* vir sanctitate celebris, & de quo acta ad Canonizationem formata sunt, cuique præsenti maximè detulit Concilium Trident. in iis, quæ ad vltimas hæreses in Germania spectabant. Præterea Alphonsus Salmeron *Epist. ad Romanos disp. 51.* qui maximè in eadem sanctitate & doctrina enituit teste Toscano Episcopo è Dominicana familia; nec non Henricus Henriquez *in summa lib. 1. de Sacramentis cap. 11.* vir notissimus, & doctrina celeberrimus suis temporibus. Et Bernard. de Busto *in Officio de Conceptione approbato à Sixto IV. Octaua die lect. 1.* verba S. Thomæ sunt eiusmodi: [Maria purissima fuit quantum ad culpam; nam nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit:] Addit Canisius loco citato Cardinalem Turrecrematam hæc verba S. Thomæ recognoscere vt propria sancti Doctoris in dicto Opusculo. Quare patet intolerabilis falsificatio huius textus. Nam loco dictorum verborum, quæ rectè congruunt cùm antecedentibus, quæ sunt [Gratia Dei datur quantum ad duo scilicet ad bonum operandum, & malum vitandum; & quantum ad illa duo perfectissimam gratiam habuit B. Virgo,] falsarij incongruenter subdidere, Nam ipsa omne peccatum vitauit magis, quam aliquis sanctus post Christum; peccatum enim aut est originale, & de isto fuit mundata in vtero; aut mortale, & veniale, & de istis libera fuit,] Et deinde subdidere comparationem cum Christo supra positam, quæ videntur istis connexa, atque adeo falsa addita: licet neque contra immaculatam probent; nam solùm infectam probant Conceptionem carnalem Virginis alibi vsurpatam à S. Thoma: hæc autē falsificatio S. Thomæ in hoc loco eo magis persuadetur, quod constat alia factatextui alteri S. Tho. *ad Galat. 3. lect. 6.* vt videbimus alias.

8. Hos eosdem modos loquendi frequenter etiam vsurpauit Riccardus de S. Laurentio, qui floruit ante quadringentos annos teste Neribergh *Epist. 11. de Immaculata Concept. initio*, qui tamen eo benè ponderante omnino ab anima Virginis pluribus in locis verum peccatum originale, expulit, quem nos latè ponderabimus, & ad amussim Opusculo de sensu Patrum, & Sanctorum pro Immaculato Conceptu, nec bis idem est agendum. Vbi solum noto quod ad assumptum significandum scripserit quod ita possit dici Virgo concepta in conceptu, vt dicatur in gratia re concepta, & in Conceptione celebranda notans pro reconceptione primam infusionem animæ, atque adeo propter hanc secundam non absolutè peccato affectam dicendam; sed ita vt locum dederit primæ gratiæ in infusione animæ. Nam si loqueretur de sanctificatione, quam habuerit post contractionem originalis in re, non diceret aliquid singulare, & speciatim in ea celebrandum cum simile quid euenerit aliis Sanctis in vtero, & statim post primam animationem, vt filiis in vtero matrum propter Christum occisarum, & in omnibus, qui per Baptismum regenerantur communiter.

9. Hoc idem clarè liquet similiter in S. Vincentio Ferrerio prout citatur communiter ab Aduersantibus, tamen falsò vt notat Neribergh qui manifestè de reliquo subscribit Immaculato Conceptui, vt suo loco videbimus. Nec nō hoc ipsum aduertit idem Neribergh in Philippo Diacono, qui floruit circa tempora S. Bernardi, & suo loco notabimus.

10. Nec in alio sensu loquutū esse Anselmum, Bernardū, & Rupertū censendum est, dum aliquibus locis videntur admittere peccatum in Concept. seminū Virginis, & de reliquo eam mundissimam prædicant variis locis, & ab ipso originali immunem; quòd maximè elucet in S.

Anſelmo,qui cùm Chriſtũ Dominum conceptũ ſine originali in lib.*Cur Deus homo*,priùs à ſe cõpoſito dixerit,ex eo,Quia ſine ſemine cõceptus; cum Bonoſius ad hanc contradiſtinctionẽ,Virginem in peccato conceptam aſſeueraſſet,non potuit abſolute id ei negare,ac proinde ibi eum expreſsè nõ correxit,ſed ſtatim principia & fundamenta explicauit,vnde Virgo potuit hanc immunditiam,quam ex Conceptione carnali traheret, & de qua ipſe fusè loquutus fuerat explicitè;omninò vitare;vnde tandem talé eam fuiſſe concluſit,vt ex ea etiam Chriſtus diceretur mũdus,ſcilicet extrinſecè; & quia filius fuit matris. múdiſſimæ,quo vtráq,hęc dicta cohęrere voluit

11.Quòd confirmatur,quia libro de conceptu Virginali, quem Lugduni compoſuit poſt librũ dictum;*Cur Deus homo*,vt notat Edinerus;relinquens ea,quæ dixerat,ſeu permiſerat Bonoſio de Conceptione Virginis carnali totus eſt in explicanda omnimoda, &ſupra excellenti puritate Deiparæ in eo gradu maiori,qui poſſet intelligi, quo loco *cap.* 18. citat ſe ipſum in libro dicto ptius compoſito *Cur Deus homo*,& confirmat,& magis declarat munditiam excelſam Virginis, & expreſsè tradit,quòd etiamſi Chriſtus de peccatrice proceſſiſſet, non propterea immunditiã contraxiſſet,atque adeo non ex neceſſitate,ſed ex decentia,ex ſancta, & munda Virgine proceſſerit.Quare cùm verè de peccatrice proceſſiſſet,ſi originali fuiſſet infecta Virgo; & S. Anſelmus ſcribat quod non de peccatrice, ſed de munda proceſſerit Chriſtus, apertiſſimè à Virgine originale expulit,& certè ab anima eius; eſto corpori,& carni,& conceptioni eius carnali debitũ peccati,vel proximum,vel remotum conceſſerit. Vnde ſcripſit *cap.* 21.de conceptu Virginis: [Vt mihi videtur de peccato quidem originali ſicut propoſui ſufficienter oſtenſum eſt,quomodo ad hominem de Virgine conceptum, nulla ratione deſcendere à parentibus potuit,ſed potius iuſtus beatus fieri ratione exigente,debuit; quamobrẽ quoniam de iuſto Patre ſecundum diuinam, & dẽ iuſta matre ſecundum humanam naturam iuſtus ab ipſa origine, vt ita dicam, ſit,natus eſt: non incongruè pro originali iniuſtitia,iuſtitiam originalem habere dicendus eſt, ac de perſonali iniuſtitia ſuperfluum eſt diſputare, quod ad illũ non attigerit, quoniam in illo humana natura numquam fuit ſine diuina.] In quibus vltimis verbis contradiſtinguit Anſelmus puritatem & iuſtitiam originalem à perſonali, in quantum ſcilicet prima in Chriſto traditur à Virgine à qua originatus fuit, eumque præ ſua munditia extrinſecè decorauit in origine mundum; quòd non poteſt intelligi de munditie, quam habent omnes matres communes, quæ contraxere originale, & deinde fuere per ſuperuenientem ſanctitatem mundatæ; ſed de ea qua præſeruata fuerit ab immunditia & originali in re.

12.Atque hæc pro ſenſu S.Anſelmi;& ſimilia his habentur in S.Bernardo,& Ruperto, vt aliàs vidimus, & trademus in Opuſculo de hac re proprio Quæ doctrina item comprobabitur valere in Alberto magno,S Bonauentura,& Alenſi, qui ſimiliter loqui videntur. Et ne bis actum idem agamus,prætermittimus hic afferre eorum dicta pro cohærentia horum dictorum, quæ inueniuntur in ipſis Lectorem remittentes ad tractatum & Opuſculum quòd expendet minutim, quæ ipſi in hac materia dixerunt, & pro Alberto magno poteſt videri Neribergh, *Epiſt.*6. nec pro hac re videtur poſſe dici plenius.

13.Sed adhuc doctrina data poteſt rectè confirmari ex Arneſto primo Archiepiſcopo Pragæ,qui mortuo Innocentio VI. Pontifice Maximo anno circiter 1362.in Papam fuit ab aliquibus Cardinalibus nominatus, & digitum S. Nicolai,quẽ incœpit diuidere Carolus IV. ſanguinem fundentem, ſuis precibus redintegrauit: hîc enim Sanctus, & eximius vir in doctrina præclarus,in prærogatiuis Virginis, ſeu Mariali ſcripſit *cap.* 151. oſtendens quod in conceptione Virginis fuerit aliquid tenebroſum, quod eſt illud quod cæteri Doctores dixere eam conceptã in originali,in cõceptione ſcilicet carnali:& tursũ quòd fuerit lucidum,& lux,in Conceptione ſcilicet naturæ,in qua anima eius fuit ſancta; atque adeo declarat cohærere hæc duo. Verba eius ſunt citata à Neribergh in diſſertationibus Epiſtolicis epiſt. 19. [Sicut aurora conſurgens partem habet de caligine noctis,partem vero de luce diei, ita in Conceptione Virginis, duplex fuit actus,ſcilicet actus perſonæ,& actus naturæ, ſecundum quod ibi fuit actus perſonæ, ſic ibi fuit voluntas mouens, & charitas,& gratia, & Spiritus S.]Et paulò poſt: [In quantum verò conſideratur vt actus naturæ, ſic ibi fuit natura mouens,& fomes peccati,quia ſic fuit ille actus ordinatus ad peccatum Adæ,& fuit ibi libido,& quaſi caligo noctis;& deinde:]Quare culpantur fideles deuoti,qui in die Conceptionis tanti luminis in die exultant laudibus, & de tanto munere gratias agunt Domino,bonorum omnium largitori: habent enim oculum non ad opus naturæ, ſed ad donum Dei, pro quo gratias referunt Creatori;& immediatè poſt clarius: [Item habent oculum non ſolum ad conceptionem, quæ fuit in infuſione ſeminis ſuſcepti à viro,ſed ad illã quæ fuit in infuſione animæ datæ à Deo, tunc enim completa eſt Conceptio,quando animæ,& corporis facta eſt ſuſceptio, & iſta Conceptione potuit ſanctificari; quod & factum fuiſſe pie creditur;alioquin quidquid boni puræ creaturæ dari potuit ei minimè datum eſſet.Habent enim oculum ad illam Concept. Virginis, de qua ab origine mundi gaudent Angeli,& collaudant Filium Dei, vnde ipſa ait:nondum erant abyſſi & ego iam concepta eram:] Quo nihil clarius pro re noſtra,

14.Quod lucẽ etiam præfert ad oſtendendum, quod ſimile quid voluit S.Antoninus Florentin. qui tradidit in Virginis Conceptione aliquas tenebras,& de cætero animã eius omnino videtur voluiſſe ſine originali formaliter ſumpto. Nam de ea dixit quod non indiguerit baptiſmo:ſi autem per momentum etiã originali verò ſubiecta fuiſſet ipſius animæ, omnino indiguiſſet baptiſmo,ſicuti eo indiguere & indigent omnes, qui licet ſanctificati ſint per actum dilectionis Dei ante baptiſmũ, neceſſe habent baptiſmi:de quo alias fusè agemus in Opuſculo de ſenſu Patrũ, quando ad S. Antonipum verba conuertemus.

DIVISIO VI.

Demonſtratur ex aliis PP. compluribus concipi in peccato,datum Virgini ſanctiſſimæ eſſe ſumẽdum de Conceptione ſeminum, quia de ea loquentes, ſeu de carne eius in tali ſtatu dicunt ea mundam.

1. QVemadmodum Aduerſantes putant non poſſe Conceptioni ſeminum in Virgine

gine dari peccatum à Patribus, sed omnino illud dari debere Conceptioni naturæ, ita munditiem Conceptionis, & sanctitatem corporis & carnis eius eidem concedi non posse autumare debent, quia eo modo caro est incapax, præcisâ animâ, sanctitatis, sicuti & peccati. Vnde S. Bonauentura *in* 3. *d.* 3. *art.* 1. *qu.* 1. *in corp.* scripsit: [Sanctificatio habet esse per aliquod donum gratuitum sup. raddittum, quod quidem non habet esse in carne, sed in anima:] Et tertium addit: [Ideo si caro B. Virginis dicitur sanctificari, ait hoc intelligitur mediatè gratia existente in animabus parentum: Et neutro modo dicit potuisse carnem Virginis dici, & esse puram, & sanctam, seu sanctificari potuisse positis scilicet ponendis: nam non negat hoc attenta Dei potentia contingere potuisse, vti ibidem scripsit: vbi expressè concessit non esse dubium, quod Deus potuerit mundificare ipsam carnem Virginis. Registrentur verba sancti Doctoris, quæ sunt sequentia: [Respondeo dicendum quod caro Virginis non fuit sanctificata, non quia Deus non potuerit carnem Virginis purificare antequam animare, sed quia sanctificatio habet esse per aliquod donum gratuitum superadditum, quod quidem non habet esse in carne, sed in anima: &] & S. Thomas hoc etiam videtur supponere *in* 3. *p. q.* 27. *art.* 2. vbi ait, quod quomodocumque, caro Virginis fuerit sancta, non potuit eo tunc contrahere originale, & expresse ipse habet, quod si natura humana sanctur in parentibus, proles quæ ab eis nascitur non contrahit originale, & concedit in tali carne munditiem illam, quæ sit talis, vt non inficiat originali animam rationalem: Si ergo in Patribus habemus carnem & corpus Virginis vel ea, quæ concurrunt ad Conceptionem; sancta vel munda dici ab ipsis, vel aliquid æquiualens; omnino existimandum est, quòd sicuti hoc intelligitur non de formali sanctitate, quæ habeatur per gratiæ infusionem in carne antecedenter ad animam, sed per destinationem eiusdem carnis ad habendam sanctitatem pro primo instanti infusionis animæ; ita debet intelligi debita seruata proportione, quòd quando eadem caro vel Virgo dicitur in statu Conceptionis in peccato concepta ab iisdem Patribus, ad summum hoc debet intelligi de carne sanctissimæ Virginis, prout obligata ad contrahendum originale tempore primæ animationis, atque adeo habentem peccatum causaliter, & quasi radicaliter & in debito; non autem formaliter, vt explicatum est. Nec solui potest paritas; nam sicuti destinatio ad munditiem & sanctitatem fecit apud aliquos Patres dici carnem Virginis, seu corpus eius, seu semen, ex quo generata est, mundum vel sanctum aut purum; ita pariter destinatio ad contrahendum originale, quòd voluere & admisere, ad summum aliqui Patres in Virgine bene eam potuerunt denominare conceptam in peccato, etiam præciso formali peccati originalis in re à sanctissima Virgine, vt patet. Ex quo euidenter sequitur quod quando aliqui Patres vel sancti dixere Deiparam sanctissimam in peccato, non potest inferri vlla probabili ratione, quòd voluerint in illa vera peccati formalia, sed meram destinationem dictam, & meritè peccatum in debito. Vbi notet Lector, quòd non propterea hîc absolutè damus, quòd quando ab aliquibus Patribus caro Virginis vel Virgo dicitur concepta de peccato, vel in peccato, quòd propterea absolutè dicamus eosdem Patres voluisse debitum proximum originalis in Virgine: nam de hac re alibi controuertemus latiùs, neque id in præsenti de eis statuimus: sed modo damus hoc Aduersariis, quando de hoc puncto non controuertimus: nec hoc volumus in præsenti vt summè certum in Ecclesia. Damus nunc id ipsis, ne nobis sint molesti ad statuendum quòd in anima sanctissimæ Virginis numquam residentiam habuit, neque per indiuisibile temporis, verè formale vllum peccati originalis, seu originale in re distinctum ab eodem debito,

2. Quibus positis licet recensere frequentes Patres, qui sanctissimam Virginem in statu Conceptionis seminum, vel ipsam, vel carnem eius, vel semen, vel corpus voluere sanctum, vel mundum, quorum loca etsi expendemus subtiliter, quando ea afferimus pro immaculata Conceptione pronunciantia, in præsenti cursim referimus, quantum satis est nostrum præsens propositum, ibidem remittentes Lectorem Opusculo videlicet *de sensu Patrum*, vt si quid de hac re dubij Lectori occurrit, quominus Patres non essent dicendi loqui de Virgine in tali statu, plane sibi satisfactum esse animaduerterat; nam in hoc ibi laborauimus, & Deo fauente videmur rem demonstrasse, sicuti etiam mera & breui hac præsenti recitatione eorum potest aduerti: nam 1. Basilius *Orat. de Natiuitate Domini.* Carnem Virginis dicit compactam ex sanctitate, vbi verbum, *compacta*, manifestè explicat statum eius in coagulatione partium organicarum, quæ in Conceptione seminis formantur.

3. Damascenus similiter loquens, *Oratione prima de Natiuitate* de semine, quo formata est sanctissima Virgo à suis parentibus ait: [Ex quibus immaculatum semen effluxit:] In oppositum scilicet eorum qui *Iob* 14. dicuntur de immundo concepti semine, qui sunt omnes alij filij Adæ, Est etiam pro hac re, vt ibi vidimus, Sanctus Ambrosius, qui loquens de carne Virginis ante assumptionem à Verbo pro tempore Conceptionis eius, vt ibidem ostendimus, expiatam dicit & factam puram, atque adeo vel ante Conceptionem, vel initio eius, vel saltem in medio eiusdem purâ asseruit; quòd ad nostrum propositum sufficit, quo volumus ostendere, quòd caro Virginis antè animationem dicatur purificata à Patribus, vt in eodem sensu ostendamus posse dici in peccato ante eamdem animationem. Eumdem sensum habemus in Sophr. *Epist. ad Sergium*, qui ait Virginem liberam ab omni contagione animæ & corporis, & per consequens exclusit in statu Conceptionis ab eadem Virgine maculam peccati, quòd

replicatur à pluribus aliis Patribus videlicet Cypriano Nazianzeno, Prudentio Strabone, Germano, Damasceno, Nicephoro, Constantinopolitano Episcopo apud Salazarium in sæculis, & quam pluribus aliis Patribus Græcis, de quibus alibi & præcipuè à 6. Synodo sub Agathone *act.* 18. apud eundem Salazarium, & nos alibi.

Sic Damianus expressè de Assumptione Virginis, [Caro Virginis Mariæ ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit, & nihil vitij in eius mente, nihil in corpore;] & prius ipso Idiota, [Tota pulchra es in Conceptione,] nec eo tempore erat alia Conceptio, quàm illa seminum dicta sic à Patribus.

4. Anselmus *epist. de Concept.* Carnem Virginis & Conceptionem carnalem explicitissimè tradit sanctam & puram. *Et lib. de excellentia Virg. cap.* 3. vel si ipse, non est alius antiquus Pater: [Nulli dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectam;] & manifestissimè loquitur de statu Conceptionis seminum. S. Fulbertus in idem recidit, dum scribit serm. de Nativ. [In huius Conceptione haud dubium est, quin vtrumque parentem viuificus & ardens spiritus singulari munere repleuerit:] quo loco vt videbimus, dubitari non potest sermonem esse de Conceptione ante animationem. Confirmat eumdem sensum Ildephonsus, qui absurdum putat Virginem dici habuisse carnem peccati, & in totum extraneam eam dicit à maledicto primæ damnationis. Et coniuncta præsertim cum his Patribus maximi & summi ponderis debet esse reuelatio frequens habita à sancta Brigitta de carne Deiparæ in Conceptione eius putissimæ *Serm. 5. de excellentia Virginis cap.* 1. Vbi aduerte Lector quanto plures sunt Patres, qui Conceptionem carnalem sanctissimæ Virginis dicunt puram & sine peccato, quam ij, qui cum peccato eam videntur dare; licet quando eam in peccato dicunt, vel de peccato, benè possunt & debent exponi, vel de debito remoto, vel de peccato patentum quòd videlicet est concupiscentia, vel simili. Huc aduoca omnes probationes ex Patribus allatas ad demonstrandum Conceptionem Virginis fuisse à Spiritu sancto operatam breuissimo tempore; & Patres dicentes carnem Virginis ab eodem fabricatam, quæ ostendunt eamdem voluisse puram, & per consequens etiam antecedenter ad animationem vsurpauisse in ea Immunitatem à peccato; quòd indicium manifestum est, quòd si alij Patres eidem dedere peccatum; pro eodem statu, & non pro illo animationis, illud ei dedere, quòd est, quòd modò censemus debere esse certissimum in sensu Patrum, atque adeò nullum esse omne prorsus argumentum inde sumptum ab Aduersariis, quòd est maximum & ferè vnicum Aduersariorum argumentum: quo penitus ruente, vt liquet, funditus ruit omne eorum fundamentum, & quæcumque eorum sententiæ etiam vmbratilis probabilitas ni fallor. De quo iudicent viri docti, & sancta Mater Ecclesia.

6. Quam virtutem vlteriùs efficacissimè probant replicata Ecclesiæ Græcæ dicta, in quibus expressè Conceptio Deiparæ appellatur & celebratur sancta, munda & pura: nec non ipsa Virgo in actu Conceptionis carnalis pura, quæ habes, *Diuis. penultima huius disput.* Quemadmodum ergo conuenere Patres Græci in sensu quo dicerent Conceptionem carnalem Dei matris sanctam & puram, non sanctitate vera pro eo tempore efficiente carnem; sed vel pro signo infusionis animæ, & ordinabiliter, & destinabiliter in carne, quia erat ea caro ita purificata, vt ei deberetur anima sine actuali macula originali: ita ex alia consideratione quando aliqui Patres eam consideruere ortam & propagatam ex semine infecto & pro signo pro quo seminis mistura, incœpit Conceptionem, vel etiam ipsa Conceptio initio sui potuit ab aliquibus Patribus æstimari adhuc infecta modo dicto & apta inficere animam; benè potuit denominare Virginem conceptam in peccato, non tamen formaliter accepto, & vt sic propriè in carne Virginis residente. Quamobrem ex hoc etiam capite elucet quòd hæc denominatio Conceptionis in peccato non infert formaliter in Virgine peccatum, quemadmodum sanctitas Conceptionis carnalis data à Patribus Virgini in eo signo nó concludit in ea neque in carne sua sanctitatem formaliter. Cui discursui non video quid possit rationabiliter opponi.

7. Nec est præter dicta hæc & notata prætermittendum, quod aliqui Patres de ipsa Virgine loquentes vt sancta, pro statu carnali non iam Conceptionis explicatæ, sed antecedenter ad illam quando fuit in lumbis Patris sui Ioachimi: quemadmodum considerat & laudat eam vt sactam Leo Imperator, *in oratione de Conceptione Deipara.* Vnde à fortiori patet, quòd quemadmodum pro statu pro quo erat ea minus capax propriæ & veræ sanctitatis, sanctitate laudatur; ita ab aliis Patribus potuit notari peccato infecta; nullo concesso ab eis peccato vero in anima eius, quòd apertè secundum ipsos à Virgine fuit reiectum.

Animaduertantur verba supradicti Leonis in oratione citata qui ait: [Cùm adhuc in lumbis parentis contineretis, genitor tuus clamabat Deus, audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum & domum Patris tui: Audisti verè filia commonitionem, & oblita es populi tui, & sortis & domus paternæ. Sortis videlicet quam Eua progenitrix toti generi humano distribuit infinito illo affectuum, passionum & animi perturbationum cumulo hæreditario relicto, at nihil horum tu in domum tuam intulisti:] Quo loco cum Doctissimus Imperator attribuit Virgini electionem sanctitatis sibi oblatam à Deo, omnino sanctam prædicat sine eo statu & multo magis talem dicit in statu Conceptionis, quando erat decimata à lumbis Patris sui, & suum esse initiauerit in corpore. Quo rectè patet, quòd si ex aliquo capite aliqui Patres eam agnouere obnoxiam & obligatam contrahere originale, benè potuerunt eam absque eo quod eandem voluerit vero originali maculare, in peccato conceptam enunciare. Nam pari ratione dictus Leo cum Ecclesia Græca ab illo immunem Virginem scripsit dicens. In oratione de Annunciatione

[Mors-

[Mors eius præcipitem impetum reprimere nullus potuit ad te perueniens stetit, vltra pergendi facultate sublata:] Vbi vel mortem spiritualem auertit originalis propriam, vel corporalem vt propriam veri peccati à se contracti; & sic omnino ab ea repulit originale formaliter sumptum.

Leoni consonat sanctus Sabbas collector Menæorum Græcorum die 18. Ianuarij. Ode de S. Cyrillo, vbi ait. [De te enim sola publicè constat quòd ab æterno munda extiteris.] Quare si mundities Dei matri datur antequam sit, benè potuit ex iis quæ fert natura dari illi à Patribus peccatum in sola Conceptione carnali. Pro quo alios Patres in magno numero aduertes similiter loqui in confirmationem asserti. Eosque habebis in proprio eorum sensus Opusculo.

DIVISIO VII.

Ex sancto Thoma demonstratur quod concipi & dici conceptam sanctissimam Virginem in peccato originali, non importet in eius anima formale peccati, sed vel debitum eius in carne, vel ad summum idem debitum in anima.

1. HÆc Doctrina S. Thomæ esset in eo aduertenda potius in Opusculo peculiari habendo de sensu S. Doctoris circa Immaculatam Conceptionem. Nihilominus quia eam vidimus in Patribus, valdè hîc valeret ostendere quòd ab eis non discordauerit Doctor: quo concludi posset euidenter, quod vsque ad S. Thomam inclusiuè non solùm Conceptionis nomen, & rursum nomen Conceptionis in peccato: sed etiam dictum Conceptionis in peccato applicatum Virgini sanctissimæ vsque ad D. Thomam inclusiuè, semper importauerit peccatum originale in carne Virginis ad summum vt inficiente animam, & debitricem eam constituente peccati originalis secundum sua formalia, non verò tradiderit ipsum originale secundum sua formalia in re in anima Virginis. Quamobrem placet hîc, quòd sicuti vidimus apud sanctum Doctorem, quod concipi aliquem hominem, vel concipi in peccato non dicitur ab eo propter peccati formalia in anima hominis, ita videamus, quod hoc ipsum contingat in ipso, quando Virginem dicit conceptam in peccato originali. Id quod ostendemus, quia dum hoc dictum de ea vsurpat S. Thomas non loquitur de statu eius animationis, sed meræ organizationis corporis sui. Id quod probatur primò, quia sicut ipse de Conceptione seminum loquitur, quando de Conceptione specificat in Virgine, non est intelligendus loqui de Conceptione alia, v.g. naturæ humanæ, alioquin non sumeret nomen Conceptionis in significato naturali, quod suo tempore habebat, & daret alium sensum Conceptioni in communi ab eo, quem traderet Conceptioni in particulari sine vlla ratione, quæ esset vitiosa vsurpatio nominis ad significandum id, quòd ex sua ratione non haberet, vt liquidum est, & patet à pari de similibus; quia si nomen natiuitatis solet applicari tantum viuentibus, malè vsurparetur in particulari ad significandam generationem inanimatorum v.g. ignis, & similium. Similiter si nomen filiationis, quod ex sua ratione conuenit genitis in perfecta imagine prodeuntibus à viuentibus generantibus, non possit applicari pomis vel floribus prodeuntibus ab arboribus; sic in casu nostro dum tam apertè vidimus, quòd apud sanctum hunc Doctorem Conceptio in peccato non extrahatur ab organizatione corporis humani; quando hæc eadem Conceptio in peccato ab eo traditur sanctissimæ Virgini, non debet, neque potest intelligi, quod non contrahatur à simili organizatione corporis sui, seu à Conceptione seminum eiusdem Virginis, nec vllo modo transferenda est ad Conceptionem humanitatis eius.

2. Secundo patet hæc eadem acceptio Conceptionis Virginis in peccato pro ea seminis ex S. Thom. *in 3 sent. dist. 3. qu. 1.* qui instituit ibi quæstionem, vtrum B. Virgo fuerit antè sanctificata, quàm Conceptio eius finiretur; & vt supra vidimus, de Conceptione loquitur præcedente, & contradistincta ab animatione, & de ea quærit, an sanctificata fuerit ante suum complementum, & finem, in quo habetur anima; ergo omnino supponit eiusmodi Conceptionem in peccato, de quo esset sanctificanda, vt ipsemet explicat *in toto articulo*.

3. Tertio perpiscuè hoc ostenditur ex argumentis, quæ proponit ad probandam affirmatiuam; nam in primis duobus proponit, quod sanctificari congruè potuit in parentibus, atque adeò ante Conceptionem, vbi omnino loquitur de Conceptione seminum, quæ habetur ab illis: & in tertio expressiùs dicit: [Id quod est meritorium gratiæ sanctificationi non repugnat, sed actus matrimonialis meritorius esse potest, ergo in ipso concubitu materiali parentum Beatæ Virginis ipsa sanctificari potuit.] Sed hæc Conceptio habita in tali concubitu non est nisi Conceptio seminum; ergo omnino de hac loquitur S. Thom. eamdemque supponit esse in peccato; nam quantum ad hoc nihil contradicit S. Thom. his argumentis contra se propositis imò expresè quod asserimus, confirmat in responsione ad illa; nam scribit respondens ad primum, [Parentes B. Virginis radix eius fuerunt per actum naturæ propagationi deseruientem: (scilicet per seminalem vt patet) vnde nisi natura in eis sanctificata fuisset, non potuit ex eis sancta proles concipi, sed vitiata propter vitium naturæ in eis remanens:] Vbi expresè loquitur de Conceptione seminum, quæ est per actum propagationi seruientem vt dixit *supra*, & in *respons. ad 3.* ait: [Ad tertium dicendum quod concubitus, quo B. Virgo concepta fuit, meritorius fuit:]

Sed hæc Conceptio correſpondens concubitui non poteſt eſſe niſi illa ſeminum, ergo de hac loquitur ibidem S. Thomas.

4. Quarto patet ex corpore articuli. Nam ſubdit S. Thomas: [Ad primam quæſtionem dicendum, quòd nullo modo in parentibus ſanctificari potuit, neque etiam in ipſo actu Conceptionis eius:] vbi liquet non loqui Sanctum de ſtatu animationis, nam loquitur de eo actu, in quo aliquid tranſit ex parentibus ad ipſam, quòd non eſt niſi ſemẽ; nam ſubdit: [Conditio enim ſpecialis perſonalis parentum non tranſit in prolem, niſi ſit ad naturam corporalem pertinens;] loquitur ergo de ea Conceptione, quæ habet aliquid corporale à parentibus, quòd nõ eſt niſi ſemen; ac proinde non niſi de Conceptione ſeminũ hîc loquitur.

5. Quinto ideſt magis perſpicuum, quia ſubdit: [In ſtatu viæ parentes eius curati non fuerunt, itavt prolem ſuam ſine originali peccato concipere poſſint; & ideo B. Virgo in peccato originali fuit concepta:] Sed hæc curatio tota eſt in ordine ad tranſmiſſionem ſeminis non corrupti, & procedentis à natura ſanata & integra; ergo omnino ſermo eſt S. Thomæ de Conceptione ſeminum non de alia humanitatis Virginis.

6. Sexto, id patet clariùs, quia ſequitur S. Thomas, [preter quòd B. Bernardus ad Lugdunenſes ſcribit Conceptionem illius non eſſe celebrandam, quamuis in quibuſdam Eccleſiis ex deuotione celebretur, non conſiderando Conceptionẽ, ſed potius ſanctificationem, quæ quando determinatè fuerit, incertum eſt:] Sed ſanctus Bernardus loquitur de Conceptione ſeminum, vt oſtendimus: ergo. Præterea de hac ea Conceptione hîc loquitur S. Thomas, quæ in comparationem cum ſanctificatione eſſet certa, & ſanctificatio incerta. Sed hæc non eſt niſi conceptio ſeminum; ergo de hac loquitur S. Thomas. Maior patet ex textu. Minor probatur, quia ſi ſermo eſſet de Conceptione, quæ eſſet naturæ humanæ Virginis & ſupponeret animationem, non poſſet dici certa reſpectu ſanctificationis incertæ, nam pro certo habetur ab ipſis Aduerſantibus, quòd ſtatim poſt animationem Virgo fuit ſanctificata, vt notat expreſsè ſanctus Thomas *quodlib. 5. a. 1. in corp.* videlicet vel per inſtans animationis, vel poſt aliquod minutum temporis.

7. Septimo idipſum eſt euidens in ſancto Thoma, quia inſtituens quæſtionem apertè hoc loco: an Beata Virgo fuerit ſanctificata antequam Conceptio eius finiretur, reſpondet quæſtioni dicens, [ideo ante infuſionem animæ rationalis B. Virgo ſanctificari non potuit] ac proinde ſupponit, quòd Conceptio ante ſuum finem non dicit animationem, & ſit omnino alia ab animatione, & per conſequens peccatum in Conceptione illi datum, non debet dari animæ eius, niſi in quantum infectio carnis eſt nãta inficere animam, videlicet tantum in debitrice potentia: vt ex aliàs dictis & dicendis liquere poteſt: poſito enim quòd aliquis concipiatur in peccato, ratione ſeminis tranſlatiui originalis; non poteſt anima rationalis in prima ſui infuſione in corpus non inquinari iſto debito, etiamſi omni ſanctitate induatur.

8. Octauo denique hæc veritas eſt luce clarior in S. Thoma; quia hoc loco in tantum negat Virginem ſanctificatam ante finem Cõceptionis, & vult illam in Conceptione non ſanctam, quia in Conceptione dicit illam incapacem gratiæ, vt patet ex textu: ergo omnino loquitur de Conceptione, quæ non ſupponit animationem. Si enim loqueretur de Conceptione dicente animationem, falſum eſſet, quòd pro tali ſtatu Beatiſſima Virgo non eſſet capax gratiæ: ergo verba S. Thomæ ſunt manifeſta. Nam dicit: [Vnde ſanctificatio tantum ad eos pertinet, qui gratiæ capaces ſunt, & quia proprium ſubiectum gratiæ eſt rationalis natura, ideo ante infuſionem animæ rationalis B. Virgo ſanctificari non potuit:] Quare oſtendit, quod in tali Conceptione, de qua ipſe loquebatur, non includebatur animatio. Eamdem hanc doctrinam tradit, & idem oſtendit S. Thomas *3. p. q. 37. a. 2.* Quem latè explicauimus de eius ſenſu circa Immaculatam Conceptionem, quare ſatis ſit hæc prælibaſſe de ſancto Doctore conueniente in dictis cum ſanctis Patribus.

DIVISIO VIII.

Ex nomine Conceptionis Chriſti in antiquitate applicato & ſignificante meram Conceptionem eius carnalem, concluditur, non niſi eamdem carnalem Virginis ſignificaſſe applicatum Deiparæ.

1. NOmine Conceptionis Chriſti Domini noſtri in tota antiquitate intellectam fuiſſe organizationẽ corporis eius, ex propria & prima ſignificatione, (licet cõſequenter poſtea admiſerit primam infuſionem animæ eius ſanctiſſimæ in corpore) poteſt clarè patere ex variis capitibus & primo quia in Symbolo fidei non niſi de Conceptione Chriſti ſub hac acceptione eſt ſermo: dicitur enim Chriſtus Dominus conceptus ex Spiritu S. & Maria Virgine: in quibus verbis non traditur opera Conceptionis Chriſti Spiritui S. prout Spiritus S. coniunxit animam Chriſti primo cum corpore vt patet: ſed prout eius opera interceſſit, informando & organizando eodem & ſolo corpore, vt habetur ex ſenſu totius Eccleſiæ & PP. Theologorum quòd apertè conſtare poteſt, tum in Patribus, tum in antiquis Theologis, & præſertim in S. Thoma *3. p. q. 32. art. 1. & 2.* & primo quidem *art. ad primum*, ſic habet: [Opus Conceptionis commune eſt toti Trinitati,] & deinde ſubdit quomodo tribuatur præcipuè Spiritui ſancto, [Spiritui ſancto attribuitur formatio corporis, quòd aſſumitur à Filio,] & explicat hoc ipſum paulò poſt dicens: [Sicut autem Virtus animæ quæ eſt in ſemine,

semine, per Spiritum, qui in semine includitur, formet corpus in generatione aliorum hominum, ita virtus Dei, quæ est ipse Filius, secundum illud 1. Cor. 1. Christum Dei virtutem, per Spiritum corpus formauit quod assumpsit, & hoc verba etiam Angeli annunciantis demonstrant, dicentis Spiritus sanctus superueniet in te quasi ad præparandam & formandam materiam corporis Christi: Vbi vides operam Spiritus sancti totam fuisse in Conceptione carnis Christi, nó in infusione animæ eius, & art. 2. apertius in corpore, [Respondeo dicendum quod Conceptio non attribuitur tantum corpori Christi, sed etiam ipsi Christo nomine ipsius corporis:] & de Spiritu sancto circa corpus ait, [Spiritus sanctus ad corpus habet habitudinem causæ efficientis,] & paulò post, [efficientia Spiritus sancti refertur ad corpus assumptum.] Idem probant quæ habentur ad tertium, ex dictis Sanctorum, qui dixere Spiritum sanctum in Conceptione Christi fuisse pro semine.

2. Patres autem in hanc rem frequentissimè scribunt. Sic Chrysostomus *Hom. 49. in Genes.* circa medium, loquitur in hæc verba [Ne quæras naturæ modum, quando super naturam sunt quæ fiunt.] Quod non potest intelligi de prima animatione. Chrysologus *sermone 143. de Annunciat. Virginis*, [Te gratia matrem prestitit, non natura, genitricem te dici pietas voluit, quam nominabat integritas in tuo conceptu; in tuo partu creuit pudor, auita castitas, integritas, roborata est, & solidata Virginitas.]

Nyssenus citatus à S. Thoma in Catena aurea, [Tabulas nostræ naturæ, quas culpa confregerat, denuo verus Legislator de terra nostra sibi dolauit absque concubitu diuinitatis suæ corpus susceptibile. Creans, quod scilpsit Spiritus superueniens Virgini.] Sanctus Hieronymus in vita sancti Iosaphat Regis refert Barlaam sic dicentem, [Cùm Deus perfectus esset, perfectus homo ex Spiritu sancto, & sancta Maria Virgine Dei genitrice efficitur, non ex viri semine, aut voluntate, aut concubitu, ex labis omnis experto Virginis vtero conceptus, sed ex Spiritu sancto: quemadmodum ante Conceptionem Archangelorum vnus missus est, qui nouam illam & admirandam Conceptionem Virgini nunciaret.] Bernardus *serm.* super missus est, [quid est, inquit, qui potest capere capiat. Quis enim excepta fortassis illaque hac sola quæ in se felicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis Virgineis sese visceribus infuderit, & vt illa inaccessibilem accedere ad se, ferre potuisset, de portiuncula eiusdem corporis, cui se animatæ contemperauit, reliquæ massæ vmbraculum fecerit? & fortasse propter hoc maximè dictum est, obumbrabit tibi, quia res nimirum in Sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola & cum sola Virgine voluit operari, sed datum est. Nosse cui soli datum est experiri? dicatur ergo, Spiritus sanctus superueniet in te, qui vtique sua potentia fœcundabit te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, hoc est illum modum quo de Spiritu sancto concipias Dei virtus & Dei Sapientia Christus, sic in suo sacratissimo consilio obumbrando continget & occultabit, quatenus sibi tantum, notus habeatur & tibi. Qui omnes modi loquendi, & alij frequentes apud Patres indigitant manifestè, quod opera Conceptionis Christi attributa à Patribus Spiritui sancto, non fuerit alio exercita, quam in prima formatione corporis Christi, & eius mera Conceptione carnali non vero circa primam infusionem animæ eius.

3. Idem persuadet opera, Sanctissimæ Virgini attributa in hac Conceptione Christi, siue actiua siue passiua, quæ in omnium sensu Theologorum & Patrum, non potest intelligi exercita circa primam animationem eius, quantum constat ex eorum verbis; vnde liquidò infertur quod de ea Conceptione fiat sermo à Patribus cum de illa Christi loquantur, quæ consistit in eius corporis organizatione, non de prima infusione suæ animæ; hoc autem euidentissimè ex Theologis qui quando controuertunt de opera actiua vel passiua Virginis circa conceptionem Christi, apertè se explicant loqui de actione aliqua, quam ipsa exercuerit in formatione corporis, vel receptione in eius vtero, materiq; præparatæ à Spiritu sancto; nec vnquam ij cogitauere in hac controuersia de actione, seu receptione primævæ animationis Christi Domini, vt patet in Suario, Vasquez, Rag. & aliis innumeris, qui citant alios: sic apud sua: *3. p. 2. Thom. disp. 10. sect. 2.* Habes quod B. Virgo habuit omnẽ efficientiam, quam necesse est habere fœminam, vt vera mater sit: Et subdit in eadem sect. §. suppono 4. [Vnde certum videtur habuisse Virginem aliquam actionem quasi concomitantem quam sine dubio habent matres quamdiu in vtero formatur corpus, vt rectè docuit D. Thom. *in 3. d. 3. q. 2. art. 1.*] & præterea Damascenus ab ipso adductus, *lib. 3. cap. 2.* tribuit Virgini ipsius formationis corporis Christi virtutem dicens, [Virtutem susceptiuam Verbi Dei tribuens;] cui consentit Anselmus *lib. de conceptu Virginis cap. 13. & 14.* quem sensum sequutus est Bonau. *in 3. d. 4. art. 1. q. 1.* Scot & Gabriel q. & n. & maior *q. 3. prima vero* S. Thomas *disp. 3. p. q. 31. art. ad 2.* & Caietanus *hic & in 22. q. 154. a. 12.* Ricc. *in 3. d. 3. art. 3.* Capreol. *d. 4.* & ibidem Paludanus *q. 2. in fine*, & Marsil. *q. 5. art. 2. ex Aristotele primo de generat. animalium cap. 20 & lib 2. cap. 4* qui negant matrem in Conceptione hominis actiuè se gerere, sed volunt merè passiuè se habere subministrando materiam. Ex quibus perspicuum fit, quod cum apud Patres sermo sit de Conceptione Christi attributa Virgini, non nisi de ea sint verba, quę consistunt in coagulatione corporis Christi, nullo habito respectu ad infusionem primam animæ sanctissimi Redemptoris. In quantum scilicet Virgo sanctissima illum dicta est concepisse: nam in omni sententia per nullum respectum quem Virgo habuisset ad primam animationem filij, denominationem habuit concipientis siue actiue, siue passiue: nec ex vllo textu Patrum oppositum potest coniectari, quantum videre potui. Vbi notandum quod si Virgo habuit virtutem à Spiritu sancto concipiendi Christum, euidenter hoc dictum est ex ordine ad organizationem corporis eius,

non

non ad primã infusionẽ animæ suæ. Hoc ipsum confirmatur quia inde Beata Virgo fuit Mater Christi, quia ex ea sumpsit carnẽ Christus; nõ autem quia ex ea primam habuit animationem nec vnquam Patres, aut Concilia maternitatem eius intulere vel decreuere ex secundo, sed ex primo, cum ergo ipsa Mater Christi fuerit quia concepit Christum. Certum est, quod conceptio sibi attributa circa Filium Dei, & Dominum Christum non constiterit in alio, quam in attributione & ministratione carnis & sanguinis interuenientiũ & causantium eamdẽ Concept. & sic ad Galat. 4. dicitur [misisse Filium suum factum ex muliere,] quòd in idem recidit, quod conceptum, non certè propter animationem primam Christi habitam à matre, sed propter carnem submini strtam ad formationem corporis sui. Vnde clarius ad Rom. primo dicitur (qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnẽ] & Athan. serm. 1. omnes hæreses ait: [Cùm dicat ex te nascetur sanctum, clarè demonstrat verbum assumpsisse ex ea humanum templum] ideſt corpus & Theod. dial. 2. [Si Christus non sumpsit substantiam corpoream ex Virgine; vanæ sunt omnes promissiones antiquis Patribus factæ,] & idem tradunt Ambr. lib. de Incarn. Dominicæ Sacramento cap. 6. & August. sermone 194. de tempore qui volentes & notantes merè carnem, quam suscepit Christus à Virgine, & nihil aliud; ostendunt eamdem dici Christum concepisse merè ex hoc ipso; atque adeò conceptionem, non nisi in hoc ipso consistere.

4. Tertium caput vnde elucet quod notauimus, sumi potest ex eo quod conceptio Christi in sua speciali notione, sit conclamata & definita apud Patres & Concilia, vt momentanea, & instantanea miraculosè, & extra communem conditionem naturalem, quod signum est manifestum per eam non significatam fuisse apud eos primam animationem & infusionem animæ Christi, sed meram formationem corporis eius: nam si ea conceptio significaretur per nomen Conceptionis Christi, quæ consisteret in dicta infusione primæ eius animæ rationalis; Conceptio Christi non posset dici & intelligi miraculosa, quia facta fuisset in instanti & momento temporis, nam omnis prorsus infusio talis animæ rationalis est hoc modo instantanea, neque in hoc habuit Christus aliquid peculiare in sua conceptione cum cæteri omnes homines primo animantur per instans & in momento: ex quo aperte liquet quod absolutè nomine Conceptionis Christi in antiquitate, non significabatur nisi mera organizatio corporis eius.

5. Perspicuè liceat hoc quod denotauimus in proprietate hac Conceptionis Christi perpendere in verbis Patrum, & primo in Basil. *Hom. 25. de hum. Christi generatione*, super illud, [Quod in ea natum est:] nam subdit, [Hinc deprehendere licet, quod non secundum modum carnis constitutio Domini fuit: conceptum námque illico perfectum, non per interualla paulatim, firmatum, vt plana verba declarant, non enim dicit quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est.] Damasc. *lib. 3. de fide*: [Dei Filium per Spiritum sanctum procreationis modo, sibi ipsi corpus condidisse, non vt paulatim tacitisque incrementis figura corporis absolueretur, sed vno eodémque momento perficeretur:] Euthim. in Matth. 1. super ea verba, *quod in ea natum est*, inquit, [Formatum genitum dixit, vt discamus non paulatim, modo seminis formatum esse, sed repentè quoad formationem perfectè formatum esse.] Fulg. de fide ad Petrum *cap.* 18. [Firmissimè tene & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam priùs quàm assumeretur.] Lucæ etiam 1. Theophilactus hoc solum confirmat, dum tractans illa verba, [virtus Altissimi obumbrabit tibi:] ait [sunt qui dicunt, quod vbi Dominus obumbrauit vterum Virginis, statim perfectus fuerit infans: alij autem hoc non recipiunt. Audi enim quod dicat: & quod nasceretur sanctum hoc est quod particulatim in vtero crescit & non statim perfectum existit:] vbi licet controuersum velit suo tempore, an in instanti constiterit organizatio corporis Christi, quia fortè veritas hæc non esset firmiter decreta in Ecclesia, tamen constat quod dicimus, de ea Conceptione eum loqui, in qua locum habet hæc dubitatio de sui exequutione in tempore vel in instanti; quod non potuisset controuerti & disputari, si de Conceptione esset sermo; quæ constitit in prima animatione, seu in Conceptione non seminum sed naturæ: Ex quo vltimo constat sæpè concluſum, quòd dum Patres de Conceptione Christi loquuntur, non de alio sermonem habent, quam de mera organizatione corporis eius.

6. Hanc eamdem conditionem & specialem proprietatem conceptionis Christi Domini agnouit Anselm. *in cap.* 1. *ad Hebræos*, dicens, [Non ante conceptus, & post modum victus, sed hoc ipsum de Spiritu sancto carne Virginis concipi, Spiritu sancto vngi fuit:] Sic Gregorius, *lib. 9. epist. 61.* [Non prius in vtero Virginis caro concepta est, & post modum diuinitas venit in carnem, sed mox vt Verbum venit in vtero, mox Verbum seruata proportione naturæ factum est caro:] Et post pauca habet ea ipsissima verba, quæ ex ipso deinde sumpsit Anselmus & modo recitata sunt: in idem scripsit Sophron. in Epistola sua habita & approbata in 6. Synod. act. 2. [Simul quippe caro, simul verbi Dei caro, simul caro animæ rationalis, & simul Dei caro animata rationalis:] quod reperitur etiam in VII. Synodo, in Epistola synodica Theodori Hierosolymitani recepta à Patribus, & rursum in Concil. Francoford. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, circa finem recitantur sequentia ex Gregorio Nazianzeno scribente ad Quirinum [non prius in vtero caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem;] in quibus postremis auctoritatibus, dum dicitur simul fuisse Conceptionem carnis Christi, & vnionem cum Verbo, apertè confirmatur quod Conceptio eius fuerit instantanea, nam si tempore durauisset, vt benè ponderat Suarius 2. *serm. 3. p.* citatus, non posset verificari quod simul esset Dei caro; nam prima parte durationis Conceptionis, non potuisset illa caro concipi, quæ esset actu hominis, sed futuri hominis, & ex natura sua terminaretur ad hypostasim, & suppositum aliquod humanum pro-

prium

prium naturæ eiusmodi indiuiduæ, vnde non fuisset simul Conceptio carnis cum vnione Verbi, sed ad summum hoc haberet partialis Conceptio, imo tota Conceptionis duratione, habita fuisset Conceptio, nec adhuc caro esset vnita Verbo, contra id quod dicunt Patres notati; ex quibus omnibus perspicuum sit ex peculiari conditione Conceptionis Christi haberi quod fuerit instantanea, nec sermo fuerit de Conceptione eius naturæ, sed carnis. Atque idem dicendum de Virgine.

7. Quartum caput in idem conueniens sumi debet ex eo, quod similiter differentiatur quàm maximè Conceptio Christi à Conceptione cæterorum hominum ipsiúsque Beatissimæ Virginis, quia Conceptio Christi dicitur habita sine vlla opera & semine viri, at vero Conceptiones cæteræ humanæ, compactæ sunt, ex semine corruptæ naturæ. Id quod ostendit quod antiquitas per Christi Conceptionem non intellexit, nisi organizationem & formationem corporis eius ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis, non verò primam infusionē in corpus animę Christi Domini, quia tali infusioni non potest competere hæc opera seminum, quæ illam introducat; cùm certum sit ex fide, quod animæ hominum non traducantur ex semine, neque possit assignari in hoc differentia Conceptionis Christi à Conceptionibus nostris, quia ista Christi fuit sine opera hominis, contrà verò nostræ; cùm æque nostræ (si Conceptio importet animationem) excludant traductionem ex semine, sicut & infusio animæ Christi, quæ prorsus sicuti cæteræ neque per potentiam Dei absolutam fortè possunt traduci ex semine, in quo non continentur: nihil enim spirituale potest traduci vel educi ab aliquo naturali. Patres autem pro hac re habentur, dum suprà probauimus, quòd concipi in peccato velint non importare actualem præsentiam originalis in anima, ex eo quod frequentissimè asseuerant quod in tantum Christus originale non contraxit in quantum sine semine progenitus est; vbi de Conceptione eius carnali loqui patet; & de ea loquuntur, in qua ex natura rei solet, & debet interuenire semen. De qua conditione conceptionis Christi non afferuntur hic Patres, quia res est de fide & nihil est in ipsis magis obuium.

8. Quintum denique caput vnde ostenditur Patres, dum de Conceptione Christi loquuntur, non loqui de alia communissimè, nisi de carnalis est, quia ex ipsis circunstantiis & contextu apparet in ea, & ei illa eos tradere, quæ non nisi carnali possunt competere; vt quod ex purissimis sanguinibus Virginis peracta sit, vt habetur in VI. Synod. vt V. in Epist. Sophronij & Damasc. citato à S. Thoma 3. p. q. 3. a. 5. & aliis: rursum quod sine vlla delectatione carnali habita est, quod itē sine vlla aperitione vuluæ; vbi solet itidem probari in eiusmodi Conceptione materiam organizationis non fuisse sumptam ex semine licet fœmineo secundum aliquos Theologos, qui oppositum censent: quæ omnia manifestant, Patres non intellexisse aliud pro Christi Conceptione, quàm dictam organizationem corporis eius, atque adeo de carnali, nec nisi de ea sermonem habuisse. Vnde similiter concluditur, quod quando de Beatissimæ Virginis Conceptione ea suo tempore pronunciarunt, de Conceptione carnis eius sermonem habuerunt, non de Conceptione naturæ, neque de prima ipsius animatione.

DIVISIO IX.

Aduertitur peccatum negatum in antiquitate Conceptioni Christi Domini fuisse originale causaliter quod carni conuenit: & ex eo infertur apertissimè, quod quando concessum est Deipare, carni eius fuisse datum; ac proinde ipsam dictam in peccato conceptam, intelligendum de Conceptione non alia ab illa seminum, & de peccato causaliter:

1. FRequentissimè apud Patres etiam antiquissimos inuenitur traditum, Christum Dominum fuisse conceptum sine peccato, & Conceptionem eius fuisse purissimam & ab omni culpa & macula peccati extraneam: vbi certum est Theologos ita sentisse hasce Patrum sententias, vt non voluerint eos solum excluisse peccatum in re. Et in actu secundum sua formalia, ab anima Domini Iesu Christi, sed etiam à carne eius, scilicet in debito & in reatu seu causaliter, de quo ipsimet Aduersarij non dubitant, sed illud frequenter declarant. Ex quo sic valet argumentum efficacissimè ad nostrum propositum. Christus Dominus ex Conceptione sua dicitur, & dictus est in tota antiquitate non solùm in anima, sed etiam in carne immunis à peccato: ergo quando dicitur fuisse extraneus omnino ab originali solus, & cæteri omnes in hoc peccato inuoluti; certum est quod cæteri dicti sunt in carne inuoluti in hoc peccato, quia non posset ipse solitarius inter cæteros, vnum negare, nisi cæteri idem reciperent; illud enim ipse dictus est negare, quòd affirmabatur in cæteris; quare si Christus dicebatur solus immunis ab originali in Conceptione carnali, cæteri dicebantur inclusi in peccato in eadem Conceptione carnali. Vnde si Beata Virgo apud eosdem Patres dicebatur concepta in peccato, bene potuit intelligi ita dicta, de peccato causaliter in eadem Conceptione carnali: quare ex hoc quod ipsa dicta est, comparata præsertim

cum Christo, concepta in peccato, non potest vllo modo inferri, neque quod loquutio fuerit de peccato in re & iuxta sua formalia; neq; de Conceptione naturæ & humanitatis suæ, sed de Conceptione sæpe repetita carnali, quę dicitur seminum.

2. Et ratio à priori huius rei est; quia quando excluditur vnum prædicatum, quod habet duplicem acceptionem, ab vno subiecto, si idem prædicatum affirmetur de alio subiecto, non est necesse vt de eodem affirmetur secundum duplicem eamdem acceptionem, secundum quam negatur de primo. Vt v. g. de aliquo corpore, negatur quod habeat aliquam maculam, quando in eadem comparatione diceretur aliquod corpus maculatum; non censeretur vllo modo affirmari, quod duplicem haberet maculam, sed sufficeret; si secundum, vnam tantum maculam includeret, & primum excluderet duplicem: sic in casu nostro negatur de Christi conceptione peccatum in carne, & casualiter, nec non etiam secundum sua formalia & in re: quare si in comparatione eius dicitur Beatissima Virgo peccato affecta, non potest concludi vlla ratione quod affirmetur de ipsa sub duplici acceptione peccatum, tum in debito & in carne, tum in re & in anima. Vnde sic potest ad idem probandum firmari argumentum de illa & secundum eam Conceptionẽ potest dici Beatissima Virgo concepta in peccato, de qua Christus dicitur fuisse ab eodem peccato immunis; sed Christus Dominus à Patribus dictus fuit immunis ab originali, intellecta loquutione de Conceptione eius secundum carnem; ergo de eadem Conceptione carnali potest rectè intelligi Beatissima Virgo dicta cum peccato concepta. Quare Conceptio in peccato applicata Beatissimę matri, bene intelligi potest & à nobis intelligitur de Conceptione eius carnali, & seminum.

3. Sed dices: Quando à Patribus dicitur solus Christus Dominus conceptus sine peccato, deberent intelligi expositi loqui solum de Conceptione notata carnali; nam si intelligerentur loqui de illa naturæ, quando Beata Virgo dicitur in eius comparatione concepta in peccato, deberet hoc intelligi de Conceptione humanitatis suæ; ac proinde non de carnali. Quòd autem in his verbis Patrum in quibus Christus dicitur absolute conceptus sine peccato, sermo sit etiam de Conceptione naturæ, probatur: quia per hæc verba excluditur non solum peccatum in debito, sed in re, & secundum formalia sua, atque adeo sermo huiusmodi extenditur ad Conceptionem naturę, cui peccatum in re potest competere; carnali enim est incompetens peccatum in re.

4. Sed nulla obiectio: Ad quam euertendam dicimus firmissimè, quod quando à Patribus dicitur Christus solus conceptus sine peccato, sermo eorum non est de Conceptione humanitatis eius ex directa & propria significatione in illa antiquitate, sed de Conceptione ipsius absolutè secundum carnem; nec sub his verbis vnquam Patres probati poterunt sermonem extendisse ad Conceptionem suæ humanitatis, nisi aliquod aliud videantur addere; nam ipsi expressè explicant se loqui de Conceptione eius peracta ex opera Spiritus sancti, & sine semine: sub quibus verbis non venit nisi Conceptus ipsius carnalis. Verum tamen est, quòd quando ipse Christus in his verbis dicitur sine vllo peccato conceptus, excluditur à fortiori & consequenter cùm peccatum in reatu & in debito; cum peccatum in re: nam negatâ & exsectâ radice exsecantur, & negantur ex hoc ipso rami; vnde cum de Conceptione Christi negatur peccatum causaliter, quod esse solet in carne; ex hoc ipso negatur & excluditur peccatum in anima: nam vt habet S. Thom. 3. *p. q.* 27. *art.* 2. in corpore, si primum non habeatur, secundum non potest haberi; neque per absolutam Dei potentiam.

Euidentiùs autem constat hæc nostra prænotatio, quod quando Patres excludunt à Christo peccatum originale, loquantur maximè de peccato originali causaliter sumpto, & concomitantur ex vi consequentiæ, peccatum item formaliter sumptum originis; quia ipsi communissimè quandò excludunt illud à Christo, & solum cum dicunt immunem ab originali, causam eam assignant, quæ maximè est ablatiua & amotiua peccati originalis causaliter sumpti, non enim eam trahunt ita frequenter, quia est Filius Dei, neque quia eius anima in sui creatione fuit hypostatice vnita Verbo, vel quia vidit Deum, & fuit prædita omnibus gratiæ donis, licèt aliquando tale quid de eo attingant: sed immunitatem eius ab originali tradunt ex eo quod conceptus est ex sola Maria Virgine, & quia opera viri & humani seminis in generatione sua non intercessit, quæ specialissimè fuit exclusiua in eo peccati causaliter sumpti, quodve peccatum specialiter in Christo exclusit, & exclusum inde Patres maxime voluere per sua verba & sententias, dum cõmuniter ita ab eo expulerunt originale peccatũ, ne dicerent Christum solum illud exclusisse, cæteris hominibus in eo immersis, ab eoque maculatis. Pro qua re primo est adducendus Hilarius adductus à S. August. *lib.* 1. *contra Iulianum cap.* 3. de quo sic habet Augustin [Venerandum quis ignorat Hilarium Episcopũ Gallum, qui cum de carne Christi ageret, attende quid dixerit.] & recitat eius verba: [*ergo cum missus est* (loquitur de Christo) in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit ita & peccatum, (scilicet originale,) sed quia ex peccato omnis caro est à peccato, scilicet ab Adam parente deducta; in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine] vbi sanctus Hilarius negat peccatum in carne Christi scilicet originale, non formaliter sed causaliter, quia in carne non attenditur peccatum originale formaliter, sed merè causaliter: & in opere super Lucam *cap.* 1. assignat rationem, quare locum non habuerit in Christi Conceptione originale, & subdit, [non enim virilis coitus vuluæ virginalis secretum reserauit, sed Immaculatũ semen inuiolabili vtero spiritus sanctus infudit: solus enim per omnia ex natis ex fœmina sanctus, Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti Maiestate depulerit.]

6. Et

6. Et *cap.* 4. adducit Augustinum Ambrosium *lib. de nuptiis & concupisc. cap.* 35. qui scripsit, [seruatum est igitur vt ex viro & muliere, idest per illam corporum commistionem nemo videatur expers esse delicti, qui autem expers delicti (scilicet Christus) expers est etiam huius Conceptionis:] quare ex Conceptione sine semine & negatione peccati quod est in semine, scilicet causaliter dicitur Christus expers peccati, atq; adeo maxime extorris peccati causaliter *& lib.* 1. *de pœnit. cap.* 2. refertur item ab Aug. *cap.* 9. Ambrosius dicēs. [Vnum solum hominem mediatorem Dei & hominum, ex eo quod natus sit ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri: omnes autem homines sub péccato nasci quorum ipse ortus in vitio est; qui concupiscentiæ voluptate concreti, priùs subirent contagia delictorū quam in talem de hoc aëre spiritum ducerent,] vbi apertè cæteros homines in peccato concipi vult, propter carnem quam suscipiunt à parentibus in concupiscentia generantibus; contra vero Christum qui hoc modū generationis abiecit: & ad Bonifacium scribens August. *lib.* 1. *c.* 11. *citat eundem Ambrosiū in lib. Apologia cap.* 11. *dicentem* [: Dignum fuit vt qui non erat habiturus corpore peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium:] & de arca Noë; [Per vnum igitur Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit iustus esse, cùm generatio omnis erraret, qui nisi esset natus ex Virgine, generationis obnoxiæ priuilegio minimè teneretur.] Vnde patet Ambrosium refundere munditiam Christi ab originali, ex eo quod fuerit conceptus ex virgine, sed sine semine procreatus.

7. In idem etiam refundit sanctus August. peccati originalis abalienationem in Christo dum *lib.* 1. *de Sanctorū meritis & peccatorum remissione cap.* 29. inquit, [solus sine peccato natus est (scilicet in vtero) quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis Virgo concipit, sola nostro vulneri medicinam parare potuit, quæ non ex peccati vulnere germen nouæ prolis emisit:] & super Ioann. *cap.* 1. super illa verba, *hæc in Bethania, facta*, subscripsit. [Omnes ex illa traduce, & ex illa propagine veniunt, de qua cantat Dauid, ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis aluit me mater mea. Solus ergo ille agnus qui sic non venit; non enim in iniquitate conceptus est, quia non de mortalitate est conceptus, nec in peccatis mater eius alūit, quem Virgo concepit:] & paulo post: [Non habet iste traducem de Adam carnem, peccatum non assumpsit (vtique quia non per semen est deriuatus ab eo) qui non assumpsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit peccatum nostrum.

8. Augustino annectendus est in hoc eodē sensu, Fulgentius *lib.* 1. *de fide ad Petrum cap.* 2. vbi ait: [solus igitur abstulit peccatū Conceptionis, atque natiuitatis humanæ Deus vnigenitus, qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine:] quare quia sine opera viri ex sola Virgine conceptus dicitur Christus, ab originali immunis à Fulgentio est factus.

9. In idem venit Gregorius magnus *lib.* 11. *moral. cap.* 16. vbi dicit: [Beatus sub redemptoris Incarnatione intuitus, solum vidit hominem de immundo semine non esse conceptum, quia sic in mundum venit ex Virgine vt nihil haberet de immunda Conceptione, neque enim ex viro & fœmina, sed ex spiritu sancto & Maria Virgine processit. Solus ergo in carne sua verè mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit:] & *lib.* 18. *cap.* 27. alias 35. super illa verba, nō adæquabitur, habet. [Ille solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est.

10. Idem significatur ab Anselmo lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 16. qui inquit, [Nam licet ipsa hominis eiusdē (id est Christi Conceptio) sit munda, & absq; carnalis delectationis peccato] quibus verbis munditiem Conceptionis refundit in defectum carnalis concupiscentiæ: nec absimile legitur in Nazianzeno *orat.* 38. *in Christi Natiuitate* §. *quæ quidem* vbi habet [atq; humana omnia, excepto peccato suscepit] & rationem reddidit, Conceptus quidem ex Virgine.

11. Eumdē sensum sæpe reperit Leo Papa *serm.* 1. *de Natiuitate*, vbi ait: [Nihil ergo in istam singularem Natiuitatem de carnis concupiscentia transiuit, nihil de peccati lege manauit:] vt ostenderet inde Christum nullo modo fœdatum ab originali, quia non ex semine, neque concupiscentia humana fuit procreatus, & ser. 2. [sine virili semine editus est Christus ex Virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus sanctus fœcundauit:] & deinde infert, [& cum in omnibus non fiat sine sorde Conceptio, hæc inde purgationem traxit vnde concepit, quo enim paterni seminis transfusio non peruenit, peccati se illico origo non miscuit.

12. Nec ab his abest S. Maximus *hom.* 5. *de Natiuitate Domini*, vbi sic notauit de Christo, [de fœmineo vtero nulla corporeæ generationis lege conceptus, humana voluit sub lege prodire atque hoc ita, vt eam beata Mater, quæ intacta conceperat, inuiolata proferret,] quibus verbis eximit Christum à lege peccati in Conceptione, quia genitus fuerat à Matre intacta à viro & sine opera ipsius: quod est quod volumus Patres passim notasse, & refudisse immunitatē originalis in Christo ex sua Cōceptione carnali non habita hominis opera, atq; adeo loquutos maximè fuisse directè de originali causaliter, quādo illud soli Christo negarāt, ac proinde ex hac sola ipsius ab originali exclusione, non inclusā fuisse Virginem in peccato formali originis, sed metè in causali: Id quod ex alia catena Patrum non ostendimus, quia dictū hoc passim in aliis legitur, & obuiā erit cuiusq; peruolutanti eorū libros.

DIVISIO X.

Nostro iudicio ad euidentiam, ni fallimur, demõstratur, quod, dici Dei genitricem conceptã in peccato originali, non importet in ipsius anima idem originale in re secundũ Patres, sed vel in debito, vel in carne: ex eo quod à Patribus dicitur Christus concipiendus in originali si ex semine profluxisset.

1. AD demonstrandum quod scribi apud Patres, & antiquiores Doctores sanctissimam Virginẽ conceptã fuisse in peccato originali, vel quid simile non inferat ex hac significatione verborum, quòd in anima eiusdem Dei Matris fuerit aliquando etiam per instans, priuatio gratiæ, vel filiatio iræ, seu formale peccati originalis; videtur, quod satis est hîc syllogismus, cui contradici non possit, probata & constante maiore & minore v.g. si dici conceptam Deiparentem in peccato originali importaret, ex vi huius dicti, eamdem subiacuisse formalibus peccati originalis; similiter quicumque diceretur conceptus in peccato originali, diceretur similiter ex vi verborum subiacuisse eisdem formalibus, consequens est apertè falsum: ergo falsum est quod dici Virginem conceptam in originali, importet in ea formale originalis. Maior est se ipsà euidens: quia si semel habemus quod aliquis in quolibet casu dictus fuisset, vel posset dici conceptus in originali sine hoc formali, non esset ratio, quare hoc dictum in sanctissima Virgine deberet importare aliud vt patet. Minor probatur ad euidentiam. Quia Christus Dominus si conceptus fuisset sicuti Virgo, quod non erat impossibile, ex semine, scilicet viri; vtique dictus fuisset conceptus in peccato originali, & tamen non subiacuisset anima eius formali originalis, ergo falsum est vniuersaliter, quod quicumque dicitur conceptus in originali, dicatur necessario subiacuisse formali originalis. Consequentia est euidens. Antecedens enthymematis huius probatur: quia communissima causalis, & absoluta apud Patres & Theologos; quare Christus non possit dici conceptus in originali: est illa, quia non est genitus ex semine viri; ergo valet consequentia, quod si conceptus fuisset ex semine viri, conceptus dici tunc posset in peccato originali, si non omni modo, saltem, qui posset sine vllo addito vsurpari, stante ista causali, absolutè sumpta. Quemadmodum, quia ratio, quare homo sit risibilis, est rationalitas, qui rationalitatem haberet, rectè inferretur esse risibilis; & sic de similibus; quod autem Patres refundant negationem Conceptionis in peccato in Christo in negationem generationis ex semine viri, probatur ex eorum apertissimis, & frequentissimis dictis, sine vllo Patre, qui ab hac veritate dissentiat.

2. Afferatur pro hac re S. Augustinus *Epist. 99. ad Euodium*, vbi ait: [Sumpsit ex Virgine veram quidem carnis substantiam, non tamẽ peccati carnem, quia non ex carnali concupiscentia siue seminatam, sine conceptam] & lib. 10. de Genes. ad Litteram, cap. 18. [Et quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro etiamsi de peccati propagatione concepit?] In quibus locis apertè pronunciat, in tantum dici non assumpsisse Christum carnẽ peccati, & per consequens non conceptum in peccato, (nam si in Conceptione accepisset carnem peccati, vtique diceretur conceptus in peccato; per ipsos enim aduersarios sumere carnem peccati, est concipi in peccato, & ex primo ipsi inferunt secundum) & omnino in omnium sententia, si habuisset in instanti assumptionis Christus carnem peccati, hoc nõ posset habere, nisi conceptus esset in peccato. In tantum ergo Christus dicitur ab Augustino assumpsisse carnem peccati, & non conceptus in peccato, in quantum non fuit conceptus ex carnali concupiscentia, & per semen traducens originale, seu propagatiuum ipsius, quod est quod in prima sententia dicitur ex carnali concupiscentia seminatam carnẽ. Et in secunda de peccati propagatione venientem, videlicet ex semine, nam ex eo est propagatio peccati, vt alibi vidimus; nec Aduersarij dissentiunt, & iterum idem sanctus Doctor ibidem. [Corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagatione concepta fuerat; tamen quòniam non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta (scilicet ex semine) nec ipsa erat caro peccati.] Quod si ex semine caro Christi processisset, vtique fuisset caro peccati ex sensu Augustini. Sed hoc non potest intelligi de peccato, quod inficeret originali secundum formalia animam Christi, cum qua assumpta à Verbo, non erat tale peccatum compossibile, neque per absolutam Dei potentiam: Ergo omnino sermo est de peccato præcisè in carne, vel de peccato in anima in debitrice potentia; quod bene potest stare cum vnione hypostatica, vt aliàs videbimus.

3. Ambrosius pariter cum Augustino idem sentire profitetur dum ait, loquens de Christo *tom. 2. in Psal. 40.* super illa verba. [Propter innocentiam autem meam suscepisti me.] In hunc modum: [Ergo quia ab omni concretione generationis humanæ mundus est natus, qui de Spiritu natus est, & Virgine, ideo Pater eum suscepit, quia nulla eum offensio prolapsionis aspersit. Immaculatus ad Patrem rediit, à quo Immaculatus exiuit, quando descendit in terras:] Vbi Immaculatum esse Christi, refundit in munditiem ab omni concretione, seu impuritate, quæ contrahitur ex vi generationis humanæ per viam seminalem. Et

clarius

clarius *tom. 4. lib. 1.* de pœnitent. paulo post initium : [Christus carnem habebat nostram, sed carnis huius vitia non habebat : non enim sicut omnis homo est, ex virili erat, & fœminea permixtione generatus ; sed natus ex Spiritu sancto & Virgine immaculatum corpus susceperat, quod non solum nulla vitia maculauerant, sed nec generationis, aut Conceptionis concretio iniuriosa fuscauerat : nam omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente Dauid : [Ecce in iniquitatibus conceptus sum :] In quibus verbis apertè refundit munditiem Christi ab omni macula originali : quia non erat genitus ex virili & fœminea permixtione vt patet.

DIVISIO XI.

Absolutè & præscindendo à Patribus ostenditur, quod si Christus Dominus fuisset ex semine viri procreatus, omnino esset dicendus conceptus in originali, etiamsi in termino productionis anima eius rationalis nulla ratione subiacuisset originali in re, & ex hoc capite fortiùs perstringitur intentum.

1. EX Patribus vidimus, quod si Christus ex semine viri genitus esset à Beata nostra Domina fuisset dictus genitus in originali, nunc id præscindendo ab eorum auctoritate, id probauimus, quo & doctrina Patrum quàm digna sit, aduertetur, & ex nobili ratione nostra conclusio roborabitur, quod scilicet dici Dei matrem conceptam in originali, non inferat ipsam in re illud contraxisse, & pro primo signo creationis priuatam fuisse gratia, cum cæteris formalibus originalis peccati. Assumptum autem sic probatur. Quia si Christus Dominus fuisset genitus opera viri per decisionem seminis virilis mixti cum semine fœmineo, antequam natura eius assumeretur à verbo : & consequenter per semen organizaretur corpus Christi completè sumptum, diceretur concipi ex vi talis Conceptionis eius natura humana in individuo, itave ei deberetur connaturaliter, & connaturaliter peteret, & exigeret suppositum aliquod creatum, quod intelligeretur contentum in voluntate Adami, & in eo peccasse sicuti peccauerunt cæteri filij Adæ ; sed omnes posteri Adæ ita concipiuntur, vt debeant contrahere, quando in eorum corpus infunditur anima, peccatum originale in re, & ex hoc bene dicuntur concipi in peccato ; ergo eiusmodi natura Christi Domini in tali tempore deberet dici ita concipi, vt in prima infusione animæ suæ contraheret originale, & per hoc consequenter in tali statu diceretur rectè concipi, vel in infusione animæ rectè diceretur eius humanitas concepta esse in peccato. Probatur sequela quoad primam partem, quia eiusmodi actioni & naturæ connaturaliter correspondet suppositum increatum, vt patet, quia ad illud naturaliter non esset ordinata, ergo omnino creatum ; hoc autem dubium esse non potest, quod intelligeretur contentum in voluntate Adami, vtpote qui filius eius esset, & ex eo progenitus secundùm omnem veritatem, quare in eo certè peccasset ; & proinde caro eius ab Adam descendens secundum rationem seminalem, ex hoc esset infectiua animæ pro signo primæ suæ infusionis ; esto de reliquo, quod per gratiam vnionis hypostaticæ in illo instanti temporis originale in re, & secundum formalia non contraheret : quia est impossibile quod natura suppositata ab aliqua persona, increata, retineat cum vnione hypostatica, vel compati secum possit formalia alicuius peccati, vt certum est apud Theologos. 3. *p. q.* 17. *art.* 1. & 2. & sic patet sequela argumenti.

2. Minor vero eiusdem argumenti, quod pro tali tempore, pro quo eiusmodi suppositum, naturaliter diceretur generari, posset & deberet dici concipi in peccato. Probatur manifestè : quia pro tali signo conciperetur ex semine mundo, neque ex carne munda, & pura, sed ex semine & carne immunda, & carne peccati, vt dicunt Patres ipsi expressè & maximè Augustinus : ergo in omni veritate diceretur concipi in peccato, & probatur manifestè, quia quando dicitur de Virgine, quod concepta est in peccato, vel etiam de Christo, quando dicitur, quod conceptus sit sine peccato, in tantum dicitur illa fuisse concepta, & Dominus non conceptus in peccato, quia prima caro dicitur caro peccati, secunda verò nequaquam. Et præterea expressissimè Virgo dicitur concepta in peccato, quia corpus eius organizatum est in carne peccati, & pro tempore talis organizationis naturalis dicitur concepta ; nam si caro Virginis peculiariter formata fuisset in Virgine, sicuti illa Adami vel Euæ, non diceretur concepta in peccato, sicuti neque Adam, neque Eua dicitur concepta in peccato, quare si B. Virgo dicitur concepta & in peccato, ratione dicti temporis, & eo tempore, quo non est anima ; expressissimè ratione carnis dicitur concepta in peccato, atque adeo bene dicimus nos, quod Conceptio in peccato attributa sanctissimæ Virgini, non infert nisi Conceptionem carnalem eius fuisse in peccato, vel pro tempore antecedente ad animationem, vel ad summum pro hoc tempore connotante primum signum animationis, quo anima Virginis intelligitur à carne infusionem recipere obligationis, scilicet contrahendi originale ; nihil enim aliud caro in eam potest præstare ; ex quo sequitur quod ni Deus impediat contractionem

originalis, & infundat gratiam: ex tali obligatione & negatione gratiæ infusæ, consurgit ratio veræ macnlæ peccati originalis secundum sua formalia, inficientis, & afficientis animam, quæ est verum peccatum originale, de quo agimus, & quod præcisè negamus in sanctissima Dei genitrice.

3. Probatur secundo hæc eadem veritas, magisque firmatur, scilicet ex vi talis Conceptionis ex opera viri per transfusionem seminis debere dici concipi purum hominem & naturam humanam, cui debeatur suppositalitas humana; quia pro tali signo, pro quo organizaretur successiue corpus eiusmodi, sanctissima Virgo nonnisi vt purum generasset hominem: ad euidentiam constat, quod fuisset mater, & vere genuisset purum hominem, nec vlla ratione propria genuisset, neque posset dici, quod concepisset Filium Dei, sed merè filium hominis, quia quod tempore sequenti esset Filius Dei iste filius hominis; hoc esset per accidens ad ipsam & eius actionem; & eo modo posset dici Mater Dei quæcumque mulier, quæ genuisset filium, qui deinde Filius esset Dei; nam vt sic reuera & formaliter non genuisset Deum, sed tantum materialiter, quia scilicet genuisset filium non per generationem terminatam ad Filium Dei, sed ad suppositum humanum, quod non feciſſet illam veram Matrem Dei formaliter, vt patet, & certum est apud Theologos. De hac re differentes 3. *p.* & videri potest Suar. *tom.* 2. *d.* 11 *sect.* 2. Ex quo ad euidentiam patet, quod in tali casu concepisset filium, & nonnisi in peccato, & debentem contrahere in tali natura peccatum; esto in fine Conceptionis solum debitum haberet anima ista contrahendi originale: & ex gratia vnionis non deriuaretur in ea formale veri peccati; quo firmum manet, quod eiusmodi filius, verè diceretur concipi in peccato, & tamen anima eius nonnisi debito peccati esset astricta, nullo autem modo in re contraheret originale; non ergo concipi in peccato affert formaliter vllo modo originale formaliter sumptum, neque ex hoc dicto præcisè potest intelligi necessariò contractum originale in re; quare ex eo quod ab aliquibus sanctis dicta sit Deipara concepta in originali, nihil inde probatur contra nostram Immaculatam Conceptionem.

4. Posset tamen hîc quæri si opera viri formatus fuisset Christus in vtero Virginis, & hęc Conceptio peracta fuisset in instanti, an contraxisset originale Christus in debitrice potentia, & verè dici potuisset peccauisse in Adamo, & qua ratione. Sed hæc est alia quæstio, nec de ea nos in præsenti agimus; quam quæstionem exagitandam differimus in vltimis Opusculis. Et hîc tantum respondemus ad quamdam obiectionem, quæ posset fieri, quod si B. Virgo quia futura erat Mater Dei, dicitur ab omni peccato etiam originali præseruata, licet operâ viri fuerit genita; multo potiori iure deberet dici, quod natura humana Christi Domini, etiamsi successiue ex opera viri fuisset formata, debuisset præseruari ab originali; atque hoc verum fuisset etiamsi vnio hypostatica tempore longo post infusionem animæ illi superuenisset, quemadmodum longo post tempore superuenit Virgini maternitas Dei; sed esto eadem præseruatio à peccato inferatur in natura Christi, quæ asseritur in Virgine, nihil contra nos certè in tali natura Christi omnino debitum incurrendi originale fuisset, & caro eius infecta fuisset modo dicto originali, siue in potentia proxima, siue in remota, vt dicitur de Virgine; & sic nihil contra vim nostri argumenti.

5. Præterea huic paritati posset assignari disparitas; quia posito præsertim, quod post tempus animationis assumpta fuisset à Verbo natura humana Christi Domini, eaque genita per viam seminalem posito Adami peccato, & posito quòd talis natura fuisset in eo sicuti cæteri posteri Adæ; ex hoc præcisè quod esset assumenda à Verbo, non posset inferri hoc ipsum, quod habetur in Virgine; quia talis natura, quæ sic intelligeretur peccauisse in Adamo, & concipienda, & animanda esset modo communi, non esset necessarium, quod præuideretur habere merita sibi applicata, quæ futura essent in supposito diuino post animationem & suppositationem humanam, quia posset Deus vtróque modo facere, vel scilicet illi naturæ pro eo statu ea merita applicare, vel non: quare dum aliud non patefaceret, & ex natura rei in tali ordine rerum posset facere vt applicarentur, vel non applicarentur eiusmodi merita. Quod in casu nostro de Virgine non habemus, in qua scimus ex Scripturis & Patribus, quod positiuè merita Christi ei applicata sunt ad hunc finem suæ nobilioris redemptionis: quare hæc præseruatio est certa; illa incerta, & per consequens alia est vtriusque ratio, & non par: nihil ergo inde potest inferri contra præsens dictum.

6. Quibus adde quod rectè congruit intelligere, quod ex meritis Christi redempta intelligatur nobiliori modo sanctissima Virgo, quæ est in alia natura indiuidua à Christo: at in tali casu non rectè congrueret dicere, quod eadem natura posset dici redempta à captiuitate diaboli per merita sua futura, per id enim quod quis futurus est, non potest dici quod mereatur in præsenti aliquam gratiam vt patet; sed hæc dicta sint pro ingeniis speculatiua pabula quærentibus ad noua speculanda. In re verò nostra, quicquid ex his dicatur parum refert. Nam satis nobis hic est, ex Patribus, & ratione comprobatum esse dictum, quod etiam Christus, vel suppositum diuinum ex vi similis Conceptionis vt sic, esto ex alio capite aliter impediretur, si Conceptioni humanæ subiaciuisset opera viri, in originali dictus fuisset conceptus; quòd cùm non possit intelligi de originali in re, hoc idem nos asseueramus in Virgine, & nulla ostendimus contra Immaculatam Conceptionem dicta Patrum, in quibus ipsa dicitur in originali concepta.

§. II.

§. II.

Annectitur auctoritas S. Thomæ ad probandum, quod si Christus Dominus genitus fuisset operâ viri, eius sanctissima humanitas contraxisset originale, scilicet in debitrice potentia, non in re & secundũ sua formalia; atque adeo quando à Patribus simile quid dicitur de Virgine, bene potest intelligi dictum in eodem sensu.

1. SAnctum Thomam perspicuè etiam fuisse in sensu quo vellet, quòd si Christus Dominus conceptus fuisset operâ viri, originale contraxisset; quamuis in fine Conceptionis eius natura humana tunc primum resultarit ex creatione animæ & vnione ad corpus, pro eo signo & non ante perfectè organizatum, & aptum ad receptionẽ animæ; liquere potest ex eo, quia apertam doctrinam tradit, quod ideò non fuit diuinatus in Abraham, quia ex semine viri non fuit genitus, & ab eo per viam seminalem non processit, sicuti bene ex hoc capite Leui fuit verè decimatus, & obligatus in Abraham, soluere decimas Melchisedech in signum indigentiæ sacrificij pro peccato, quod contraxit ab illo, à quo suam deriuationem per viam seminalem habebat. Quod nullo modo competit Christo, quæ doctrina tradit, quod si contra Christus Dominus per viam seminalem modo dicto processisset ab Abraham, & per consequens ab Adamo, ex vi Conceptionis omnino deberet dici quod contraxerit originale.

2. Quod autem sanctus Thomas hoc apertè asserat, cum stare potest primum ex [3. m. distinct. 3. q. 4. art. 4. in corp.] vbi sic habet: [Illa decimatio, qua Abraham decimas dedit, ostendens se liberatore indigere, ad illos tantum pertinet ex eius stirpe descendentes, qui imperfectionem originalis peccati ex eo traxerunt, vt similiter sicut ipse liberationem ab alio expectarent, non autem originale peccatum ab eo traxerunt, nisi qui per concubitum ex eo descenderunt. Solùm enim hi naturam humanã ab eo, sicut à principio actiuo acceperunt, vnde & in eo secundum rationem seminalem fuisse dicuntur; & propter hoc etiam simul cum naturâ, naturæ vitium contraxerunt ab Adam vel Abraham:] & de Christo immediatè concludit. [Christus verò ab Adam, vel Abraham non per concubitum descendens, materiam humanæ naturæ ab eis habuit, quæ virtute Spiritus sancti in humana natura formata est, & ideo non contraxit originale peccatum, & non potuit figurari vt imperfectionem habens & liberatione indigens; & propter hoc non est decimatus in Abraham.]

3. Fortiùs idem perstringitur ex sancto Thoma in 3. d. 2. q. 2. art. 3. vbi traditur, quòd caro Christi non fuit priùs concepta, quàm assumpta, sicuti esset si opera viri fuisset concepta; nam hæc viri opera causaret hanc priorem Conceptionem naturaliter loquendo cum tempore & per consequens eo tempore subesset illa hypostasi creatæ. Et de se ordinaretur ad hypostasim creatam, vt patet; verba sancti Thomæ sunt quæ sequuntur; [Vnde patet responsio ad primam quæstionem; non enim fuit possibile quòd caro priùs fuerit concepta & postmodum assumpta, quia si ante assumptionem concepta fuisset, propriam hypostasim habuisset, & tunc post assumptionem; vel mansisset illa hypostasis, & sic non potuisset fieri vnio in hypostasi; vel non mansisset; & hoc sine conceptione carnis prius conceptæ accidere non potuisset: ratio enim hypostasis non est accidentalis rei, vt re eadem numero manente alia hypostasis esse posset.] Quâ doctrinâ posità, patet nostrum assumptum ex sancto Thoma, quia caro sub hypostasi creata non potest non esse infecta, si opera viri procreatur, & formatur ad introductionem animæ rationalis etiam assumendæ à Verbo. Hæc enim caro habet omnes conditiones ad transfundendum originale, vt patet; nihil enim fingi potest, quod ei desit ad hoc præstandum; nam habet omnia ea quæ habet caro humana transfusiua originalis, & est caro peccati, sicuti cætera caro humana: quando ergo intelligeretur ei aduenire anima rationalis licet assumenda à Verbo, non posset non inficere illam pro priori, pro quo non intelligitur assumpta; ac proinde contraheret illa originale in debitrice potentia, & constitueretur obligata ad contrahendum originale in re; licet ex vi assumptionis sequentis impediretur in illo etiam instanti, originale in re contrahere & secundum sua formalia.

Hæc item doctrina vlterius à S. Thoma 3. p. q. 15. art. 1. ad 2. per quòd obiiciebatur, quod quia Christus Dominus fuerat in Adam originaliter, in eo etiam peccauisset: & respondet sanctus Doctor, quòd non fuit Christus in Adam seminaliter, ac propterea in eo peccauerit; quare supponit quod si in eo fuisset seminaliter, posset intelligi in eo peccauisse; in quantum scilicet ex hoc capite debuisset contrahere originale, supposito præsertim quod conciperetur in tali casu successiuè, & modo eo, quo concipiuntur cæteri homines: nam si hoc dicto modo non conciperetur, & Conceptio eius esset instantanea licet operâ viri, quæstio esse potest an in tali casu posset intelligi eius voluntas in voluntate Adæ, quo peccante, ipse censeretur peccare & velle peccatum, non voluntate propria, sed aliena, nam videtur, quod in tali casu non posset subdi eius voluntas voluntati Adæ, vt sic censeretur velle peccatum, etiam Christus, ratione etiam naturæ humanæ censeretur idem peccatum velle, sed de hac re alibi, & quamuis dicatur quod non posset in eiusmodi casu verè attribui peccati voluntas

Christo,

Christo, neque in Adam; tamen negari non posset ex doctrina tradita à S. Thoma hoc loco, quod saltem ratione seminalis propagationis in adæquatum quoddam debitum contrahendi originale posset intelligi in Christo: sicuti illud agnouit S. Augustinus in anima eius, si ipsa vt ipse dubitauit, fuisset orta ex traduce ab anima Adami. Distrahatur hæc quæstio ad Opuscula vltima huius operis: quæ si noua est, tamen ex his quæ habent Patres & sacri Doctores potest acuta ratiocinatione decidi; & ex ea plura possent in materia de peccato originali rectè percipi.

DIVISIO XII.

Firmatur hæc veritas, quod scilicet Beatissimam Virginem dici cõceptam in peccato, non inferat eam incidisse in re in originale, sed hoc asseri de ea ratione Conceptionis carnalis, seu seminum, quia totum hoc bene prædicatur & dicitur de ea pro tali statu suæ carnis, quamuis in eo integrè & secundum animam eo tunc ipsa non fuerit.

1. MAgna vis solet fieri ab Aduersantibus contra hoc nostrum fundamentum ex se reiiciens & destruens funditus omnia dicta eorum contra Immaculatam Conceptionem, quia scilicet dum corpus organizabatur Deiparæ, non erat à parte rei Deipara, nec anima eius infusa intelligebatur in eiusmodi corpus; vnde inferunt ipsi, quod pro eo tunc non potuit dici sanctissima Virgo concipi in peccato originali, quia scilicet, pro eo ipsa non erat. Et quamquam hæc obiectio contra nostrum solidissimum fundamentum nihil probat, quia nos determinatè non dicimus Deiparentem dictam conceptam in peccato metè ratione carnis separatæ ab anima, sed indeterminatè, siue vt separatæ, siue vt dicentis primum signum naturæ infusionis animæ, in quo intelligeretur caro eam inficere debito originalis, quod est compossibile cum gratia pro sequenti instanti naturæ in eodem instanti temporis, in quo, cum iam intelligatur natura Virginis completa, & suppositata, optimè pro eo potest intelligi dicta secundum omnem sui integritatem conceptam in originali, & sic nulla contra nos obiectio in contrarium. Nihilominus ad pleniorem doctrinam volumus ostendere, quod Aduersantium obiectio est nulla, futilis, & inanis cum ex ratione, cum ex auctoritate Philosophorum Scripturarum & Patrum, vnde hac etiam parte debent omnino & prorsus obmutescere, quia nihil dicunt, & Immaculata Virginis Conceptio omnia prorsus eorum dicta prosternit, & in nihilum redigit, itavt quicquid contra eam velint afferre alicuius robotis, statim pateat diligenti indagatori esse fragile, corrosum, & vndique frangibile & sæpè refractum. Ad rem veniamus.

2. Tempore, quo organizabatur corpus Virginis sanctæ, non erat Virgo (dicunt Aduersarij,) ergo ratione eius non poterat dici concepta in peccato; nam id, quod non est, non potest habere prædicatum entis; sed quàm inanis sit ista assumptio pateat ex simplici explicatione antecedentis; nam aliquid potest esse in vna re vel in mundo; vel ratione partis, vel secundum se totum, seu ratione suæ integritatis; & quicquid est ratione partis, bene dici potest itidem esse, & nulla ratione potest negari de illo absolutè omnino quod sit, sed solùm quod non sit totum. Vnde familiare est tum Rhetoribus, tum Philosophis cum Scripturis, cum Patribus & Theologis, quod pars sumatur aliquoties pro toto, sic puppis, carina apud Poetas accipitur pro tota cymba; corpus Petri pro Petro à Philosophis; anima Samuëlis pro Samuele in Scripturis; cadauer S. Stephani pro sancto Stephano adoratum, & nominatum à Patribus, & corpus Christi in cruce, & sepulchro à Theologis dictum pro Christo mortuo, & sepulto. In vniuersum autem ad euidentiam constat, quod quicquid cõuenit parti etiam per se, & solitarie sumptæ; attribuitur toti, vnde licet quando organizari intelligebatur corpus Beatæ Virginis integrè non esset sanctissima Virgo, quia tamen in sui parte ipsa formabatur, in omni rigore Philosophico & Theologico dici poterat concipi ista Beatissima Virgo, ac proinde nulla est obiectio reiiciens prædicationem Virginis conceptæ in peccato pro statu, pro quo ipsa non erat totaliter; quia ad sustinendam eiusmodi denominationem & præsentiam B. Virginis in mundo pro tali tempore, sufficiebat existentia, & productio, seu formatio suæ partis, quæ tenderet ad faciendum totum compositum ex ea, & anima SS. Virginis. Sic apud Philosophos dicitur generari ignis, quando forma ignis non est in mundo, vnde aduertit Aristoteles lib. 1 de gener. [Quod generatur quod non est,] neque generari dicitur, quod est. Et rursum quod Sol & homo generant hominem, cum tamen dum generatur homo ab homine, & Sole, anima hominis non est; bene ergo potest, & potuit dici concipi Beatissima Virgo, quando eius sanctissima anima non erat. Nam vt *prima diuisione* 3. vidimus, omnis conceptio est generatio præcisè sumpta, & quemadmodum in omni veritate dicitur, & dicebatur Deipara generari, quando anima eius non existebat, ita pariter optimè ante animationem dicebatur concipi, & pro statu Conceptionis anima eius omnino non extitisse dicenda est nisi in termino eius; itavt quando non erat propriè concipi, diceres & pro signo animationis nõ iam concipi, sed conceptũ esse, vt est communis Doctrina

Phi

Philosophorum, qui omnes vnanimiter hominem concipi asseruerant etiam anima non existente & non nisi pro signo pro quo non intelligitur existere.

3. Prob. 2. assumptum ex modo loquendi scripturarum, quæ Conceptionem dant homini pro eo signo, & tempore, pro quo anima eius non est in mundo: ergo similiter bene potest intelligi, & prædicari Virgo concepta pro tempore, pro quo anima eius non existebat, nam nulla est maior ratio, quare primum possit rectè dici, & dicatur à scripturis de cæteris hominibus, & non dicatur congruè de sanctissima matre. Antec. Prob. ex Iob *cap.* 3. vbi dicitur, [Pereat dies in qua natus sum, & nox qua dictum est conceptus est homo.] Vbi certum est, quod sermo sit de nocte, qua coniuges concipiunt prolem communi opera, atque adeo ante animationem, & idipsum patet de variis conceptionibus filiorum, qui narrantur in Scripturis, quas videmus significare statum fœtus ante animationem. Quamobrem sicuti ij in sacris Paginis concipi & concepti dicti sunt antecedenter ad animationem, ita idipsum posse conuenienter dici de sanctissima Virgine pro statu suæ conceptionis.

4. Probatur 3. ex Conceptione actiua sanctissimæ matris erga Christum, & passiua eiusdem Christi, quæ intellecta & dicta est præcessisse infusionem animæ Christi Domini, & in eo priori naturæ bene intelligitur, & dicitur à Patribus Christus conceptus, & in eamdem conceptionem concurrisse Virginem, non intellecta adhuc anima infusa: ergo bene etiam potuit dici & intelligi concepta sanctissima Virgo, quando organizatum est eius corpus etiam antecedenter ad animam eius.

Neque dicas ideo id potuisse dici de Christo, quia in eodem instanti completa est organizatio corporis Christi: nam etiamsi Christus Dominus conceptus fuisset successiuè, adhuc ante animam Virgo dicta fuisset concepisse eumdem Christum, & Christus ab ea conceptus; nam expressè Patres solent loqui de casu, quo operâ viri Christus conceptus fuisset, quod non euenisset, nisi successiua Conceptione, quæ præcederet tempore animationem, nihil ergo obstat successio Conceptionis, quominus homo hic vel ille, aut aliqua persona dicatur concipi ante animationem, vt patet; & per consequens bene sanctissima genitrix concepta dicitur pro statu, pro quo anima eius non existebat in mundo.

5. Prob. denique 4. hæc assertio apertissima auctoritate Augustini, qui eamdem probat auctoritate Scripturæ, cuius verba nos hic referemus, & ex eius ponderationibus in illa, nec non ex doctrina, quam tradit *lib. de orig. anima ad Renatum*, constabit manifestè, quòd quæ conueniunt parti hominis, dicuntur rectissimè conuenire toti; tum quia pars stat pro toto, & totum pro parte, atque adeo quæ conueniunt parti, conuenire etiam dicuntur toti & contra: tum etiam quia quicquid conuenit parti, conuenit etiam ipsi toti, quia totum est sua pars, si non adæquatè, saltem inadæquatè. Et primum quidem patet euidentissimè & frequentissimè in Augustino *lib. cit. cap.* 17. vbi ait: [Ex parte tota natura humana dicatur, quæ per mulierem nascitur, siue sola caro] vbi admittit ex parte hominis, nempe carnis quæ est pars eius intelligi vel solam carnem vel totam humanam naturam; nam vtrumque dicit posse dici haberi ex carne: & paulò pòst. [Ex vno eum sanguine dixisse ex vno homine, à parte totum significante loquutionis modo.] & subdit. [Si enim ipsi licet intelligere à parte totum, quod scriptum est, factus est homo in animam viuentem, vt illic intelligatur, & spiritus de quo scriptura ibi tacuit: cur aliis non liceat sic accipere quod dictum est ex vno sanguine? vt illic & anima, & spiritus possit intelligi, quoniam homo significatus nomine sanguinis (ecce ex parte totum apertissime) non solum constat ex corpore, sed & anima & spiritu:] & deinde tradit totum pro parte; nam notat,] fortè ita dictum est, omnes homines vt secundum solam carnem intelligerentur: videlicet in illo Pauli, in quo omnes peccauerunt, sola omnium caro intelligenda est, (quæ scilicet sola trahitur ex Adam) quæ inde transfusa est à toto partem significante scriptura:], & iterum tradit de parte accepta pro toto. [Hic autem tropicè ex vno sanguine totum significatur à parte, ideſt totus homo, qui constat ex anima & carne, vel potius vt iste amat loqui, ex anima & spiritu & carne:] & vtrumque docet S. Doctor haberi in scriptura; nam sequitur, [Nam & ex parte totum, & ex toto partem Diuina eloquia significare consuenerunt, ex parte enim totum significatum est, vbi legitur, ad te omnis caro veniet, quia ex carne intelligitur totus homo, ex toto autem pars, cum dicitur Christus sepultus, cum sola eius caro sepulta est;] & iterum; [At per hoc si primæ mulieri anima est (vbi dubitabat Augustinus an anima, quæ fuisset tamquam ex tradice ab anima Adami deriuata) à parte totum significatum est, vbi legitur, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, cum tota ex viro, non caro sola sit sumpta; si autem non ex viro, sed eam Deus insufflauit sicut viro, à toto pars significata est, vbi legitur, de viro sumpta est cum caro eius, non tota sit sumpta.] Ex quibus locis aperte demonstratur, quòd bene Beata Virgo potuit dici concepta in peccato originali, quia scilicet caro eius mera, quæ est pars eiusdem Virginis dicta sit concepta in tali peccato; non quidem formaliter, sed causaliter, & materialiter sumpto.

6. Quod autem ea, quæ conueniunt parti, tribuantur toti, iam patet ex Augustino, qui notauit Christum dici sepultum, licet caro eius sola sepulta sit; & præterea quia notat, mulieres dici intus ornatas in anima, cum hic ornatus non competat earum corpori, sed animæ, & sic scribit: [Vtique pietas intus est in anima, vel in spiritu, & tamen mulieres appellatæ sunt etiam vt se intus ornarent, vbi nullus est sexus:] atque his alia similia habentur in Augustino: quæ apertissima sunt in plurimis aliis euidentibus enunciationibus, vbi pronunciatur cum omni veritate, competere toti, quod soli parti conuenit, sic homo dicitur intelligere, velle, habere gratiam sanctifican

ctificantem, virtutes Theologicas, & similia, quæ nonnisi in anima residēt. Nec solent hæc solùm dici de toto ratione partis inexistentis, & quando existit in toto, sed etiam quando separata est à corpore; sic dicitur S. Petrus viuere in æternum, in cœlis degere, Deum videre, nec non resurrecturus, & glorioſus futurus corporaliter in die iudicij, cum tamen hęc omnia ei conueniant, vel ratione animæ in præsenti, vel ratione corporis.

7. Patet itidem hæc veritas maximè etiam in Christo Domino, vt est quoddam totum compositum ex natura humana & persona diuina, in quo non solum ea, quæ conueniunt quasi parti huius compositi, v.g. humanitati, vel etiā Diuinitati tribuuntur Christo, sed quia humanitas & diuinitas sunt in isto quasi toto, composito ex duabus naturis: quicquid conuenit homini, dicitur conuenire Deo, & quæ Deo, homini; & sic dicitur homo Deus; quanto ergo magis, quæ conueniunt carni, & corpori Virginis, dum ipsa verè dicitur concipi propter Conceptionem carnis, si caro dicitur concipi in peccato originali causaliter, etiam Beata Virgo dici potest propter eam vt sic concipi etiam in peccato originali; cum maximè sicuti Aristoteles dicit generatur quod nō est, & similiter concipi dici potest id, quod non est secundū suam totalitatem, atq; adeo sicuti bene potest dici, etiamsi non sit completè, concipi B. Virgo ratione suæ solius carnis, ita pariter potest dici ex hoc capite ratione eiusdem carnis concipi in peccato causaliter, quia non est ratio, quare aliquid, quod etiamsi non sit, possit dici generari, & concipi, quia generatur & concipitur quod non est; & non possit dici concipi in peccato causaliter; nam hoc additum non addit nisi modum & conditionem supra substantiam Conceptionis, & quemadmodum illi, quod non est, totaliter potest competere substantia Conceptionis, ita etiam potest eidem competere vt sic modus Conceptionis, quod ad euidentiam ostendit, quod dicimus.

8. Vbi animaduertat Caietanus & Aduersarij, quam inaniter fundentur eorum dicta, quæ ab ipsis pronunciantur, vt irrefragabilia; & quasi essent prima principia, quæ propterea ab ipsis non probantur, vt terreant, scilicet ignatios, ne ea audeant negatione pertingere, eaque venerentur tamquam effata fidei. Ecce in hac re Caietanus, dum Patres, quos obiicit interpretari refert de Conceptione, quæ conuenit Virgini ratione carnis suæ pro comperto habet non posse sanctissimam Virginem dici conceptam in peccato originali, quia dum eius caro concipiebatur, ipsa non erat, & ridiculum sit, ne dum falsum eam velle in peccato conceptā asserere, cum pro eo tempore B. Virgo nō fuerit. O grande & irrefragabile dogma à Caietano & sectatoribus eius compositum; quod vere est omni inanitate plenum, & omni veritate vacuum. Nam peto à Caietano: quando B. Virgo concipiebatur & generabatur, erat, vel non erat; si erat, ergo generatur quod iam est, id quod est ineptissimum dicere, si enim est, nō generatur, quia id quod generatur, generatur vt sit, nec debet nisi ineptissimè dici quod sit & fiat ad hoc vt sit. Si autem id quod generatur, non est: ergo etiamsi non fuerit sanct. Virgo in suo esse completè, rectè potuit dici in eo statu concipi, & per consequens etiā in peccato concidi. Quid potest huic doctrinæ ô Caietane cōtra opponi? nonne receptissima sententia Philosophorum ea comprobatur? nonne supra cōfirmata est innumeris Scripturæ testimoniis, quibus hic vel ille homo dicitur ea die, ea nocte, eo signo temporis conceptus, quo anima eius non erat in mundo, sed erat introducenda futuro & remoto instanti? nonne Iob, quando maledixit nocti, qua dictum est, conceptus est homo, vidimus eum loquutum esse de signo, in quo non erat anima eius, vnde ergo similis modus loquendi nō potest aptissime dici vsurpatus à Patribus in Virgine? sanctus etiā Thomas & omnes antiquiores Theologi non apertè testantur in die Conceptionis Virginis, quādo anima eius non erat infusa corpori, celebrari sanctificationem eius, quæ nescitur quando fuerit post signū animationis? Admittuut ergo Virginem dici rectè concipi antequam nominaretur, & cum non conciperetur, videlicet pro signo sanctificationis suæ (quando concepta diceretur iam) eo tunc extra peccatum originale causaliter sumptum, residens in carne eius, optimè & cum omni veritate potuit dici pro tali priori tempore præterito concepta in peccato causaliter, si verum ergo est dicere quod pro aliquo signo post opus carnis Virginis, quod ante tale signum ipsa concipiebatur & concipiebatur in peccato, manifestum est quod in antecedenti ad ipsum potuit intelligi & dici à Patribus concipi in peccato. Quę omnia apertissima sunt, itavt mirum sit ad ea non peruenisse Caietanum & suos, qui in hac re potiùs voluntate processisse, quam intellectu recte dispositio ad intelligendas notissimas veritates, Lectori liquido ex his constare potest: Vnde non attendendum in hac re ad eius verba & sensa dist ortissima.

DIVISIO XIII.

Confirmatur eadem assertio de bene data Conceptione in peccato Deigenitrici ratione carnis suæ antecedenter ad animationem: ex eo quia etiam in carne suo modo à Scripturis, Patribus, & Theologis conceditur residere peccatum, nec hoc dicunt de sola anima.

1. GRande obiectum putant aliqui ex Aduersariis, & præsertim Caietanus *Opusc. de Concept. cap.*... sumi ad demonstranda dicta Patrum, astruere Deiparā conceptā in originali ex eo quod asserunt Beatissimam Virginem in peccato conceptam, quia dicunt quod si ea

in

intelligatur pro statu formationis corporis sic concepta eo tunc non potest concedi in ea peccatum, quia peccatum residet in anima, & non in corpore, atque adeo quando dicitur Virgo in peccato concepta, debet intelligi peccatum in subiecto capaci, ac proinde in anima; sed nullum est hoc obiectum, quia peccatum absolutè, vel peccatum originale in specie, potest sumi causaliter, vel formaliter; & verum est, quod peccatum causaliter non potest intelligi nisi in anima, bene enim vt sic & secundum proprium sensum, licet non secundum principaliorem potest intelligi, & de facto intelligitur, & prædicatur esse in carne, quæ est Doctrina communis Theologorum omnium, ita vt neminem viderim, qui oppositum sentiat, & recoli in hac re debent primo Scripturæ tum allegatæ superius *Psal.* 50. & *Iob.* 16. cum etiam alię; nam Paulus ad Rom. 6. scribit, [Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, & ad Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati:] vbi lex quæ non est, nisi paulò post dicta peccati dicitur esse in membris corporis. Vbi patet in scripturis tradi etiam corpori peccatū, quare ex eis omnino constat immeritò dici, quòd non possit tradi residentia peccati vniuersaliter loquendo nisi in anima & non in corpore & carne, maxime illa, quæ est & dicitur ab omnibus transfusiua originalis; & si dicas in his textibus sermonem esse de peccato concupiscentiæ, seu de fomite, qui dicitur peccatum, quia est causa peccati, & istud vere residet in corpore, non autem peccatum originale absolutè prolatum, nihil dices, quia fomes est effectus originalis peccati, & ratione illius bene dici potest, & dicitur peccatum originale residere suo vero modo in carne, & quemadmodum ratione effectus sui dicitur residere in carne, ita multò magis ratione suæ causæ causaliter sumptum potest dici residere in eadem carne; nec vnquam aliquis probare poterit, vt ostendemus paulò pòst, quod quando dicitur ab aliquibus Patribus Virgo concepta in peccato, sermo eorum fuerit de peccato formaliter sumpto, seu secundum sua formalia; & latiùs signabimus in expositione fere verbali eorumdem Patrum in Opusculo proprio de hac re.

2. Quod autem Patres præter Scripturas Sacras dent residentiam originalis in carne potest probari primo ex S. Fulgentio *de Incar. cap. 6.* qui expresse vt vidimus dicit carnem Virginis, & non nominat animam, neque Beatam Virginem conceptam in peccato, & carnem peccati 2. ex Beato Petro Damiano qui ait expresse *lib. de contemp. mundi cap. 7. supra cit.* Caro Virginis de peccato concepta est. Augustinus item sæpius locis citatis superiùs caruem Virginis pro statu conceptionis appellat sæpe carnem peccati. Ildephonsus *lib. de partu Virg. sepiss.* licet non velit illam esse carnem peccati, hoc tamen dicit quia Virginem in hoc vult exemptam, sed absolutè & præciso priuilegio vult carnem conceptam operà viri, dici carnem peccati. Idipsum sentit Tertullianus, qui loquens de carne, quam Christus assumpsit, vocat illam peccatricem *lib. de carne Christi cap. 16.*

3. Ambrosius etiam de ea carne assumpta à Verbo dicit illam carnem peccati, qui modus loquendi vsurpatur ab Scilano & aliis; vbi &si numquam carnem Virginis dicant esse carnem peccati, vel prout fuit in Virgine, vti Aduersantes falso citant, & alibi aduertetur fusè; nos ad eos conuincendos ex hoc ipso eos confundere volumus, nam ex hoc eodem asserto deducimus non nisi peccatum proprium carnis ad summum posse attribui Virgini ex eorum dictis. Cum ergo certum sit quare frequentissimum est apud Patres dare residentiam peccati, & peccati originalis in carne, vt ipsimet Aduersarij cogantur dicere, quia ex his locis inferunt contra nos originale in Dei Matre sanctissima; videant quod non aduerterunt, quod hos textus contra nos afferentes, ipsi sibi suorum argumentorum solutionem attulerunt; non enim hos adducentes probant, quo Patres aliud peccatum, quam illud, quod in carne est, in Virgine agnouerint, & ex hoc dant nobis inexpugnabilem responsionem, quòd non solùm hi Patres antiquiores, qui carnem Virginis dixere carnem peccati, nonnisi originale agnoscibile in carne dederunt Virgini, sed etiam alij, qui eam pronunciauere conceptam in peccato, id non ex alio capite ei attribuere, nisi ex eò quod antiquiores ipsis tradiderunt eidem carni; cum maxime ex contextibus horum posteriorum Patrum, nihil aliud innotescat, & in compluribus, vt in Anselmo, Bernardo, Ricardo & similibus positiuè sit perspicuum, vt vidimus quod non sint loquuti nisi pro statu Conceptionis Carnalis Virginis: vel secundum quod hæc talis Conceptio præcisè & de se asserat, quod non est nisi originale in debitrice potentia, vel in debito, vt dicitur.

4. Deniq; hæc assertio confirmatur auctoritate communissima omnium fere Theologorum, ita vt neminem obuiam habuerimus, qui contra sentiat; sic Sanctus Thomas peculiarem instituit de hac re quæstionem vt vidimus *Diu. 2. disp. præsentis supra 1. p. 2. q. 83. art. 4.* & pro Doctrina tradita concluſit, & idem dixit alibi, prout ibi habetur. Hoc ipsum videri potest apud Sanctum Bonauenturam, Alensem, Albertum magnum, & alios successiuè, vt ibi citati sunt. Quare non video quā vim possint facere, nisi prorsus nullam, & irritam Aduersarij quando volunt, quod concipi in peccato tributum Virgini, non possit ei attribui ratione carnis, ex eo quia peccatum carni non tribuitur, & hoc vltimum positiuè ostenditur falsum ex Scripturis; Patribus & Theologis omnibus, numquid quia ipsi dicūt peccatum non habere residentiam in carne; continuò est illis acquiescendum, quicquid contra dicant Scripturæ, Patres, & Theologi? in hac re videant si iustum risum prouocent, quando ipsi eorum magistri, & fautores suæ sententiæ hanc doctrinam de peccato originali habente residentiam suam in carne, apertè pronunciant; & dum sermo est de peccato originali in genere, hanc doctrinam tradant, quam etiam ipsi non possunt negare, nec negant; sed quan-

do hæc doctrina vniuersalis à nobis applicatur Virgini, clamitant in oppositum dicentes, quod ridiculi simus, qui peccatum originale explicemus datum carni Virginis, non Virgini, & nos illis contra obiicimus in hac re ad euidentiam, quia si verum est vniuersaliter loquendo, quod bene dicatur suo proprio modo residere originale in carne verùm erit, quod poterit etiam dici residentiam habuisse suo modo in carne Virginis, atque ex hoc capite ipsam optimè dictam in originali conceptam, ac proinde nihil inde probari. Contra Immaculatam Conceptionem.

DIVISIO XIV.

Firmatur 3. hoc assumptum, quod concipi Virginem in originali non asserat in ea vera formalia eius, sed merum debitum ex eo, quia non eodem modo ac cæteri posteri Adæ ipsa dicitur concepta in originali, & rursum quia alio modo esset cum eo notanda Deipara à Patribus, si ij originale peccatum ipsi dedissent.

1 AD probandum in Virgine originale in re Aduersantes solent assumere tamquam quid efficax signum eiusmodi veritatis, quia dicunt; ex eo debet dici sanctissima Virgo concepta in originali secundum eius formalia, ex quo dicuntur cæteri filij Adæ contrahere idem originale secundum formalia, sed cæteri filij Adæ dicuntur contrahere secundum formalia peccatum originale, quia dicuntur concepti in peccato originali. Ergo dum similiter Virgo dicitur concepta in originali, debet censeri concepta in originali secundum eius formalia. Maiorem probant suo iudicio manifestè; quia dum aliqua concurrunt ad vnum in aliquo, & in eo causant vnum effectum, & eadem inueniuntur in alio, debet dici quod sequatur in hoc secundo idem effectus; si ergo ex vno quod dicatur competere filiis Adæ, datur ipsis originale secundum sua formalia, dum idem competit Virgini sanctissimæ, debet etiam ipsa dici contrahere originale secundum propria sua formalia. Minorem autem probant; quia Patres quando tradunt originale peccatum secundum formalia cæteris sanctis vt Dauid, Iob, Ieremiæ & similibus, ex hoc solum censetur illis dare eiusmodi peccatum, quia eis applicant dictum Ps. 50. [Ecce in iniquitatibus conceptus sum,] vel quia eos dicunt in peccato à suis parentibus conceptos; & hoc discursu facto putant se rem euicisse ad euidentiam.

2. Sed quam falso, quam futili, quam nullo fundamento in hac re nitantur, ostendendum est ex opposita ratione; quia aliter & aliter dicunt Patres conceptam Virginem in originali peccato, ac cæteros Sanctos, vnde ex hoc oppositum licet inferre ex oppositâ scilicet ratione, nec non etiam quia hic diuersus modus dandi Conceptionem in peccato Virgini, & posteris Adæ, non potest intelligi alius, nisi quia in Virgine non infert nisi debitum eius, in aliis autem ipsum in re, & secundum sua formalia, & patet manifestè, quia cæteris posteris Adæ etiam sanctissimis, primo ita datur Conceptio in peccato originali, vt eiusmodi etiam peccatum concedatur radix aliorum peccatorum venialium, à quibus nemo excluditur, dum vniuersales propositiones circa hanc rem formantur de posteris Adæ etiam Sanctis, in quibus, & ex quibus semper excipitur Virgo omnibus modis & formis. Quare Conceptio in originali ita datur Virgini cum hoc adiuncto, vt cum nullo tali simili concedatur aliis Sanctis, atque adeo ex consequenti eis conceditur peccatum originale in re, quod non est inferendum in Virgine, immo inferendum ex hoc oppositû; quod scilicet quia in ea non agnoscitur, immò negatur radix proxima venialium, debet ex hoc inferri, quod non fuerit in ea vmquam originale in re.

3. His secundo adde, quòd cum sanctissima Dei Genitrix ita dicatur concepta in originali, vt dicatur per antonomasiam Immaculata, & Immaculata omnibus modis, & Immaculatissima, nec non ab aliis carens fomite. Et tertio carens effectibus propriis originalis, qui Christo non competunt, cui itidem ij, qui competunt, ei concedi non solent omnino vt effectus originalis in re, immò vt sic ei negantur. Et rursum quartò, quia dicatur purior omni creatura, ipsisque Angelis Virgo ab omni peccato libera, incorruptæ naturæ, & vt videbimus ferè triginta titulis insigniatur, quæ originale in re tollunt, qui tituli in nullo Sanctorum inueniuntur, consequens est manifestissimum, quod non eodem modo est ipsa intelligenda concepta in originali, sicuti illi, immo quia taliter dicitur concepta in peccato, vt ex aliis formis loquendi excludatur ab ipsa peccatum in re; benè hinc desumitur validum caput ad dicendum quod Conceptio in peccato, quæ illi competat, sit diuersæ rationis ab ea, quæ competit cæteris posteris Adæ etiam Sanctis ac proinde benè ei tradi in debito; cæteris, & in debito, & in re.

Tertio ita dicitur à Sanctis Patribus & aliis Doctoribus Beatissima mater concepta in peccato, vt non specificetur in ea pro statu animationis mora vlla in vero peccato, immo expressè dicitur quod statim post animationé fuerit sancta, & illud post non intelligunt de posterioritate temporis, sed naturæ, vt expressè tradit S. Bonauentura in 3. d. 3. sæpè citata & idem probat de sancto Thoma.

Porrecta, quem adducemus *disp. præsenti diuis.* 4. §. 3. contra res se habet in Conceptione in peccatis, quæ traditur cæteris posteris Adæ, & maximè sancto Ioanni & Ieremiæ, quibus datur mora in eiusmodi peccato, & assignatur sanctificatio longè post tempus animationis;

ex

ex quo ad euidentiam infertur priuatio gratiæ primo residens in eorum animabus, atque adeò formale verum peccati originalis in eis.

4. Quarto explicitissimè cæteri posteri Adæ dicuntur ita concepti in peccato originali, vt nominentur absolutè, & animati in vtero filij iræ, subditi, & sub captiuitate dæmonis morati, priuati gratia, absolutissimè in anima immundi, & sordidati, rei æternæ mortis, & his similibus titulis insigniti, qui ostendunt vera formalia peccati in re: contrà verò vt ostendemus latè ex Patribus nullum eiusmodi prædicatum videmus vnquam datum animæ sanctissimæ Virginis, neque per momentum, & per consequens concipi in peccatis, quod importat tum contractionem in re, cum in debito, Virgini sanctæ non damus nisi secundo modo, cæteris autem primo & secundo; quia in Patribus meram conceptionem in peccato illi videmus traditam sine dictis additis, immo cum negatione eiusmodi additorum; & per consequens optimum fundamentum & diuersissimam rationem habemus, quare diuerso modo asseramus Virginem conceptam in originali ab illa, quæ à nobis & ipsis detur cæteris posteris Adæ.

5. Quinto signantissimè habemus, quod comparata sanctissima Virgo cum cæteris Sanctis, & maximè cum Ioanne Baptista & Ieremia etiam in illis Patribus, in quibus inuenitur dicta concepta de peccato, & in peccato, vt apud Beatum Damianum, Anselmum, Bernardum & similes, sanctum Thomam, Bonauenturam & alios, in hac inquam comparatione dum sermo habetur de sanctificatione cæterorum illa dicitur similis; nec multum excedens sanctificationes aliorum Sanctorum, nisi quod tempore præcesserint istæ in vtero Ioannis & Ieremiæ alias cæterorum. Contrà verò sanctificatio prima animæ sanctissimæ Virginis dicitur fuisse diuersi generis, & cum maioribus priuilegiis, quæ aliis Sanctis non sunt concessa. Quare cum hæc sanctificatio dicatur ab illis sanctificatio ab originali, & ista Virg. in hoc, quod fuerit sanctificatio ab originali, dicitur præstare supra cæteras etiam Ioannis Bapt. & Ieremiæ; optimè infertur quod hæc præstãtia & excellẽtia maior supra cæteras, præsertim in ordine ad emundandam illam ab originali, nõ sit alia nisi ea, quæ præseruarit illam ab originali, non quæ permiserit animam eius primo sordidari, & post tempore sanctificari. Nihil enim dices, si dicas quod sanctissimæ Virginis anima sanctificata est v.g. per horam aut quadrantem post sui animationem, & Ioannes sexto à Conceptione mense, nam meta præcessio per menses sanctificationis Virginis non facit illam sanctificationem perfectiorem ab originali. Immò neque ex hoc solo perfectiorem sanctificationem absolutè vt dicunt Patres. Præterea etsi Ioannes Baptista fuerit sanctificatus longo post animationem tempore, de Ieremia nihil tale dicitur, quare potuit paulò post animationem sanctificari; nec repugnat etiam fuisse Sanctos Infantes martyres aliquos, qui in vtero matris primo animati statim per martyrium sui & matrum purificati sunt ab originali in re contracto; quare istorum sanctificatio in hoc æquipararetur illi Virginis, quòd cùm non concedant sancti Patres sanctificationi vllius sancti, habito respectu ad illã Dei genitricis, consequens est, vt voluerint sanctificationem, quæ Deiparæ tribuitur, fuisse dictam præseruatiuam ab originali, non permissiuam illius; & in posteriori temporis, eius emundatiuam.

Atque ex his ad euidentiam solunntur duo quæ solent obiici huic nostro fundamento; quod dictum Conceptionis in peccato competens Virgini sit intelligendum in debitrice potentia, non in re; nam primo dicunt aliqui ex eo quod applicatur alicui sancto, quod fuerit, sicuti ait Dauid [In iniquitatibus cõceptus sum,] licet inferre, quod ipse in re contraxerit originale, ergo dum ab aliquibus Patribus, idẽ tribuitur Deiparæ, debet similiter de illa inferri originale in re, cui facilè respõdetur, & in nihilum euanescit obiectio; dum aduertitur hoc inde bene prouenire, quia non est in aliis Sãctis, vnde possit æstimari eis traditum priuilegium, ne in re contraherent originale, quod contraxerunt in debito, quibus præciso priuilegio debet conuenire, & cõsequi cõtractio in re. Cõtrà verò se res habet in sanct. Virg. vt vidimus, & Patres de ea addũt quod nõ addunt de cæteris sanctis. Vbi nota quod ex eo quòd hîc vel ille filius Adam dicitur conceptus in peccato, non formaliter infertur quod contraxerit illud in re, sed tantum consequutiuè, & per communẽ & debitam consequentiã, quod tamen in Virgine fuit impeditum, ne eumdem sortiretur effectum ex dicto priuilegio vt liquet ex dictis. Ex quibus secundo soluitur alia obiectio, quæ hic solet fieri, quia si dici Dei matrem conceptam in peccato originali non importat contractionem eius in re, deberet posse assignari, quid clarius potuissent Patres tradere si voluissent declarare, quod contraxerit peccatum originale in re, & secundum sua formalia; nam dicunt ipsi nullis aliis clarioribus vocabulis id exprimere potuissent, sed falluntur manifestissimè, quia cum eo tempore, apud ipsos concipi in peccato, importaret Conceptionem carnis, nec non ea ad summum, quæ caro sic concepta importabat primo & per se in anima, nulla ratione, cum ea verè, & propriè, & formaliter non induxerit, neque inducere potuerit ipsa formalia peccati originalis, sed merum debitum illa contrahendi, si hæc formalia voluissent Patres explicare, & tradere Beatissimæ Matri, non debuissent merè dicere illam conceptam in peccato originali; sed si hoc modo volebant illud ei tradere, debebant de ea loqui, sicuti loquuti sunt de Ioanne Baptista & Ieremia assignantes illi tardã sanctificationẽ post sui animationẽ, vel eam vocare filiam iræ sub captiuitate dæmonis, seruã peccati immundã, & vna de illis infantibus, cuius vnius dici est vita super terram, sorditatis & priuatis gratia Dei, & similibus modis loquendi, vti quibus vtuntur, dum de cæteris sanctis loquuntur, quod cum non fecerint de Virgine, signum est manifestum vt Opusculo de rationibus desumptis ab auctoritate Patrum ostendemus, quod verè Deiparæ noluerunt concedere originale in re, & omnino ab illa ipsum remouerint.

DIVISIO XV.

Absolutè demonstratur non posse à fautoribus doctrinæ sancti Thomæ intelligi eius sententiam de sanctissima Virgine concepta in peccato originali, nisi intelligatur loqui sanctus Doctor de eo vt contracto tantum secundum obnoxietatem & debitum.

1. QVamquam vt ex Doctore proximè præfato vidimus præcipuè, & primates Discipuli S.Thomæ nostrum in hac re roborent sensum circa S. Doctoris mentem in citato dicto, ne alij Aduersantes possint subterfugere, ostendere volumus quod omnino absolutè ita sit explicandum eiusmodi dictum S.Thomæ,& breuiter & efficaciter id probamus. Quia si ita non explicetur S. Doctor, omnino eius doctrina esset existimanda quoad hanc partem damnata ab Ecclesia; consequens est falsum; nec credendum in tanto Doctore in re præsertim valdè manifesta apud Theologos tum præsentis, cum sui temporis: ergo omnino debet stare nostra expositio. Sequela prob. facilè: quia si contrahere originale, vel concipi in peccato originali non intelligatur pro peccato in debito contracto,quando S.Thomas dicit, quod de fide est omnes posteros Adam præter solum Christum contrahere & concipi in peccato originali,& erroneum esse quod aliquis sine peccato concipiatur, censeret, quod secundum fidem sit tenendum,quod B. Virgo fuerit in peccato originali in re concepta, & erroneum esse de ea hoc negare, nam inter omnes excepto solo Christo continetur B. Virgo,vt ipsemet explicat,*quodl.5.a.7.*Dicere autem quod Virgo erroneè censeatur concepta in originali, est error damnatus apertè à Sixto IV. in Bullis duabus confirmatis ab aliis Pontificibus & Concilio Trid. vt videbimus[in Opusc. de sensu Ecclesiæ latissimè & confitetur supra dictus Ioannes à S. Thoma & alij. Consequens autem hoc esse falsum patet; quia numquam S.Thomas tale quid dicit de sanctiss. Virgine, & non reprobat nec censurat eos,qui putabant Virginem conceptam in peccato, & addit Ecclesiam Romanam tolerare festum Conceptionis in eiusmodi sensu,qui maculam peccati formaliter sumpti tollebant à S. Dei genitrice, vt patet in eius verbis 3.p.qu.27 art. 2. ad 3. & alibi.

2. Vbi non potest responderi,quod toleratur hoc festum dicatur, quia non est institutum ab Ecclesia Romana, & de reliquo sensus, quo celebratur non sit toleratus: nam verè dubitari non potest, quod in tali sensu non celebraretur eo tunc in variis Ecclesiis Conceptio Virginis Immaculata,Aduersariis etiã fatentibus,imo & tempore antiquiori, videlicet illo S. Bernardi;nam cùm nunquam ausus sit aliquis illum censurare, nec Ecclesia Romana quicquam contra statuerit, non potest intelligi quod S. Thomas illum vt erroneum notauerit,nec tolerari dixerit ab eadem Ecclesia.Et efficacius id ostenditur,quia dum S.Thomas dicit tolerari hoc festum,nõ dicit, neque dicere potest,quod toleraretur, sub sensu sanctificationis posterioris tempore ad contractionem originalis: nam sub isto sensu non toleratur, sed maximè ab Ecclesia & omnibus Doctoribus amplectebatur;ergo quando dicitur tolerari, debet omnino intelligi, quod dicatur tolerari ad minus sub sensu excludente pro omni signo vera formalia originalis residentia in anima.

3. Vbi notandum,quòd antiquiores Eccles. siæ,quæ ante S.Thomam,& eius tempore celebrabant festum Conceptionis, non solùm illud celebrabant in sensu, quo excluderent vera & sola formalia peccati originalis in sanctissima Dei matre,sed etiam quia volebãt puram Conceptionem carnis, & per consequens ex principiis D. Thomæ excludebant etiam contractionem originalis in debitrice potentia,quod S.Thom. neque etiam vnquã expresse in Virgine reprobauit,neque confutauit censurando; sed ab hoc dicto alienus fuit,esto contra ipsum intulit ex eo sequi aliquid erroneum, quod tamen non propterea damnauit;Nam aliud est dicere de aliqua propositione, quod ex ea sequitur aliquid erroneum,aliud eam censurare,vt erroneam;nam sæpè sub controuersia est, an sequatur illud tale erroneum ex prædicta positione, quod sufficit,vt illa non sit erronea;quare cum nũquam S.Thomas censurauit dictum de carne pura Virginis, & de Conceptione eiusdem carnis digna celebritate, ex eo quod dixerit ex ea sequi aliquid erroneum,non propterea eiusmodi dictum censurauit, id quod ostendit manifestè, quòd multo minus censurauit propositionem illam, qua concederetur contractio originalis Virgini in debitrice potentia cum exclusione contractionis eius in re, & secundum vera formalia peccati originalis: esto concedamus,sicuti verè concedẽdum est, quod censurauerit explicitissimè S. Thomas illud dictum,quo excluderetur à Deipara sanctissima contractio originalis in debitrice potentia, quod ab Ecclesia non est damnatum,licet sit communis sententia, quòd etiãsi quis tolleret à Virgine debitum hoc proximum,non propterea vllo modo erroneè, sed probabiliter posset ita opinari. Posset fortè dici quod S. Thomas vt erroneum falsus sit dictum negans debitum tum proximum, tum remotum,non proximum tantum, sed in eius doctrina difficile est hoc posse totaliter sustineri,quare dandum est illi putauisse errorem in fide negare Virgini sanctissimæ debitũ proximum contrahendi originale,id quod nõ facit vllo modo contra nostra dicta, sed maximè confirmat quod S. Thomas quando voluit omnino Virginem contraxisse originale, loquutus sit de contractione in debitrice

ttice potentia, non verò in re, & secundum vera formalia originalis peccati.

DIVISIO XVI.

De suffragio voluntario & necessario aduersantium doctrinæ traditæ, quod concipi Virginem Beatam in peccato non importet in ea apud Patres & sanctum Thomam nisi debitum siue proximum siue remotum.

1. VIsi sumus ni fallimur ex innumerabilibus capitibus euertisse fundamenta omnia Aduersariorum, dum illud ex tot capitibus euertimus, quòd est maximum apud ipsos, & eiusmodi, vt eo euerso cætera omnino penitus ruant; nam si concipi in peccato expresè positum à Patribus, non affert peccatum originale in re, dum scripturæ ex quadam mera lege vniuersali dicunt omnes peccauisse in Adamo, & in eo mortuos, & similiter Concilia & Patres; non possunt à pari inferre nisi debitum istud, & sic scripturæ non obstant, neque item Patres dum dicunt eam conceptam in peccato, neque rursum dum eam dicunt mundatam à peccato, nam optimè explicatur, similiter ex eadem doctrina Deiparam eos dixisse mundatam ex isto debito, & quia debebat incurrere originale in re. Argumentum etiam redemptionis nullum erit, quia sicuti Virgo ex Patribus intelligeretur recte concepta in peccato propter merum debitum: ita optimè esset intelligenda redempta ab eo peccato, quod iam in debito contraxerat. Quare omnia penitus argumenta & fundamenta Aduersariorum ruunt funditus, dum ostensum est primum iam dictum, & præcipuum totaliter euersum, & meo iudicio ferè in tota Theologia non aduerto fundamentum illius sententiæ etiam falsæ, ac falsissimæ: atque etiam temerariæ, nisi esset aliqua magnæ cuiusdam hæresis, habere tot capita, tot auctoritates, tot rationes, quæ illud euertant, quam adducta: quare non videatur aliquid ad hoc negotium iam peractum, desiderari posse, ad laudandam sanctissimam Virginem, eique gratias agendas, quæ ad sui Immaculatam Conceptionem propugnandam tanta nobis & vniuersæ Ecclesiæ contulerit, vt hinc merito possit censeri proximè definibi is de fide, vt alias late disseremus, etiamsi non suppeterent innumerabilia alia, quæ ponderabimus efficaciora ad habendum à summo Pastore circa hanc rem plenum & absolutum fidei decretum: nihilominus ad euidenter, ni fallor, demonstrandam efficaciam & certitudinem euersionis omnimodæ dicti fundamenti, suffragium est afferendum, & opera valida, cui incubuere etiam spõte ipsi nostri Aduersantes ex primatibus, qui explicitissimè pronunciarunt pro tradita doctrina; quod certo nonnisi speciali Dei prouidentia contigisse video, & cum admiratione prædico, ex hoc solo ferè coniectans hanc veritatem Immaculatæ Conceptionis breui vt certissimam habendam in Ecclesia Dei nemine, nisi temeratio contradicente, quando scilicet ita certa erit in eadem Ecclesia. Animaduertat quæ subdimus Lector, & in eandem ipse admirationẽ adducatur, qui videat magnum, & acerrimum oppugnatorem Immaculatæ Conceptionis, totis suis conatibus & viribus non aduertens, omnia protsus euertisse fundamẽta, quæ extant pro suo sensu, dum istud penitus euertit. Idipsum Lector agnoscat in alio Commentatore summæ S. Thomæ addicto portecta nomine, qui pro eadem euersione insudauit, & tertio idem prospectet in alio defensore magno S. Thomæ, qui summam curam adhibuit, vt ostenderet in doctrina S. Thomæ, nullum adhuc inuentum errorem. Quod tribus diuisionibus huius disputationis implebimus. Et secunda diuisione ostendemus non solum ex spontanea Aduersantiũ horum euersione fundamenti huius præcipui contra Immaculatam Conceptionem, ipsum in nihilum redigi, sed ex coacta tum eorumdem, tum aliorum quorumcumque S Thomæ sectatorum, qui, velint nolint, coguntur asserere (nisi velint ipsum iam in aliquo sensu reiectum & damnatum in Ecclesia) concipi in peccato tum absolute, tum in Virgine non importare nisi meram contractionem debiti; si hoc palpabis Lector, quid aliud in hac re desiderandum tibi erit? nonne Immaculata Conceptio proclamanda erit omnium ore etiam ipso Aduersariorum: certa ita continget Deo fauente. Iam promissa impleamus.

§. I.

Adducitur suffragium Caietani in confirmationem traditæ acceptionis de Conceptione Virginis sanctissimæ in peccato, quod scilicet non importet apud Patres neque apud sanctum Thomam peccatum originale in re, sed in debito.

1. VT pateat hæc veritas ex sensu Caietani sine vlla tergiuersatione, præponendum est prius, & probãdum si negatur; videlicet quod per Aduersarios in idem recidit. Dici quod Virgo cõcepta est in peccato originali; nã si dicitur quod Virgo cõcepta est in peccato originali; ideo hoc de ea dicitur, quia ipsa in aliquo signo temporis contraxit originale; si enim pro aliquo signo tali non contraxerit originale, non posset dici concepta in originali, vt patet. Præterea in tantum pro ali-

quo

quo signo dici potest contraxisse originale, in quantum dum concepta est, illud contraxit, & non nisi quia pro signo Conceptionis contraxit; si enim in signo Cõceptionis non contraxit, certum est, quòd numquam contraxit, neque potuit dici in peccato originali concepta. Id quod vltimo patet, quia concipi in peccato Virginem nihil aliud est, nisi in sua Conceptione contraxisse originale; quia contractio originalis non potest haberi nisi pro signo Conceptionis siue formaliter, siue terminatiue sumptæ ex sensu Aduersariorum: quare dum dicitur contrahere Virgo originale, concipi dicitur Virgo in originali, & sic ad inuicem conuertuntur hæc duo secundum Aduersarios, saltem enim concipi in peccato apud illos nihil aliud peculiare dicit supra contrahere originale; nisi signare contractionem originalis haberi pro signo & statu Conceptionis, quod non exprimitur explicite, sed implicite supponitur, quando dicitur, quod Virgo vel quilibet alius filius Adam conceptus contrahit originale. Ex quo notari debet, quod si inuenimus apud Caietanum quod in S. Thoma, & apud ipsum contrahere originale non importat necessario nisi debitum, non verò originale in re, quando iridem dicitur de Virgine, quod ipsa concepta est in originali, ex necessitate non potest inferri, nisi quod ipsa habuit debitum contrahendi originale. Quamobrem ad euidentiam modo demonstrabimus, quod quando dicitur concepta Virgo in originali à Patribus & Sanctis ex sensu Caietani, id dicatur, de ea quantum ad originale in debito, & non debet intelligi omnino de peccato in re contracto, quia ipse incursionem in peccato, quam dat Virgini non intelligit nisi illam quæ est in debito, seu debittice potentia. Constat autem hoc, quod notamus *ex* 1. 2. *q.* 8. *art.* 3. *in corp.* vbi S. Thomas sic habet: [Respondeo dicendum quod secundum fidem Catholicam tenendum est, quod omnes homines prætet solum Christum ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt:] quæ verba ita glossat Caietanus; [quod dictum non est intelligendum aliter, quam de morte, quæ est pœna peccati originalis, ita quod sicut omnes incurrunt mortem, idest necessitatẽ moriendi, ita omnes incurrunt peccatum originale, idest necessitatem habendi peccatum originale, & sicut non spectat ad fidem, an singuli moriantur actualiter, an diuina dispositione aliquis non moriatur; ita non spectat ad fidem, an aliquis ex speciali prærogatiua gratiæ non incurrat actualiter originale peccatum, de vtroque enim simul inquit Apostolus ad Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; est igitur necessarium secundum fidem Catholicam credere, quod omnis vtriusque sexus ab Adam secundum rationem seminalẽ proueniens ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato originali:] & paulo post. [Et iuxta hunc sensum militat ratio auctoris, scilicet quia aliter non indigerent rẽdemptione, quæ per Iesum Christum facta est. Si enim peccatum originale vel in actu, vel in necessitate habendi illud, (quod est idem ac peccatum in debito, seu in debittice potentia) quis non incurreret; nõ egeret redemptione, quod hæreticum esset dicere. Sed si omnes obnoxij sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis, neque enim solum redemptione indigent actualiter captiui, sed etiam obnoxij captiuitati. Et bene notabis tu Thomista ne nimio zelo non secundum scientiam accensus erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de Beatissimæ Virginis Conceptione disputas ac prædicas:] Vbi expressissimè dicit, quod dictum istud S. Thomę de contractione peccati originalis, tum ex se, cum ex S. Doctoris sensu nõ importat actualem contractionem peccati in re, sed vel in re vel in debittice potentia, seu in obnoxietate & necessitate habendi illud, vt loquitur ipse, quod est id, quod volumus. Quare cum in idem veniat, dici conceptam Virginem in peccato & contraxisse peccatum originale; ex his verbis non importat, in ipsa contractio peccati originalis in re, sed vel in re, vel in debittice potentia, quia iste modus loquẽdi S. Thomæ expresè traditur hîc à Caietano, quod præcisè intelligatur de debito contrahendi originale, nam de ea contractione originalis hic loquitur S. Thomas, quæ si negatur, erroncè negatur; sed talis non est contractio in re sed in debittice potentia; ergo illa, quæ est in debittice potentia hîc datur omnibus posteris Adæ.

2. Ex quo sic licet arguere. In eo sensu debet intelligi contractio originalis data Virgini, quo sumitur apud S. Thomam, & Caietanum data cæteris posteris Adæ, sed contractio data cæteris posteris Adæ hic non est; nisi illa in debittice potentia: ergo illa, quæ datur Virgini non est nisi illa, quæ est in debittice potentia secundam S. Thomam & Caietanum, & cum in idem veniat dici Virginem conceptam in peccato originali, & dici contraxisse originale, ad euidentiam infertur, quod quando dicitur à S. Thoma & sic ab aliis Patribus, quod B. Virgo fuit concepta in peccato originali, optimè intelligitur quod sermo sit de Conceptione in peccato originali secundum necessitatem, obnoxietatem, & debitum habendi illud, non vero (saltem ex necessaria formali consequentia) de Conceptione in peccato in re secundum sua formalia habito in eadem Virgine.

3. Hanc eamdem doctrinam tradi à Caietano videbis Lector in eius *Opusc. de Concept. c.* 3. quam nos referemus *in opusc. de Patribus qui adducuntur contra Immaculatam Conceptionem*: Vnde animaduertes perspicuè quomodo hic auctor, qui acerrimè contra Immaculatam Conceptionem pugnauit, ipsemet sit ille, qui fundamentum præcipuum sui sensus, qui desumitur ex hoc dicto S. Thomæ & simili Patrum, quod Beatissima Virgo sit concepta in peccato originali, omni vi diruat, & nullum apparere ipsemet faciat: dum hac interpretatione, quam is constituxit de Conceptione in peccato non formaliter sumpto & in re, sed in debito, euanescat prorsus omnis vis in hac auctoritate; & clara & vniuersalis habetur ex ea responsio ad omnes alias difficultates, quæ contra Immaculatam

Conce

Conceptionem possunt afferri, vt notauimus initio huius disp. quo perspicuè liquet quanta cum Prouidentia Dei ipsimet Aduersantes nobis facti sunt adiutores, & nostrorum sensuum firmatores, suorumque penitus euersores, nihil ad hoc aduertentes, & contrarium intendentes, vt à suismet hostibus constet sæpè, & maximè in hac re veritatem nostram, velint nolint, prædicari, roborari, & confiteri.

§. II.

Adducitur secundum suffragium pro incursu peccati originalis intelligendò in debitrice potentia ex sensu secundi Commentatoris S. Thomæ Porrecta nomine.

1. ALter Commentator Porrecta, qui fusiùs super S. Thom. scripsit in summa, & varia eius loca combinauit in hac re; in eamdem ex professo venit sententiam, quia voluit, quod quando S. Thomas dixit, posteros Adæ contraxisse, vel conceptos fuisse in originali, id asseruit intelligendum, non de peccato in re contracto, sed in debito; quia tantum voluit S. Thomam loqui ex vi Conceptionis & formaliter, videlicet secundum id, quod importat Conceptio ex commixtione maris & fœminæ, non vero de eo, quod de facto eis euenit: quare translata doctrina ad idem dictum applicatum Virgini, omnino censet, & confirmat nostrum sensum, quod quando dicitur Deipara concepta in originali, vel etiam à S. Thoma, vel à Patribus, hoc non sit intelligendum determinatè de peccato in re, sed in debito vt diximus. Latè hæc dicta referemus in Opusculo de sensu S. Thomæ, & modò solùm signamus aliqua loca dicti auctoris, vt his initiis appareat, quomodo à nobis assumpta ab ipsismet Aduersariis oporteat non solum non contradici, sed firmari. Dicti auctoris verba super *art.* 3. *q.* 27. 3. *par.* sunt, quæ sequuntur, [Ly concipiatur, scilicet Virgo] sine peccato originali, scilicet quantum est ex vi Conceptionis, loquitur siquidem formaliter, vt decet illustrem Doctorem, maximè Scholasticum, quod Verbum sic esse glossandum commonet ly præter solum Christum. Comparatio enim supponit terminos comparatos teneri in eodem sensu, alioquì non esset bona, sed derisibilis, seu abusiua comparatio, vt patet. Cum ergo de Conceptione Christi ex vi Conceptionis verificari sciat D. Thomas, quod est sine peccato originali; non mirum; imò valdè congruum, sed & necessarium fuit, quod Conceptionem cuiuscumque alterius comparando Conceptioni Christi (hanc solam scilicet dicendo sine originali) acceperit aliorum quorumcumque Conceptionem in hoc eodem sensu, scilicet ex vi Conceptionis:] ex variis locis S. Thomæ, & concludit facta comparatione Conceptionis Virginis cum Conceptione Christi: [Talis ergo non fuit passiua Conceptio B. Virginis, quia non differret à Conceptione Christi, quantum ad elongationem à peccato, & ideo passiua eius Conceptio in vi Conceptionis stando, non fuit absque peccato, si ergo sine vllo fuit aliunde fuit, non ex vi Conceptionis;] Et explicitè absurdum ponit esse, si negetur debitum originalis carni Virginis, non verò si hoc concesso negetur tantum contractio eius in re. Vnde habet, [Stat igitur firmum, quod Beatæ Virginis caro in sui Conceptione mansit infecta, nec tantum propter differentiam prædictam, sed etiam propter hoc aliud, quia scilicet anima adueniens non contraxisset originale in debito, (non enim fuisset, vt apertè constat, in periculo cadendi) & per consequens nullo modo indiguisset redemptione Christi ab originali peccato, quod est contra fidem Catholicam; pro quorum notitia meliori vide suprà, notab. 1. 2. & 3. vsque ad concluſ. 3.] Quibus locis apertissimum est interpretationem Porrectæ circa dictum S. Thomæ, quod omnes posteri Adam, & B. Virgo; (quæ continetur sub vniuersalitate eorum, vt notat S. Thom. *quodl.* 5. *art.* 7.) dicuntur contrahere originale in quantum ex vi Conceptionis illud contrahere debent. *Et §. quæstio cum pr.* post principium, sic scripsit; [Ad probationem sui dicti S. Thomas adduxit hoc scilicet, quòd tunc B. Virgo non indiguisset redimi à peccato per Christum, cum tamen pro comperto haberet, quod ad verificandam talem indigentiam suffecisset ipsius animam fuisse in proximo periculo cadendi in orinale, (vt patet ex eodem supra notab. 3. ante concluſ. 3.) Si autem illa sanctificatio intelligatur fieri in illo instanti infusionis animæ per gratiam ei collatam, creando scilicet animam ipsam in gratia, ita quod caro illa embryonis remaneat corporali sua corruptione infecta, tunc possibilis est decenter, idest salua fide hæc sanctificationis positio. Tunc enim adhuc verum quod anima illa B. Virginis erat in periculo cadendi quantum ex potentia sui naturali & carnis, quam mox informatura erat, nisi aliundè. Idest per gratiam ex meritis Christi sibi datam ab illo casu imminenti liberetur:] Vbi apertè ostendit S. Thomam non inferre neque asseuerare in Virgine, nisi debitum originalis, & de reliquo dat, quod cum debito eius anima in primo instanti infusionis habuerit gratiam, & per consequens non contraxerit originale in re. Quo quid euidentius? [Paulo post apertissimè esse in periculo cadendi sufficit ad hoc vt quis indigeat liberari peccato ab alio; cum itaque in tali positione sic intellecta verificetur, (vt declaratum est) quod B. Virgo fuit in proximo periculo cadendi, idest contrahendi peccatū originale; necessarium est dicere quod B. Thomas pro certo cognouit quoad huiusmodi intelligentiam non sequebatur id, quod ipse affirmabat sequi; oportet igitur cōfiteri quod ille Doctor tā egregius & à tota Ecclesia tam solenniter, & vniuersaliter approbatus, non hunc secundū sensum, vt putabat argumētor, sed illū primum sensum in sentētia præcitata

aliúsque similibus habuit.] Secundus autem sensus non est nisi contractio originalis in re, & primus contractio in illo in debito, seu in periculo cadendi. Quare cum apertissimè dicat Porrecta S. Thomam loqui de secunda contractione originalis v. g. in debito necessaria ad redemptionem, liquidissimè constat non loqui de contractione originalis in re, quando dicit quod posteri Adam & B. Virgo necessariò contraxit, vel concepta est in originali.

§. III.

Recensetur tertium suffragium ad probandum per concipi in peccato, non significari contractionem originalis in re, sed in debito, ex eo quod habet Ioannes à S. Thoma eruditissimus in combinandis locis sancti Thomæ, & alij Discipuli eiusdem S. Doctoris cum eo.

1. VEritatem huius expositionis circa dictum S. Thom. & Patrum, quod B. Virgo fuerit concepta in peccato originali non in re, sed in debitrice potentia contracto comprobat efficacissimè suo suffragio, & variis rationibus Ioannes à S. Thoma, celebris Doctor Complutensis & nostri Hispaniarum Regis dignissimi Philippi IV. à confessionibus, qui duobus tomis defendit doctrinam S. Thomæ, vt nullibi falsam; ex cuius dictis maximè firmabitur expositio nostra, quod si quando Patres dixerint hoc ipsum, nonnisi iuxta hunc eumdem sensum sint interpretandi, & præsertim S. Bernardus, quem citat, & sequitur S. Thomas; & vt omnino Aduersantes ipsi non habeant, quid dicant in oppositum; registrandi sunt aliqui articuli huius Doctoris præcipui, qui semper inculcant hanc veritatem, vt penitus omnis dubitatio dematur, quod aliter sit intelligendus S. Thomas, & alij Patres in citato modo loquendi, sic ergò habet citatus Doctor.

Ex Ioanne à sancto Thoma.

ARTICVLVS I.

Proponuntur quæ in D. Thoma opponuntur.

2. DVplex propositionum genus in D. Thoma iactatur; quædam vt erroneæ aut indefensabiles, aliæ vt dignæ, quæ defendantur, vt minùs commodiores explicandæ fidei, & Theologiæ, aut in Scholis minùs bene visæ.

Circa primum genus.

3. Primò, obiicitur quia in materia de Conceptione B. Virginis duo protulit D. Tho. quæ hodie sustineri non possunt alterum, quia affirmat esse erroneum dicere quod aliquis præter Christum sit sine originali peccato conceptus, quæ censura est expressè contra determinationem Sixti IV. Pij V. Concilij Trid. & aliorum summorum Pontificum, qui declararunt non esse erroneum dicere Beatam Virginem esse præseruatam ab originali & prohibent quamcumque censuram in oppositum; quod autem id dixerit D. Tho. constat ex *p. 2. q. 81. a. 3.* Dicendum quod secundum fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines præter Christum solum ex Adam deriuati, peccatum originale contrahúnt, alioquin non indigerent redemptione. Alterum quod protulit D. Thomas est, quod quia ignoratur quo tempore B. Virgo fuerit sanctificata, celebratur festum sanctificationis eius potiùs, quàm Conceptionis. Ita 3. *par. quæst. 27. art. 2.* Hoc autem reprobatum est à Gregor. XV. in peculiari decreto, quo prohibet nullo modo in Officio Diuino vtendum esse nomine sanctificationis, sed Concept.

4. Has duas propositiones ex D. Tho. affert Auctor Elucidarij Deiparæ *lib. 4. tr. 5. pag. 969.* quasi ab aliis obiectas, & proferens iudicium de his, *pag. 973.* dicit, quod si Doctor sanctus has propositiones docuisset, eius auctoritas in hac parte esset debilitata per Sedem Apost. sed auctoritatem relatam ex 3. par. dicit ex fraude & corruptela irrepsisse in textum D. Thom. in 1. 2 vero illam censuram non esse D. Thomæ, sed à nonnullis iniquè declaratam: & D. Thomam solum damnare id, quod infert, tamquam inconueniens, scilicet aliquem non indigere redemptione per Christum, non verò errore notare quod aliquis sine peccato sit conceptus.

Ex Ioanne à sancto Thoma.

ARTICVLVS II.

Quis sit sensus D. Thomæ circa ea, quæ Ecclesia docet de Immaculata Virginis Conceptione.

5. HÆc est apud oppositos Auctores fortior machina, quæ in solidissimum doctrinæ D. Thomę murum arietat, & plures ad Classicum excitauit, nec modicam vtriusque partis bilem accendit in asserenda, vel profligãda alterutra sententia, vnde coacti sunt Romani Pontifices iteratis edictis publicas disputationes in hac re inhibere, & tandem indictum est silentium parti affirmatiuæ & cautum ne qui piam opinionem sequuntur, aliam impugnent, aut de ea quomodolibet agant aut tractent. Ita Paulus V. Greg. XV. in suis Const. pro Immac. Concept. excepit tamen ad hoc silẽtio ipse Greg. XV. Fratr. Ord. Prædicatorij, vt licite possint inter se, & nõ cũ aliis de ipsa tractare, vt constat

constat ex Bulla, quæ incipit. [Eximij & singulares fructus] 28. Iulij an. 1621. Quare nobis non licet quidquam tractare vel agere de opinione affirmante contractionem peccati ; licet tamen Ecclesiæ sensum, quem omnibus Apostolica Sedes proponit. hic etiam exhibere, & quid senserit D. Thomas explicare ; & sicut ab aliis Auctoribus in suum sensum adducitur, ita nobis licebit verum illius sensum indagare nihil de ipsa opinione tangentes.

Quam sobriè Ecclesia in hoc Mysterio loquatur.

6. Arcanum hoc mysterium Ecclesia Spiritu sancto gubernata & instructa, sic summa pietate veneratur, vt tamen magna cum moderatione in re tanti momenti procedat & loquatur, & à suis fidelibus sic sentire velit.

Primo igitur docent & testantur Pontifices articulum hunc nondum esse ab Apostolica Sede definitum, seu declaratum. Ita Sixtus IV. in Extrauag. *Grauè nimis.* Pius V. in Constit. quæ incipit *super speculam.* Et Gregor. XV. infra citand. Vnde quod aliqui asserunt ex Decreto quodam Concilij Basileen. *sess.* 36. In quo definitur probabiliorem esse sententiam piam de Immaculato Conceptu Virginis, constat omni auctoritate carere, tum quia Concilium illud iam in ea sessione erat acephalum, & à vero & legitimo Pontifice Eugen. IV. segregatum ; tum quia Sixtus IV. qui fuit post illud Concilium, aliíque eius Successores expressè docent, articulum hunc nondum esse à Sede Apostolica declaratum ; ergo quantum adhoc numquam illud Decretum Basileense admissum est, neque confirmatum.

7. Secundo quanta sollicitudine, attentione & cautela in hac parte, Apostolica Sedes processerit & procedat ; non aliundè quàm ex ipsis litteris Gregorij XV. constare poterit, in cuius Pontificatus initio diligentissimè procuratum est, vt res ista tandem ad optatam definitionem produceretur. Is enim Pontifex ex litteris ad Catholicum Regem Philippum IV. pro hac re sollicitè pro sua auita pietate vrgentem, sic rescripsit. Ne quid tamen noui in tanta re decernatur, monet tum negotij magnitudo, tum Romanorum Pontificum prædecessorum exemplum ; Spiritus Sancti enim vocem auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in diuinæ sapientiæ Cathedra Christiano Orbi à Deo præfecti sumus. Quare cum nondum æterna Sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterij penetralia patefecerit, in Dei Romanorumque Pontificum auctoritate debent fideles conquiescere.] Ita habetur ex libro Legationis Episcopi de Carthagena & refert Grauina in Apologetico pro sacro deposito *cap.* 12. *in fin.* sed præstat integras litteras auscultare eiusdem Pontificis ad Serenissimam infantem Margaritam de Cruce (rarum huius sæculi & superiorum exemplum) in Reg. Discalceatarum Cœnobio Matritensi olim Sanctimonialem, cui de hac materia sic Pontifex rescripsit; breui, sed pleno maiestatis stylo rem tantam ponderans.

Hic Auctor inserit Bullam, quæ incipit [Angelicis cheris interesse, &c.] Romæ 9. Iun. 1622. & habetur in Regesto Col. 278.

8. His planè Litteris edocemur quanta sobrietate, grauitate, & circumspectione in hac materia loqui nos decet, quantum à proprij iudicij peruicacia ; aut tenacitate, & ab opinionum propriarum adhæsione auelli, & solamentis atque opinionum resignatione ipsi glorioßissimæ ac purissimæ Virgini ad pedes Romani Apostolatus deseruire debeamus ; hoc enim ipsi verè & super omnia gratissimum fore, Ecclesia ipsa nos docet. Satagamus ergo hoc diligenter, exequi, quicumque in vera humilitate tantæ Reginæ purè fideliterque obsequi profitemur.

Hanc modestiam planè sequutus est D. Thomas & hanc nos docuit, & ita in hac parte sensit, vt semper locum dederit illi sensui, qui modo ab Ecclesia admittitur, nec illi vnquam contradixit. Quidquod Scotus ipse subtilissimus, ita & modestissimus Doctor, adeo sobriè cautéque rem istam tractauit, vt mirandum posteritati de hac re exemplum reliquerit ; cum enim in *3. dist. 3. q. 1.* difficultatem hanc ventilasset, & quibus modis possibile Deo fuisset suæ purissimæ matris animam in primo instanti animationis gratam sanctámque efficere, descendens ad quæstionem de facto, & quid in illo occultissimo atque cælesti mysterio ineffabilis Dei misericordia exequuta sit, hæc verba subiicit. [Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit ; Deus nouit ; si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ] Nihil plus in hac quæstione de facto Scotus determinauit, & multum in breuibus his verbis nos docuit.

Ex Ioanne à sancto Thoma.

Ad D. Thomæ sensum declarandum quædam prænotantur.

9. Nihil mihi videtur ita commendare cœlestem D. Thomæ doctrinam, quam si attentè inspiciamus quanta vigilantia sancti Doctoris calamum in hac re Diuina Prouidentia temperarit, ne in particulari aliquid describeret, quod præsenti Ecclesiæ statui, & sensui, quem habet circa Virgineum Conceptum contradicere posset.

Duo ergo oportet diligenter prænotare in D. Thomæ doctrina pro huius determinationis Luce. Primum longè aliter loquutum fuisse D. Thomam cum in generali & in communi ageret de vniuersalitate peccati originalis quantum est ex vi legis, & omni priuilegio seeluso, aliter cum in particulari de B. Virgine tractauit ; vbi de ipsius præseruatione ex vi priuilegij agebatur. Nam loquendo ex vi legis ita vniuersalitatem originalis peccati extendit, vt nulli exceptioni dederit locum

& oppositum censura inusserit, vt statim ostendemus, vbi autem in singulari agit D. Thomas de ipsa B. Virgine, an sit excepta à peccato originali, nusquam censurâ aliquam apposuit. Secundum quod aduertimus est, quod D. Thomas numquam proposuit quæstionem directè. An Beata Virgo contraxerit peccatum originale, an vero fuerit præseruata, sed vtrum fuerit sanctificata ante animationem, quia cum in Conceptione B. Virginis duo attendantur scilicet & persona concepta vt terminus, & actio ipsa generandi seu concipiendi, & vtrumque conceptionis nomine significari soleat, & possit; non fuit sollicitus D. Thom. quærere de persona, an fuerit præseruatione priuilegiata, sed de actione & de principiis, ex quibus generata est persona, scilicet anima, vel carne ante animationem, an ex vi sua induxerint sanctitatem in persona; & cuæ fuit ipsi excludere ab actione priuilegium & carentiam debiti contrahendi peccatum. Hæc enim carentia ex ipsa actionis generatiuæ sanctitate seu priuilegio sequebatur. De persona verò concepta, an fuerit priuilegiata non obstante actione ipsa, seu actiua Conceptione, quæ de se in peccatum tuebat; D. Thom. non multum tractauit, etsi loquendo de opinionibus, quæ suo tempore iam current, de vtraque loquutus sit probabiliter, sicut illo tempore debebat loqui propter Romanę Ecclesiæ auctoritatem nondum tunc positiuè fauentis, sed solum permittentis opinionem piam, & ita ad Ecclesiæ auctoritatem se remittit, sicut & Scotus fecit, cum iudicium de hac re protulit quantum ad quæstionem de facto.

10. Igitur circa primum hoc Punctum, quod notamus, aduertendum est quod fuit necessarium D. Thom. tractare illam quæstionem, cùm ageret de peccato originali, an vniuersaliter in omnes homines pertranseat ex vi legis & secluso priuilegio, quia hæresis Pelagiana licet à principio negaret peccatum originale in paruulis, sed peccatum Adæ sibi soli nocuisse affirmaret, tamen postea ita peccatum originale confessi sunt, qui tamen asserebant non in omnes homines pertransire nullo excepto (ex vi legis, loquebantur, non ratione priuilegij) & cum Apostolus dicit Rom. 5. [In omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt,] ly *omnes* dicebant idem esse, quod *multos*,, non autem omnes nullo excepto, qui in eodem cap. dicebant Apostolum indicasse, dum dicit. [Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi,] & sic ly *omnes* idem est quod *multi*. & dicendo de Christo. [Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem, ly *omnes* non intelligitur de omnibus nemine excepto; sed de multis, qui iustificantur.

11. Hoc ergo aduertens Augustinus in Pelagio & Iulio eius discipulo, non solum contra fidem esse asseruit negare peccatum originale in paruulis, sicut primo negauit Pelagius, sed etiam affirmare quod non omnes tangit, nemine excepto ex vi legis ordinariæ, sicut secundo Pelagius dixit. Videndus est Augustinus *lib. de nat. & gr. cap.* 41. vbi inquit, illud quod commemoraui per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, & antiquos, & recentiores & nos posteriores nostros sententia ista complectitur. Ponit etiam Pelagius testimonium, vnde probet cum dicitur *omnes*, non semper omnes, nullo prætermisso, debere intelligi, [sicut, inquit, per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ;] cum per Christi inquit iustitiam non omnes homines, sed eos tantum, qui illi obedire voluerũt sanctificatos esse non dubium sit. Non plane testimonio isto probat, quod vult; nam sicut dictum est, [sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem,] vt nullus prætermitteretur, sic in eo, quod dictum est [Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ,] nullus prætermissus est, non quia omnes in eum credunt, sed quia nemo iustificatur, nisi in eum credat; Ad hæc *in lib. 6. contra Iulian. cap.* 12. alias 24. postquam probauit Augustinus illud verbum, *omnes*, significare omnes nullo prætermisso, subdit, [Vos autem dum non omnes, sed multos per Adam condemnatos, siue per Christum liberatos, vultis intelligi; horrenda peruersitate Christianæ Religioni resistitis.] Denique in libro de perfectione iustitiæ *cap.* 21. *tom.* 7. eisdem fere verbis & sub eadem censura loquitur Augustinus ac D. Thom. *in p.* 2. *qu.* 81. *iam citata.* Dicit enim Augustinus; Quisquis esse vel fuisse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines, putat vno excepto mediatore Dei, & hominum, quibus non fuerit necessaria peccatorum remissio, contrarius est diuinæ Scripturæ, vbi Apostolus ait, [Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt,] & necesse est, vt impia contentione asserat esse posse homines, qui sine Mediatore Christo liberante atque saluante, sint liberi, saluique à peccato. Hoc August. Illatio apertè sequitur in Pelagij sententia, si ex vi legis, & secluso priuilegio non in omnes homines nullo prætermisso, peccatum transiret, sed aliquis sine illo generaretur, tunc enim ille non indigeret redemptione per Christum, quia ex ipsa lege ordinaria careret peccato.

12. Ex his ergo manifestè deducitur, quod cum D. Thom. tractauit de natura peccati originalis, eiusque vniuersalitate, & amplitudine in totum genus humanum, oportuit determinare contra Pelagium, & secundum fidem Catholicam, non solum contrahi peccatum originale à paruulis, sed etiam in omnes homines nullo prætermisso peccatum hoc transire excepto Christo ex vi legis loquendo, cum etiam hoc secundum fuerit à Pelagio assertum, & tamquam distinctus articulus in Concilio Palęstino fuerit ei propositus ad abjurandũ. Nam primo dictum est, vt abjuraret, quod peccatum Adam ipsum solum læserit, & non genus humanum. Secundo quod per mortem & præuaricationem Adam non omne genus humanum moriatur, &

quod

quod non per Resurrectionem Christi omne genus humanum resurget. Igitur D. Thom. debuit explicare hoc specialiter, quia secundum fidem Catholicam contra Pelagium fatendum est omnes homines nullo excepto, nisi vno Mediatore Christo loquendo ex vi legis, & secluso priuilegio (vt loquitur D. Thom. & Augustinus vt pote contra Pelagium) contrahere peccatum originale, & sic posuit D. Thom. *p. 2. qu. 81. art. 3.* & *qu. 4. de malo art. 6.* & *in 4. dist. 43. qu. 1. art. 4. ad 3.* & sub censura id debuit affirmare, quia est dogma Catholicum contra Pelagij hæresim, & sub eadem censura notatur ab Augustino locis citatis, & ob eandem rationem, qua vtitur D. Thom. scilicet, quia alias non indigeret aliquis redemptione per Christum, de quo etiam videndus est August. 6. contra Iulian. *cap. 4.* & *5.* & *de ciuit. cap. 6.* & *lib. de fide ad Petrum cap. 26.*

13. Neque verba D. Thom. & Augustini ita vniuersalia & sub censura posita in aliquo lædunt, aut tangunt singulare Beatissimæ Virginis priuilegium, quia quando lex aliqua fertur vniuersaliter pro omnibus; in toto rigore veritatis dicitur, quod lex illa omnes nullo prætermisso comprehendit, etiamsi aliquis per priuilegium excipiatur; non enim hæc duo inter se pugnant, quod ex vi legis omnes sint comprehensi, & ex vi priuilegij aliquis sit exemptus, imo potiùs natura priuilegij supponit ex vi legis oppositum deberi, alioquin priuilegium non esset, si ab vniuersalitate legis non excipeter. Hoc enim sensu dixit optime Augustinus *Epist. 50.* quod dispensatio est vulnus contra integritatem seueritatis; non ergo priuilegium tollit vniuersalitatem ex vi legis, sed supponit, excipit autem ex vi priuilegij. Vnde Esth. 15. dixit Assuerus Rex; *non pro te, sed pro omnibus hac lex lata est.* Vbi conuenientius videbatur dicendum, *non pro te, sed pro reliquis*, non autem dixit sic, sed *pro omnibus*, vt daretur intelligi optime stare, quod lex sit pro omnibus vniuersaliter, licet non sit pro aliquo ex vi priuilegij; ergo bene stat de fide esse, quod ex vi legis ordinariæ omnes incurrunt peccatum solo Christo excepto, & tamen in nullo lædatur singulare priuilegium Virginis.

14. Scio Caietanum & Medinam super illum locum ex prima secundæ propositionem D. Thom. in hoc sensu accipere, quod solum sit de fide omnes homines contrahere peccatum originale quoad debitum, non de facto; sicut est de fide omnes homines habere debitum moriendi, non tamen est de fide, sed in opinione an aliqui de facto non sint morituri, illi videlicet, qui in vltimo fine mundi inuenientur. Cæterùm communior D. Tho. interpretatio est, quod loquitur D. Thom. in illa vniuersali propositione ex vi legis ordinariæ, relinquendo semper locum priuilegio. Ita censent Ferrara *4. contra Gentil. cap. 50.* Zumel. *p. 2 qu. 81. art. 3. qu. vn.* Lorca, & Aluarez *ibid.* Pater Azor. *tom. 1. instit. lib. 4. cap. 34.* Salas *tom. 2. in p. 2. tr. 13. disp. 11. sect. 5. qu. 11.* Valentia *p. 1. disp. 6. qu. 11. pu. 2.* Montelinus *p. 2 qu. 81. art. 3. disp. 11. qu. 8. num. 124.* Cornel. à lapide *super Epist. ad Rom. cap. 5.* eodem modo explicant propositiones vniuersales sanctorum, quod loquantur ex vi legis, non ex vi priuilegij. Paramo *lib. 3. de edicto fidei qu. 5.* Bellarm. *lib. 4. de amissione gratiæ cap. 16.* Ægidius à præsentatione *de Immac. Concept. lib. 3. qu. 4.* præsertim *art. 2.* & *qu. 5. sequ.* Suar. *tom. 3. p. disp. 3. sect. 5.* Vasqu. *2. tom. ad 3. p. disp. 117. cap. 10.* & *sequen.* Quare ex illa vniuersali propositione D. Thom. & eius censura, quæ solum respicit id quod ex vi legis ordinariæ comprehenditur, nullum præiudicium, nec censura resultat in eam opinionem, quæ ex priuilegio concedit B. Virginis præseruationem à peccato non ex vi legis: prohibitio autem Sedis Apostolicæ in censurando solum est circa opinionem piam, quæ ex priuilegio dicit B. Virginem esse præseruatam, non ex vi legis ordinariæ, quæ est pro omnibus. Vnde quando D. Thom. agit de B. Virgine in particulari, non censurat, licet vtatur eadem ratione, quia alias non egeret redemptione Christi, vt patet *6. part. qu. 27. art. 2.* & *in 3. dist. 3. qu. 1. art. 1.* & aliis locis infra adducendis.

15. Circa secundum quod in D. Thom. non tandum diximus, illud est præ oculis habendum, ipsum bene aduertisse omnes modos, quibus poterat contingere ista sanctificatio Virginis non solum modo ordinario, sicut fit in aliis hominibus ex peccato, sed etiam præseruatione, ne in illud incideret, aut etiam per gratiam aliquam ante animationem, vel collatam animæ, vel putificantem materiam seminalem, aut embryonem, quod bene aduertit Seraphinus è porrecta super *3. part. qu. 27. art. 2.* fuit autem sollicitus D. Thom. excludere non tam ipsam præseruationem personæ Virginis in instanti reali suæ productionis, quam præseruationem carnis, vel animæ, ita quod ex vi Conceptionis actiuæ, seu generationis redderetur sancta illa persona, in se autem in quantum persona singulatis, & producta non eguisset gratia liberationis, nec debitum haberet incurrendi, sed tota gratia fieret vel parentibus, vel actioni, seu principiis ipsis, vnde persona illa resultare debebat, ideſt carni vel animæ ante animationem, hoc fuit intentum D. Thom. & ideo semper inquisiuit, an fuerit ante animationem sanctificata; quod verò ipsa persona iam producta, quæ ex vi & modo suæ Conceptionis habebat debitum incurrendi, de facto non incurrerit peccatum; D. Thom. non fuit multum sollicitus, sed vtique sententiæ dedit locum Ecclesiæ, ad quam solum pertinet iudicare hanc quæstionem de facto.

16. Hoc autem euidens fiet ex ipsis locis D. Thom. vbi ex professo hanc quæstionem tractat, in quibus videbimus eum agnouisse etiam præseruatiuam redemptionem, & præcipue intendisse negare, quod gratia ista non fieret parentibus, vel naturæ, sed si fieret, deberet fieri personæ ipsi Virginis in singulari, in ipsa verò persona producta requirit solùm vel debitum, vel peccatum, vt dicatur redimi, & liberari; non verò solum peccatum, & in primis occurrit ad hoc insignis locus D. Tho. *in 4. dist. 43. qu. 1. art. 4. ad 3.* & habetur *in addit. ad 3. part. qu. 78. art. 1. ad 3.* Proposuerat D. Thom. argumentum, quod aliquando Deus

hoc Ecclesiæ præstabit, vt nascantur homines absque peccato originali, eo quod Ecclesia petit sibi debita relaxari, & sic vt plenariè assequatur hanc petitionem, oportet quod plenariè aliquando assequatur relaxationem debitorum, quod non erit nisi aliquis homo sine peccato originali concipiatur. Respondet D. Thom. quod hoc est erroneũ dicere quod aliquis sine originali peccato concipiatur præter Christum, quia sic non indigeret redemptione per Christum, & subdit. [Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia præstitum fuit eis, vt sine peccato conciperentur. (Ecce gratia seu redemprio præseruatiua) quia illa gratia facta est parentibus, vt in eis vitium naturæ sanaretur, quo manente sine originali peccato generare non possent, vel ipsi naturæ, quæ sanata est; oportet autem ponere quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat non solum ratione naturæ; liberari autem à malo, vel à debito absolui non potest nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus est, (ecce distinguit contrahere malum vel debitum tantum) & ita non possent omnes fructum Dominicæ Redemptionis in se ipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur, & malo subiecti; vnde dimissio debitorum & liberatio à malo non potest intelligi, quin aliquis sine debito vel immunis à malo nascatur &c.] ita D. Thom. vbi ponderandum est D. Thom. negare illam gratiam præseruatiuam, quæ fieret parentibus tantum, vel naturæ; non ipsi personæ, eo quòd reputat vt magnum inconueniens quod aliqua persona in se personaliter non egeat redemptione, sed gratia, quæ illi fit, sit in suis parentibus, vel ipsi naturæ, aut principiis naturæ, puta animæ, vel carni, ante constitutam personam & ante animationem.

17. Secundo pondera quod ad liberationem per Christum disiunctiuè postulat D. Thom. vel debitum vel culpam in eo, qui redimendus est; ergo si sufficienter saluat D. Thom. redemptionem per Christum in aliquo, qui solùm nasceretur cum debito, non amplius requirit, quando loquitur de Virgine, & infert pro inconuenienti, quia alias non indigeret redemptione per Christum; intelligit enim quod non indigeret si concipéretur sine debito, aut sine peccato, non tamen si conciperetur sine peccato, dummodo conciperetur cum debito in persona. Et quoties D. Thom. infert quod non indigeret redemptione, ly *non indigeret*, est, quia excluditur etiam debitum; hoc enim si datur sufficit ad indigentiam liberationis, vt ex isto loco colligitur, & ita locus hic maximo prælucet menti D. Thom. introspiciendæ aliis in locis.

18. Deinde oportet conferre inter se loca D. Thom. *ex 3. sent.* & ex 3. *part.* vt constet quomodo ipse distinxerit gratiam istam præseruatiuam, & quomodo negauerit; nam in 3. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 1. inquirit *in 1. quæstiuncula*, an Beata Virgo fuerit sanctificata, antequam Conceptio carnis eius finiretur, ideſt dum caro illa erat sub forma embryonis, vel in seminali materia, & respõdet negatiue. *In quæstiuncula* 2. inquirit an sanctificata fuerit ante animationem, seu infusionem animę, & respondens huic quæstioni dicit. [Ad secundum dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat; sed neque etiam in ipso instanti infusionis, vt scilicet per gratiam tunc sibi infusam conseruaretur, ne culpam originalem incurreret.] Ecce manifestissimè agnoscit D. Thom. gratiam præseruatiuam, ne incurratur macula in illo instanti infusionis animæ, & distinguit illam ab ea gratia, quæ fieret Virgini ante animationem, & constitutionem personæ, siue in suis parentibus, siue in materia sui corporis; aut in anima, cum tamquam distinctas difficultates ista pertractet. Et idem colligitur ex 3. *ad Anibaldum dist.* 3. *qu.* 1. *art.* 1. vbi dicit, quod nec ante Conceptionem, nec in Conceptione ante animationem, nec in ipso instanti infusionis animæ sanctificata est. Distinguit ergo omnes istos modos sanctificationis, tum ante instans animationis, tum in ipso instanti, in quo iam præseruaretur, seu conseruaretur persona, ne incurreret peccatum, & non solùm ipsa actio, seu materia corporis, aut parentis præseruarentur, ne generarent prolem in peccato. Licet autem D. Tho. in istis locis 3. *sentent.* omnes istos modos sanctificationis excluserit, tamen postea ideſt *in 4. sentent. cit.* & *in 3. p. qu.* 27. *art.* 2. istum vltimum modum de sanctificatione præseruatiua in eodem instanti infusionis animæ vel suppressit & omisit, vel explicauit. Suppressit quidem in 3. *p. cit.* vbi inquit, [quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem, & concludit. Et sic quocumque modo B. Virgo ante animationem sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpæ, & ita non indigeret redemptione per Christum.] Vnde Sanctus Doctor per ly *incurrisset maculam*, intelligit etiam debitum tum ex explicatione supra relata *ex 4. sent.* tum quia loquitur in casu sanctificationis ante animationem, in quo casu ipsa personaliter non esset obnoxia, sed in sua persona careret omni debito: tum ex ratione adiuncta, quia non indiguisset redemptione. Verbum autem indigere semper refertur ad debitum, vt ostendimus ex D. Thom. qui autem habet debitum, & si non peccatum, indiget redimi, seu indiget liberatore periculi, in quo est, quod D. Thom. non negat, quare in hoc loco 3. *part.* omnino omisit illum modum sanctificationis præseruatiuæ pro eodem instanti & sic solùm loquitur in casu ante animationem dicens. [& sic quocumque modo ante animationem &c.] explicauit autem *in 4. sent. dist.* 43. *cit.* quod ad liberationem, & redemptionem sufficit vel debitum in persona, vel culpa, & ita si B. Virgo præseruata est à culpa, dummodo in persona habuerit debitum, nihil contra D. Thom. sicque ista dico loca, quia sunt posteriora illis ex 3. *sent.* citatis plenius explicant mentẽ S. D. vt iam facimus.

Ex Ioanne à S. Thomá.

Conformat se Diuus Thomas sensui Ecclesiæ.

19. Ex his prænotatis liquidò constabit de mente Sancti Doctoris, quæ si attentè fuisset consi-

considerata, & collatis diuersis suis locis inspecta; nihil sinistrum vnquam de illo fuisset suspicatum in hac parte. Itáque inuenit D. Thomas iam suo tempore controuerti hanc difficultatem, & multos inclinare in Immaculatum Conceptum Virginis, Ecclesiasque non paucas celebrare hoc festum ex tolerantia Romanæ Ecclesiæ. Ipsam tamen Ecclesiam Romanam nondum illud celebrare: vnde præmaximè sollicitus fuit de vno puncto, quod in hac materia granius & considerabilius est, & ad doctrinam Christianam præcipuè spectans, videlicet ne gratia sanctificationis, quæ tribuebatur Conceptioni Virginis, ita sinistrè intelligeretur ab aliquibus, quod non ipsi personæ Virginis diceretur fieri hæc gratia, sed quæcumque gratia, seu beneficium hoc sit, ipsi personæ Virginis debet fieri non parentibus, sanando vitium naturæ, non Conceptioni actiuæ, seu præparatiuæ, & commixtioni seminum, non embrioni postremo, non animæ, neque carni, ante animationem & constitutionem personæ, hoc voluit maximè obseruari D. Thomas, & in hoc totum suum studium posuit, quia videbat si in hoc sinistra aliqua intelligẽtia inolesceret, & semel admitteretur non ipsi personæ Virginis fieri hoc beneficium; destrui grande principium in fide, quod daretur aliqua persona inter homines, quæ in se personaliter, seu ratione suæ personæ non indigeret redemptione Christi; ad hoc autem necesse erat ponere debitum aliquod, seu periculum in ipsa persona, à quo si non teneretur, non liberaretur. Propter quod in his duobus locis, quæ videntur esse postremæ determinationis in D. Thom. scilicet *in* 4. *dist.* 4. *cit.* & 3. *p. q.* 27. *a.* 2. solum fuit sollicitus, ne gratia ista & beneficium sanctificationis fieret Virgini ante animationem: ita quod non ipsi personæ fieret, sed antecedenter ad existentiam personæ, vel ipsis parentibus, vel Conceptioni actiuæ, vel carni dum generabatur, vel animæ ante infusionem. Hæc enim nondum sunt persona.

20. Hoc puncto stabilito quod præcipuè fuit curæ D. Thomæ, & in quod totum pondus rationis suæ librauit, scilicet quia aliàs non indigeret redemptione in sua persona, si debitum saltem non haberet, in quo & Scotus conuenit, dum ponit solum in instanti reali potuisse Virginem liberari, & in instanti naturæ esse cum debito, vt patet *in* 3. *dist.* 3. *q.* 1. § *si autem*, respondendo ad secundam replicam: hoc inquam stabilito, de reliquo, an scilicet habendo debitum in sua persona de facto non contraxerit culpam, sed præseruata fuerit B. Virgo in instanti reali suæ animationis, vtrique opinioni locum dedit D. Thomas, quia erat quæstio de facto; sed quia videbat Romanam Ecclesiam nondum celebrare, sed tantum tolerare illud festum, voluit adhærendo Romanæ Ecclesiæ eius saluare rationem. Ratio autem, qua Romana Ecclesia tunc dicebatur, ea erat, quam affert Doctor Angelic. *quodl.* 6. *q.* 5. *a.* 1. quia Romana Ecclesia inquit, & aliæ plurimæ considerantes Conceptionem Virginis in originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant. Si ergo Ecclesia hoc tunc considerabat, & sentiebat, quomodo poterat S. Doctor non magis inclinare in hanc partem, tunc quia sic sentiebat Romana Ecclesia, cuius sensum debebat S. Doctor defendere, tum in determinando quæstionem de facto qualis ista erat, oportebat expectare iudicium Ecclesiæ, & non rationum humanarum ponderibus duci, vt in suis litteris docet Gregor. XV. supra relatus. Voluit ergo in quæstione de facto D. Thomas non aliud sequi, quam id quod iudicabat, & sentiebat tunc Ecclesia Romana, in cuius auctoritate debent fideles conquiescere, sed tamen vt locum etiam alteri opinioni daret, quantum Ecclesia tunc permittebat, addidit 3. *p. q.* 27. *ar.* 2. & 3. quod quia Ecclesia Romana tolerabat illius festi celebrationem, non erat totaliter reprobanda. Ecce quomodo semper D. Thom. inhæret sensui Romanæ Ecclesiæ, semper eam honorat, semper saluat. Vnde cum modo Rom. Ecclesia non solum toleret, sed etiam positiuè præcipiat celebrari tale festum, illudque magnis fauoribus prosequatur, loquendo in vi doctrinæ D. Thomæ, oportet vice versa de his sententiis censere, & D. Thomas sic censeret. Si enim ex sola tolerantia Rom. Ecclesiæ illa festiuitas, tunc non erat spernenda expositiuo præcepto & fauore, quanto magis diceret venerandam? Præsertim cum ex hoc probet B. Virginem sine peccato esse natam, quia eius natiuitas celebratur ab Ecclesia, vt patet eadem *q.* 27. *a.* 1. ergo idem de Concept. diceret, si tunc eodem modo celebraretur sicut natiuitas. Pro illo ergo tempore sic censuit D. Thom. sicut Ecclesia Rom. sentiebat, pro isto verò sentiret id, quod illa sentit, & eo modo quo sentit. In his enim quæstionibus de facto iuxta diuersa tempora variatur iudicium, & crescit rerum notitia paulatim.

21. Quod verò aliquid asserunt ex 1. *sent dist.* 44. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Vbi D. Thomas inquit talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali & actuali immunis fuit, vbi sicut ly *immunis* cadens super actuale peccatum, omnem eius contagionem excludit, ita cadens super originale omnem eius contractionem excludere debet. Resp. quod hoc dixit D. Thom. vel quia vtrique opinioni fauit, quæ tunc currebat in Ecclesia vna vt tolerata ab Ecclesia Rom. alia vt asserta, licet propter illius Ecclesiæ honorem & obedientiam magis & pluries inclinauerit D. Thomas in assertam, quam in toleratam; vel illud verbum *immunis* sumitur generali modo pro immunitate vel præseruante vel liberante, atque adeo verbum illud non est omnino expressum, nec plenè declarat mentem sancti Doctoris: præsertim quia ibi solum obiter & per transennam istam tangebat, mens autem alicuius Auctoris ex locis, in quibus ex professo rem aliquam tractat, indaganda est.

22. Et ita hanc nostram sententiam tenet Porrecta 3. *p. quæst.* 27. *ar.* 2. & videndus est Medina super eumdem locum defendens etiã opinionem piam probabiliter, & Caietanus vt probabile reputat *tom.* 2. *opusc. tr.* 1. *cap.* 5. & Soto *in cap.* 5. *Epist ad Rom.* loquens iuxta

con

consuetudinem celebritatis huius, quæ modo est in Ecclesia inquit: [quod exceptio B. Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli, est vsq; adeo celebris non modo inter plebeios, sed inter bonos Doctores, quales præcipue sunt Illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem.] Ita Soto, quæ ideo dixerim vt constet Illustres Thomistas sequentes D. Thom. non multum hærere in hac quæstione de facto nec in illa magis radicari, quam Ecclesiæ sensus postulat.

23. Dices, *in quodl. 6. cit.* expresse dicit S. Thom. Beatam Virginem fuisse inclusam in illa vniuersali, *in quo omnes peccauerunt*, à qua solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem, alioquin si hoc alteri conueniret quam Christo, non indigeret Christi Redemptione; ergo vtitur illa consequentia non indigendi redemptione, non solùm ad probandum quod habeat debitum, sed etiam peccatum. Resp. attendenda esse verba D. Thom. dicit enim ab illa vniuersali solum Christum excipi, qui non fuit in Adam secundum seminalé rationem; alioquin si hoc alteri cõueniret, id est si conueniret non esse in Adam secundum seminalem rationem, (id enim refert & demonstrat per nomen hoc) & ita non contraheret peccatum, non indigeret Christi Redemptione, quod manifestissimum est; qui enim per seminalem rationem ab Adam non descenderet, nullum debitum incurrendi peccatum habuisset, nec indigentiam Redemptionis, cum ex vi legis non deberet contrahere peccatum. Vnde directé solum probauit D. Thom. non indigere redemptione, non qui de facto non contrahit peccatum in persona sua, sed qui non contrahit, quia in Adam non est secundum seminalem rationem, atque adeo nec debitum contrahendi habet, & ita negatio indigentiæ redemptionis semper excludit debitum apud D. Thomam quia tamen vt in illo quodl. refert. Ecclesia Rom. & aliæ Ecclesiæ tunc sentiebant de facto contraxisse B. Virginem peccatum, ideoque non celebrabant illud festum, ideo non redemptionem præseruatiuam ibi posuit, sed ordinariam, sicut aliis locis, non tamen in hoc multum fuit sollicitus, quin etiam alij opinioni locum aliis locis non dederit, vt vidimus.

24. Responsio ad obiecta circa hanc Propositionem. Ex his relinquuntur exposita quæ contra D. Thom. in hac parte obiecta sunt *art. præced.* dum referebamus ea, quæ in D. Thom. notantur. Itaque ad primam obiectionem dicimus D. Thom. in illis verbis non censurare aliquo modo assertionem opinionis piæ, sed solum asserto illi Pelagij se opponit, quo dicebat loquendo ex vi legis, quod non omnes peccauerunt in Adam nullo prætermisso, sed solum multi; contra hos dirigit censuram D. Thomas vt vidimus, hæc autem censura non est contra eos, qui dicunt ex priuilegio B. Virginem esse præseruatam, non ex vi legis, vt satis ostensum est.

25. Ad secundum in quo obiicitur D. Thomas dum dicit celebrari potiùs festum sanctificationis, quàm Conceptionis contrariari decreto Gregorij XV. iubentis vbique sub nomine Conceptionis celebrari. Resp. omnino insultè & insipienter id obiici. Primò quidem, quia D. Thom. non reddit ibi rationem celebrationis huius festi, quomodo nunc facit Ecclesia Rom. sed reddit rationem quare tunc tolerabat Ecclesia Rom. illam celebrationem in aliis Ecclesiis, ipsa tamen non celebrabat; & dicit hoc fecisse, tunc quia attendebat magis ad sanctificationem, quam ad Conceptionem quæ ratio optima est respectu illius tollerantiæ, quæ tempore D. Thomæ erat; pro quo casu non loquitur decretum Gregorij: nunc vero iam Ecclesia non solum tolerat, sed & præcipit illud festum, in quo casu non loquitur D. Thom. Vnde ergo contrarietas est inter dictum S. Thom. & decretum Gregorij. Secundo, quia aliud est agere de nomine seu titulo, sub quo celebrari debet hoc festum aliud de ratione celebrandi, de nomine non negat D. Thom. quin potiùs admittit non esse reprobandam festiuitatem de Conceptione: (ecce titulus seu nomen sub quo celebratur) de ratione verò celebrationis dixit potiùs esse sanctificationis festum, quam Conceptionis & hoc verum est quia non celebrat Ecclesia de aliquo, nisi ratione sanctitatis: & Gregorius XV. iubet sub nomine Conceptionis celebrari, de ratione verò celebrandi nihil dicit.

26. Tertiò Illa restrictiua, *Potius celebrat festum sanctificationis, quam Conceptionis*, non negat Conceptionem celebrandam immo ly *potius* supponit etiam de illa celebrari, sed quid potiorem rationem celebrationis obtineat, ostendit: aliud est enim potius sanctificationem attendi, aliud est Conceptionem excludi. & Card. Bellar. *in 2. tom. lib. 3. de cultu sanctorum c. 16.* dicit: quod præcipuum fundamentum huius festi non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio Matris Dei futuræ, qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit matris, singulare gaudium affert mundo. Si ergo hoc est præcipuum fundamentum qualiscumque fuerit conceptio, cur fugillatur D. Thom. quia dixerit potius sanctificationem, quam Conceptionem celebrari, ideest præcipuum fundamentum esse sanctificationem. Deniq; hoc solum pertinet ad quæstionem de facto, in quo mutatio accidere potest iuxta diuersa Ecclesiæ decreta: tunc Ecclesia Rom. nondum decreuerat celebrari sub nomine Conceptionis, nec celebrabat; ipsa modo & celebrat & decernit. D. Thom. rationem & narrationem reddidit eius, quod suo tempore currebat, non contrariatur ei, quod alio tempore, ideest nunc Ecclesia decernit. nec Gregorius XV. determinat quod tempore D. Thom. sic celebrabatur, sed solum præcipit, vt modo sic celebretur. Vnde ergo contrariantur?

27. In quibus patet manifeste pro nostro sensu pronunciasse & probauisse Ioannem à S. Thoma, quod scilicet apud S. Doctorem contrahere originale & concipi in originali, non dicat peccatum formaliter sumptum, sed vel causaliter vel in debito.

Præter

Præter hos tres etiam Primates Discipulos S. Thomæ, eodem modo intelligunt eumdem Medina vt hic Ioannes notat; & præterea Franciscus Arauxus qui suffragatur 1. 2. q. 8. a. 3. Caietano in hac re etiã ex Dominicana familia Conceptioni Immaculatæ non ad stipuletur, vt notat Christophorus à Vega Palæstra stra 3. certam. 8. n. 250. & subscribunt similiter intelligẽdum esse S. Thomam teste eodem Christophoro Leit. Ludouicus solo Maior, In c. 8. Cant. & Iustin. tract. de Concept.

DIVISIO XVII.

Ex Ecclesia Græca ostenditur in antiquitate nomen Conceptionis assumptum fuisse pro Conceptione seminum, & infertur non significasse aliud in Latina.

1. SEmper significauisse in Ecclesia Græca nomen Conceptionis, illam seminum; non naturæ, nec primam animationem: ostendi facile potest ex festo Conceptionis Virginis in ea ab immemorabili celebrato sub nomine Conceptionis sanctæ Annæ, quæ eadem fuit Conceptio Beatissimę Matris; sed hæc non potest intelligi Conceptio naturæ Virginis, nec prima eius animatio; ergo Conceptio Virginis celebrata apud Græcos fuit illa seminum Virginis, non naturæ eius, nec prima eius animatio. Et per consequens nomen Conceptionis Deiparæ apud illos fideles non potuit significare nisi illam seminum, non naturæ, quod est quod intendimus & idem dicendum vltimo, quod senserit Ecclesia Latina cum nulla sit particularis ratio in Latina, quæ hoc nomẽ transtulerit in significationem aliam ab ea, quę vsurpabatur ab Ecclesia Græca alioqui assignent Aduersantes, vndè obuenerit quod nomen Conceptionis in Ecclesia Græca steterit pro illa seminum, contra vero pro illa naturæ in Latina. Quòd autem Conceptio Virginis passiua celebrata fuerit in Ecclesia Græca sub nomine Conceptionis Beatæ Annæ, est certum apud omnes Auctores & ipsi Aduersantes non negant vt patet in secundo Anonymo pugnante contra titulum Immaculatæ Conceptionis reiectum à Cismontana familia & Calderonio, qui ait §. 39. [Iuxta relatũ Menologium Ecclesiasticum à Genebrardo nono Decembris ponitur Conceptio Beatæ Annæ:] In quibus verbis agi de Conceptione passiua eiusdem Virginis, idem ipse Anonymus fatetur, dicens: [Vbi agitur de Conceptione passiua, qua in vtero sanctæ Annæ Virgo fuit concepta:] atque adeo eamdem vult Conceptionem B. Annæ, & Concept. passiuam Virginis.

2. Sed quia hic homo in dubium vertit sine vlla ratione, Menologij auctoritatẽ, vndè subdit [In hoc Menologij auctoritas vel inutilis est, vel depranata,] importat hanc veritatem firmare, vt os illi occludatur, qui ibidem Conceptionem actiuam Virginis admittit & firmat ex Menologio, passiuam temere nonnisi subdubiè volt admittere, & pro libito dat libris auctoritatem, vel ab eis demit, certè ignauè dum rationem non assignat & contra omnem rationem obloquitur.

3. Patet autem Ecclesiam Græcam celebrauisse sub nomine Conceptionis S. Annæ Conceptionem passiuam Virginis, & qua Virginis est; quia videmus antiquas orationes Leonis Imperatoris, & Georgij Nicomediensis, & encomia laudis & celebritatis eiusmodi festi cadere supra sanctissimam Virginem pro statu Conceptionis suæ laudabilis & venerabilis, non sistendo neque amplificando præcipuè gratiam & dona supernaturalia Beatæ Annæ matris, sed maxime filiæ eius Beatissimæ Virginis, vt ex Baronio videbimus infra cum autoritatem Leonis Imperatoris afferemus. Celebrauit ergo Ecclesia Conceptionem Beatæ Annæ, prout est laudabilis & venerabilis, inquantum erat Conceptio passiua Dei Matris, quod est quod intendimus.

4. His adde 2. quod expressè celebrata fuit à Græcis & Græca Ecclesia Conceptio Virginis passiua vt sic, quia vt videbimus latè in Opusculo de sensu sanctorum Patrum, ea vtpote sancta laudata est, & celebrata in monumentis Græcis recenter translatis in Latinam linguam, sub nomine Menæorum Græcorum, inquantum scilicet vel ea remoueri voluit à debito proximo contrahendi originale vt voluere aliqui Patres Latini antiquiores, vel denominare eam placuit sanctam propter sanctitatem subito infundendam in animam Deiparæ in prima sui infusione. Tertiò hoc probatur validè quia cum antiquissimi Patres Græci nobis non admodum cogniti, expressis sententiis vóluerint & prædicauerint Dei genitricem ab originali immunem prout apertè commonstrabitur eodem loco; ad euidentiam videtur constare quod Conceptionem eius passiuam celebratione dignam agnouerint, & vt sic verè celebrauerint, inquantum scilicet connotabat sanctitatem simul infundendam in animam eius, quod videbant esse magnum mirum in super naturalibus nulli alij sancto concessum, atque adeo sub nomine Conceptionis Beatæ Annæ, id quod maximè celebrabatur, non erat Conceptio eius actiua principaliter, sed propriè passiua Virginis, non certè ea, quæ consistebat in prima animatione Virginis; nam hæc non dicebatur simul Conceptio Beatæ Annæ, sed passiua carnalis sanctissimæ Virginis, quod apparet esse euidentissimum: neque dicas Ecclesiam Græcam celebrauisse Conceptionem carnalem sub denominatione Conceptionis Beatæ Annæ Christi Domini Auiæ, vt referunt Doctores, celebrationẽ eius eos instituisse in eo quod miraculosè operatum fuerit in D. Anna ad hoc, vt potuerit sterilis concipere & parere Beatissimam Matrem: atque adeo non celebrauisse Conceptionem passiuam sanctissimæ Virginis vt sic; ne inquam hoc dicas, nam licet verum sit, quod Græca Ecclesia celebrauerit hoc magnum quod gestum fuit in Beata Anna ad hoc vt Virginem sanctissimam conciperet; hoc tale tamen ita specialiter non celebrauisset nisi in ordine ad id quod Conceptio actiua afferebat, videlicet Conceptionem passiuam Virginis in qua consistebat maxima dignitas celebra

lebrationis : enim in ad hæc respexisset, nihil peculiare magnum hîc animaduertissent Patres celebratione dignum : reliqua enim omnia huius Conceptionis fuere communia cum multis Sanctis, imò cum pluribus qui sanctitate non præfulserunt : imò cum aliis fortè damnatis : complures enim matres steriles, ex miraculo Dei & gratia Sanctorum, concepisse scribuntur : quæ tamen filios genuere qui vitam duxerint in peccatis inuolutam, & sæpè etiam cum fine malo terminatam.

5. Neque valet iterum obiici, quod quemadmodum celebrauit Ecclesia Græca Conceptionem Ioannis Bapt. propter simile miraculum, terminata scilicet celebratione in eo quod operatum fuit in sancta Elizabetha miraculosè : cum de reliquo S. Ioannes Baptista per plures menses post primam sui animationem in originali moratus est : atque ita pariter credendum sit quod Ecclesia Græca celebrauerit Conceptionem Beatæ Annæ inquantum ad Virginem terminatam, non qua ad Virginem terminata fuit, & sic celebratione dignam, sed inquantum in ea miraculosè opprobrium sterilitatis amouit, vel ex eo quod fuit Conceptio magni Sancti : non valet inquam hoc obiici, quia Conceptio B. Ioannis Baptistæ celebrata dicitur à Græcis, non vt sic, & subisto nomine, neque etiam sub acceptione & nomine Conceptionis B. Elizabethæ eius matris, vt in nostro posito habetur, sed sub nomine Annunciationis S. Gabrielis & apparitionis eius mirabilia futura prædicantis de Ioanne Baptista, non pro statu Conceptionis suæ, sed post illum vt patet in Euangelio, quemadmodum ergo in Ecclesia Latina celebratur apparitio S. Michaëlis in Monte Gargano, ita in Græca celebrata est appartitio S. Gabrielis facta Zachariæ, & magna illi prænunciatis de Ioanne Baptista non instanter, sed pro longè futuro tempore. Vnde non est par ratio, quia Ecclesia Græca celebrauit festum Conceptionis Virginis vtpote sanctæ & puræ, atque adeo inquantum talis Conceptio erat passiua Virginis. Sic in Canone Ecclesiastico Ecclesiæ Græcè inscripto. [Infesto B. Annæ concipientis,] dicitur Domino [sanctorum progenitorum suorum desideria precesque adimpleta, iis quippe puram genitricem suam attribuisti ; vt ea tamquam suo germine gauderent:] & deinde [gloriosa nunc Anna concipit puram sobolem : seu vt proprietas vocis Græcæ exigit,] nulla macula contaminatam, quæ aliquando scilicet concipiant Dominum carnis expertem, & bonum super omnia.] Vbi plura alia dicuntur, in hanc rem, quæ expendentur subtilius in Opusculo dicto.

6. Hanc eandē veritatem confirmat, id quod in eodē Opusculo commonstrauimus : scilicet Ecclesiā Græcā videri agnouisse subitam post paucas horas primā infusionem animæ Virginis, post eius organizationem, paruo internallo dictarū horarum peractam ; eámque maximè voluisse celebrare, simul cū ipsa prima organizatione, quia festum hoc celebrauit nō octauo die Decembris, quando reuelatum est Ecclesiæ Latinæ fuisse incepram organizationem corporis Virginis, sed quo supposuit cōpletam, infusamque animam eius : vndè apertissimè concluditur non celebratā Concept. actiuam B. Annæ vt sic, sed vt ea erat Conceptio passiua Deiparæ, quæ completa fuerit die 8. Decembris, quia videlicet voluerit, vel sciuerit sacrum concubitum B. Annæ, ad concipiendam Virginem completum effectū habuisse in vltimis horis noctis 8. diei Decemb. & si verum est quod reuelatum fuit B. Annæ post sex horas fuit primo anima in corpore Virginis ; atq; adeo die 9. Decēbris ; vt ibi enim videbimus, credi non debet quod errauerit in die celebrationis festi Concept. Dei matris Ecclesia Græca, cum ex traditione Apostolicæ videtur id hausisse, & de reliquo non apparet qua ratione melius possint concordari acta Ecclesiæ Latinæ cum illis Græcorū, vt ibi latè dicemus. Ex quibus, ad euidētiam constat quod nomine Concept passiuæ Virginis in tota antiquitate Ecclesiæ non intellecta vnquam sit alia, nisi ea quæ dicitur seminum vti sæpissimè & centies iterato concluſimus.

7 Restaret hîc expressos & plurimos textus adducere ex meneis Græcis & Ritualibus similiter Græcorū, in quibus ad euidentiā patet Ecclesiā Græcam agnouisse, celebrationiq; dedisse Concept. Dei Matris carnalem, cāque item expressè vocauisse sanctam & puram ; mundámque, sed quia ij habentur in Trutina breuiori, & latè de iis alibi disseremus, eos supponimus vt manifestos. Atque inde argumētum validum & positiuum formamus, non iam solùm ad euertendenda fundamenta Aduersantium Immaculatæ Concept. sed ad eandem conclusionem directè inferendam ; quod vt clarè pateat, præmittendæ sunt dictæ auctoritates.

Totius autem argumenti summa in hoc consistit ; nā posito quod Conceptio carnalis Deiparæ in antiquitate fuerit celebrata vt sancta per mille & ducentos annos ante hæc tempora, vt videbimus aliàs ex S. Sabba & Andræa Cretensi, qui hanc celebritatem ordinauerunt ; certè vt talis non potuit celebrari nisi ipsa esset in se talis, quæ proximum debitū contrahendi originale nō afferret primæ infusioni animæ rationalis De genitricis, vel saltē sanctitatem expectaret habendā in anima eadem pro tali infusione, vnde omnino expelleret à Virgine originale vt ex Aduersariis ipsis antiquis & recentibus patet, qui propterea suo sensu putant Conceptio Dei matris neque celebrandā, vt ostendunt ex S. Tho. *quodl. 7. a. 6.* neque volunt posse dici sanctam, repetētes quod sæpè scripsit S. Thomas ; quod si Conceptio Virginis quomodolibet esset sancta, vt expressè habet *3. p. q. 27. a. 2.* in corpore, quia secundū se esset munda nec delatiua peccati originalis : nullo modo in anima sua B. Virgo contraxisset originale. Quare dum Conceptio Virginis carnalis pleno ore ostenditur in antiquitate Græca celebrata & habita & prædicata vt sancta, nihil prorsus remanet dubitationis in assertione quod Cōceptio B. Virginis fuerit Immaculata.

9. Hoc idē argumentū maximā vim habet ex celebritate instituta ab Ecclesia Latina de Concept. carnali Deiparentis omnino simul cum Conceptione eius naturali, & prout fuit coniuncta cum prima infusione animæ eius

in

corpore ; quia iam vt sic celebrauerunt variæ Ecclesiæ ante ipsum S. Anselmũ, & deinde Ecclesia Rom. & Vniuersalis eamdẽ amplexa est & constat celebratam fuisse vt sanctã & puram; nã hanc ipsam sanctitatem expresè prædicat in Officio ante S. Anselmum deputato ex reuelatione Diuina ad eius celebritatem. Quare in ea valet idem discursus simul cum illo quòd antiquo tempore particulares Ecclesiæ iure poterant has instituere festiuitates, & rursum istam instituere ex reuelationibus & miraculis authẽticis & manifestis;& cum hac via processerint, non poterunt errare moraliter loquendo ; esto non dederint Conceptioni Immac. fidei Diuinæ certitudinem & sensum pro re definita in Ecclesia : Vnde ex hoc capite liquet Concept. carnalis Virginis celebratæ in antiquitate & pro eo stantis itidem inferri posituè eius Immaculationem.

10. Quod tertio suã vim auctam habet,ex eo quod frequentissimi Patres Conceptionem ipsam carnalem Deiparæ sanctã & puram, mundámque ab omni contagione peccati declarãt, quos legere potest Lector in Trutina breuiori, huius opusculi,&latè eos habebis in illo Patrũ & rationum pro Immac. Concept.pugnantiũ.

11. Et tandem hæc veritas firmitatem suam suscipit,quia ostenditur in Trutina breuiori & alias aptiùs fusiùs,& fortiùs Concept. carnalẽ Virginis æstimandam esse celebratam vel laudatam & prædicatam Ecclesiæ ex traditione Apostolica,cum ex dicto S. Andreæ Apostoli, tum ex relatione Lucij Deutri &Matri maximi, nec non aliorũ Scriptorum antiquiorum;accedente præsertim celebritate certissima eiusmodi Conceptionis ab Ecclesia per duodecim sæcula antecedentia.

12. Aduertendum tamen est hoc loco,quod etsi traditio Apostolica huius celebritatis non constet , ad euidentiam tamen moralem rectè ostendi & ostendetur suo loco : quantum verò ad præsens nostrum institutum ad euidentiam nos cõcludimus positiuè ex nomine Concept. Virginis in antiquis eius Immaculatum Conceptum;quia cum in tali antiquitate tum apud Græcos,tum apud Latinos,& Ecclesiam Græcam & Latinam Conceptio Virginis celebrata & dicta sancta sit,sermone habito de carnali Conceptione Deiparentis , nec ea vllo modo excluſa,sed positiuè incluſa; vt patere potest in Epistola ad Anglicanos Episcopos in Ecclesia Latina,& ex Græcis monumentis in Ecclesia Græca;quemadmodum etiã ex sanctis PP. antiquioribus Græcis; consequens est manifestum quod hoc stante,cui refragari non possunt Aduersarij sine temeritatis nota , anima S. Virginis in prima sui infusione in corpore nõ possit sustineri maculata originali : nomen enim & conditio sancti,& puri non potest competere Conceptioni carnali Virginis,nisi in ea prima infusione animæ suæ sanctitatẽ & gratiam habuerit , cum illi ipsimet Aduersarij ex eius carne infecta inuehant in animã maculã originalem formaliter sumptam;quare bene nos ex contrario dicto & applicatione nominis sanctitatis eidem carni possumus inferre & inferimus perspicuè Immaculationem eiusdem Dei matris ab omni vera peccati macula.Quæ omnia sint dicta vt appareat, quod ex positis non solum euertimus Aduersariorum tela , sed ex eis fortissima contra eos contorquemus.

13. Aduertendum denique hìc est , quod expositâ doctrinâ & significatione verâ nominis Concept.Deiparæ etiã ad peccatum contractæ & antiquitate, non solum destruitur potissimũ fundamentum ductum ex Patribus, & SS. Doctoribus,qui vsurpauerunt appellare B. Virginẽ in peccato conceptã:sed præterea illud ductum ex simili quod alij complures vsurpauerũt Virginis carnem dixerunt in peccato conceptam, eiusque carnem dixerunt esse carnem peccati & peccato obnoxiam , nam par est ratio de illis.Et rursum hinc destruitur magnum fundamentũ quod trahunt ex eo,quòd Deiparæ plures alij dixerunt ab originali mundatam : nam de munditie sunt perspicuè intelligendi his positis quæ merum debitum supponat in Virgine contrahendi peccatum in re,de cætero nõ in actu contractum; quemadmodũ etiam hinc in nihilum abit argumentum quod desumunt à morte & aliis effectibus originalis quibus Virgo subiacuit;nam hæc illi euenere ex carne peccati, non verò quia anima eius fuerit vero originali peccato infecta.Cætera item argumenta desumpta ex redemptione ex baptismo Virginis nihil aliud in ea probant,nisi simile debitũ vel proximum vel remotũ,& nullo modo possunt inferre peccatum formaliter sumptũ:& in actu.Scripturæ etiam sanctæ in quibus posteri. Adæ dicuntur peccauisse in Adamo & in eo mortuos,nihil plus vltra tale debitum conuincere possunt , & si aliquæ loquuntur de facto , simili modo sunt intelligendæ vt illa res,nascimur natura filij iræ,ex hoc ipso quod posuit omnes nasci natura,seu ex necessitate naturæ & non attenta gratia , hoc ipso non nisi debitum explicatum cõcludit.Et hæc ipsa ostendit quod alia Scriptura *Nemo mũdus à sorde,neque infans vnius diei*,non aliud potest tradere. Quare liquet apertè ex vero iacto à nobis fundamento firmissimo omnia penitus corruere, in qnibus suum fundant sensum nostri Aduersarij : quod ex dicendis in reliquis Opusculis apertiùs innotescet.

DIVISIO XVIII.

Soluuntur aliqua obiectiones , quæ possent fieri ad probandum nomen Conceptionis,etiam ante S. Thomam significasse saltem in Virgine primam eius animationem.

1. PRimo videtur probari posse in antiquitate nomen Conceptionis applicatũ Virginis stetisse pro prima eius animatione,quia refertur in antiquitate habitum quod in primo instanti suæ Concept. B. Virgo fuit immunis à peccato originali ; sed pro primo instanti suæ Conceptionis non potest intelligi, nisi instans eius primæ animationis : quia in Concept.carnali non potest, neque solet assignari primum instans Concept. ergo nomen Concept.in antiquitate saltem applicatum Virgini, stetit pro prima eius animatione. Id quod confirmatur, quia in tantum existimata fuit Virgo immunis ab originali , in quantum fuit gratia plena:quare cum gratia plena non fuerit , nisi in prima animatione,sui , non nisi in eadem prima animatione debet intelligi concepta;atque adeo nomen Conceptionis apertè in antiquitatè significauit primam animationem Virginis.

2. Sed hæc auctoritas nulla est, primo quia non requiritur ab omnibus, & creditur à multis Aduersariorum suppositititium hoc dictum, non ergo ab Aduersariis est adducendum vt habens absolutam auctoritatem atq; adeo vt omnino destruens nostrum fundamentale dictum assumptum, quod Conceptio in antiquitate signauit Conceptionem seminum, non naturatum: dent primo auctoritatem dicto, & aliunde ipsos euictos relinquemus ex euidenti immunitate à peccato originali, quæ ibidem traditur Virgini in sua Conceptione.

3. Secundò, nulla est hęc auctoritas, quia aliqui graues viri sermonem in eo dicto haberi dicunt; & variis coniecturis probant, de Conceptione actiua Virginis, non de passiua; de qua est factum in hac re nostrum fundamentum firmissimum.

4. Tertiò, falsum est quod hic debet esse sermo de primo instanti animationis Virginis, vel de primo instanti animationis Christi; Vnde nomen Conceptionis comprobetur, stare pro prima animatione eius, qui concipitur, vel actiue vel passiue: falsum inquam est quia primum instans Conceptionis bene intelligitur esse, vel primum instans extrinsecum Conceptioni, post quod vltimo posituin, incipit esse Conceptio: & sic potuit signari, quod antequam inciperet actio conceptiua Virginis passiue, ex priuilegio Dei fuit facta immunis, ne post tale instans caro eius inquinaretur; vel destinaretur & obligata esset veniente anima, contrahere originale in re: vel 2. recte potest intelligi primum instans intrinsecum, ita vt hac immunitate ipsa gauisa sit, quando primum verum fuit dicere; *nunc primo dicitur concepta passiue fuisse sanctissima* Virgo quia scilicet tunc primo coagulatio ordinata ad fœtum completa fuerit in ratione Conceptionis, & peruenerit ad signum quo dici potuerit, *conceptus est fœtus*, quo omnino soluitur hæc obiectio; imo iaciuntur solida fundamenta, quibus ostenditur Virginem non solum fuisse immunẽ à peccato originali, sed valde ad eius dicta conformẽ esse sensum, quo intentũ est ostendere Virginem sanctissimam fuisse immunẽ à debito proximo illud incurrendi, provt statuemus infra.

5 Quartò. Patere potest, quod non quia nominatur in præseruatione ab originali primum instans Conceptionis, propterea debeat intelligi instans, primæ animationis eius; atque adeo Conceptionis nomen significauisse in antiquitate primam animationem; nam bene potest in Conceptione carnali seminum, considerari, vt diximus, primum extrinsecum vel intrinsecum instans eius inceptionis, vel completionis, & rursum, quia sicuti in Conceptione Christi Domini momẽtanea & instantanea, assignari solent plura instantia, nulla habita consideratione de infusione animæ eius; si scilicet Conceptio eius sumatur, provt comprehendit organizationem corporis eius, quæ in instanti indiuisibili perfecta fuit: & rursum delationem sanguinis Virginei ex eius venis ad locum generationis quæ ex S. Thom. 3. *parte q.* 33. *art.* 1. *in corp.* & aliis Theologis facta est in tempore & cum motu localiter ita multo magis possunt in Conceptione Virginis carnali considerati plura instantia, videlicet vel illa post quæ inceperunt semina genitorum deferri ad locum generationis; vel ea, post quæ incipit mixtio eorumdẽ; vel alia in quibus cõpleta est mixtio prima, ita vt primo dici potuit secundum carnem concepta Virgo; & de his omnibus habito sermone potest existimari, quod per antiquum dictum annunciatum sit, Virginem sanctissimam præseruatam ab originali, vel quia eam Deus exemerit à debito eius proximo, vel quia eam pro eo signo ita obligatam censuerit contractioni originalis, vt eam noluerit destinatam seu decretam, vt originali in re inquinaretur, & propter eiusmodi destinationem ad non contrahendum originale, eam dixerit ab eo liberatã; quemadmodum ad soluendum tributum si singrapham vel priuilegium quis obtineat exemptionis à Rege, licet adhuc habeat bona detenta apud exactores gabellæ, destinata ad solutionem eiusdem gabellæ, dici potest vel dicitur præseruatus à solutione tributi & ab eo factus immunis; & simile quid applicandum esset Virgini, si velimus non exemptam Virginem à debito proximo, sed prior sensus est solidior & amplectendis ex validis aliis rationibus.

6. Quintò, potest recte dici in hac re dictum hoc habitum quasi propheticè pro tempore, quo erat propalandum, & loquutum fuisse fidelibus nostri sæculi, pro tempore pro quo nomen Conceptionis in Virgine significaturum erat primam infusionem animę eius, & vt ex eius verbis fideles clariùs de hoc mysterio informarentur: Nam videtur quod hoc dictum suscitatum hoc tempore, si vero fuit in antiquitate; diuino instinctu fuit traditum & bene potuit pro futuris temporibus destinari ad erudiendum apte fideles, & nos qui illud eramus accepturi. Cuius rei exemplum habes in aliis scriptis antiquissimis lingua Hispanica recenti exaratis, quibus futura prædicta sunt. Id quod conforme esse Euangelicis dictis notat Biuarius in appendice ad commentarium Dextri, super Marci verba (*linguis loquentur nouis*) idest linguis numquam vsitatis, & quæ futuro tempore essent vsurpandæ, quod est quid valde mirabile, si expositio constat.

7. Sed solidius standum est primis responsionibus de instanti recte competenti Conceptioni carnali successiue habitæ: quia in ea etiam maxime Auctores dicitant instantia, & sic de instanti Conceptionis carnalis scribit Bacconius *in* 4. *d.* 2. *q.* 3. *art.* 3. similiter de momento Conceptionis scilicet omnino de carnali loquens, S. Bernardus *in libro meditationum cap.* 2. supra à nobis citato & expresse Suarius *in* 2. *tom.* 3. *p. d.* 48. *sect.* 3. *in fine*, loquens de instãti mortis Christi Domini ait, quod ab eo incepit descendere in infernũ anima eius, cum tamen loqueretur de motu successiuo, qui in instãti non potest dici haberi nisi initiatiue, provt dicitur in inceptione & desitione rerum: in quo tractatu hæc doctrina communiter datur ab Auctoribus, & instantia prima & vltima assignantur, in quibus dicuntur incipere vel definere esse entia successiue. Quare nulla debet esse difficultas, quod recte possint tradi instanti Conceptioni carnali Virginis,

Virginis, in quibus ipsa dicatur ab originali præseruata quibus adde quod instans primæ animationis eius potest etiam dici instans primum Conceptionis carnalis completæ sumptæ, & vltimo terminatæ: nam & certum est quod ea ordinetur & terminetur vltimo ad primam animationem.

8. Similem adhibe doctrinam confirmationi obiectionis, quadicitur quod hoc dictum excludit à Virgine Conceptionem in peccato, quia vt *gratia plena* fuit ab Angelo salutata: nam pro statu, pro quo fuit gratia plena, debuit, velle illam conceptam, atque adeo pro prima sui animatione. Negabis enim assumptum, quia si Virgo fuit gratia plena, habuit etiam hoc priuilegiũ, quod non fuerit concepta in originali; seu destinata ad illud non contrahendum in actu, vel facta immunis etiam à debito proximo, atque adeo nullo modo potest inferri quod de Conceptione sermo fuerit, quæ gratiam sanctificantem in animam Virginis supponeret, vt patet; sed de Conceptione quæ includeret plenitudinem omnium priuilegiorum in illa, quam scilicet Angelus ei designauit. His adde, quod his verbis potuit negari peccatum in Conceptione carnali Virginis, quod in re futurum esset, & communicandum animæ in prima animatione, quod est completè & vere peccatum originale. Non vero peccatum originale in mero debito, & sic bene diceretur, quod si ita in peccato terminante Conceptionem concepta fuisset, non potuisset dici gratia plena, nam in prima sui animatione fuisset filia iræ; non potest ergo vlla ratione inferri nomen Conceptionis hoc loco, stare pro prima animatione: sed solum aliquid afferre quod vsque ad primam animationẽ aliquid aliud deferret, videlicet ex sui immunitate à peccato, absolutam sanctitatem & plenitudinem sanctitatis in Deipara pro statu primæ animationis. Rursum dici potest, quod verum sit dicere, quod Vir-Virgo si in peccato fuit concepta, non potuit dici gratia plena, ex eo, quia ex contextu ita diceretur in peccato concepta, vt haberet omnia ea quæ naturaliter consequuntur ad Cõceptionem in peccato & negationem præseruationis ab eo in re, & pro signo primæ animationis, de qua præseruatione sermo habebatur: & tunc verè diceretur quod non posset dici gratia plena, nam destituta pro eo signo omni gratia, & plena non poterat enunciari. Vbi notandum quod bene aliqui Patres, qui concederent peccatum causaliter in Virginis Conceptione carnali, non eam tamen dicerent imo negarent absolutè conceptam in peccato: non quia nomine peccati intelligerent peccatum formaliter sumptum, sed ipsum causaliter sumptum, sed ita causaliter sumptum vt traheret peccatum in re ex quadam consequentia naturali, & propterea dixerint absolutè Virginem non conceptam in peccato: sed prior responsio videtur potius aptanda; licet si ea minus placet, hoc loco non contendimus. Dum magis arridet hæc secunda quibus plenè satisfactũ videtur huic cuicumque obiectioni, pro re præsenti.

Sexta vniuersalis solutio esse potest, quia potest rectè existimari, quod Patres agnouerint Conceptionem seminum fuisse coniunctam cum conceptione naturali Deiparæ, vtpote qui turmatim & communiter dicunt, Deum fabricauisse speciali virtute corpus eius, vt alias demonstrabimus, atque adeo nomine Conceptionis Virginis Conceptionem seminum significasse, extensam scilicet vsque ad primam infusionem animæ Virginis, atq; adeo bene ei dedisse aliqua quæ conuenirent illi propter annexa & connexa, seu prostatu primæ animationis Virginis Deiparæ, non quia per nomen Conceptionis voluerit primo, & per se significari eamdem primam animationem id quod non est dicendum de omnibus PP. sed de aliquibus, quibus hoc mysterium clarius illuxit, & decursu temporis aliis recentioribus non fuit ita apertè declaratum, vel quia ij non legerunt, vel quia non aduerterunt ad dicta PP. antiquiora, quod dico præcipuè de Bernardo Ricc. & aliquo alio.

§. II.

Adducitur & soluitur facilè auctoritas S. Athanasij, qui videri potest nomen Conceptionis vsurpasse ad significandam primam animationem Deiparæ.

1. Sanctus Athanasius, serm. 3. de sanctissima Virgine ait: [Spiritus S. in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus grata esset:] & deinde addit; (quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post Conceptum eam retinuisse.] In quibus verbis sic licet argumentari: de ea Conceptione loquitur S. Athan. hoc loco, quæ secum habuit in Virgine descensum Spitus S. cum omnibus suis essentialibus virtutibus: sed hic descensus non potuit in ea haberi pro signo Conceptionis alterius, quam primæ animationis eius; nam virtutes non fuerunt infusæ Virgini nisi in prima eius animatione; ergo de tali Conceptione, quæ in idem reuoluerctur cum prima animatione Virginis, loquitur hic S. Athanasius, non de mera carnali; atque adeo falsum est quod in antiquitate PP. nomine Conceptionis semper significauerit carnalem contradistinctam à prima animatione Virginis.

2. Respondeo, primo, concedo maiorem, & distinguo minorem: hîc descensus Spiritus S. non potest habere locum complete in Virgine nisi in prima animatione, concedo maiorẽ; incomplete, nego minorem; & sic nego consequentiam. Et dico, quod bene dici potest ab Athanasio sicuti dicitur, à S. Fulberto & aliis descendisse in Virginem initiative & incomplete, dum operam suam specialissimam adhiberet informando corpore eius. Id quod plures Patres, & ipsa Ecclesia notat in oratione in qua habetur, [Corpus eius & animam Spiritu S. cohoperante præparasti,] & videbitur latè, in Opusculo de sensu Patrum.

Esto deinde complementum huius descensus maximè habitum sit in prima animatione sui; quando anima eius capax fuit, & recepit innumera alia dona gratiæ.

Respondeo, secundo bene etiam dici po-

tuisse in prima organizatione corporis Virginis descendisse Spiritum sanctum ex eo quod purgauerit carnem eius, vel ab ipso initio, vel in medio eiusdem organizationis, ita vt in instanti animationis non infecerit animam, Virginis vt *aliàs* dicemus.

Dico 3. Sanctum Athanasium non dixisse Virginem in ipso Conceptu habuisse gratiam hanc dictam, sed per omnia tempora Conceptûs, quæ maxime videntur esse illa quæ sequuta sunt eius organizationem pro tempore animationis, seu post organizationem; & aliud est dicere Conceptionem seu Conceptum stetisse apud ipsum pro prima animatione; aliud tempora Conceptus stetisse pro dicta animatione; nam nos primum negamus, quia volumus Conceptus & Conceptionis nomen significauisse antiquo tempore primã organizationem corporis; sed de reliquo permittimus per tempora Conceptionis, significata fuisse illa quæ incipiunt à prima animatione Dei genitricis: per tempora enim Conceptionis bene possunt intelligi ea quę ipsam consequuntur, vt contra distincta ab illo tempore quod eam concomitatur, vel præcesserit.

§. III.

Obiicitur 3. in antiquitate nomen Conceptionis Deiparæ significauisse statum primæ eius animationis ex iis quæ solent afferri ex Paulo Orosio, Lucio Flauio Dextro, & Marco Maximo Poëta.

1. COntra nostra asserta videtur multum fauere, id quod refert Paulus Orosius qui testatur omnes eas mulieres, quæ implorauerint diem Conceptionis Virginis, non periclitatas in partu; nec non Lucius Dexter quod ab Apostolorum tempore fuerit celebratus dies Conceptionis Virginis; quod etiam reperitur in versibus, Marci Maximi Poëtæ: nam si nomen Conceptionis ex conclusis à nobis significauit in antiquitate primam organizationem corporis Virginis, debuit per hos Auctores referri Ecclesiam celebrauisse eum diem, quo corpus Virginis fuit organizatum & non eum, in quo fuit primò animata, seu in prima infusione animæ eius: hoc videtur absurdum, & contra sensum Ecclesiæ, quæ maxime celebrat sanctitatem in anima Virginis habitam, quæ non nisi supposita prima animatione eius in ea habetur: Ergo falsum est quod in antiquitate nomen Conceptionis Virginis steterit pro prima organizatione corporis Deiparæ.

2. Respondeo primo, distinguo maiorem scilicet ab his Auctoribus referri celebrationem organizationis corporis Dei Matris, excludendo, vel præscindendo à consequenti prima eius animatione, nego; eam connotando, licet in recto eam non significauerit, concedo maiorem; & sic distinguo minorem, & nego consequentiam; & dico Ecclesiam celebrauisse cùm primam organizationem corporis Virginis, tum etiam primam animationem eius; licet sub dicto nomine Conceptionis, quod de cætero esset ordinatum ad significandam primam organizationem & per modum necessariæ sequelæ consignificantis primam animationem, vt sanctam. Id quod patere potest in reuelatione facta Helscino Abbati communiter relatæ: vbi idem habetur, quod inuenitur in festo Assumptionis Virginis, in quo celebrat Ecclesia primo mortem Virginis sanctissimam, 2. reditum animæ eius ad corpus glorioſum, & 3. Virginem ipsam assumptam in Cælum in anima & corpore, & coronationem eius super omnia.

3. Respondeo 2. Ecclesiam recte dici celebrauisse diem Conceptionis Virginis sumptæ pro carnali; & præterea pro naturali & illa propriæ suæ humanitatis; quia sensit primam animationem Deiparæ, vel post horam, vel saltem post paucas horas in spatio vnius diei organizatum fuisse corpus Dei genitricis, & animam eidem corpori infusam cum omnimoda sanctitate; sicut late & efficacissimè probabitur euenisse, in Opusculo de sensu Patrum.

§. IV.

Adducuntur aliæ variæ vsurpationes nominis Conceptionis Deiparæ in antiquitate, quæ videntur significauisse Conceptionem humanæ naturæ eius, primæque suæ animationis.

1. NOmen Conceptionis Dei parentis in antiquitate, vsurpatum est præterea ab Idiota, qui floruit anno 1000. quique exponens, & applicans Beatissimæ Matri dictum illud Canticorum; (*Tota pulchra es amica mea,*) addidit eam pulcram in Conceptione, & cum de pulchritudine loqui videatur, quæ consistit in sanctitate & iustitia, inferri posset ab aliquo, quod pro Conceptione non potuerit Idiota intelligere hîc, nisi statum Virginis in prima animatione, quando fuit capax & prædita gratia sanctificante; non verò pro statu Conceptionis carnalis eius: quando non poterat ei conuenire pulchritudo sanctitatis dictæ: quare falsum videtur quod in antiquitate Conceptio significauerit absolutè Conceptionem seminum, vti fusè à nobis probatum est.

Præterea refertur à Baronio in Martyrologio die 8. Decembris Leonem Imperatorem & Georgium Nicomediensem composuisse orationes, de pura Conceptione Deiparæ, nec videntur hi aliam puritatem Virgini concedere, quam eam quæ illi prouenit ex gratia sanctificante: vnde debent loqui de Virgine, & Conceptione eius in statu qui esset capax gratiæ eiusdem, qui non potest inueniri nisi in Conceptione naturæ Virginis, non seminum: atque adeo iterum concluditur in antiquitate nomen Conceptionis stetisse pro prima animatione Beatæ Virginis. Similiter magis apertè nomen Conceptionis videtur significauisse per sæcula ante S. Thom. tempore scilicet Sancti Anselmi Conceptionem humanitatis Virginis, seu primam eius animationem, vbi ipse distinguit inter Conce-

ptionem,

ptionem, quæ habetur per copulam carnalem, & Conceptionem primæ animationis, quam vocat spiritualem, & vtramque dicit celebrandam in Virgine, vtpotè quæ vtraque sua puritate gaudet.

3. Vltimò quantum videre potui, citari potest pro hac re Petrus Comestor, qui composuisse refertur librum de pura Conceptione, & de reliquo dixit quod sanctissima Virgo fuit concepta cum culpa & pœna. Quare videtur agnouisse duplicem Conceptionem; vnde falsum est in antiquitate nomen Conceptionis mere significauisse carnalem, & non eam quæ habetur in prima coniunctione animæ cum corpore.

Cui obiectioni ex Comestore respondebis manifestè, quod is non præbuit titulum de pura Conceptione Virginis libro, in quo eam immunem facit ab originali; vnde nulla obiectio; dicitur autem eam inuenisse puram, loquendo de Conceptione prout modo significat nomen Conceptionis, quod stat pro prima animatione. Alij dicunt quòd si dixit Virginem in peccato conceptam, mutauit sententiam & puram voluit Conceptionem eius carnalem, vt Salazarius in sæculis.

4. Sed vniuersalis responsio ad hæc omnia, esse potest & debet, quod bene possit agnosci pulchritudo & puritas in Conceptione carnali Virginis præscindendo à sanctitate animæ, tum propter immunitatem eius ex debito proximo, tum propter sequuturam omninò sanctificationem in prima animatione, quæ esset illi veluti promissa, & destinata. Quæ ad Sanctum Anselmum patet responsio, quia Conceptionem quam dixit primam animationem, ipse non nominauit absolutè, talem: sed Conceptionem spiritualem. & nos de Conceptione absolutè dicta ostendimus antiquitatem intellexisse solam carnalem; & de carnali maxime ipse dixerit & voluerit celebrandam in Epistola ad Episcopos Angliæ. Vbi rursum certum est in hanc distinctionem veniisse S. Anselmum ex quadam nona permissione, vt ibi patet. Vniuersalis item responsio ad hæc omnia secundò est, quod esto aliqui Patres agnouerint de Conceptione B. Virginis importantem coniunctionem primam animæ cum corpore, hoc non potest facere quod Conceptionis nomen Virgini etiam applicatum, significasse dicatur ex sua primæua significatione in antiquitate Patrum omnium primam animationem, cùm hoc nomen in omnibus litteris, nihil tale vmquã significauerit saltem communiter; & rursum quia etiam concipi in peccatis, non importauit eiusmodi primam animationem; vbi tandem vniuersitas reliqua Patrum loquentium de Conceptione Virginis, ostendit quod communiter loquuti ipsi sint de Conceptione carnali, id quod patet vel expresse, vel ex circumstantiis, vt apparet in Bernardo & S. Anselmo; & similibus, vel ex eo quod non in alio sensu sumpserunt Conceptionem Deiparæ, ac alias Conceptiones, quas non intellexere nisi carnales. Esto de reliquo vnus aut alter Pater; aut aliqui pauci pro Conceptione Virginis intellexerint aliquando illam, quæ fuit naturæ eius: hoc enim non facit, neque facere potest, quod tota alia Patrum & Autorum cæterorum innumerorum communitas sit existimanda quod in eodem sensu, in quo à paucis fuit vsurpatum nomen Conceptionis, fuerit etiam ab omnibus aliis vsurpatum: vel quod absolutè ex eo quod sensere pauci, eiusmodi significatum sit tribuendum nomini Conceptionis, vt cuicumque liquidò constat: sed absolutum significatum huius nominis Conceptionis est decernendum ex eo quod communiter fuerit à Patribus & Doctoribus in illa antiquitate pro Conceptione intellectum.

Hic autem videtur notandum aptissimè quòd quando aliqui prisci Patres loquuti sunt de Conceptione Virginis, non quomodocumque pura vel munda, aut sancta, sed de ita munda & sancta, vt simul esset veneranda, inuocanda, & celebranda à fidelibus; quemadmodum præcipuè loquuta est de illa Ecclesia Græca, & Lucius Dexter, Paulus Orosius, & Marcus Maximus Poëta; tunc existimari potest quod de Conceptione carnali Virginis loquuti sint prout connotauit Conceptionẽ naturalem eius, seu sanctitatẽ & dignitatem celebrationis & inuocationis quæ præcipuè resedit in dicta Conceptione naturali, eamq; refudit in Conceptionem ipsam carnalem, quæ maxime ex eo est venerabilis & celebrãda, quia in instanti vltimo terminatiuo sui, dicit sanctitatem, & immunitatẽ ab originali, qua si careret, non esset venerabilis: quo non propterea est censendum quòd eiusmodi Patres per nomen Conceptionis significauisse absolutè Conceptionem naturalem censendi sint: nã quod significatur in recto per aliquod nomen, illud dicitur absolutè per tale nomen significari, non vero id quod significatur in obliquo per ipsum idem nomen, vt patet in innumeris nominibus. At si quis velit in hisce casibus consignificari per nomen Conceptionis, tum carnalis, tum naturalis in recto propter rationes superiùs adductas; non fit inde quod à pari quando à Patribus recentioribus dicta est Virgo concepta in peccato, consignificetur per hoc verbum vtraque Conceptio, quia etiam præscindendo à peccato in re contracto, Conceptio carnalis dici potest & debet in Virgine fuisse in peccato causaliter, atque adeo absolutè in peccato. Sed contra: Conceptio Virginis carnalis, celebritate Ecclesiæ vniuersalis completè digna, non intelligitur nisi in prima animatione, cum significet sanctitatem, & immunitatem ab originali; vnde bene potest, dici quod in prima & antiqua acceptione Conceptionis vt dignæ celebritate, possit intelligi consignificari in recto vtraq; conceptio, non verò in 2. Et ad summum si velis per Conceptionem in peccato intelligi vtrãque Conceptionem, neque ex hoc potest absolutè inferri quod à dictis Patribus maculetur Conceptio naturæ Virginis peccato originali in re contracto, sed ad summum in debito; quod maximè patet in Christo, qui dicitur quod si genitus fuisset ex semine, contraxisset originale in anima sua sanctissima, vt plures Patres, & tota Scolasticorũ palæstra docet; & tamen certũ est quod non contraxisset in re originale, quod est incompossibile cum vnione hypostatica, vt demonstratur *in 3. parte à Theologis q. 15. art. 1.*

DIVISIO

DIVISIO XIX.

Colliguntur corollaria vniuersæ Doctrinæ traditæ circa significationẽ nominis Conceptionis in signata Antiquitate & discutitur, an aliquando & qua ratione steterit pro prima infusione animæ rationalis in Virgine.

1. EX his quæ dicta sunt colligi primò debet vniuersalissimè quod non apparet in tota antiquitate vllum vestigium quod nomen Conceptionis in genere absolutè prolatum & præscindendo à circumstantiis vmquam significauerit in homine, vel etiam in animali primam eius animationem perfectam, seu Conceptionem naturæ explicatam; quod patet, quia in tot Auctoribus nũquam vidimus, aut legimus eiusmodi vsurpationem; & rursum quia Conceptionis nomen in omnium sensu cum primum steterit & valdè principaliter pro Conceptione carnali, & coagulatione seminis, & corporis sensitiui organici, non nisi æquiuocè seu ad modũ æquiuocorum erat transferendum ad Conceptionem naturæ animalis & hominis, quia hæc vtraq; Conceptio formationis scilicet corporis hominis, & creationis & vnionis animæ eius cum corpore, non nisi æquiuoce in re videntur conuenire, & actiones sunt longe disparatæ quam possint sub vno aliquo genere subalterno subiici: atque adeo si nomen proprium vnius applicatum fuisset alteri, debuisset hoc patere & aduerti in Auctoribus, quod nihil tale in eis innenitur quantum vsque modo vidimus. Quare rectè possumus censere, quòd verè nomen Conceptionis absolute loquendo numquam significauerit Conceptionem naturæ. Quo posito idem videtur dicendum de Conceptione contracta ad peccatum, seu de Conceptione in peccato, quia cum Conceptio in peccato propter hoc additum numquam visa est distrahi, vel distractam fuisse ad significandum aliud extra formationem & organizationem corporis humani, licet ei addita sit ratio peccati, non propterea eam extraxit ad significandam Conceptionem naturæ, quæ est capax veri peccati; nam nomen peccati constat in Patribus quod habuit varias acceptiones, & bene steterit etiam in Scripturis pro causa & effectu veri peccati: Quare omnino etiam videtur censendum quod absolute loquendo & præscindendo à circumstantiis nomen Conceptionis in peccato in antiquitate numquam significauerit Conceptionem naturæ in vero peccato eoque formaliter sumpto inuolutum.

2. Difficultas maior esse potest de Conceptione in peccato applicata sanctissimæ Virgini, quæ si non posset intelligi de vero peccato saltem aliquando, videtur quod non fuisset vsurpanda de Virgine, quia per eam Patres dedissent occasionem rationabilem fidelibus æstimandi & concludendi in ea verum peccatum, quod de reliquo erat ab ea alienum. Sed suppositis dictis, standum est conclusioni positę & tot viis firmarę, quod ni aliud pateat ex circumstantiis, nullus prorsus Pater qui Conceptionem in peccato dederit Virgini, senserit vmquam ei tribuere verum peccatum, & omnino ei peccatum dederit in mera Conceptione & non in anima; quia aliquibus ex Patribus visum est quod Conceptio habita ex concubitu viri & mulieris hoc afferret ex natura rei, & tale quid congrue concedi Virgini ad contradistinctionem Christi solius qui sine semine, atque adeo sine vlla infectione & affectione peccati Cõceptus fuit: quod vltimum assertum non est à nobis vlterius demonstrandum, positis efficacibus & innumeris probationibus superioribus: nam ex dictis videtur luce clarius fuisse relictum; quodve pro re nostra maxime conferre & contulisse constat.

3. Sed vlterius hîc posset aliquis quærere an esto nomen Conceptionis, vel Conceptionis in peccato, in genere vel Conceptionis in peccato applicatum Dei parenti in antiquitate non significauerit statum eius animæ in prima infusione in corpore: an Conceptio vt sic applicata ipsi steterit pro prima eius animatione rationali; nam si negatiue respondeatur debet sequi, quod quando Patres laudauerint, vel celebrauerint Conceptionem Virginis in eadem antiquitate, eorum laudes & celebritas non attigerit primam eiusdem rationalem animationem: quod videtur omnino falsum; nam ij eam laudãt quia in Conceptione fuit donis cælestibus prædita & animatum cælum ipso cælo excellentius, & similibus eam afficiunt, laudibus quæ non conueniunt ipsi, nisi provt animatæ, & non in mero statu formationis suæ carnalis. Si verò respondeatur positiue, quòd Conceptio laudata & celebrata in Deipara primam eius animationem significauerit in antiquitate, eaque dicta sit pura & sancta propter puritatem & sanctitatem veram primæ eius animationis; videtur hinc inferri posse quod similiter quando dicta est concepta in peccato, hoc dictum similiter se extenderit ad significandum & præmonstrandum veram immunditiam eius animæ quod est contra superius dicta & stabilita.

4. Pro qua difficultate penitus eradicanda supponendum est, quod de Conceptione Beatissimæ Virginis laudata & celebrata potuerunt Patres loqui dupliciter: & primo vt de ipsa loquuti sint tamquam de conditionibus affecta, quæ non possunt, neque potuerunt ei competere nisi intelligeretur dici ad conuertentiam cum prima animatione eius rationali, vel saltem in recto intelligi esse prima talis animatio: E.G. si traderetur ab illis vt prædicta gratia sanctificante, vel habitualibus donis supernaturalibus, aut etiam actualibus fidei, charitatis, & similium; siue competentibus, seu Virgini pro tali statu Conceptionis: vel secundò possunt Patres aduerti loquuti de eiusmodi Virginis Conceptione, quæ esset talis vt sibi essent annexæ dictæ conditiones sanctitatis & donorum supernaturalium, & veluti concomitantes & associantes ipsam media & posita animatione, quæ esset & est terminus Conceptionis, & Conceptioni debitus & immediate ipsam sequẽs & ad quam

Conceptio

Conceptio ordinatur & facit cum illa vnum, sicuti actio cum termino, cui est naturaliter connexa. Et si primo modo loquerent Patres de Conceptione Deiparæ, eamque laudarent & celebrarent, nullum deberet esse dubium, quod Conceptionem aliquando & in tali vsurpatione assumpsissent ad significandam primam animationem rationalem Beatissimæ Matris: contra vero si nihil tale constat in eorum scriptis, sed solum secundum, videlicet quod merè laudent & celebrent Conceptionem eius, quia secum fuerint hæc vna dicta & conditiones propriæ primæ animationis; nullo modo potest inferri quod nomẽ Concept. & Conceptio fuerit ab eis vsurpata ad significandam primam animationem: nam quando duo alioqui diuersa, & de se disparata, sunt de cætero connexa, ttibuuntur subiecto ad nominationem vnius ea quæ sunt propria secundi, nec tamen propterea per ea significatur primum directè, sed secundum & mediante secundo primum. Sic vbi dicitur de homine qui consequutus est aliquam gratiam sanitatis in termino itineris suscepti, dicitur inquam quod illud iter à se susceptum ei contulerit sanitatem, non quia eiusdem sanitatis fuerit causa illa deambulatio, licet hoc aliquando possit tale quid præstare; sed quia eiusmodi susceptum iter habuit pro termino visitationem sacri templi in quo sanus factus est eiusmodi iter agens ex intercessione alicuius sanct. Ita in casu nostro cum prima animatio Virginis sit connexa cum eius Conceptione & terminus eius si dicatur quod Virgo Conceptionis empore fuit prædita gratia sanctificante; non propterea significatur quod eiusmodi sanctitas aduenerit illi pro præciso tempore quo ipsa durauit in statu Conceptionis, sed bene potest intelligi sibi aduenisse sanctitate pro statu termini, & quãdo primum de ea verificatum est quod sit cõcepta. Non ita res se haberet, si in statu conceptionis vera sanctitas attribueretur Virgini, & diceretur E.G. Quodquando cõcipiebatur ipsa laudabat Deum, quod Dominus loquebatur illi, ita vt responsa posset promere vel quid simile; tunc enim certissimum esset, quod Conceptio intelligeretur stare pro prima animatione, quemadmodum de facto recentiores Theologi solent tradere quod Virgo in prima sua Conceptione elicuerit perfectissimum actum charitatis habuerit à Deo cumulatissima dona gratiæ, viderit Deum & similia, quo aperte inferuntur intelligere & vsurpare nomen Conceptionis pro prima eius animatione rationali quibus traditis, resoluitur dubitatio proposita sequentibus conclusionibus.

5. Prima conclusio in tota antiquitate nomen Conceptionis applicatum Deiparæ semper steterit pro organizatione corporis eius, esto de reliquo consignificauerit primam eius animationem rationalem, de quo erit alia conclusio.

Probatur primo conclusio, quia nullum indic ũ potest assig ari in dictis Patrũ, quod sumpserit nomen Conceptionis prout Conceptio stat pro corpore iam primo organizato & infusione prima animæ eius, itavt per illud non significauerint actionem conceptiuam Virginis ex causalitate parentum suorum: nam ipsi quando Concept. nominant applicatam Virgini de ea loquuntur & sunt intelligendi loqui eo modo quo quando eam nominant quando illam applicant cæteris conceptionibus: sed cæteras Cõceptiones nominatæ à Patribus sunt carnales & illæ seminũ: ergo hæc etiam signatur ab ipsis quando de illa Virginis loquuntur; cum maximè si quãdo ipsi applicant quæ sunt propria primæ animationis rationalis, non repugnat quod intelligantur significare cùm organizationẽ, tum ipsam eamdem primam animationem vt paulo post videbimus.

6. Probatur 2. quia vt vidimus cum Conceptio carnalis & naturæ nõnisi æquiuocè cõueniunt; dũ de cætero firmũ & indubitatum sit quod nomen Concept. vniuersalissimè non fuerit vsurpatum nisi ad carnalem significandam; etiamsi habeatur indicium quod significauerit primam animationem non propterea est negandum quod hæc mutatio significationis fuerit facta ad aliquid contradistinctum significandum & non per modum extensionis ad illud absque eo quod reliquerit significationem suam primæuam & propriam; cum præsertim in tantum potuit congruenter æstimari dictum assumptum ad significãdam primam animationem, quia quamquam hæc talis prima animatio sit quid diuersum à Conceptione seminum, est tamen illi conuincta & vnum facit cum ea sicuti terminus cum sua naturali & immediata actione.

7. Probatur 3. quia etiam nunc apud Theologos nomen Conceptionis Virginis in celebritate eius festi sumitur pro Conceptione carnali licet non sola sed coniunctim cum prima animatione, & vtramque Ecclesiam celebrare contenditur: ergo multo magis hoc ipsum censendum est significatum fuisse in antiquitate: nec deseruisse suam propriam & primam significationem. Quæ omnia magis constabunt ex dicendis infra, vnde hæ probationes pro re certa sufficiant.

Secunda conclusio in antiquitate nomen Conceptionis applicatum Virgini sanctissimæ, ita significauit illam seminum & carnalẽ Virginis, vt ex circumstantiis aliquando apud Patres, & Græcam præsertim Ecclesiam consignificauerit primam animationem eius rationalem, seu ea quæ sunt propria talis primę animationis.

Patet conclusio quia in dicta antiquitate sæpè habetur, quod quando fuit Virgo concepta, Spiritus S. in eam descendit, quod ea fuit animatum Cælum, quod ea orta sit summè pura, quod in Conceptione fuerit tota pulchra & his similia, prout scripsit S. Athanasius, Damascenus, Idiota & Ecclesia Græca potissimum: quę omnia non possunt congrue intelligi applicata Virgini pro statu præciso organizationis corporis sui, atque adeo debent intelligi tradita, & laudata, & celebrata pro statu primæ suæ animationis.

Tertia conclusio, nomen Conceptionis in antiquitate dicta aptatum Dei genitrici ita significauit primam eius animationem vt non debeat æstimari eam in recto præmonstrasse, sed in obliquo, & eamdem verè consignificauerit, non directè significauerit.

Probatur conclusio primò, quia si nomen Conceptionis in antiquitate significauisset in recto primam animationem Deiparæ maximè esset propter dicta quia ea esset vocata sancta, munda, quod in ea descenderit Spiritus S. & Virgo fuerit plena omni gratia: sed hæc ratio nulla est ad probandum quod nomen Conceptionis significauerit in recto primam eius animationem, sed solùm probat, quod eam consignificauerit & in obliquo, seu vt quid ipsam complens terminans & perficiens: ergo verè nomen Conceptionis in antiquitate non est dicendum quod applicatum Virgini significauerit in recto primã animationem eius. Maior patet. Minor probatur quia ea quæ sunt connexa & coniuncta per naturalem connexionem ita se habent vt quæ competunt vni, possunt dici haberi pro signo, pro quo habetur aliud nec propterea nomen vnius debet dici stare in tali casu pro significatione in recto alterius, sed in obliquo: sed ita se habuere & se habent apud Patres Conceptio carnalis & prima animatio Virginis: ergo per hoc quod in Conceptione Virginis apud illos dicuntur habita aliqua propria primæ animationis, non potest rectè inferri, quod nomen Concept. apud ipsos significauerit in recto primam animationem.

10. Id quod confirmatur expendendo aliqua dicta Patrũ in quibus posset haberi hæc dubitatio v.g. in S. Athanasio superius allegato, in quo legitur, [Spiritus S. in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus imbuens eam gratia, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus S. omnibus gratiis abundaret,] & subdit: [quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse:] quo loco dicit hanc impletionem Spiritus S. propriam Virginis pro statu primæ animationis ab ea habitam esse per omnia tempora conceptûs, atque adeo inclusit tempus, seu signum primæ animationis connexæ cum carnali, quod certè ad carnalem Conceptionem spectat vt terminus, nec propter potest ex hoc loco inferri quod sit in recto conceptus, sed tempus seu signum ad se pertinens. Id autem quod hoc modo significatur, non significatur in recto vt patet sed in obliquo, atque adeo in hoc textu per nomen Concept. non significatur prima animatio Virginis in recto vlla ratione. Quæ explicatio locum hîc habet si nomine Conceptus intelligitur Conceptio passiua B. Virginis, vt complures explicant; nam si Athanasius loquitur de actiua eiusdẽ, & vult omnia tempora antecedentia ad Conceptionẽ eius actiuã fuisse impleta gratia in Virgine, atque adeo signum primæ animationis, nulla est difficultas quæ fieret ex Athanasio in hac re.

11. Assertũ patet magis in Manuele Palæologo, qui ait oratione de Dormit. Vir. [Simul atq; concepta fuit B. Virgo Deus illam gratia implebat:] vbi patet quod gratiã tradidit Virgini, non pro Concept. eius vt sic, sed tempori eius quod benè complectitur instans suũ terminatiuũ in quo fuit infusio animę Virginis. Vbi notãdũ quod Manuel in terminis Theologicis loquutus est secundũ datum sensum; nam scripsit quod in termino Concept. & quando primum verum fuit dicere quod fuit concepta gratiam habuit. Quod est expressum nostrum effatum.

12. Neque aliquid probant dicta cætera Ecclesiæ Græcę & PP. Græcorum quando dicũt & celebrãt Concept. sanctã, mundam, puram; nam præterquã quod puritatẽ & sanctitatem significãt & significare possunt propriam sui inquantum excludit debitũ proximum originalis, vel quia eã attendunt ordinabiliter sanctã vt loquitur Baconius & alij; ad summum ostendunt explicare, & celebrare intendũt sub nomine Concept. sanctitatem, quæ ipsam afficiat inquantum copulatiuè dicit in obliquo primam animationem eiusdem Virginis in termino sui.

13. Prob. 2. cõclusio: quia vidimus in S. Thoma, S. Bonauentura, & antiquis Theologis, quod de Concept. & prima animatione Virginis an essent sanctæ & celebrandæ distinxisse, & diuersas quæstiones instituisse & tanquam de duabus controuersiis loquutos fuisse: ergo signum est quod noluerint quod per nomẽ Concept. significaretur in recto primã animatio Virginis. Quare quando ex circumstantiis prima animatio apparet inuoluta in significatione Cõcept. nõnisi vt in obliquo ea infertur per Concept. nomen significata.

Probatur 3. quia sicuti nomen Concept. Christi aliquando est inuolutum & extensum ex circumstantiis similibus vel denominationibus talibus ad significandã primã eius animationẽ, & benè æstimatur quod eã non in recto, sed in obliquo consignificet; ita & ipsũ debet intelligi & tradi de Concept. applicata sanctiss. Deiparæ. Antecedens patet in Patribus qui Concept. Christi mundã, puram, & sanctam tradunt, quia fuit sine semine & expressè de ea vt carnali loquuntur, licet mistã & copulatiuè sæpè consideratam cum prima animatione, cũ qua fuit simultaneè & in qua attenduntur propria ipsius primæ animationis videlicet dona gratiæ, visionis Dei & similium supernaturalium.

14. Quartò concluſ. vt valdè probabile admitti potest itidem quod aliquando in antiquitate nomẽ Conceptionis applicatum Deiparæ etiam in recto significauerit primã eius animationẽ vel solam, vel copulatiuè cum organizatione corporis eius.

Probatur conclusio: quia dum aliqui Patres sermonem omnem habuerint de Conceptione prout prædicta gratia sanctificante & similibus donis, & nihil dixerint de opere eius carnali, ad eamdem in recto significandã potuerunt intendere quæ est prima animatio, & si prorsus non attenderunt ad Conceptionem seminum, benè solam illam voluerunt significare; vel si sub carnali attenderunt principaliter, & ex æquo vel principalius, vti rectè potuerunt attendere ad primam animationem, benè possunt intelligi, quod eamdem voluerit significare per nomẽ Conceptionis, nam hoc nihil obest & similia inueniuntur in Patribus: quare non est contra hoc aliquid repugnandum cum de cætero benè concordet cum nostris positis in quibus nihil aliud concluſimus quod absolutè loquẽdo & in frequentissima vsurpatione nomen Concept. etiam applicatum Deiparæ seclusis circũstantiis non significauerit primam animationem

mationem eius, imo neque absolutè animationem, vbi numquam voluimus quod exclusa fuerit à sui significatione positiue prima animatio, sed solum non inclusa.

13. Probatur 2. conclusio. Quia si quid huic dicto obstaret maximè esset quod quemadmodum quia Conceptio dicitur sancta, munda, & pura in Patribus, arguitur rectè quod apud ipsos per nomen Conceptionis Deiparæ consignificata fuerit prima eius animatio vel in recto vel in obliquo: ita pariter quia Conceptio eiusdem Virginis dicitur fuisse in peccato ex puritate rationis, potest inferri quod iidem Patres in hoc dicto voluerint includere & dare primæ animationi Virginis peccatum & verum peccatum, quemadmodum ex primis dictis veram puritatem & sanctitatem illi astruunt in sui Conceptione: sed hæc ratio nulla prorsus, nec concludit contra nostra posita, quia ex necessitate consequentiæ sequitur quod si Conceptio carnalis Virginis dicitur à Patribus sancta; inferatur in anima eius vera sanctitas, quemadmodum sæpè notat S. Thomas & præsertim 3. *p. q.* 27. *ar.* 2. *in corpore*: vbi ait, quod quomodocumque Conceptio carnalis fuerit sancta, scilicet sanctitate sibi proportionata deletiua scilicet delatiui, seu vehiculi originalis; prima animatio Virginis sèper fuisset futura mũda & expers peccati originalis vt patet: nam cum ea debet esse infecta vt inficiat animam, si ea præintelligitur munda, infectionem in eam inducere nõ potest, vt liquido constat: non ita se res habet in Conceptione dicta in peccato, quæ quamquam sit in se infecta non potest impedire quin Deus animam possit præseruare à vero peccato, & quin intersit aliquod priuilegium conueniens Virgini inter ipsam Concept. dicta & verum peccatum, quod non habet locũ inter sanctitatem Conceptionis carnalis, & sanctitatem sequuturam in prima animatione: quare valet prima illatio in primo dicto Patrum, non secunda in secundo, & sic non valet: inferre ex Conceptione in peccato, verum peccatum in anima, benè autem sanctitatem veram in anima, ex sanctitate licet non vera in carne. Quibus adde quod quando in Patribus & absolutè dicitur Conceptio carnalis sancta ex hoc ipso supponitur omnino sanctitas pro suo signo in prima animatione; nam per prius à quo supponitur quod Virgo sit futura in posteriori sancta vera sanctitate, & deinde resultat denominatio in Conceptione carnali quæ eam debet habere in coniunctione animæ Virginis cum corpore: ni enim Virgo fuisset habitura sanctitatem veram & propriam in prima sui animatione, Conceptio eius non fuisset dicta sancta, neque digna celebritate: contra vero se res habet ex doctrina toties replicata in Conceptione carnali Virginis; nam ea non dicta est fuisse in peccato per id quod futurum fuisset in prima animatione eius, seu per verum peccatum, quod in ipsa regnaturum esset, sed præcisè propter peccatum causaliter, vel effectiuè sumptum, quod in ipsa prouenerit ex Adam & peccato eius; atque adeo non per suppositionem futuram veri peccati eius personalis quare non potuit neque potest à Conceptione in peccato inferri verum peccatum in anima Virginis, neque in ea significari, per dictum quod ipsa concepta fuerit in peccato, licet benè potuit inferri & significari vera sanctitas in anima eius, ex eo quod eiusdem Conceptio dicta sit & celebrata vt sancta. Ex quo patet ad euidentiam quod sine vllo absurdo, neque periculo mutationis nostrorum dictorum firmiter habitorum concedi potest quod Patres vel Græca Ecclesia per nomen Conceptionis applicatum Deiparæ significare potuerint, vel significarint primã animationem Virginis, quod benè congruit propter ostensionem, quod nostro tempore satis aptè sacri Scriptores aliqui nomen Conceptionis applicauerunt primæ animationi Dei matris & in recto, & ipsi etiam soli non intendentes significauere actionem organizatiuam corporis eius vt aliàs patebit, & videri posset in Auctoribus quos citat pro suo sensu Bandelus propriis eorum verbis, licet aliqua eorum dicta conuictus fuerit falsificasse.

16. Pro qua doctrina plenius danda notandum & colligendum hic etiam est quod nomen Conceptionis apud antiquos steterit tum pro prima mistura seminum, tum etiam pro formatione vniuscuiusque ex partibus corporis, tum etiam pro tota formatione corporis vsque ad primam animationem rationalem. Vnde S. Augustinus supra citatus, & S. Thomas, illum adducens Conceptionem extendit vt supra vidimus vsque ad quadraginta dies: Aristoteles autem, Hippocrates, & Galenus visi sunt communiter pro Conceptione intelligere primam coagulationem seminum: alij autem posteriores vt Garzias citatus supra sumpsit Conceptionem propriè dictam etiam in Aristotele & Galeno pro prima formatione cordis vel hepatis. Descẽdendo verò ad Conceptionem vsurpatam à sacris Scripturis frequentius videtur quod nomen Conceptionis steterit, pro prima formatione corporis animalis vel hominis, vel etiam pro prima coagulatione seminum, quæ est simultanea cum coitu: descendendo vero ad Conceptionem Deiparæ, videtur quod in antiquitate sit significata vel organizatio corporis eius præscindendo ab hac vel illa, vel prima coagulatione seminum in quam operata est B. Anna; vt apparet in multis Græcis Patribus, nec non in Diuo Bernardo & Ruperto, nec non & Fulgentio; vel totus processus organizationis vsque ad primã animationem, vt liquet in Patribus qui in ea celebrauere pro tali tempore Conceptionis gratiæ dona primæ animationis ipsius; vbi aduertendum quod propterea quod benè sumpserint Conceptionem vt consignificantem primam animationem; Patres, qui de Conceptione loquuti sunt in hoc vltimo sensu vtpote quæ ea esset immediatè terminata ab illa. Aduertendum item secundo quod de Conceptione in hoc eodem vltimo sensu controuertere Theologi visi sunt coæui S. Thomæ & S. Bonauenturæ, sicuti & ipse S. Thom. qui 3. d. 3. sæpius citato instituit quæstionẽ vtrum caro Virginis ante finem Conceptionis sanctificata fuerit. Quæ omnia pensanda sunt ex circumstantiis & modo loquendi quem vsurpant ipsi in variis locis; nam in aliis S. Thomas ipse loquitur de Con-

ceptione Virginis præscindendo ab hac sua extensione vsque ad primam animationem suam. Ex quo semper confirmatur nostra tradita quod frequentissimè Conceptionis nomen applicatum etiam Dei parentis, steterit pro opera carnali omnino præscindendo in vi nominis ab ipsa prima animatione Virginis.

17. Id quod autem in hac re est potissimum obseruandum quod apud Patres frequentius, si non semper, quando actum est de Conceptione Virginis in peccato, sermo habitus est de ea accepta pro prima coagulatione & formatione corporis per adhibitionem operæ & seminis virilis, & sic de Conceptione Virginis vt sic loquutus est S. Fulgentius, quemadmodum & S. Bernardus, & Bonosius apud S. Anselmum qui de Conceptione eius loquuti sunt interueniente cum libidine & delectatione carnali: & Patres qui loquuti sunt de carne Virginis si de ea vt de carne peccati loquuti sunt, quatenus talis fuerit ex Conceptione, similiter Conceptionem intellexere illam quæ esset prima coagulatio & formatio corporis Virginis, quia in tantum eam dixerunt carnem peccati quia opera viri in ea interceßit & delectatio carnis, & sic semper ostenditur quod frequentius Patres de Conceptione Virginis loquentes dum maximè aliquid vmbræ peccati ei dederint, de ea longè à prima animatione posita, ab eaque omnino præscindendo saltem vt à vero peccato in anima coinquinanda loquuti sunt: quod nostra posita satis superque confirmat.

18. Quod autem aliqui licet pauci ex Patribus Conceptionem sumpserit vt importantem totum decursum organizationis corporis Virginis in eius celebratione & laudatione donorum ipsi collatorum dum concepta fuit, nihil nobis prorsus obest: nam vel de Conceptione in termino & in facto esse loquuti sunt, quæ omnino primam animationem includit etiam in recto, vt vidimus in manuele, & apparere potest in alio antiquissimo dicto: vel de ea vt connotante primam animationem, & inde tum à secundo, tum à primo nihil potest inferri ex dictis quod concludat in Virgine ex eorum concomitantibus, dictis nec per sequelam remotiorem verum peccatum in anima sanctissimæ Dei genitricis, quod est quod maximè intendimus in hoc præstito Opusculo: in quo vt liquet Lectori efficacissima etiam fundamenta strata sunt, tum ad Conceptionem Virginis emaculandam ab omni macula in re, tum etiam ab ipso debito proximo illam contrahendi, de quo redibit sermo in vltimis Opusculis, cum in præsenti de eo non controuertimus, imo illud damus Aduersariis vt ipsi sine inuolutione alterius quæstionis dubiæ nobis tradant Conceptionem Virginis sine vera peccati macula: quo peracto, in sequenti Opusculo progredimur ad discutiendum, an nomen Conceptionis post tempora Diui Thomæ passum sit mutationem significationis & ad quid se extenderit.

Finis primi Opusculi.

INDEX

INDEX
THEOLOGICÆ TRVTINÆ
Ad dignoſcendam & firmandam certitudinem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

PROOEMIVM OPVSCVLI I.

DESTRVENTIS omnia principia aduerſantium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ. pag. 25.

OPVSCVLVM I.

De acceptione nominis Conceptionis in antiquitate, vſque ad ſanctum Thomam. 27

PROLEGOMENA.

In vniverſam materiam ad deſtruenda omnia fundamenta Aduerſariorum concinnata ibid.

PROLEGOMENA
Prima Diſputatio.

De concernentibus ad originale. ibid.
Diuiſio I. *Quid ſit peccatum actuale, quid habituale, quid perſonale, quid originale, quæque hæc omnia importent.* 28
Diuiſio II. *De formali & eſſentialibus propriis peccati originalis, tum in Adamo, tum maximè in poſteris eius.* 29
Diuiſio III. *De iis, quæ concomitantur originale; ſed non contra, ac proinde non pertinent ad eius formale; qualia ſunt fomes & corruptibilitas carnis.* 31
Diuiſio IV. *De aliis omnibus effectibus deriuantibus ab originali.* 32
Diuiſio V. *An deriuans originale in poſteros indigeat aliquo delatiuo, ſeu virtute à ſe diſtincta ad illud deriuandum, & vnde hoc delatiuum habeat hanc vim.* 34
Diuiſio VI. *An detur aliquod veluti delatiuum intrinſecum originalis peccati formaliter ſumpti, quo intercedente ipſum contrahatur, & ſecundum ſua formalia, ab iis, in quos deriuatur.* 36

DISPVTATIO II. Prolegomena.

De re principali diſputanda circa Conceptionem Virginis pro gratia ſcilicet negata vel affirmata illi in prima infuſione animæ eius in corpore, quæ faciat eiuſdem Immaculatam Conceptionem. 39
Diuiſio I. *Diſtinguuntur variæ quæſtiones quæ in hac materia poſſunt exagitari.* ibid.
Diuiſio II. *Inueſtigatur qualis ſententia poſſit dici in Eccleſia certa, & qui, quotue gradus certitudinis poſſint inueniri, quiſue maximè inquiritur, ſit nec ne in Immaculata Virginis Deiparæ Conceptione.* 41
§. II. *An præter cenſuras hæreſis, erroris, & temeritatis detur alia cenſura ab omnibus iſtis oppoſitis gradibus certitudinis dicta; omnino diſtincta, ſeu contradiſtincta.* 45

DISPVTATIO III.
Prolegomena.

De acceptione nominis Conceptionis in genere: & in ſpecie de illo Conceptionis Virginis; ab immemorabili vſque ad tempus ſancti Thomæ inclusiue. 47
Diuiſio I. *Ex Ethymologia nominis explicatur quid importet conceptio ex primæua ſui ſignificatione; & oſtenditur primo ex Rhetoricis, & Grãmaticis ſtare pro prima actione virtutis generatiuæ incipiente formationem corporis animalis, & omnino antecedenter ad introductionem animæ, ſeu primam animationem fœtus licet cum ordine ad illam.* ibid.
Diuiſio II. *Probatur Conceptionem non importare ex ſua ratione animationem fœtus ex Ariſtotele, & Vniuerſa ſchola Peripatetica.* 49
§. II. *Adducitur Auerroes & alij Peripatetici pro nomine Conceptionis ſignificante in antiquitate ſolam carnalem.* 50
§. III. *Oſtenditur Vniuerſam Scholam Peripateticam, & Philoſophicam nomine Conceptionis non intellexiſſe, neque intelligere: niſi carnalem: & non primam infuſionem animæ rationalis.* 51
Diuiſio III. *Adducitur Hippocrates, Galenus, &*

& alij Medici tradentes Conceptionem significare formationem animalis in vtero antecedenter ad animationem. 52

§. II. *Separatim adducitur pro eodem, Galenus.* pag. 57.

§. III. *Pro eadem significatione nominis Conceptionis stantis pro carnali, & seminum, adducitur Auicenna, & alij precipui ex Medicis tum commentantes priores, tum etiam absolutè scribentes.* 58

Diuisio IV. *Probatur auctoritate sacrarum Scripturarum frequentissima, nomen Conceptionis importauisse primam introductionem dispositionum humanarum ad formationem corporis obtinendam; etiam prascindendo à termino animationis, vel extra illum.* pagina 59

Diuisio V. *Ex variis locis sanctorum Patrum siue in expositione sacrarum Scripturarum, siue alia occasione traditis, probatur similiter nomen Conceptionis non significare apud ipsos nisi primam receptionem seminum antecedenter ad primam fœtus animationem.* pagin. 62

Diuisio VI. *Ex sanctis Thoma, Bonauentura & antiquis Theologis scholasticis expressè demonstratur nomen Conceptionis tum absolutè, tum applicatum Deipara, stare pro organizatione corporis eius ante infusionem anima & idem iudicium esto de cateris scholasticis illis coæuis, vel etiam antiquioribus.* 64

Diuisio VII. *Adducitur ius ciuile cum omni caterua Iurisperitorum ad ostendendum, quod in dicta antiquitate nomen Conceptionis significauerit illam seminum.* 66

Diuisio VIII. *Adducitur Ius Canonicum cum Canonistis ad demonstrandam Conceptionem in eadem antiquitate stetisse pro dicta seminum.* pag. 67

Diuisio IX. *Soluuntur aliquæ obiectiones, quibus probatur Aristotelem, & antiquiores Medicos nomine Conceptionis intellexisse primam animationem hominis vel animalis.* pagin. 69

DISPVTATIO IV.
Prolegomena.

De Conceptione in peccato vsurpata à scripturis, & à Patribus vsque ad S. Thomam inclusiuè pro illa seminum, non pro illa natura. pag. 71

Diuisio I. *Adducitur Versiculus Psalmi quinquagesimi: Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Et ostenditur ex vnanimi consensu sanctorum Patrum intelligi de Conceptione seminum.* ibid.

§. I. *Ostenditur ex Psalmo 50. expressius Conceptionem etiam in peccato intelligendam pro prima animatione præsente ad formationem corporis humani in vtero Matris, antecedenter omnino ad animationem, seu introductionem anima rationalis, intellecto peccato, pro originali causaliter sumpto.* pagina 72

§. II. *Animaduertitur ex vnanimi consensu Patrum in hùc locum Psalmi 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; sermonem haberi de Conceptione carnali prout dicit primam initiationem formationis corporis humani; nulla mentione facta de prima animatione fœtus, & intellecto peccato pro eo quod contrahitur ab Adamo & seminaliter.* pagin. 75

§. III. *Recensentur alij Patres, qui concipi hominem in peccato, tradunt per hoc quod ex concupiscentia, & carnis corruptione generatur, & demonstratur eos semper loqui de Conceptione carnali, & seminum, dum de dicta conceptione in peccato loquuntur.* 79

Diuisio II. *Conceptionem in peccato in scripturis vlterius intelligi de illa seminũ ostenditur ex illo Iob. 14. quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, non ne tu qui solus es.* 84

Diuisio III. *Eamdem Conceptionem in peccato intelligi pro illa seminum in scripturis demonstratur aliàs ex eodem Iobo cap. 3. Vbi dixit: pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo.* pag. 85.

Diuisio IV. *Ex sancto Thoma item, & sancto Bonauentura ostenditur, quod concipi in peccato importet merè peccatum, quod dicitur esse in carne, vel in anima tantum in debito.* pag. 86

DISPVTATIO V.
Prolegomena.

De Conceptione in peccato tributa à sanctis Beatissimæ Virgini, intelligenda pro illa seminum, quæ ad summum transfuderit debitum originalis in anima sanctissimæ Matris. 88

Diuisio I. *Distinguitur nomen Conceptionis applicatum Deipara in actiuam, & passiuam; aduertiturque communius stare apud Patres pro passiua, quam pro actiua.* 89

Diuisio II. *Adducitur Epistola S. Bernardi 174. & ostenditur sanctum non repugnauisse Immaculatæ Conceptioni prout de eamos loquimur, sed sermonem eius fuisse de conceptione ante animationem.* 91

§. I. *Registratur Epistola 174. S. Bernardi in qua videtur pugnare contra Immaculatam Virginis Conceptionem ad Canonicos Lugdunenses de Conceptione S. Mariæ.* ibid.

§. II. *Expenduntur aliqua loca istius Epistolæ in in quibus potest patere, quod S. Bernardus loquutus sit de Conceptione carnali Virginis, nec prima infusioni anima eius dedisse originali, prout de ea ibidem loquitur.* 93

§. III. *Explicatur & probatur Rupertus Abbas loquutus de Conceptione carnali Virginis; quæque non dederit ei originale, nisi pro statu Conceptionis carnalis.* 96

§. IV. *Adducitur præterea S. Anselmus pro acceptione Conceptionis sanctissimæ Deiparæ intellecta pro carnali.* 98

Diuisio III. ex alio secundo cap. *Nihil prorsus concludi ostenditur ex dicto Conceptionis Dei Matris in peccato ex allegatis Patribus: quia illi ipsi exterunt hoc dictum.* pag. 101

Diuisio IV. *Denuo ex alio tertio capite confirmatur ex dicto Conceptionis Virginis in peccato non inferri id formaliter; & euerti ostenditur dictum de Dei parente concepta in peccato ex dicto, & facto oppositio è diametro aliarum Ecclesiarum & Patrum cum istis allegatis cozuorum.* pag. 103

§. II. *Notantur alia Ecclesia præter Anglicanam, quæ celebrantes eo tempore Conceptionem B. Virginis, euerterunt magis dictum Paucorum Patrum, quod ea fuerit in peccato concepta.* 106

§. III. *Recensentur Patres, qui circa tempora Anselmi, Bernardi, & Ruperti in magno numero euerterunt dictum Deiparæ concepta in peccato explicitissimè, simul cum aliis multo prioribus antiquioribus, & in numero valdè excedentibus.* 108

Diuisio V. *Ostenditur 4. dici conceptam B. Virginem in peccato, esse intelligendum de Conceptione carnali & ratione eius; quia cæteri Patres ab allegatis pro hoc dicto non nisi carni Virginis visi sunt tribuisse peccatum.* 110

§. I. *Recensetur B. Damianus, qui expressè loquitur de Deipara Conceptione feminum in peccato, & inferre nos facit quod cæteri Patres non de alia loquuti sunt.* 111

§. II. *Recensetur S. Ildephonsus pro acceptione simili Conceptionis Virginis in statu carnalis.* 112

§. III. *Aduertitur itidem de S. Augustino, quod in sola carne Virginis non in anima verum peccatum admittere visus est: atque adeo concipi in peccato eamdem (quod habetur in aliis Patribus) intelligendum est ratione Conceptionis carnalis.* 113

§. IV. *Ex Tertulliano, S. Ambrosio & S. Fulgētio manifestatur, quod quādo dicitur Christus sumpsisse carnē de carne peccati, nō possit intelligi caro Virginis affecta vero peccato formaliter sumpto, sed ad summum causaliter; atque adeo ij non dederint vnquam peccatum, nisi eius conceptioni carnali.* 115

§. V. *Ad euidentiam, ni fallimur, demonstratur quod quando B. Dei Genitrici attribuitur caro peccati, vel ipsa etiam dicatur concepta in peccato originali, non possit vllo modo inferri quod nominatio peccati extrahatur à carne; & animam eius inficiat vero peccato formaliter sumpto.* 118

§. VI. *Iterum efficacissimè probatur, quod dictum de B. Virgine concepta in peccato, non concludat in ea contractionem originalis formaliter sumpti; quia benè cohærent immunitas ab originali in re, cum dicto conceptionis in peccato.* 120

Diuisio VI. *Demonstratur ex aliis Patribus compluribus, concipi in peccato datum Virgini sanctissimæ, esse intendum de Conceptione feminum; quia de ea loquentes, seu de carne eius in tali statu, dicunt eam mundam.* 122

Diuisio VII. *Ex S. Thoma demonstratur quod concipi, & dici conceptam sanctissimam Virginem in peccato originali, non importet in eius anima formale peccati, sed vel debitum eius in carne, vel ad summum idem debitum in anima.* 125

Diuisio VIII. *Ex nomine Conceptionis Christi in antiquitate applicato & significante veram Conceptionem eius carnalem, concluditur non nisi eamdem carnalem Virginis significasse applicatum Deipare.* 126

Diuisio IX. *Aduertitur peccatum negatum in antiquitate Conceptioni Christi Domini, fuisse originale causaliter, quod carni conuenit; & ex eo infertur apertissimè quantum concessum Deipare carni eius fuisse datum ac proinde ipsam dictam in peccato conceptam intelligendam de conceptione non alia ab illa seminum: & de peccato causaliter.* 129

Diuisio X. *Nostro iudicio ad euidentiam, ni fallimur, demonstratur quod dici Dei genitricem conceptam in peccato originali, non importet in ipsius anima idem originale in re secundum Patres, sed vel in debito, vel in carne, ex eo quod à Patribus dicitur Christus concipiendus in originali, si ex semine profluxisset.* 132

Diuisio XI. *Absolutè & præscindendo à Patribus ostenditur, quod si Christus Dominus fuisset ex semine viri procreatus, omnino esset dicendus conceptus in originali, etiamsi in termino productionis anima eius rationalis, nulla ratione subiacuisset originali in re, & ex hoc capite fortius perstringitur intentum.* 133

§. I. *Annectitur auctoritas S. Thomæ ad probandum, quod si Christus Dominus genitus fuisset opera viri, eius sanctissima humanitas contraxisset in originale in debitrice potentia, non in re, & secundum sua formalia; atque adeo quando à Patribus simile quid dicitur de Virgine benè potest intelligi dictum in eodem sensu.* 135

Diuisio XII. *Firmatur hac veritas, quod B. Virginem dici conceptam in peccato: non inferat eam incidisse in re in originale, sed hoc asseri de ea ratione Conceptionis carnalis, seu seminum; quia totum hoc benè prædicatur, & dicitur de ea pro tali statu sua carnis, quamuis in eo integrè & secundum animam eo tunc ipsa non fuerit.* 136

Diuisio XIII. *Confirmatur eadem assertio de benè data Conceptione in peccato Dei genitrici ratione carnis sua antecedenter ad animationem; ex eo quia etiam in carne suo modo à scripturis, Patribus, & Theologis conceditur residere peccatum, nec hoc dicunt de sola anima.* 138

Diuisio XIV. *Firmatur 3. hoc assumptum, quod concipi Virginem in originali, non afferat in ea vera formalia eius, sed merum debitum; ex eo quia non eodem modo ac cæteri posteri Adæ, ipsa dicitur concepta in originali, & rursum quia alio modo esset cum ea notanda Deipara à Patribus, si ij originale peccatum ipsi dedissent.* 140

Diuisio XV. *Absolutè demonstratur non posse à fautoribus doctrina S. Thomæ intelligi eius sententiam de sanctissima Virgine concepta in peccato originali, nisi intelligatur loqui sanctus Doctor de eo vt contracto tantum secundum obnoxietatem & debitum.* 142

Diuisio XVI. *De suffragio voluntario & necessario aduersantium doctrina tradita, quod concipi Virginem Beatam in peccato, non importet in ea apud Patres & S. Thomam nisi debitum, siue proximum, siue remotum.* 143

§. I. *Adducitur suffragium Caietani in confirmationem traditæ acceptionis de Conceptione Virginis*

ginis sanctissima in peccato, quod scilicet non importet apud Patres, neque apud S. Thomam peccatum originale in re, sed in debito. ibid.
§. II. Adducitur secundum suffragium pro incursu peccati originalis intelligendo in debitrice potentia ex sensu secundi commentatoris S. Thomæ Porrectha nomine. 145
§. III. Recensetur tertium suffragium ad probandum per concipi in peccato, non significari contractionem originalis in re, sed in debito; ex eo quod habet Ioannes à S. Thoma eruditissimus in combinandis locis S. Thomæ & alij discipuli einsdemmet sancti Doctoris cum eo. 146
Diuisio XVII. Ex Ecclesia Græca ostenditur in antiquitate nomen Conceptionis sumptum fuisse pro Conceptione seminum, & infertur non significasse alia in Latina. 147
Diuisio XVIII. Soluuntur aliquæ obiectiones, quæ possent fieri ad probandum nomen Conceptionis etiam ante sanctum Thomam, significasse saltem in Virgine primam eius animationem. 155
§. II. Adducitur & soluitur facilè auctoritas sancti Athanasij, qui videri potest nomen Conceptionis usurpasse ad significandam primam animationem Deiparæ. 157
§. III. Obiicitur tertio in antiquitate nomen conceptionis Deiparæ significasse statum primæ animationis ex iis, quæ solent afferri ex Paulo Orosio Lucio, Flauio Dextro, & Marco Maximo Poeta. 158
§. IV. Adducuntur & soluuntur alia variæ usurpationes Deiparæ in antiquitate, quæ videntur significasse conceptionem humanæ naturæ eius, primæque suæ animationis. ibid.
Diuisio XIX. Colliguntur corollaria vniuersa doctrina tradita circa significationem nominis Conceptionis in signata antiquitate & discutitur an aliquando, & quando ratione fuerit pro prima infusione animæ rationalis in Virgine. 160

PROOEMIVM OPVSCVLI ET INTRODVCTIO AD EIVS DISPVTATIONES.

DISCVSSO & euerso primo & præcipuo aduersantium Immaculatæ Conceptioni fundamento, quo ipsi arbitrati sunt expugnare sensum sibi oppositum, euertendum remanet secundum, quo iidem vitare se posse autumant omnia præcipua tela, quæ contra se iaciuntur, & si offensiuum non sit, saltem non deficiat esse defensiuum. Quod vtrumque sumitur à nomine Conceptionis, eiusque acceptione & contra primum fundamentum secundùm significationem habitam in antiquitate satis pugnatum est: contra secundum ergo ex significatione habita in posterioribus sæculis post illa sanctorum Patrum & primorum Scholasticorum Theologorum à Scoto & deinceps remanet pugnandum. Nam cum in tota dicta antiquitate nomen Conceptionis etiam applicatum sanctissimæ Virgini eique in peccato dictæ conceptæ, manifestè ostenderimus, non significauisse nisi illam seminum, & carnalem, atque adeo non potuisse ei tradere peccatum in re & formaliter sumptum; iam nihil contra Immaculatam facessit negotij, quòd ea dicta sit concepta in peccato, sanctificata mundata, liberata, mortua & redempta à peccato, quódue peccauerit in Adamo & similia, quæ nullo modo stante dicta acceptione nominis peccatum nisi mere in debito inferunt vel in carne, vel in anima ratione carnis. & sic destructa sunt omnia aduersariorum fundamenta. Quæ hinc exurgebant ex sola hac scilicet ponderatione & iusta traditione sensus nominis Conceptionis pro tempore antiquo: quare in præsenti remanet animaduertere sensum quem modo tradunt & prius à duobus ab hinc sæculis nomini Conceptionis aduersantes, quóue dicuntur eludere; omnia alia obiecta quæ contra se fiunt, seu contra sententiam quæ Virginem maculat in infusione prima animæ eius in corpore: quo expulso, & proprio tradito, non habeant quid dicant, solidissimis rationibus quæ eorumdem effata prosternunt. Ii equidem censuerunt & modo censent nomine Conceptionis saltem post ortam controuersiam inter Theologos de peccato originali dando vel negando Dei Matri, significauisse & significare non Conceptionem carnalem, sed primam infusionem animæ eius in corpore, nec eam pro solo instanti indiuisibili temporis quo creata est, sed provt talis Conceptio complectitur tempus aliquod sequens minimum & minimum, vel aliquod tempus determinatum, paruum, videlicet vnius diei, vel horæ, aut quadrantis: nam aliqui solent ad hoc assignare diem, alij hoc ipsum dubium esse dicunt si scilicet vnius, vel plurium dierum paucorum spatium complexa sit Conceptio Virginis post creationem animæ eius: plures etiã tempus contra ad hanc horã, nec non complures alij ad minus tempus hora, vbi frequentius alij ad breuissimã morulam restringunt eamque sub duratione insensibili contentam; & tandem nonnulli contendunt se merè extendere ad tempus aliquod indeterminatum ita vt velint Conceptionem durare, vt ita dicam per solum instans indiuisibile & aliquam aliam partem temporis indeterminatam, qua in anima Virginis producta sit gratia sanctificans, quæ subsequuta fuerit priuationem gratiæ quæ in ea manserit per solum instans temporis indiuisibilis; cuius vltimi sensus citatur esse S. Antoninus Florentinus *4.p.tit.15.c.3.de Conceptione Virginis*: diei autem, vel horæ S. Vincentius Ferrerius *serm.de Conceptione*; & indeterminate quo ad hunc vel illum diem citari solet & interpretari S. Thomas & S. Bonauentura *in 3.d.3.* provt signate notabimus in Opusculis quibus de mente horum sacrorum Doctorum latè sermonem habebimus.

2. Hoc autem asserto, & notata significatione nominis Conceptionis tributa Conceprioni Dei matris, complectente vnum indiuisibile temporis & tempus aliquod sequens. Aperte videntur & facilè eludere omnia argumenta, quæ contra se fiunt & fieri posse videntur, nam si illis proferas auctoritates Patrum, vel Ecclesiæ quæ velit & prædicet Conceptionem Virginis sanctam & sine peccato, vel etiam plenam gratia & ab ea peccatum remouentem, si item ex Scripturis ostendas Virginem ab initio vitæ suæ, atque adeo à Conceptione dicta gratam Deo, eique acceptissimam diuinisque refertam fuisse charismatibus, id vltro concedunt, at audacter dicunt hoc completũ esse in Dei parente non pro primo instãti temporis indiuisibili physicè, quẽ dicit nomen Conceptionis, sed pro tẽpore vel indeterminato vel determinato & paruo moraliter huius vel illius mensuræ, quodcõplectitur dicta Conceptio: quo perfricata fronte nihil ducunt omnia quecumque argumenta sibi fiant. Sic Anonymus quidam in libello *infrà* alias etiam à nobis citando, qni solet circumferri per manus aduersantium cum magno eorum plausu, vt ab eis ipsis didici, & rescriptionem obtinui, asseuerat. Verba autem eius sunt sequentia, quæ respondent obiectioni suæ ibi propositæ [*Secundus modus respondendi est Conceptionem duobus modis posse dici sanctam, vel dispositiue (vt loquitur schola) vel formaliter: non fuisse quidem sanctam Virginis Conceptionem formaliter quod sanctitate perfusa aut notata fuerit; sed fuisse sanctam dispositiue, quia in ipsa, & per ipsã proxime ad sanctitatem disposita fuerit: cum statim post primum instans Conceptionis, omnibus gratiæ donis cumulata fuerit, vt si dicamus Ecclesiam colere non sanctitatem in Conceptione sequutam, sed sanctificationem in Conceptione subsequutam: quam doctrinam præcipue probarunt, qui lacte Peripatetico nutriti, illam maximam Aristotelis prolem intellexerint*; quę parum inter se distãt, inter se nihil distare videntur. *Cum igitur solius instantis distantia intercesserit inter culpam & gratiam, qua nil minus in temporis latitudine intercedere potest: rationabiliter & absque animi hæsitatione asserere possumus Virginis Conceptionem & sanctam fuisse & vt sanctam ab Ecclesia celebrari.*] Quare vult Conceptionem se extendere ad tempus post instans indiuisibile infusionis animæ rationalis in corpore Virginis.

3. Vt autem hoc vanum & futilissimum, erroneumque effugium penitus amoueamus ab aduersariis, primo hic firmabimus verum quidem esse, quod nomen Conceptionis à Scoti temporibus protensum fuerit ad significandam Conceptionem naturarum, seu humanitatis Virginis, sed simul ostendimus, non propterea illud extensionem suam protendisse vsque ad sequens tempus; sed restrictum fuisse ad instans immediatum tempori sequenti: excludendo videlicet tempus ipsum sequens; tam ex natura rei, quia Conceptio naturæ in eo instanti sistit nec vltra progreditur vllo modo in sua significatione: tum etiam quia primi Auctores cum Sixto I V. qui nomen Conceptionis Conceptioni eiusmodi tradiderunt, euidentissime non excesserunt hos limites: & ne possit vlla ratione prætendi, quod id quod actum non est tempore Sixti, actum fuerit sequentibus temporibus & Conceptionis nomen saltem tempore Gregorij XV. vt mordicus significare contendunt aliqui Anonymi, & eorum sectatores hoc tempore, examinabimus acta rei: & à Sixto vsque ad Pium V. tempora perlustrabimus, si fortè eo tunc hanc extensionem obtinuerit nomen Conceptionis ad signatum tempus. Id quod etiam indagabimus de tempore Pij, vsque ad illud Greg. XV. & ostendemus numquam in Ecclesia instãs Conceptionis Virginis steterisse pro signo temporis sequentis ad primum instans infusionis animæ eius in corpore. Quodestituerentur Aduersarij hoc vnico effugio, quod recogitarunt ad fortia & mortifera tela vincenda sui sensus, dum dantes Conceptioni instans creationis animæ rationalis & tempus quod sequitur, haberent vnde possent ostendere Conceptionem Virginis posse dici sanctam, atque ita dictum à Patribus & celebratum ab Ecclesia, quia & sim instãti dictæ infusionis fuerit macula peccati originalis infecta; hæc infectio fuerit in sequenti tempore extersa, & sanctificatione mundata. Conabimur autem hic ostendere quam grande monstrum licet inane & inerme in Philosophia & Theologia, & in conspectu totiùs Ecclesiæ componant his dictis & vanis inuentis Aduersarij, qui aliter defendere sua asserta non possunt. Quo soliditas & firmitas Immaculatæ Conceptionis apparebit semper maior & maior nullam patiens formidinem vel dubitationem oppositi iuxta nostrum intentum.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SEXTA
OPERIS,
PRIMA
OPVSCVLI SECVNDI.

DE MVTATIONE SIGNIFICATIONIS in nomine Conceptionis Deiparæ deputatæ ad significandum primum & solum instans animationis, seu primam animationem Virginis à tempore Scoti inclusiuè vsque ad præsens.

1. POSTEA quam vidimus quid in tota antiquitate significarit in Doctoribus & Auctoribus cuiuscúque scientiæ & artis, nomen Conceptionis: restat videndum an ipsa posteriori tempore cœperit significare aliquid nouum quod non significauerit prius; videlicet dictam primam animationem & infusionem animæ Dei Genitricis in sancto eius corpore: vbi videndum an congruè facta sit hæc mutatio, & à quo tempore & secundo aduertenda est praxis & vsurpata acceptio talis nominis in dicto hoc secundo significato cum à Doctoribus, tum tertio ab Ecclesia & quarto denique quod ita per nomen Conceptionis intellecta sit prima infusio animæ rationalis in corpore Virginis, vt nullo modo per ipsum se extenderit consignificandum tempus siue determinatum, siue indeterminatum, quod sequutum sit signatum instans.

DIVISIO PRIMA.

An à tempore Scoti inclusiuè nomen Conceptionis cœperit significare statum primæ animationis Deiparæ & an congruè id actum fuerit.

1. NEque in aliud tempus, neque in alium Doctorem possumus hanc nouam acceptionis nominis Conceptionis remittere; quia antecedenti tempore ad Scotum notauimus priorem significationem viguisse; nec aduerti potest Doctor qui ante Scotum eam inuenerit & cæteris scholasticis tradiderit, quorum ipse fuit Magister, quemue eum omnes alij Doctores sui & sequentis temporis, venerati sunt propter modestiam & sublimitatem eius ingenij, qui in hac re ei non contradixerunt sed subscripserunt, quamquam de reliquo in aliis essent sequentes eius contradictores. Apertè autem patet Scotum hanc mutationem in significato nominis Conceptionis induxisse, quia ipse *in d. 3. q. p. fine* distinxit inter Conceptionem seminum & naturæ, seu inter Conceptionem embryonis & Conceptionem seu primum esse humanitatis Virginis Deiparæ. & quia omnia, quæ de Conceptione disputaban-

tur & asserebantur, concessit vel negauit Conceptioni attenta hac distinctione: gloriosa certè omnia, quæ de Conceptione Virginis sanctissimæ asserebantur tribuit primæ infusioni animæ eius in corpore, seu Conceptioni eius naturæ; seu Conceptioni humanitatis suæ individuæ. Verba acutissimi Doctoris hæc sunt. *Ad argumentum Bernardi potest responderi, quod in instanti Conceptionis naturæ fuisset sanctificatio non à culpa quæ tunc infuit, sed à culpa quæ tunc infuisset, nisi tunc gratia illi animæ fuisset infusa. Et si arguatur quod ibi fuit libido, falsum est de Conceptione naturarum, licet possit concedi fuisse in Conceptione & permixtione seminum, & dato quod in Conceptione seminum fuisset creatio animæ, non fuisset aliquod inconueniens gratiam tunc fuisse infusam animæ, propter quam anima non contraxisset aliquam infectionem in carne cum libidine seminata: sicut enim post primum instans Baptismi potest manere infectio corporis contracta per propagationem cum gratia in anima mundata; ita potest esse in primo instanti si Deus tunc creauit gratiam in anima Mariæ.* Vbi apertè distinxit Scotus de conceptione naturarum & Conceptione seminum.

2. Atque hac distinctione mihi videtur magnum hunc bellatorem pro Virgine penitus Aduersantes omnes debellasse, præsertim in Academia Parisiensi, in qua decretum fuerat ne sententia eximens Deiparam ab originali legeretur in iis Scholis, & ipse contra decerni fecit neminem lauream Doctoratus in ea Vniuersitate posse adipisci, qui immaculatam Conceptionem actiter defendere iureiurando non se adstrinxisset, vt refert Salaz. *In seculo* 13. & alij communiter apud ipsum citati, scilicet Paulus Venetus *in tractatu de pura Conceptione*, Bernar. de Busto *serm.* 8. & Cucarus *in elucid. Virginis prima secunda.* Id autem deduco, quia refert etiam Pelbartus *lib.* 2. *stell. part.* 1. *art.* 3. & complures alij, ab Oxonio in Anglia, euocatum Scotum, vbi primum pro pura Conceptione declamauerat & palmam obtinuerat; & Parisiis ducentis argumentis oppugnatam euicisse immaculatam omnium Doctorum illorum Parisientium acclamatione. Et cum is pro solutione argumentorum contra ipsam, non nisi hanc doctrinam afferat de Conceptione seminum & naturæ; rectè coniectari & conuinci potest, eadem in nihilum reduxisse quæcumque argumenta in contrarium, quæ maxima ex parte debebant sumi ce Conceptione seminum, quia ante ipsum an in principio vel medio aut fine organizationis corporis Virginis fuerit ipsa sanctificata præcipuè, & maximè quærebatur, vt apparet in sancto Thoma tum 3. *p.* tum *in* 3. *sent.* & nos suo loco ponderabimus Opusculo ad hoc deputato, & præterea Patres & Scripturæ & quæcumque aliæ auctoritates seu rationes si quid probabant nonnisi pro Conceptione seminum probabant eam scilicet non caruisse incursione in originale, quod vltrò concessit aduersantibus Scotus, & sua asserta gloriosa pro Virgine transferens in primam Deiparæ animationem, eam considerauit & scripsit & ostendit sanctam & mundam ab omni peccato: Dolendum sanè est, quod hæ disputationes tam grandes eximij Doctoris scriptis non inueniantur traditæ, vbi certè plurima lumina haberentur pro nostra assertione: & meo iudicio hæc veritas maximè probata ibi reperirentur vel sine controuersia recepta eo tempore: scilicet Conceptionis nomine solitam fuisse vsque ad illud tempus significari carnalem, & quæ organizationem corporis ante animationem poneret, & vt sic à pluribus dictam & volitam in peccato causaliter & radicaliter sumpto, vt alibi explicauimus; atque adeo non eiusmodi, vt afferret omnino verum peccatum originale in re, in animam sanctissimæ Virginis facientem eam ream æternæ mortis & filiam iræ, quod est id quod maximè erat quærendum, & in quo sistere fecit quæstionem Scotus, post quem non iam controuersum fuit saltem communiter, apud Auctores an Beatissima Virgo fuerit sanctificata ante animationem vel in Conceptione aut in fine Conceptionis sicuti sæpè controuertit S. Thomas & cæteri sui temporis, sed merè an in primo instanti creationis animæ suæ, primo inceperit esse cum gratia sanctificante vel sine illa. Ex quo toto discursu patet quod statuimus vt certum, quod scilicet tempore Scoti inceperit nomen Conceptionis stare pro prima infusione animæ Virginis in corpus suum sanctissimum, in qua significatione vsque ad præsens tempus perseuerat euidentissimè sine vlla alia noua mutatione, vt ostendemus.

3. Huius autem dicti in sensu Scoti habe Lector signum manifestissimum, quòd scilicet ipse putauerit hac distinctione Conceptionis seminum, & naturæ & impuritate concessa primæ & negata secundæ, penitus satisfecisse rationibus & auctoritatibus quæ eo tempore afferebantur circa immaculatam Conceptionem, quia dum de hac controuersia concluſit, legitur scripsisse summa cum modestia quod ni obstaret Ecclesia; & sacræ Scripturæ ab ea aliter interpretarentur, censeri omnino deberi Virginem immunem ab originali; quo annuere voluit neque rationes neque sensum Patrum & Sanctorum immaculatæ Conceptioni vim facere, nam si putauisset hæc habere aliquid ponderis circa ipsam, vtique ea cum cæteris retulisset. Cùm ergo multi Patres, & Doctores antiqui omnino absolutè prædicauerint Virginem Deiparam conceptam in peccato, & id non ipsi vim fecit, quia voluit hac distinctione plenè illis locis satisfieri, & pro re certissima haberi debere quod ij loquuti sint de Conceptione seminum; quo nihil obfuere prorsus immaculatæ Conceptioni, quæ maculas omnes tollit à Deipara pro prima sui animatione. Quo confirmatur apertè, quod controuersia antiqua deducta fuit ad primam animationem Virginis, quam cum omnes & ipse Scotus suique asseclæ, nec non contradictores, appellauerint Conceptionem eius, aliqualem mutationem significationis subierit à tempore Scoti nomen Conceptionis ad primam infusionem & creationem animæ Dei Matris in corpore significandam, quod est quod animaduertimus & concluſimus.

4. His prænotatis restat videndum, an congruè & sine vllo præiudicio vllarum congruentiarum, nomen Conceptionis hanc nouam significationem subierit: nam posset quis dubi-

tare

tare malè actum fuisse, & irrationabiliter, cum longè quid diuersum sit prima organizatio corporis hominis & Deiparæ, à prima infusione animæ eius, atque adeo non rectè mutata fuerit hæc significatio in isto nomine: nam non bene nomen quod conuenit vni rei, transfertur ad significandum aliquid disparatum, qualis videtur esse prima animatio Virginis cum prima organizatione corporis eius. Et primum sit quid spirituale: secundum merè corporale. Sed nulla prorsus est ratio, quia non est nouum quod rectè & magna cum sapientia tum in Philosophia, tum in Theologia & aliis scientiis & artibus, nomen vnum quod ex primæua sui institutione significauit aliquid vnũ, positis ponendis, sit extensum, vel translatum ad significandum aliud longe disparatum, si tamen hoc tale habeat aliquam analogiam vel attributionis vel proportionis cum primo: si enim hoc verum non esset destrueretur omnis analogia nominum. Ita in casu nostro cum Conceptionis nomen primo significauerit inceptionem existentiæ animalis & hominis, quæ maximè habetur in corpore in prima formatione; atque hæc inceptio existentiæ eiusdem animalis magis perfecta habeatur quando infunditur anima eius, quam quando primo incipit firmari corpus; proinde analogia proportionis inuenta est in Conceptione seminum & naturæ; vnde bene potuit prima animatio animalis vel hominis, dici Conceptio naturæ eius, atque adeo nomen Conceptionis vtramque actionem & Conceptionem significare. Et rursum, quia sermo communis deinde esset frequentissimus & ferè perpetuus de Conceptione secundi generis, rectè factum esse potest, vt nomen Conceptionis sine addito ad fugiendam repetitionem perpetuam alterius vocabuli segregantis Conceptionem secundam à prima, videlicet naturæ; rectè inquam factum est quod nomine Conceptionis Deiparæ, nisi aliud addatur, significata sit & significetur eius prima animatio, & non illa seminum; licet si ex circumstantiis aliud pateat, bene potuit nomen Conceptionis stare præcisè pro prima organizatione corporis Dei Matris.

5. Atque his præmissis præterea maneat, rectè factam hanc mutationem ex eo quod Conceptio carnalis tota quanta est, à natura ordinata est ad Conceptionem naturæ seu animationem fœtus, eamque habet pro suo proximo & naturali termino, vnde bene potuit sumi ad significandum hunc suum essentialem terminum, quemadmodum enim illuminatio Solis, sæpè dicitur calefactio aëris, quia est ordinata non solùm ad illuminandum sed ad calefaciendum aërem; licet hic ordo non sit illi essentialis neque calor sit eius terminus ad quem illuminatio est essentialiter ordinata: ita multo magis cùm Conceptio carnalis habeat pro termino suo essentiali Conceptionem naturæ huius vel illius animalis, vel hominis: potuit transferri ad eiusmodi ita essentialiter sibi terminum connexum significandum.

6. Quibus tertio adde, sicuti alias contenetemus, quod sicuti Conceptio Christi Domini quia fuit coniuncta in eodem instanti cum infusione primæ animæ eius in corpore, sæpe apud Doctores ex hac concomitantia, eandem animæ infusionem importat, & consignificat, ita pariter quia organizatio corporis Virginis fuit coniuncta breui propinquitate temporis, (videlicet intra vnum diem vel horam cum infusione animæ) bene potuit assumi ad hanc eandem primam animationem significandam.

7. Et quarto deniq; quia Conceptio sanctiss. Virginis venit hoc nomine appellata & appellanda in quantũ sancta colenda & celebranda; neque potest intelligi vt sic appellari, coli & celebrari, nisi propterea quæ Virgini conueniunt in termino eius in prima sui animatione Virginis, sicuti hæc epitheta non conueniunt absolutè Conceptioni seminum, vel naturæ; ita similiter nomen ipsum Conceptionis est traditum primariæ huic dictæ animationi ex consensu Doctorum; cui, quæ tribuuntur, Conceptioni Virginis maximè conueniunt. Et si quo modo etiam conueniunt Conceptioni seminum, non nisi propter ordinem ad Conceptionem eius naturæ, possent dici ei conuenire nam nullo modo Conceptio carnalis eius potest intelligi sancta, nisi propter sanctitatem quæ Virgini conuenit in termino Conceptionis naturæ Virgineæ; & cultus & celebritas ibidem non potest ei conuenire, nisi ex sequutura sanctitate & venerabilitate in eadem sanctissima anima.

8. Id quod potest in hac re esse dubium, est, quod non vidi ab vllo agitatum, an posita hac mutatione in nomine Conceptionis post Scotum, assumpto ad significandam primam animationem Virginis seu Conceptionem eius naturalem, seu ipsius naturæ & humanitatis, an inquam hac mutatione posita, Conceptio significauerit meram primam animationem Dei matris, seu primum esse naturæ eius, nullo modo consignificando Conceptionem seminum, an eam etiam consignificando. Et ratio dubitandi est ex vna parte quia verba Scoti, videntur hæc duo contradixisse, atque adeo cùm manserit significatio in Conceptione naturæ, videtur quod eam secundum hoc nomen ceperit significare: ex alia parte cum Auctores plures sub nomine Conceptionis dicant expresè coli non meram infusionem primam animæ Virginis in corpore, sed ipsam formationem corporis Deiparæ, vt maximè vult Bellarminus, videtur quod ita sit translatum hoc nomen ad significandam primam animationem eiusdem, vt simul cum ipsa consignificaret Conceptionem etiam seminum.

9. De qua re expecto doctiorum iudicium, & puto quòd hanc mutationem ita tulerit hoc nomen Conceptio, vt ex circumstantiis pensari debeat, an significet de facto meram animationem Virginis, vel ipsam, & præterea Conceptionem seminum, vel etiam meram Conceptionem seminum; ita vt omnino dicendum quod non ita cœperit nomen Conceptio significare conceptionem naturæ, vt omnino priuatiuè à significanda Conceptione seminum abalienata fuerit, sed remanserit in ea etiam vtus, vt cum aliquo addito vel in ali-

quis ... iis circumstantiis vel etiam consignificauerit, vel etiam eam solam significauerit, & significet, vnde si quando apud Doctores sermo factus est, vel fit de tempore copulæ vsurpatæ in ordine ad generationem Virginis inter sanctum Ioachimum & Annam, tunc si vsurpatur, vt vsurpari rectè potest, nomen Conceptionis in tali casu, bene dicetur quod Conceptionis nomen stet, & solitum fuerit stare pro sola Conceptione seminum. Similiter quando dicitur & dictum est etiam tempore sequenti ad Scotum, quod celebretur Conceptio Virginis Deiparæ, non est exclusus in his verbis ab omnibus, cultus Conceptionis seminum coniunctæ cum prima animatione eius, quia eandem plures voluere & volunt coli & significari in hac vsurpatione nominis, quod colatur & per consequens manifestum est quod nomen Conceptionis in tali casu, consignificet Conceptionem seminum licet primò sumatur ad significandam celebritatem primæ animationis Dei Matris. In scholis autem, & disputationibus Auctorum de sanctitate vel peccato quæ fuerit in primo instanti animationis Virginis vel similibus, dum nominatur Conceptio meo iudicio post Scotum & sequentibus temporibus nomen Conceptionis non existimandum est stare pro Conceptione seminum sed pro conceptione naturæ: nam Auctores loquuntur de dandis Virgini pro secunda, neque potentibus illi conuenire pro prima Conceptione. Atque adeo omnino videntur sumere nomen Conceptionis pro significatione eius, vt contradistinctæ omnino & exclusiuè & priuatiuè à Conceptione seminum.

DIVISIO II.

Subditur Catalogus Auctorum qui post S. Thomam vsque ad Sixtum nomen Conceptionis Deiparæ transfudere ad primam animationem Virginis, primumque instans infusionis animæ eius in corpore.

1. Post S. Thomam quantum legimus in Auctoribus, ij desiere controuertere, vel agere de Conceptione Deiparæ provt ea stat pro prima formatione corporis eius ante animationem, vnde loquentes de Conceptione eius, & eam vel dicentes cum, vel sine macula determinauerunt, & restrinxerunt loquutionem, controuersiam, & sensum suum ad primam animationem seu primum instans infusionis animæ Virginis manifestè; id quod primò patere debet in Scoto, in quo sicut & in aliis Scoto vel coæuis, vel circa eius ætatem aduertendum est, quod scilicet aliqui ex his, quasi in actu signato Conceptionem tradidere pro primo instanti infusionis animæ eius. Aliqui vero hoc egerunt in actu exercito, v. g. controuertentes & definientes de eiusmodi conceptione & explicantes statum quæstionis, seu intelligentiam decisionis suæ esse pro macula affirmata vel negata pro primo instanti animationis, relinquentes sermonem prorsus de statu Conceptionis ante animationem, nec per sonantium loquentes de tempore immediato post animationem, consenti sola consideratione primi instantis animationis.

2. Primus ergo qui hanc distinctionem Conceptionis seminum & naturarum inuexit fuit Scotus relatus *in 3. d. 3. q. 1.* 2. qui secundam eam videtur solam ille omnia argumenta, quæ ducenta dicuntur sibi fuisse proposita ad intelligendam veram originalem maculam in animam sanctissimæ Dei Genitricis. Eius verba habes Lector in antecedenti diuisione, nec sunt hic repetenda. Quam eandem distinctionem replicant, deinde vt referemus Capreol. Ciandus, & tota quintam acceptationem Conceptionis naturarum incepit tum Scotus, cum alij scholastici loqui & contra eum cæteri scholastici posteriores ipso.

3. Sic Ioannes Bachonus *in 4 d. 2 q. 3. art. 3.* apertè loquitur conformans se S. Anselmi verbis in epistola ad Episcopos Angliæ de instanti primo in quo creata fuit eius anima, & sanctissima Virgo procreata, & hanc eius procreationem vocat, *Carnalem eius Conceptionem*, quam appellat *sua am*, & *Deo acceptam*, quia scilicet in eo instanti supponit animam sanctissimæ Matris ad Deum per actus supernaturales perfectissimos conuersam.

4. Tertiò in eundem loquendi modum & in eandem Conceptionis acceptionem venit Almarus Pelagius Ordinis Minorum *lib. ... de Planctu Ecclesiæ cap. 52.* qui ait, *Si enim in peccato originali quod contrahitur in animæ infusione non fuisset concepta Beata Virgo, sanctificatio non cessaria non fuisset*: quibus verbis ostendit se agnoscere conceptam Virginem pro eodem instanti, atque adeo nomen Conceptionis tribuit primæ illi instantaneæ animationi Beatissimæ Virginis. Quod est quod volumus apud Auctores post Scotum significare nomen Conceptionis.

5. Adducatur Franc. de Mayroniis in sermonibus de Beatissima virgine Typis datis Venetiis an. 1493. serm. 2. in festo Concept. Virginis Mariæ his verbis. *Septima consideratio est, quando illud peccatum originale contrahitur. Dicitur autem quod in primo instanti Conceptionis humanæ vnde Iob. 15. dicitur. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? intelligendum est tamen quod illud instans diuiditur in quatuor signa ordinis naturæ, vel originis. In quorum per corpus organizatum generatur, cum esse formæ substantialis in instanti fiat. In secundo anima rationalis a Deo creatur, quia ordine naturæ materia præcedit suam formam. In tertio anima rationalis tali corpore infunditur & infunditur post creationem, quia cuiuslibet formæ esse præcedit natura sibi ineſſe. In quarto anima contrahit peccatum originale. Ita tamen intelliguntur de communi lege; quia vbi privilegium datur, ius commune non habet locum.* Et infra eodem serm. *Vndecima consideratio est qualiter Mater Domini fuit præseruata ne contraheret peccatum originale*, quod latè prosequitur.

6. Ioann.

6. Ioann. 1. Aragonum Rex in Priuileg. de Concept. Virg. Mariæ expedito an. 1394. quod in Regist. (nobili familiæ habetur Col. 285. *Disputatores stolidi erubescant de tam præclara Immaculata & pura Conceptione Virginis violenta producere argumenta. Decuit enim vt ea puritate niteret, qua sub Deo nequit maior intelligi. Decuit profectò & perfectam & perfectissimam, purissimam, & decoram semper extitisse. Ad verbum semper quod etiam includit, imo præcipuè respicit primum animationis instans*] & subiicitur tamquam declaratio & repetita expressio tituli Immaculatæ Conceptionis. Quod autem Secularem Principem inter Doctores recenseamus, ipsius priuilegij dignitas facit solidæ eruditionis pleni, quæ vel ipsi Principi supperebat, vel præstantioribus Regni Theologis tribuenda est. Quos ad rem tantam in consilium adhibitos dubitari non potest vt obseruat Io. de Pineda Soc. Iesu. *Animaduers. 2. ad idem priuileg. num. 2.* Vnde non solam Regiam auctoritatem hic habemus sed iudicium Theologorum Regni Aragoniæ, & eius Academianum. Occasione dicti Aragoniorum Regis emanauit Auenione eodem ipso anno Dialogus inter Canonicum Iacobitam & Canonistam, sub nomine Raymundi Lulli, vidimus eiusdem conditionis; quem Pineda ibidem *num.* 5. citat ex Christophori Columbi Bibliotheca anno 1491. Hispali. Operis inscriptio est. Liber de Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptu ab omni labe originali immuni. In tertia vero parte lib. §. de tertia Metaphora sic scribit Auctor quisquis ille sit. [*Vnde si in subiecto Conceptionis Virginis peccatū originale foret contractum in infusione animæ in corpore, sequeretur filium Dei, qui est causa finalis contrahere ipsum peccatum. Et per totum librum has duas propositiones sæpe regerit. Beata Virgo non fuit concepta in peccata originali; & Beata Virgo sine originali peccato fuit concepta.*

7. Ioannes Capreolus *in 3. d. 3. q. 1. a. 3.* respondens ad argumentum nostræ sententiæ. quo probatur Beatam Virginem præseruandam fuisse à peccato originali, vt Christus Dominus exerceret erga ipsam perfectissimum actum mediandi. Ita scribit: 1. *Circa tertiam probationem. Primo probaretur quod Beata Virgo in primo instanti suæ Conceptionis fuit beata, quoniam tale bonum potuit habere per Christum mediatorem. Et similiter quod fuerit in corpore glorificata. Qua omnia falsa sunt. Ex qua responsione aperte constat assertores Immaculatæ Conceptionis nihil aliud hoc nomine intellexisse, quam gratiam B. Virgini collatam in primo instanti sui esse.*] Ex quibus apertè videtur Capreolus Conceptionem Virginis accipere pro primo instanti infusionis animæ eius, licet contra eam senserit.

8. Ioannes Taulerus illustris Theologus Ordin. Prædic. in sermone vnico de purificatione Virginis inter eius opera edita Colon. anno 1615. pag. 547. ait. [*Hinc illi* (Virgini) *Accessit decor quod culpa originalis perpetuo expers fuit, à qua præseruarat illam filius eius, ita vt ne momento quidem temporis vel ira filia, vel vas immundum, vel diabolico subiecta dominio fuerit.*] Quibus verbis signat primum instans animationis Virginis controuersum sit nec ne fuerit cum macula.

Ex scriptis Petri de Candia eadem significatio nominis Conceptionis aduertitur ex iis quæ de eo refert P. Bernardinus de Bustis, qui cum his verbis eum citat serm. 4. de Concept. *Petrus de Candia ex Ordine Minorum ad Pontificatum summum euectus & Alexander V. denominatus Immaculatam Virginis Conceptionem approbauit. in 3. d. 3. & existens in Pontificatu hanc opinionem dicitur determinasse in ciuitate Pisarum anno Dom. 1411. atque statuisse vt ab omnibus teneri deberet. Vnde Magister Io. Varro in 3. d. 3. inquit. Sanctissimus Dom. Papa Alex. V. approbauit opinionem Minorum.* In quibus verbis etsi non exprimatur instans primum animationis explicitè, euidenter tamen colligitur de eo esse sermonem, cum sit de eodem de quo loquuntur Fratres Minores, qui non nisi de primo signo infusionis animæ Virginis instituere sanctam Virginem esse ab omni peccato liberam.

S. Vincentius Ferrer. *serm. 2. de Natiu. B. Virg.* pro eodem sensu est adducendus in illa Verba *Genes. 1.* Fiat Lux. *Non credatur quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed statim atque anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in Cœlo festum Conceptionis fecerunt*: [& infrà. *Lux dicitur illa benedicta generatio Mariæ Virginis, quia sine tenebra culpæ facta est*:] vbi vocatur manifestè tale instans, dum signatur esse instans creationis animæ & in tali signo vult S. Vincentius habitam Conceptionē Virginis de qua Angeli in Cœlo celebrarunt festum: In alio sensu de Conceptione seminum aliàs est loquutus S. Vincentius, vt suo loco vidimus.

11. Io. Gerson. 2. *par. serm. de Concept.* in idem recidit dum scribit. [*Prima mulier fuit creata libera, & non serua; sed dignior, & nobilior fuit secunda mulier, quàm prima, ergo ipsa fuit creata libera, & non serua.*] Dum enim hic dicit Virginem creatam liberam à peccato ad similitudinem Euæ de signo creationis animæ Virginis loquitur.

12. Bernardinus Senensis. Et B. Ioannes de Capistrano argumenti & tituli huius libros, scripserunt sc. de pura Virginis Conceptione & controuersiam, & definitionem eius ad eiusmodi instans restrinxere non loquentes nec de Conceptione carnali, nec de tempore post primum instans.

13. Abulensis Paradoxo 5. cap. 161. fol. 105. col. 3. in Edit. Veneta anno 1615. [*Illi autem, qui Dominam nostram in originali conceptam dicunt, sed non natam; cùm prius eam purgatam asserant, fateri compelluntur eam per aliquod modicum mansisse in originali macula, siue illud parvum, siue maius sit.* Et infrà Cod. 1. *Si vero B. Dominam nostram Virginem sine originali conceptam, & natam asseramus & consequenter nec purgatam in vtero, cum purgari nequeat, qui nullam maculam incurrit iuxta positionem communem Fratrum Minorum, qua pietatem magis tangit, atque rationabilius est eam teneri, quousque quidpiam in hac re maiorum definieris auctoritas*:] vbi idem quod supra notandum pro nostra animaduersione.

14. Efficacissimè in hoc sensu acceptam hoc tempore

tempore Conceptione Virginis fuisse constat sine controuersia, ex eo quod senserè innumeri Ecclesiæ Patres Basileenses, qui ita de hac re loquuti sunt. [*Hactenus difficilis quæstio in diuersis partibus, & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Mariæ matris & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus ipsam Virginem & eius animam per aliquod tempus, aut instans temporis subiacuisse actualiter originali culpæ. Aliis autem à conuerso dicentibus à principio creationis suæ Deum ipsam diligendo gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit.* Et infrà; *Doctrinam illam differentiæ gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari, numquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque & immaculatam.*

15. Tandem Ioannes Bassolis *in 3.d.3.q.1. §. quantum ad primum*, apertissimè ostendit nomen Conceptionis stetisse pro carnali, & deinde sumptum pro prima animatione Virginis. Nam inquit: [*Dico quod Conceptio alicuius hominis, vel mulieris naturaliter propagatè diuersimodè accipitur. Vno modo pro commixtione seminum viri, & mulieris, quando incipiunt agere mutuo, & pati ad inuicem. Alio modo accipitur pro totali formatione, & processu organizationis corporis vsque ad animationem, vel animæ infusionem. Tertiò modo accipitur, & magis propriè pro animatione ipsa, & instanti illo infusionis animæ. Et infra ad propositum dico. Quod intentio est loqui de Conceptione Virginis tertio modo. Et §.* Quantum ad tertium. *Videtur dicendum, quod Deus potuit, & decuit hoc fieri, quod ipse præseruaret Virginem matrem suam dulciss.mam, ne peccatum originale contraheret in sua Conceptione. Tertio modo dicta. Ita quod de facto Beata Virgo originale non contraxit.*]

DIVISIO III.

Ostenditur sanctam Ecclesiam Catholicam post Scotum Sixti IV. temporibus inclusiuè nomen Conceptionis Deiparæ accepisse communiter pro Conceptione naturæ Virginis.

1. EX Bulla prima Sixti IV. circa hanc materiam apertè colligitur sanctam Ecclesiam vsurpasse nomen Conceptionis pro Conceptione naturæ non pro illa seminum. Primò, quia ait ibi Pontifex: [*Dignum quin potius debitum reputamus vniuersos Christi fideles vt omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis Conceptione gratias, & laudes referamus.* Sed non possunt hæc verificari de Conceptione seminum saltem ad hominem contra Aduersarios, qui ponunt Conceptionem seminum Virginis similem illi, quæ est propria communium hominum etiam ex miraculo generatorum: ergo debent intelligi de Conceptione naturæ Virginis. Quare huic Conceptioni nomen hoc dedit Sedes Apostolica, & summus Pontifex Sixtus.

2. Hoc ipsum probatur quia de ea Conceptione loquitur idem Sixtus de qua habetur maxime sermo in officio à se approbato, & composito à Leonardo Nuegarolis, sed in eo maximè est sermo de Conceptione naturæ Virginis vt pote plena gratia, & sanctitate vera prædicta, nec non puritate antecedente Angelicam, quæ non potest conuenire nisi Conceptioni naturæ, vt patet legenti illud Officium: ergo de Conceptione naturæ Dei matris maximè loquitur Sixtus in Bulla *Præexcelsa*, eiqua tradit nomen Conceptionis absolutè. Id quod confirmatur ex præfatione eiusdem Nuegarolis ad Sixtum IV. & sacrum Consistorium, vbi se loqui de ea Conceptione profitetur, in qua maximè residet verum & absolutè dictum Peccatum originale, quæ non est aliâ nisi Conceptio naturæ; sic enim ait: *Nullus ergo sanæ mentis in Mariæ laudes erumpens, Matrem eam dicet Dei; simulque quondam filiam fuisse diaboli; deformem profectò reddet laudatam nam Matrem gratiæ dices eam, quia antea inimicæ largiteris gratiæ: ingrati non laudantis est officium:*] & paulò post, [*eas sibi laudes tribue, quæ ignominiam non ferunt, sic nomina vt extollas non deprimas singularem admirandam, manuque Dei fabricatam Conceptionem.* Et clarius, *Maculatam fortassè legisti Conceptionē embryonis, ac seminis & propagantium non maculata anima intellige, qui sapis; peccatum quippè tanquam causa & materiale quid est in corpore; & formalis verò sola anima capax est:*] vti de vero formali peccato excluso à Virgine se loqui profitetur: Atque adeo de Conceptione naturæ sanctissimæ Matris immaculationem prædicare, nec cutare de aliquali maculatione, quæ fuerit in carne Virginis; vel etiam quæ esset in anima eius, mere ratione carnis infectæ, quæ in ea debitum originalis inferret, non verò ipsum in actu, & in re.

Tertio ostenditur hæc veritas ex prima extrauaganti Sixti IV. *Graue nimis*, in qua damnantur errores ij, qui dicerent sanctam Romanam Ecclesiam celebrare festum Conceptionis solius spiritualis, seu de mera sanctificatione Dei Matris: sed ex aduersariis non potest intelligi quod Ecclesia Romana mere celebret Conceptionem seminum, exclusa anima Virginis: ergo omnino debent ipsi intelligere quod Sixtus loquutus sit de celebratione Romanæ Ecclesiæ, quantum attinet ad Conceptionem naturalem Deiparæ, seu suæ integræ humanitatis. Atque adeo Sixtum nomine Conceptionis voluisse significare non Conceptionem seminum, sed naturæ Beatissimæ Matris.

Quarto. Ex eadem extrauaganti idem patet, quia damnantur ij, quia volebant mortaliter peccare, vel hæreticos esse Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes: sed hæc damnatio non cecidit supra celebrantes Officium Conceptionis seminum, vt patet. Nam de ea nostri commilitones non curabant aliquam maculam concedere; ergo omnino cecidit supra celebrantes Officium Conceptionis naturæ Virginis, quæ fuerit sine macula

cula in sua scilicet prima animatione pro Immaculata Conceptione hic: ergo sumpsit Sixtus illam naturæ, non seminum, vt patet: id quod confirmatur ex secunda extrauaganti, *Grauc nimis*; vbi similiter loquitur.

Quinto. Hoc ipsum patet ex vtraque Extrauaganti, vbi de ea Conceptione loquitur Sixtus, eamque absolutè nomine Conceptionis nominat, quam ita aliqui volebant celebrandam, & sanctam, vt alij contrà eam vellent omnino à celebratione auertendam: sed hæc Conceptio non erat illa seminum, sed Conceptio naturæ. Nam Fautores Immaculatissimæ Conceptionis de illa naturæ hoc asserebant; ergo summus Pontifex nomine Conceptionis significauit Conceptionem naturæ Dei Matris, non illam seminum.

Sexto. Potest hoc ipsum probari, quia idem Sixtus Immaculatam appellauit, Conceptionem, quæ celebrabatur in Ecclesia Romana; non est autem loquutus de Conceptione seminum, quia ista sub dubio est immaculata: ergo de Conceptione naturæ Virginis loquutus est.

Septimo. Quia in eo sensu de Conceptione loquutus est Sixtus, in quo erat eo tempore apud Doctores controuersia, quam ipse exagitari fecit per aliquod tempus à grauissimis viris hinc inde vocatis, in quibus excelluit Ioannes insuper Brixianus Generalis Minister Franciscanorum. Sed controuersia erat de Conceptione naturæ, vt liquidò constat ex illis temporibus, & iis, quæ refert Cismontani familia initio sui tractatus: ergo de ea loquutus est, & non de illa seminum.

Octauo. Constat eadem veritas ex Alexandro IV. & sequentibus Pontificibus, qui in eodem censu de Conceptione Virginis loquuti sunt ex illsdem rationibus ex quibus id ostendimus de Sixto. Quare non videtur, neque ab aduersariis ambigendum de hac veritate, & sensu sanctæ Romanæ Ecclesiæ circa vsurpationem nominis Conceptionis Virginis pro illa eius naturæ, & primæ suæ animationis ab ipso eo tempore Sixti, quæ vsque ad præsentem diem perseuerat nemine contradicente.

DIVISIO IV.

Euidenter demonstratur, quod à tempore quo Conceptionis nomen extensum est ad significandam primam infusionem animæ Virginis in corpus, non incluserit tempus sequens ad instans indiuisibile quo peracta est.

1. POsitis dictis, vltimo restat hic demonstrandum, quod ita nomen Conceptionis sumpserit significationem primæ animationis Virginis sanctissimæ à dicto tempore Scoti & Sixti IV. vt nullo modo se extenderit pro eo & sequenti tempore, ad significandum tempus sequens ad primum instans indiuisibile, in quo peracta & completa est prima humana animatio eiusdem Dei genitricis. Id quod duplici via potest & debet ostendi, primum quia Conceptio naturæ, quam sumpsit mere significandam nomen Conceptionis, ex se non extenditur vltra tale instans: neque tempus sequens ad eam pertinet vllo modo: & secundò, quia eo tempore dicto nihil potest afferri, quod hanc extensionem possit concludere; sed multo plura habentur, quæ ostendunt hanc extensionem, non esse vllo modo factam.

2. Quod autem Conceptio naturæ humanæ, & prima infusio animæ rationalis in corpus, eaque Virginis, absolutè non se extendat ad tempus sequens, neque determinatum neque indeterminatum, patet manifestè primo quia ea non se extendit vltra signum creationis eiusdem animæ, nam pro tali signo creationis completur Conceptio & prima animatio humana, & vnio corporis & animæ: & primum esse hominis, quod ipsa importat & non secundum quod post instans habetur; nihil enim inde sequitur; sed creatio animæ non protenditur vltra tale instans cum sit operatio instantanea, & contradistincta à conseruatione, quæ post instans sequitur, vt patet: ergo talis conceptio humana, & prima infusio animæ rationalis Virginis non potest intelligi extensa ad tempus sequens. Secundo probatur & patet id ipsum, quia post tale instans à Philosophis & Theologis in animali & homine incipit & attenditur alia actio, videlicet conseruatio & augmentatio, non prima productio animæ rationalis; & augmentatio in homine est omnino contra distincta à conceptione naturæ pro vt illam signat S. Thomas *in 3. d. p. q. 33. art. primo in corp.* vbi ait: [*In Conceptione corporis Christi tria est considerare: primo, quidem motum localem sanguinis ad locum generationis, secundo formationem corporis ex tali materia, tertio autem augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam: in quorum medio ratio Conceptionis consistit*] Vbi aduerte iterum quod secundum S. Thomam Conceptio sonat pro Conceptione carnali & formatione corporis, non vero in prima animatione rationali in homine. Et deinde sequitur: [*Primum est Conceptioni præambulum, tertium autem Conceptionem consequitur*] vbi expressè tradit Conceptionem non progredi vsquo ad tempus sequens ad formationem corporis quæ terminata fuit animatione prima animæ rationalis, vt tradit *art. 2. & 3. sequenti.* De quo non est dubium & sæpè notatur à sancto Doctore, nec vllus ex Aduersariis contradicit, & recte explicatur per ea quæ habet S. Thomas *eod. art. 1. ad 3.* Non potest ergo vllo modo dici, quod vltra, ad tempus scilicet proprium conseruationis & augmentationis hominis, extendatur humana & naturalis Conceptio, quæ est actio à sequenti omnino contradicente.

Tertio idem liquere potest, quia Conceptio humana Christi Domini comprehendens infusionem primam animæ eius in corpus, apud Patres & Theologos nunquam intellecta est extensa ad tempus sequens indiuisibile proprium eiusdem infusionis: & sic de cæteris Conceptionibus naturarum hominum aliorũ

quæ

quorumcumque: vt certum est, quia nihil contra afferri potest, neque aliquis vnquam tale aliquid attulit: ergo omnino dicendum est in Conceptione Virginis eam non fuisse dicendam extensam ad tempus dictum.

Quarto eadem veritas ostenditur à pari de similibus; quia sicuti stulte creatio Angelorū, nec non Cæli & terræ, & prima infusio animę rationalis in Adamo & Eua, extensa diceretur ad tempus aliud præter instans indiuisibile tēporis, quo eæ peractæ sunt: ita vt in casu nostro cum nulla possit de hac re assignari disparites.

Quinto probatur ad ipsum, quia si Conceptioni dictæ naturæ humanæ Virginis, congrue posset assignari aliquid temporis extra instans vnum indiuisibile sui proprium: penè confunderentur & nullæ essent quæstiones variæ, quæ circa aliquas ex his & similibus actionibus instantaneis solent fieri, quales sunt; an Angeli potuerint peccare & esse mali in prima sua creatione; an pueri in primo instanti, quo habent vsum rationis teneantur elicere actum dilectionis Dei saltem naturalis, vel etiã supernaturalis: an in instanti possit peccator perfectè ad Deum conuerti, & elicere actum contritionis; an gratia sanctificans infundatur in instanti in homine iusto; an beati in instanti incipiant videre Deum; an Christus Dominus in vltimo instanti, quo eius anima desiit informare corpus, compleuerit redemptionem: an in instanti possit haberi aliqua grauis tentatio, ex qua homo succumbat, & sic de similibus. Nam eiusmodi actionibus posset tribui ad similitudinem Conceptionis naturæ, præter instans sui proprium, aliquid temporis consequētis & sic nullæ prorsus esse eiuscemodi quæstiones; nam quis dubitare posset, quod Angeli post aliquam morulam temporis sequentem ad primum indiuisibile suæ creationis possunt peccare, & fieri mali; similiter quod pueri in aliquo breui tempore, quo lumen sufficiens habent ad cognoscendum Deum, vt suum creatorem, tenentur eum supet omnia diligere; & sic de similibus: quemadmodum ergo omnes dictæ actiones conuertuntur firma manente earum inextensione ad tempus extra instans; ita id ipsum censendum & iudicandum est de Conceptione naturæ non se extendente vltra vnum indiuisibile temporis.

Sexto luce meridiana clariùs constat, quod generatio humana non se extendit vltra instãs infusionis animæ rationalis in corpore, sicuti omnis generatio naturalis siue viuentis, siue mixti, siue elementi simplicis vltra instans productionis formæ substantialis; & quemadmodum stultum esset aliquam ex his ad tempus sequens præter instans vlterius protendere: ita id ipsum à fortiori censendum est in Conceptione humana & humanitatis, quæ est species generationis in vniuersum, & omnino vltimũ, quod intenditur ab humana generatione. Vbi notandum quod Philosophi aliqui, vt vidimus *in primo Opusculo dist.* 3. *diuisione* 1. solent distinguere duas generationes vnam consistentem in alteratione præuia ad formam substantialem, & aliam in productione ipsius formæ substantialis; & dubium apud eos est, in qua ex ipsis consistat generatio formaliter, an scilicet in alteratione præuia (quæ solet dico causaliter generatio ab eis, qui eam negant esse generationem formaliter) vel potius in productione formæ substantialis: at indubitatum apud ipsos est, neque vnquam controuersum, quod vltra instans productionis formæ substantialis, generatio quoquo modo sumatur, protendatur generatio quælibet, & multo magis humana: quare idem dicendum est de Conceptione humanitatis in Virgine, eo nomine Conceptionis applicato ad eam significandam.

Septimo hæc ipsa veritas demonstratur ex inani anili, & stulto fundamento, quo aduersarij nituntur ad enunciandum quod Conceptio sanctissimæ Virginis complectatur tempus sequens infusionem primam animæ eius in corpore ex eo scilicet, quia cum sit ipsi immediatum tempus sequens, & nulla intercedat distantia inter ipsum & instans; atque adeo moraliter videatur facere vnum cum illo, imo etiã physicè possit dici vnum cum eo, vel propter contiguitatem temporis; vnde bene possit dici ad illud pertinere, & consignificari per nomen Conceptionis; quia si hoc posset tolerari in Philosophia & Theologia vt vidimus, omnia confunderentur quæ pertinent ad quæstiones versantes circa actiones instantaneas: & hanc morulam temporis bene possent Doctores transferre ab ipsis, quemadmodum Aduersarij volunt attinentem & bene aptatam Conceptioni humanæ Virginis: vnde eam etiam possent tradere Conceptioni humanitatis Christi & similibus, quod esset omnia Philosophica & Theologica peruertere. Quod est absurdissimum.

8. Vbi demus Aduersariis, quod congrue tale quid potuerit concedi Conceptioni Virginis, id certe non potest dici quod de facto ipsi præstitum sit, quod deueniamus ad secundum caput propositum, quo fatear eiusmodi significationem nominis Conceptionis inuectam ab Aduersariis, nullo modo posse subsistere, quia primo si id actum est, vel actum est ab ipsismet Aduersariis, quia scilicet ipsi ex se ipsis talem significationem inuexerint in hoc nomen Conceptionis ab eo tempore Scoti, & Sixti, & hoc ostendant quæso, quomodo id egerint? nam non constat, tale quid eo tempore eos egisse. Rursum si hoc egerunt, dicant an potuerint agere & mutare & dare nominibus alienas significationes? Numquid ipsi putant se potuisse cuique mutare & addere significationes nominum. Et si quid tale tentarunt, id receperunt cæteri Doctores, vel non si primum ostendant quomodo tale quid receperint Doctores: cum autem numquam id ostenderint neque protulerint, erubescant hæc tam extranea à recto disputandi & discurrendi tramite apud Theologos afferre, nisi velint opprobrioso risu excipi, sancte vsurpato ad tantam impudentiam compescendam. Si autem dicant hoc eos egisse & introduxisse hanc significationem in nomen Conceptionis vel simul cum ceteris Doctoribus, vel illis non reluctantibus & in rem deuenientibus: vt falsarij deprehendentur manifestè, cum oppositum constet apud Auctores, & liquere potest excitatis & citandis, qui nunquam somniauere quid tale approbare, sed reprobanc penitissimè, semper sistentes Concept. Virginis ad primum instans animationis eius, in infusionem scilicet animæ

eius

eius id quod constat explicitissimè & signantissime, quia eam omnino restringunt & continent intra merum dictum instans, vt in Catalogo nuper recitato visum est & videbitur in aliis sequentibus.

9. Secundò, hæc veritas quoad de facto patet, quia Sixtus IV. in suis Extrauagantibus, dum de Conceptione Virg. sanctiss. loquutus est, de ea sermonem habuit, quæ stetit pro solo eo instanti, nec progressa est ad tempus sequēs, id quod ipsum sequentes egere cæteri Pontifices: vnde ergo somniare possunt isti boni viri, quod nomen Concept. eo tempore protensum fuerit ad significandum actum post dictum instans, & gratiam collatam Virgini post instans infusionis animæ suæ. Vnde propterea possit dici eius Conceptio sancta.

10. Quod autem Sixtus IV. de Conceptione in hoc sensu non egerit in Extrauagantib. dictis, *Graue nimis*, patebit infra in *secūdo Opusculo disp. 9. diuis. 3. §. 4.* vbi constabit eum loquutum de Concept. eius præcisè consistente in puro & vnico instanti primæ infusionis animæ Dei Matris in corpore suo. Ex iis autem quæ retulimus de sensu Auctorum paulò ante recitatorum pro hac mutatione significationis nominis Concept. idem concluditur manifestè, quia ij merè eiusmodi primam Virg. animationem ad dictum præcisum instans extendunt, & vanè ad sequens tempus extenderent: nam hac ratione Auctores vtriusq; sententiæ conuenissent in concedenda & celebranda vt sancta & immaculata Concept. naturæ Virg. cum hoc solum discrimine quod absolutè immaculatam volentes, dicerent, & in instanti dicto & in tempore sequenti, vellent sanctam, & immaculatā: cæteri verò iis contrariis solum eiusmodi in tēpore sequenti ad instans; cui sensui neque ipsi Doctores antiqui nobis aduersantes adhæserūt vnquam vtpotè, maculatam & non sanctam admittentes Concept. Virginis, vt patet in Bandello centies, & sui similibus. Nec non etiam aliis communiter. Nostri autem Doctores vt Scotus, Maior, & alij cùm ante Sixtum, tum circa eius tempora, vt luce clarius apparet, nunquā tale quid admiserūt, vt ex catalogo eorum apposito patet & patebit ex sequentibus. Recitarem plura eorum dicta, sed quia res est luce clarior, non moror lectorem, & ab eiusmodi citationibus abstineo. Falsitatis me redarguat quilibet Aduersans. Vbi noto quod quamquam in solutione argumentorum aliquem Aduersantē nobis inuenerim ex antiquis, qui pro hac acceptione nominis Conceptionis possit afferri, tamen neminem prorsus vidi, qui in explicatione status quæstionis de Concept. Viginis cum peccato, vel sine peccato tradiderit Concept. importare dictū instans & tempus sequens: & cōmuniter grauiores Auctores antiqui Immac. oppositi, neq; de tali accept. prorsus meminere.

11. Tertiò hæc veritas euidentissimè cōprobatur ex sensu & doctr. S. Th. qui primam animationē Deiparæ apertissimè restrinxit ad vnicum instans creationis eius idq; indiuisibile, & nullo modo admittens tempus post se; vnde de ea loquēs compluribus in locis, semper vt certum & indubitatum reliquit quod contractio originalis & sanctificatio animæ Virg. non potuerint esse simul in prima animatione animæ; quam doctrinā omnes eius cœui & antiquiores Theologi confirmarunt: si autem animatio hæc prima complēcteretur instans & tempus sequens, dictum eiusmodi non habuillet locū, neque veritatem vllam continuisset, quia dato instante & tempore sequēte animationis eiusm. quis dubitare poterat vel potest, quod de ea possit verificari hoc vtrumq; oppositū vt ipsi Aduersarij fatentur? Videlicet in instanti priuatio gratiæ & macula peccati in Dei parente; tempore vero seq. eius expultio & magna sanctificatio? Quare manifestissimè Concept. naturæ Virg. quæ in prima animatione consistit, secundum S. Th. eiusq; assecias, qui in hac re vsq; ad hodiernum diem simillimè loquuntur, nec in modo loquendi in hoc ab eo dissenserūt, hæc inquam Concept. nullo modo dici potest quod ab antiquis Theol. ante & circā tēpora Sixti (quod & de subsequentib temporibus est omnino simile dicendū) accepta fuerit pro animatione cōplectente instans, in quo peracta est & tempus sequens quod ad ipsam pertinuerit, & potuerit signare aliquod in eo tēpore factū, quod ad Concept. eandē possit dici cōcetnere.

12. Similiter si attendantur cæteri Auctores coæui. S. Th. vel paulò ante ipsum præcedentes tempore, neq; per somnium aliquis eorum primam animationem Virg. seu Concept. humanitatis & naturæ eius, voluerunt continuisse instans & tempus seq. vnde S. Bonau. *in 3. d. 3.* proposuit & reiecit illum modum dicēdi quod in eod. signo animationis primæ potuerit intelligi Virgo contraxisse originale, & simul gratiā in ea recepisse; quam doctrinam cæteri omnes confirmant cum antiquiores tum etiam posteriores, vt videri potest in Paludano, Durando & aliis: & certè non nisi monstrum quoddam ab aliquibus, confictum est animationem primam Virg. eiusq; Concept. naturæ complecti instans & tēpus immediatè sequens, vt notauimus. Et Aduersarij nostri putant: si autem Aduersarij nostri ex eo quod aliqui ex suis cōmilitonibus hanc mutationem sensus in nomine Concept. naturæ confinxerint, ad ruendum positum arbitrantur eam posse & debere habere locum in Ecclesia contra sensum cæterorum omniū Doctorum & Ecclesiæ ipsius: videant quod similiter in aliis materiis cum periculo erroris in fide simile quid posset & deberet admitti: quod cum sit falsissimum omnino erroneum est censendū hanc mutationē sensus haberi & aduenisse in nomine Concept. quasi verò ea se extēderit ad significandū instans & tempus sequens ad primam animationem. Ne autem possit prætendi quod in hac re fuerit aliquis sensus vel summorum Pontif. vel Doctorum posteriorum, examinabimus & probabimus in sequentibus nunquam quid tale vsq; ad nostra tempora admissum in nomine Concept. naturæ; vnde maneat eam non extēdi vltra instans primæ animationis: atq; adeo præcluditur Aduersariis aditus ad effugiendam & vitandam vim argumētorum, quæ ipsos penitus prosternunt, ne possint se tutati ab auctoritatibus quæ sanctitatē præmonstrant, & inferunt in Concept. dicta Virginis, & ab ea omnino tollunt originale in re. Quo, vt patet, ruet hic secundò fundamentum eorum reliquum, quo se defendere conantur in hac controuersia, cum in Opusculo primo prorsus exinanitum sit aliud, quo expugnare se posse arbitrabantur.

ceptionis Virg. ausi sunt erroris & hæresis insimulare eos, qui opinabantur sanctam Dei Genitricem immunem fuisse à peccato originali in anima sua, nam cum ex vna parte non sint credendi fuisse tam crassè stulti, vt non intellexerint summum Pontificem approbauisse, vt celebrandam & sanctam Virgineam Concept. cum id per plures dies disputatum fuerit Romæ à doctioribus viris, & post eiusmodi dispositiones edidisset dictam Bullam neque tursum ex alia parte existimãdi sint negauisse potestatem in summo Pontifice fuisse instituendi eiusmodi festum, & approbandi Concept. Virginis, vt sanctam & immaculatam, & à fidelibus celebrandam; bene potest inferri quod ipsi tergiuersauerint circa nomen Concept. & voluerint illud stetisse non pro primo solo instanti primæ animationis Dei Genitricis, sed pro cõplexu illius & temporis sequentis, quo sequuta est eius sanctificatio. Cuius signum esse potest, quia ipsi tradiderunt eo tempore Ecclesiam Romanam non instituisse neque approbauisse celebrationem aliam, nisi spiritualem Virginis, quando scilicet primo sanctificata fuit paulò post, vt ipsi dicebant, ad primum instans animationis; quare omnino visi sunt extendisse tempus Conceptionis ad instans primum & secundum, in quo volebant Virgini infusam gratiam, vel saltem ad tempus immediatum post instans primum vt notauimus.

3. Sed quidquid sit de his, vel illis fautoribus mutationis huius secundæ prætensæ in nomine Concept. fundamentum talis dicti potest, vel potuit esse; quia nõ videbatur Ecclesia Romana celebrauisse determinatè sanctitatem Dei Matris pro primo instanti suæ animationis, cũ id non admiserit per plura sæcula antecedentia, & ratio non suppeteret noua, quæ mutationem sui sensus inueherer; rursum quia cùm hoc festũ ipsa toleraverit, quia sub nomine Concept. poterat intelligi, & intelligebatur de facto celebrari à Theologis vt S. Thom. S. Bonau & aliis antiquioribus Theologis, sanctificatio sanctiss. Matris: poterat existimari congruè, quod sub eodem sensu ipse Sixtus eam celebrari voluerit, atque adeo itavt Conceptio importaret dictam mortulam temporis post instans primæ infusionis animæ Dei Genitricis.

4. In oppositum autem huius dicti, & contra prætensam mutationem significationis in nomine Concept. potest afferri ea ratio. Primò quia cùm certum fuerit quod ante Sixtum IV. perpetuo nomen Concept. non se extenderit vltra primum instans primæ animationis Deiparæ: si mutationem aliquam subiisset apud Sixtum, eam certè debuisset Pontifex notare in sua Extrauag. cum ergo prorsus de ea nũquam meminerit, omnino existimandus est & fuisset nomen Concept. accepisse in eo sensu, in quo erat tunc in Ecclesia Dei; alioqui si eiusmodi mutationes significationis nominum possent pro libito admitti sine peculiari signatione & declaratione summorum Pontificum, possent propter similes prætextus, & ad libitum aliter res intelligentium, in definitionibus de fide dici mutata significata horum vel illorum verborũ, & sic irritæ fieri omnes definitiones summorũ Pontificum, & eludi omnia eorum & Conciliorum etiam vniuersalium decreta. Sic dum definitum est, quod in pueris, seu infantibus baptizatis infusi sunt simul cum gratia habitus fidei, spei & charitatis, posset quis dicere ad tuenda sua sensa; quod nomine habitus non intelligantur solum qualitates aliquæ physicæ, sed quædam habilitates morales, quæ nõ sint quid distinctũ à gratia sanctificante. Similiter quando definitum est à Concil. Trid. quod voluntas sub gratia efficaci, seu liberum arbitrium illa affectum, sit differens ad operandum vel non operandum, seu possit ponere vel non ponere actum amotis; posset quis dicere quod intelligatur de potentia abiecta gratia efficaci, & in casu quo illam non haberet, non vero in casu quo illam habeat, & sic de similibus, quod est falsissimum, & sequens morem hæreticorum, qui perpetuo sanctam Ecclesiam deiudare fecerunt eiusmodi translatione significationum in verbis ad libitum eorum, & contra sensum aliàs communem in illa.

5. Pro quare perpendenda recte, sunt in hac re plurimæ hæreses, eæque recensendæ, quæ hac transmutatione significationis nominum petuersissimæ & mẽdacissimæ vsæ sint ad suos errores tegendos, & euulgandos, vnde Ariani cum suo Magistro Ario, sæpius damnati quod secundam personam S. Trinitatis & filium Dei, dicerent creaturam esse ex non extantibus; & quia Patres ostenderunt, & probauerunt eum fuisse ab æterno Deum; ipsi concessere fuisse ab æterno Deum: sed nomine Dei intelligebant Deum alium à Patre, talemque per participationem non eiusdem cum illo substantiæ: & quia denuo Patres decreuerũt esse vnum Deum cum Patre, concessere etiam præsertim tempore Liberij esse vnum Deum cum Patre, vnde fatebantur cum Concil. Nicæno, *Credo in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitũ ex Patre natum ante omnia sæcula Deum de Deo, lumen de lumine Deum verum de Deo vero.* Et sub nomine vnius intelligebant, venientem in vnionem, & vt vnitum cum Deo. Quare coacti sunt Catholici eo tempore habere prò hæreticis omnes illos, qui expresse non traderent Filium esse consubstantialem Patri, licet dicerent esse similis substantiæ, & ab hoc verbo abstinentes, cætera alia vsurparent.

6. Similiter scimus Pelagianos cum Pelagio negauisse necessariam fuisse gratiam Dei absolute æternam, & quia in Concilio Palæstino & aliis definitum est oppositum, cum aliis Patribus, Pelagius professus est gratiam Dei esse necessariam ad salutem: & deinde nomen gratiæ transtulit ad commune adiutorium, quod præbet Deus hominibus, vt Auctor naturæ ad bene moraliter operandum, qui est quidam fauor & gratia eius, vt sæpe testatur S. Augustinus lib. contra Iulianum.

7. Similiter idem Pelagius negabat peccatũ originale transfundi in posteros, & coactus Patrũ auctoritatibus & rationibus fatlis est transfundi, sed imitatione dixit transfundi, non propagatione, quod idem est ac transfundi nomine non re, & non transfundi: & randem ipsi sui sectatores dicti Semipelagiani cum necessitatem gratiæ non possent negare, & meritum operibus naturæ dare vellent, & hoc reprobati item viderent à Patribus; ex misericordia Dei obtinere gratiã homines protestati sunt; sed in hac ipsa misericordia meritũ adhuc astruebant, licet de cõgruo in operib. naturalibus, & dene-

gato nomine meriti de condigno, illud de congruo quæsierunt in Ecclesiam inuehere transferentes semper significata nominum, vt patet apud Theologos eorum hæreses recensentes.

8. Ipsimet hæretici recentiores perpetui sunt in hoc more, sic aliqui ex ipsis admittentes physicum quid in animabus iustorum requisitum ad eorum iustificationem, nec non etiam præsentiã Christi secundum suam substantiam in Eucharistiæ Sacramento. Primum ita admittunt, vt nolint physicè per gratiam hominem intrinsecè & formaliter iustificari, sed mere extrinsecè per fauorem Dei, licet concomitanter admittant aliquam qualitatem in anima iustificati, & sic admittunt nomine gratiam infusam in cordibus nostris, sed sub diuerso sensu ab intento à Catholica Ecclesia. Quando item dicunt Christum in Euchatistia præsentem secundum suam substantiam, id explicant de substantia existente in sua virtute & signo, sicuti Sol in lumine, & sic de similibus innumerabilibus in omnibus hæreticis; quare dum Sixtus IV. in casu nostro de Conceptione Virginis loquutus fuerit in sua Bulla more vsurpato eo tempore in Ecclesia, ergo ex verbis eius non signata sit aliqua mutatio in nomine Conceptionis: neque vlla mentio facta istius nouæ morulæ volitæ post primum instans animationis Virg. videtur inuentum vanum fatuum, & mos hæreticorum astruere eam illi, & audaciter asserere quod Conceptionis nomen in Bulla prima Sixti sicuti & in reliquis, subierit mutationem dictam.

9. Id quod secundò confirmatur ex historica relatione facti, quod contigit tempore eiusd. Pontificis circa celebritatẽ festi Concept. Deiparæ: cum enim à compluribus doctissimis viris cõclamaretur immaculata pro primo signo animationis Virginis eius Conceptio; & complures Ecclesiæ etiam dies eam vt puram & ab omni macula veri peccati immunem prædicarent, alij contra eam oppugnarent acerrimè, vt sordidam, & immundam agnoscerent; nec eiusmodi sibi contrarium sensum firmari in Ecclesia vellent; variis notis & censuris non dubitabant eum inficere vsque ad rixas & iniurias, nec non etiam ad manuum iniectiones in variis disputationibus, & contentiosis assertionibus, ita vt varia irrepserint scandala in Ecclesia Dei. Proinde Sixtus IV. his omnibus sua auctoritate obuiare volens, ex vniuersa Italia Romam euocauit doctissimos viros ad discutiendum hoc punctum: *An scilicet anima Virginis pro primo instanti sua animationis, fuerit prædita vel priuata gratia Dei, & contraxerit necne peccatum originale iure.* In quo intellectuum conflictu maximè enituit doctrina, & ingenium R. P. F. Francisci Insubris Generalis Minor. Fratrum, qui in tantum elucidauit hanc controuersiam, atque ita aduersantes immaculatæ Conceptioni euicit; vt qui vim faciebant, vt erroris notaretur assertio immaculatam Virginis sanctiss. Conceptionem enuntians, & signantes vt sub nomine Conceptionis excluderetur ab Ecclesia festum Deiparæ retento solum illo sanctificationis: reiecti omnino fuerint, eorumque clamoribus silentium impositi, cõclamante dictum Doctorem Pontifice maximo vt Samsonem Philisthæos sæpe deiicientem summa cum fortitudine, qui & Extrauagantem edidit, *Cum præexcelsa*, in qua approbauit morem iam assumptũ ab Ecclesia Romana celebrandi festum Concept. SS. Virginis & ad illud celebrandum & assistendum eius Missæ, & Officio, in quo expresse notabatur Virgo in primo instanti animationis immunis à peccato originali: inuitauit item omnes Christi fideles concessione indulgentiarum concessarũ celebrantibus festum D. N. I. Christi institutum ab Vrbano IV. tum sic licet argumentari. In eo sensu sumpsit nomen Conceptionis Sixtus IV. in quo laudauit euicisse Aduersantes dictum Patrem Ioannem Brixianum Patria, sed is Conceptionem Virg. intelligebat primam instantaneam eius animationem, ergo hanc significauit, & non aliam morulam temporis Sixtus nomine Concept. in sua Extrauag. dicta. Maior & minor huius syllogismi patet ex Auctoribus hanc veridicam historiam referentibus, & potest meo iudicio constare ex Scripturis, quæ de hac re continentur in Bibliotheca Vaticana; nam narrant Auctores, quod docti viri vocati ex vniuersa Italia longis & iteratis disputationibus interfuere, sæpe etiam intercedente & assistente illis eod. Sixto IV. ad controuertendũ de prædicta quæstione in illo vnico sensu de prima Virg. animatione, & pro ea libera ab omni peccato testantur pugnauisse & euicisse Samsonem relatum approbante Pontifice, qui ei hoc nomen imposuit: fatuum ergo est dicere quod dum in disputationibus acerrimis pro hac prima animatione circa Conceptionẽ Virg. discussiones maximæ actæ sint, & nomen Conceptionis pro illa steterit semper, eaque prodierit celebranda vt sancta ex decreto Pontificis; aliquis asseueret, quod nomen Conceptionis aliud quid longe diuersum à disputatis significauerit, & suum primum sensum mutauerit.

10. Tertiò, probatur eadem veritas quia si nomen Concept. in Extrauag. *Præexcelsa*, vel tempore Sixti mutauisset sensum eo modo, quo ab aliquo posset fingi, vt nos notauimus, iam non euicisset rem Samson dictus, sed ad summũ non fuisset conuictus de errore in hac celebratione, & merè permissa fuisset celebratio Concept. Virg. siue pro primo instanti, siue pro secũdo, quod intendebant aliqui Aduersantes, qui nõ renuebant celebrari festum Concept. sub ratione primæ sanctificationis Beatiss. Matris, sed hoc est falsum, quia ipse victor dictus est euasisse, quia non merè defendit celebritate dictã, sed eam firmauit, & Bulla Pontificia amplecti eam fecit in vniuersali Ecclesia, ex eo quod à Pontifice amplexata erat, & Romanæ Ecclesiæ celebrationi dedita; id quod confirmatur, quia hæc celebritas nunquam notata cum fundamento fuit erronei sensus; etiam tempore Bernardi, nec vnquam eam notauit S. Thomas aliqua censura, & S. Bonauent. eam permisit, & præcipi eam fecerat Scotus in Academia Pari[illegible] vt vnusquisque suorum Doctorum pro ea pugnaret. Quare omnino victoria Samsonis [illegible] od in dicto sensu Conceptio vt immaculata amplexãda visa sit ab Ecclesia Rom. & publico decreto omnino amplexaretur, & futiles appar[illegible] rationes in contrarium; quæ omnia a[illegible] nullam habuisse mutationem [illegible] suo sensu habito à tempore S[illegible]

11. Probatur [illegible] nomen Concept. mutauisset

tauisset sensum tempore Sixti, oppugnantes immaculatæ Concept. non poterant obstare neq; prætendere quod peccatũ martale cõmitterent, qui assisterent huiusmodi Officio, illudque celebrarent, vt refert Sixtus IV. in Extrauag. *Graue nimis*, inserta in corpore iuris: nam cùm nomen Conceptionis importaret vel primum vel secundum instans animationis ex mutatione sensus ab ipsis asserta, nihil contineri posset absurdi vel falsitatis in hac distinctione, & per consequens nullum habere potuisset fingibile caput peccati mortalis in dicto, quod esset in confesso ab ipsis aduersariis. Signum ergo est manifestum quod ipsi neque vllus in Ecclesia intellexerit factam mutationem sensus in verbo Conceptio Virginis tempore Sixti.

12. Probatur 5. ad euidentiam idem assertum; quia sub eo sensu acceptum est nomen Conceptionis a Sixto IV. celebratæ, sub quo reprobata est vt celebranda ab aliquibus in eius Extrauagantibus expressis, sed ea est reprobata sub sensu primæ animationis Virginis, vt immunis ab originali. Ergo sub tali sensu accepta est Conceptio à Sixto IV. & per consequens cum fuerit ante Sixtum significatio dicti nominis, non est mutata sed retenta tempore Sixti. Maior argumenti est euidens legenti Extrauagantes Sixti, nam si sub alio sensu nomen & festum Conceptionis accipetetur à Sixto ac ab Aduersantibus, neque isti oppugnauissent dictum festum. Neque Pontifex eos tam acriter arguisset vt erroris in fide sectatores, vti egit in dictis Extrauag. sub eodem ergo sensu sumpsit Conceptionem Virginis Sixtus & dicti Aduersantes. Minor item patet, quia Aduersantes non obstiterunt Conceptioni, nisi prout Conceptio stabat pro primo signo animationis Virginis; nam si steuisset pro primo vel secundo signo disiunctiuè, ipsi non habuissent quid illi opponerent, nam erat ea ipsa ipsorum assertio.

13. Probatur denique 6. Ad summam euidentiam, quia idem Pontifex in dicta Extrauag. inserta in corpore iuris, refert oppugnatores Officij immaculatæ Conceptionis Deiparæ, eosque damnat, & dicit Officium Nuegarolis esse officium à se approbatum, in quo perspicuè traditur coli Conceptionem immaculatam pro prima animatione Virginis, vnde dubitari non potest, quod tempore Sixti coluerit Ecclesia Rom. Conceptionem Virginis pro primo instanti animationis Virginis sanctæ, atque adeo non sumpsisse nomen Conceptionis in alio sensu quam dicto, qui fuerat antecedens, ac proinde nullam passum fuisse eo tempore mutationem significationis hoc nomen vt concluſimus; quæ veritas tanta est, quod sicuti Auctores communiter censent temerarium esse dicere quod Ecclesia Rom. non celebrauerit festum Conceptionis sub primo instanti animationis Virginis sanctæ, & non sanctæ pro posteriori signo, vt videre licet apud Salazar. Ita similiter vt temerarium inferendum sit asserere quod hoc nomen Conceptionis tempore Sixti passum sit mutationẽ pro priori significato. Quod eo magis patebit veriſſimum, quod paulò post probabimus, temerè etiam dici hanc mutationem sensus habitam in hoc nomine à tempore Greg. XV. sed de hac re sint iudices docti viri & sancta Ecclesia, nobis merè rationes pro hac temeritate danda vel non danda protulisse conueniens fuerit.

DIVISIO II.

Ex recitatione Auctorum qui immediatè post Sixtum IV. scripsere de Conceptione Virginis Sanctorũ vsque ad Pium V. aperitur eius tempore nomen Conceptionis eius stetisse in significato vsurpato à tempore Scoti vniuersaliter pro primo & mero instanti animationis sua.

1. NOmen Conceptionis applicatum Virgini stetisse pro primo & mero instanti infusionis animæ Sanctorum Deiparæ à Sixto IV. ad Pium V. patere potest ex Auctoribus, qui scripsere post ipsum Sixtum vsque ad eumdem Pium V. qui fuere complures, quos recensebimus hic vt appareat semper retinuisse eamdem significationem, nec vnquam stetisse pro tempore sequenti ad primum instans animationis.

2. Et primus hic adducatur Bernardinus de Bustis in primam partem Rosarij, vbi scripsit de immaculata Conceptione, quam nonnisi pro primo instanti contendit immaculatam. Idem habet in serm. vbi ait. *Sermo primus in festo immaculatæ Conceptionis, in quo disputatur ac defenditur sanctissimam Virginem absque peccato originali conceptam esse:* contractio autem originalis cùm habeatur merè in primo instanti infusionis animæ dum de ea merè agitur ab Auctoribus sub nomine Conceptionis, aperte Conceptio non se extendit vltra illud instans per ipsos, officium item Bern. de Bustis, quod habes *in Regesto Cismont. familia col. 71. idipsum apertissimè ostendit.*

3. Secundò, eandem acceptionem nominis seruatam significat Vincentius Bandellus de Castronouo *in sua disput. anno 1502. cap. 6.* dicens: *Beata Virgo fuit sicuti cæteri homines in originali peccato concepta, quam conclusionem sic intelligo. Beata Virgo in primo instanti, quo anima sibi fuit infusa, caruit iustitia originali, quæ sibi debebatur, & quam vtique habuisset, si Adam non peccasset.*

4. Tertiò, Iodocus Clictouæus *lib. 1. de puritate Concept. B. M. Virg. c. 6.* ex Cant. *Tota pulchra es amica mea, si solum post sanctificationem fuit pulchra, & macula immunis non etiam in ipso Conceptionis momento, non igitur tota fuit pulchra.*

5. Ioannes Maior *in 3. d. 3. q. 1 in titulo.* An Christifera Virgo Maria fuerit in peccato originali concepta, subdit *Duplex est Conceptio, quædam carnis, quæ fit in seminum comixtione, quæ dicitur Conceptio seminis, quæ animationem precedit tempore. Alia est Conceptio in forma ani-*

matione, qua est Conceptio hominis, vel nativitas in rerum natura secundum illud Matth. 1. Et infra : *Decuit Deum præservare Christiferam Virginem ne unquam fuisset per unum instans in originali peccato concepta* : & addit, *ita factum est* : & rursum, *Diua Virgo non est in originali peccato concepta, sed ipsa est concepta sancta.*

6. Quartò Petrus de Aquila Ordin. Min. *in* 3. *part. dist.* 3. *qu.* 1. Mea opinio. *Peccatum originale ponitur in Conceptione naturarum, quia cùm anima infunditur corpori infecto, inficitur & ipsa, & isto modo probatur quod Virgo non fuit concepta in originali peccato.*

7. Quintò, Antonius Cucarus Bonitus Episc. Auersens. lib. elucidarium Virginis de Conceptione incontaminatæ Virg. Neapoli impressum 1507. fol. 52. inquit. *Incipit secunda pars huius libri, in qua declaratur & ostenditur Virginem conceptam fuisse sine originali peccato, & semper fuisse puram sanctam, mundam & liberam ab omni peccati macula.*

8. Sextò, Caiet. 3. p. q. 27. a. 2. *Neutra pars fidei documentis aduersatur : nam si teneatur B. Virginem contraxisse originale peccatum stat omnia consona inueniri. Si autem teneatur B. Virginem non ex vi Conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animæ infusæ illi anima præseruatam ab originali peccato, nihil contra fidem tenetur.*

9. Franciscus Licherus *in* 3. *d.* 3. *q.* 1. cui titulus, *Vtrum B. Virgo fuerit concepta in peccato originali* : & circa medium. *Præterea in primo instanti potuit Deus creasse gratiam in anima B. Virginis.* Ergo.

10. Octauò, Ouandus *eadem d. q.* 3. *art.* 2. *in tit.* Similiter habet, *Vtrum B. Virgo per aliquod instans fuerit sub originali, & dub.* 6. cui hic titulus præponitur, *Num B. Virgo in primo instanti animationis sanctificata fuerit.*

11. Nonò, Ambrosius Catharinus in primo Opusculo inscripto : *Disputatio pro veritate immaculatæ Conceptionis Virginis* : & altero dicto *Fr. Ambrosij Catherini Politi Senens. in disp. pro immaculata Conceptione.*

12. Decimò, Ferdinandus Diaz Valent. lib. edito Valentiæ 1486. hoc initio. *Incipit opus de sacratissima Conceptione immemorata Matris Dei examinatum & dignè approbatum à multis sacra Theologiæ Magistris publicatum in insigni Ciuitate Valentina.*

11. Vndecimò videri debet in hac enumeratione prius omnibus istis Leonardus de Nuegarolis in Præfatione Officij sui ad Sixtum IV. exprimi censenda est de sensu Conceptionis, cùm eiusmodi Officium eius mandato fuerit compositum, & sua confirmatione decoratum.

14. Nec vacat hîc singulorum Auctorum post Sixtum IV. recensere verba pro ostensione veræ huius intelligentiæ nominis Conceptionis, quod steterit pro primo instanti animationis B. Virginis apud omnes Doctores nemine contradicente, quem viderim. Id quod non solum aduertendum in iis, qui pro immaculata Conceptione iudicarunt, sed etiam in Aduersantibus illi, qui omnes Conceptionem Virginis pro primo instanti animationis eius eam sumpsere, atque ideo eam noluere sanctam & præditam gratia in eadem sanctiss. Virgine vt vidimus in Bandello & Caietano acerrimis oppugnatoribus Immaculatæ Virg. Conceptionis.

15. Hoc idem item videri potest in Ioanne à Turrecremata Card. & Episc. Sabino *in* 3. *d.* 3. *q.* 1. & *in libello speciali de Conceptione*, non in aliis Thomistis, qui post Sixtum in contrariam immmaculatæ Conceptioi iuere sententiam.

16. Recensendus est Stolus Scriptorum post Sixtum IV. vsque ad Pium, qui semper Conceptionem Deiparæ intellexere præcisè in primo instanti animationis eius, nec est notatus vllus ; qui huic acceptioni contradixerit, neque ab ipsis aduersariis, fuere autem innumeri, qui scripsere post Sixtum.

17. Sic videbis Hent. Arphium *in tr. de myst. Theol. lib.* 2.

18. Videndus est etiam Ambros. Camaldul. qui vixit 1480.

19. Item Gabriel Biel excellens Theologus, qui vixit 1490. *in* 3. *p. d.* 3. & super hanc materiam tres edidit sermones.

20. Guillelm. Borrillon ex Ordin. Min. *in* 3. *d.* 3. *q.* 1.

21. Alius Minorita dictus Borriton qui circa hoc tempus floruit *in* 3. *d.* 1.

22. Marsil. ab Ingen. celebris eodem tempore Doctor *in* 3. *d.* 3. *q.* 1.

23. Iacob. de Valen. Episc. Christopolitanus *in Psalm.* 43.

24. Incognitus *super Psalm.* 29. in illa verba. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.*

25. Ludouicus Caruaialus *in celebri exclamatione pro conceptione immaculata edita* 1541.

26. Hadrian Finus, *in flagello contra Iudæos* qui vixit 1500.

27. Robertus Guaquinus ex Ordine sanct. Trin. *in Historia de rebus Francorum lib.* 9. *in Carolo VI.*

28. Auctor in libro dicto *Dormiscure*, vbi habetur sermo non inelegans de immaculata Conceptione.

29. Baptista Mantuanus ex Ordine Præclaro PP. Carmelitarum Generalis Ordinis eiusdem.

30. Ioannes Picus qui conscripsit librum de arte Cabalistica & ibi de Conceptione Virginis disseruit.

31. *Maior* alius grauis huius temporis Theologus *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 1. & *in cap.* 1. *Matth.*

32. Iacob Almain. Doctor Parisiensis *in* 3. *d.* 3. *qu.* 1.

33. Ekius qui primus contra Lutherum scripsit *in sermonibus de Conceptione illibata Virginis.*

34. Franciscus Titelmanus Ordin. Minor. *in Cant. Salomon.* & alibi, vt refert Salazarias.

35. Rophensis Ecclesiæ Cardinalis & Martyr. *lib. contra Lutherum art.* 17.

36. Petrus Dore Dominicanus Doctor Parisiensis, qui in libro Gallico qui *Imago seu Idea virtutis* appellatus est ab Auctore *c.* 1. & 2.

37. Guilhelm. Pipin. itidem Dominicanus *serm. de imitatione Sanctorum*, vbi pro immaculata Conceptione scribit sicuti & præcedens.

38. San

38 Sanctius Porta etiam Dominicanus *in Mariali suo & in sermone de Conceptione.*

39. Franciscus Petri ad Bobes Ord. Min. *in duob. serm. de pura Conceptione.*

40. Nicolaus de Nissa eiusdem Ordin. Min. *in duobus serm. circa hanc materiam & in sent. tr.3. p. 1. q. 2.*

41. Oliu. Maillard. eiusdem Ordinis Generalis. *serm. vn.* quem edidit de immaculat. Concept.

42. Hugo de Protosi. Dominicanus *serm.de Concept.* Thomas Illiricus Minor. *serm. 3. de Incarnatione.*

43. Franciscus de Ossuna item Minor. *in ser. de Conceptione.*

43. Christophorus Syluester Carmelita *in 3. p. d.3. qu. 1.* Michael de Palacios *in 3. d. 3. quæst. 1.*

45. Ioannes Maburnus Bruxell. *tit. 24. alphab. 56.*

46. Dominicus Pico Ordin.Minor. *clauf. 3. serm. 23. de prodigo Par. p.*

47. Ioan.de Vig. Dominican. *de peccato originali cap. 18. verf. 2.*

48. Tartaretus etiam Minor. *in 3. d. 3.*

49. Vvandus ex eodem Ordine *ibid.*

50. Nicolaus de Orbell. *in 3. dist. 3. qu. 1.*

51. S. Thomas de Villanoua Arch. Valen. *in serm. de Assumpt.*

Cùm ergo in his omnibus Auctoribus non possit vllo modo notari acceptio Conceptionis pro morula post primum instans animationis Dei Genitricis, & hi soleant recenseri à Sixto IV. ad Pium V. qui egerint de hac materia, provt eos notat Salazarius in sæculo 15. & alij. Apparet manifestè, quod nomen Conceptionis quod tempore Scoti in prima animatione purissimæ Virginis pro eodem steterit à tempore Sixti, quia si per Sixtum mutationem subiisset, omnino dicti Auctores vel de ea meminissent in actu exercito, si non in actu signato, & coli dixissent eius Conceptionem vt sanctam vel pro primo instanti, vel pro sequenti tempore vt pertinente ad eamdem Conceptionem. Cùm autem omnes ij, qui pro immaculata steterunt, qui à Sixto IV. ad Pium fuere in maximo numero, vt ipsemet Caietanus negare non potest; vna voluere ab Aduersantibus non coli vt sanctam Conceptionem Virginis, sed agnosci ab eis sanctitatem in alio signo ab illo conceptionis, & post semel contractam maculam, quæ supponitur in Conceptione contracta, liquet perspicuè quod apud ipsos, & apud Aduersarios Conceptio non se extenderit vltra dictum instans primum animationis. Id quod confirmatur, quia in hoc puncto nunquam discrepauere pugnantes pro Immaculata Conceptione cum oppugnatoribus eius, quocirca vt quid euidentissimum debet remanere quod tempore Sixti & deinceps nomen Conceptionis non mutauerit dictam significationem sui propriam. Quibus adde quod tempore Sixti nomen Conceptionis ad summum posset dici quod perstiterit in primo, & antiquiori significato antiquitus magis communi; quando vt vidimus Conceptio steterit pro organizatione corporis fœtus, quod si dicatur, & si non bene dicitur; nihilominus à fortiori confirmat nostram sententiam. Nam si Sixtus IV. coli voluerit Conceptionem seminum sanctissimæ Virginis, signum est, quod suo modo voluerit eam sanctam, videlicet non habentem peccatum originale causaliter, quod si verum est, multo magis & secundum doctrinam ipsorum Aduersariorum expressam. Et S. Thomæ *quæst. 27. art. 2. in corpore.* Nullo modo anima sanctissimæ Virginis intelligi potuit in prima sui animatione non sancta, quia dixit sanctus Doctor explicitissimè; quod quomodocùmque intellecta fuerit caro Virginis ante animationem ab originali mundata, anima eius non solum contraxerit, sed neque potuerit originale contrahere; nam omnis eius contractio originalis ei prouenit ex infectione carnis, quare si caro eius ante infusionem animæ supponitur mundificata, non habuit Virgo vnde in anima potuerit inquinari neque actu, neque potentia; quæ omnia item maximè patent ex doctrina, quam tradit Caietanus ipse *in Opusc. de Conceptione*, præsertim primis Capitibus.

DISPVTATIO VIII.

PROLEGOMENA OPERIS,

ET TERTIA

OPVSCVLI SECVNDI.

De nomine Conceptionis SS. Virginis à tempore Pij V. & deinceps vsque ad Gregorium XV. an importauerit morulam post instans prima eius animationis.

LICET non viderim quemquam, qui hanc mutationem significationis in nomine Cóceptionis Deiparæ signauerit factam specialiter tempore Pij V. qui vniuersa Ecclesia (licet ex familia Dominicana) celebrari fecerit festum Conceptionis eius, nihilominus, quia si quæ rationes id possunt secundũ quandam apparentiam approbare, pro hoc tempore haberent aliquem locum, necnon etiam quia vt firmum maneat nullam eiusmodi mutationem factam vnquam, bene erit specialiter pro hoc tempore id quærere, & concludere infectam, vt à pari ostendatur, neque in posteriori tempore à Greg. XV. fuisse vnquam confectam; pro qua re proponenda est quæstio, & dissoluenda prima Diuisione, allatis solidis rationibus pro nullitate mutationis. Et secunda adducendæ sunt auctoritates Theologorum, qui eius mutationis nullitatem ostendunt.

DIVISIO. I.

Quaritur an tempore Pij V. facta sit mutatio significationis nominis Conceptionis Deiparæ, quasi id ceperit significare morulam temporis cum primo instanti animationis eius, & concluditur pars negatiua.

1. PRæcipit in reformatione Breuiarij Pius V. celebrari ab vniuersali Ecclesia festum Conceptionis Deiparæ proprio Officio, & Missa, licet in tali Officio Conceptio eiusmodi laudetur vt sancta; & cùm de reliquo Bullam ediderit, in qua expresse permiserit opinari in vtramque partem de prima animatione Virginis siue sancta, siue non sancta, & cum filiatione iræ; ex suis principiis debent dicere Aduersarij, sicuti dixerunt de tempore Gregorij, vt paulo post videbimus, quod in tantùm hoc potuerit rectè decernere sine errore in exteriori cultu, quia voluit celebratæ Conceptionis nomen posse accommodari signo sanctitatis Virginis, (quæ omninò in festis debet supponi celebrari) tum primo signo, cum etiam pro secundo instanti, vel sequenti tempore eius animationis; nam alioqui qui permittebatur sentire Conceptionem Virginis maculatam, non poterat dicere eam sanctam pro primo instanti animationis; atque adeo non poterat vsurpare nomen conceptionis, sub quo ipse instituit festum hoc; si ergo eius vsurpatio cum tali sensu præcipiebatur, signum esse debuit, quod nomine Conceptionis voluerit sanctus iste Pontifex significari morulam dictam temporis, qua vtraque sententia sanctam prædicabat Deiparam, Prima in primo instanti, & secunda paulo post.

2. Potest secundò, pro hac eadem assertione afferri alia coniectura, quod Aduersarij prætendunt concessum eis Breue, vel datam facultatẽ, qua permissum ipsis sit posse celebrare hoc festum expresse sub nomine sanctificationis, & nequaquam sub nomine Conceptionis. Ex quo videtur inferri, quod noluerit summus Pontifex in Ecclesia determinatè celebrari sanctitatem Virginis pro primo, vel pro secundo instanti, atque adeo quando præceperit celebrari communiter sub nomine Conceptionis, Conceptionem extenderit ad tempus immediatè sequens primum instans animationis Deiparæ. Id quod etsi non videam expressè traditum ab Aduersariis, in eis tamen lego, quod ante Gregor. XIII. non vtebantur ipsi in hac festi celebritate nomine Conceptionis; & per consequens credendi sunt saltem putauisse se præsumptam habuisse facultatem eo nomine vtendi, vel Breui aliquo, vel viuæ vocis oraculo, vel per quandam tacitam permissionem & conniuentiam, vel spontaneam vel tolerantem, siue hæc tolerantia fuerit de re absolutè damnata, vel merè displicente. Quibus positis videtur quod consequentius aduersarij hanc mutationem significati in nomine Conceptionis assignassent tempore Pij V. quam Gregor. XV. nam cum eodem modo sub nomine Conceptionis præceperit hoc festum celebrari Pius in vniuersali Ecclesia, ac Gregorius

gorius quoad substantiam, si id dicunt de Pio, non subsistit: multominus possunt dicere de Gregorio, quia etiamsi Gregorius expressius per Bullam peculiarem id præceperit, dum Pius per vniuersalem Ecclesiam hoc ipsum præceperit, si is non mutauit significationem nominis, nullo modo dici potest, quod eam inuenerit Gregorius ex eo mere quod vetuerit vsurpationem alterius nominis sanctificationis & similium; nam quoad substantiam eodem modo erat veritum nomen aliud à Conceptionis nomine à tempore Pij, ac à tempore Gregorij; quia Pius præcepit Officia quælibet à se posita in Breuiario recitari & modo quo in Breuiario erant exarata; & dum ibi positum erat nomen Conceptionis, non poterat ab eis expungi, & vsurpari nomen sanctificationis pro eo: & si ab aliquibus aliter factum est; nulliter & inobedienter factum est ne eius expressa facultate, quæ nulla verè constat, vt videbimus.

3. In oppositum autem huius dicti esse potest, quia primo ipsimet Aduersarij, hoc non prætendunt de tempore Pij V. atque adeo nobis relinquunt, quod liberè firmemus hanc mutationem significati in nomine Conceptionis non fuisse ab illo tempore, quod nobis valebit ad ostendendum quod neque per somnium tempore Gregorij contigerit. Secundò, quia eædem rationes, quæ probauerunt tempore Sixti nullam factam mutationem in significato dicti nominis, eædem ferè omnes ostendunt neque esse peractam tempore Pij. vt discurrenti patet. Præsertim, quia si hæc mutatio habita fuisset, illam debebat exprimere sanctissimus Pontifex & sic de similibus. Tertiò, quia si eiusmodi mutatio tunc temporis facta fuisset, Auctores oppositi de ea meminissent, & cum de ea meminerint numquam, signum est manifestum nullam prorsus fuisse; & si modo assereretur, ea esset censenda omnino ficticia, falsa, & temerariè inuecta. Atque hæc vtramque partem quæstionis: ad quam dissoluendam sciendum est historicè, quod Pius V. reformare voluit Breuiarium Romanum in quod irrepserunt varij errores Librariorum: & quia inuecta erant aliqua officia in variis Ecclesiis non benè compacta, nec seruabatur in Ecclesia Dei ritus communis; & pro libito in hac vel illa Ecclesia componi solita erant varia Officia, eaque recitari sine approbatione sanctæ Sedis Apostolicæ; idcirco ne maior aliquis error irreperet, decreuit sanctissimus Pontifex omnia redigere ad quamdam peculiarem formam seruandam ab omnibus Ecclesiis, quibus si quid concederetur peculiare, hoc totum prodiret de licentia, & consensu Sedis Apost. & de reliquo omnes Ecclesiæ vterentur Breuiario Romano, quod eius auctoritate componeretur; provt Concilium Tridentinum parauerat conficiendum, & rei cura reiecta fuit summo Pastori propter alia negotia, in quibus dictum Concilium detinebatur; nec huic rei potuit satis incumbere. In hac autem reformatione, Officia erant vsui data, quæ antiquitus erant in Ecclesia vniuersali præcepta & recepta, quæ non erant expungenda: inter quæ non erat Officium Conceptionis Virginis, quia ante Pium huiusmodi Officium non fuerat vmquam recitationi vniuersali datum, sed ad libitum concessum, & indulgentus ad recitationem incitatum. Quare poterat sine vlla nota Pius V. illud in Breuiario Romano, quod erat ab vniuersali Ecclesia recitandum expungere, quod nullo modo egit sanctissimus Pastor, quod tamen in aliis egisse constat, nam expungi fecit officium S. Annæ & S. Rocchi; sed nouiter decreuit, quod non egere alij sui antecessores, nec ipse Sixtus IV. hoc festum esse celebrandum ab vniuersa Ecclesia, idque sub præcepto non ad libitum; sed quia varia & plura erant Officia Conceptionis SS. Virginis, illud selegit, quod erat antiquius & conforme communi Ritui, secundum quem cætera alia disposita erant, quodque ex reuelatione diuina præceptum fuerat celebrari, cum miraculi confirmatione, quod erat certè dignius, vt alias *in Opusc. de sensu Ecclesiæ*, agemus fusius, assignantes rationes propter quas non selegit potius neque Officium Nuegarolis neque Bernardini de Bustis, quæ fuere examinata & approbata à Sixto IV. hoc autem Officium selectum, substantialiter eadem prædicabat de Virgine, quæ continebantur in aliis, & in illo Nuegarolis, quod etiam de reliquo fuit concessum Patribus Franciscanis vt recitarent, ne visus esset Pontifex vmbram dare quod illud reiiceret, quia minus receptam volebat doctrinam, quæ ibi explicitius continebatur de immunitate Deiparæ ab originali.

4. Quibus positis; certa conclusio debet esse, quod tempore Pij V. nulla facta est mutatio in significato nominis Conceptionis, sed perstitit ipsum in significatione antiqua habita tempore Scoti, & recenta & vsurpata à Sixto IV. notante scilicet præcise statum primum instantaneum primæ animationis Deiparentis, & vt sic illum celebrantis, atque adeo non attendentis ad significationem pro signo & tempore posteriori ad illud instans. Probatur autem efficacissimè conclusio posita, quia pro eo signo intellexit & celebrauit & celebrari fecit Pius V. Conceptionem SS. Virginis in Vniuersali Ecclesia, quo fassus est Sixtus IV. celebrari & de facto celebratum fuit in Ecclesia Romana, sed Romana Ecclesia celebrauit hoc festum pro primo instanti animationis Dei matris, vt excludentis originale in actu & in re: ergo pro eodem signo præcise præcepit celebrari in vniuersali Ecclesia Conceptionem Virginis; sed si pro hoc signo primi instantis præcisè celebrari decreuit in vniuersali Ecclesia Pius festum Conceptionis, nullam mutationem passum est in suo priori significato nomen Conceptionis: ergo absolutè hoc nomen nullam talem mutationem subiit, & per consequens perstitit in significando merè statu primi instantis animationis Virginis digno celebratione atque adeò sancto.

5. Prima maior prioris syllogismi patet. Quia Pius V. approbauit & innouauit anno 1570. biennio post præceptum celebritatis Officij de Conceptione, quod habitum est in Bulla, quæ præfecta est eius Breuiario anno sc. 1568. septimo Idus Iul. approbauit in quam statutum Sixti IV. de Conceptione Virginis, quod intelligendum est fuisse illud, quod continetur, saltem in extrauagante *Grauis nimis*.

nimis. Nam Pontifex dictus ait: *Prædictorum igitur Concionatorum, aliorumque contentioni, & temeritati, populorumque scandalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine statutum Fel. rec. Sixti IV. Prædecessoris nostri super ea re, quod à præfata synodo immutatum est. (Illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum pro plenè & sufficienter expresso & inserto haberetur) Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & innouamus*] Sed Sixtus IV. vt vidimus celebrare voluit festum Conceptionis in dicto statuto sicuti celebrabatur in Ecclesia Romana, nam ibidem hoc refert, & supponit & notat Officium de Nuncatolis esse officium, quo vtebatur Ecclesia Romana, vt vidimus supra, ergo illud festum, seu ea de re celebrari festum in Ecclesia vniuersali præcepit Pius V. quod instituerat in Romana Sixtus IV. & ad libitum celebrari concesserat, & inuitauerat Christi fideles.

6. Minor vero syllogismi primi patet ex dictis. Quia tempore Sixti IV. vt ipse testatus est, in eo sensu celebrauit hoc festum Ecclesia Romana, quo reprobant illum vt erroneum Aduersantes Immaculatæ Conceptioni, vt vidimus *disputat. præced.* sed manifestè reprobabant vt erroneum sensum celebrantium festum Conceptionis dicti aduersantes, in quantum tradebant in primo instanti animationis Virginis eam ab originali in re immunem, ergo in dicto sensu, seu in quantum Conceptio stabat pro primo instanti animationis præcisè à morula sequenti, celebrabat Ecclesia Romana festum Conceptionis vt patet. Vnde tandem liquet apertissimè quod nomen Conceptionis sicuti tempore Sixti nullam passum est mutationem, ita neque tempore Pij V. cum in eodem sensu tempore vtriusque Pontificis celebratasit, per consequens Conceptio Deiparæ.

1. Probatur 2. conclusio quia illum sensum retinuit nomen Conceptionis Dei matris tempore Pij V. sub quo prohibuit idem Pontifex posse institui apud populum in concionibus vel disputationibus publicis quæstionem de Conceptione Virginis: nam ipse præcepit in eadem Bulla in hæc verba. [*Perpetuo statuimus & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscumque ordinis gradus, conditionis vel dignitatis existat in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum & mulierum multitudo conuenire solet, de eius controuersia alterutra parte disputare rationibus, vel doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat, qui contra fecerit, suspensionis pœnam à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus & quocumque prætereà gradu, sine dignitate vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, vt ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetua inhabilitatis censura ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, sine absolui non possit, & nihilominus aliis pœnis, si opus fuerit à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiiciatur, prout subiicimus.*] Ex quibus verbis Pij V. ita licet subdere. Sed Pius prohibuit quæstionem institui publicè de Conceptione Virginis in peccato originali pro primo instanti suæ animationis, sine fine illo. Ergo nomen Conceptionis apud Pium V. non stetit nisi pro eodem primo instanti infusionis animæ Virginis, nam euidentissimum est, quod id quod prohibet de alterutra parte huius quæstionis circa Conceptionem Dei matris in publicis conciombus agere, non potest intelligi nisi pro primo dicto signo infusionis animæ: in eo enim præcisò stabat, sicuti stat summa controuersia: sed controuersia de Conceptione Virginis erat tota pro primo instanti animationis: ergo pro sensu illius primi instanti stabat nomen Conceptionis tempore Pij V. nec eius tempore mutauit vllo modo sensum. Maior huius syllogismi patet, quia Bulla illa fuit edita ex occasione scandalorum errorum in materia de Gloriosa Beatæ Virginis Mariæ Conceptione, vt ibidem dicitur, & de eiusmodi Conceptione narrantur duæ oppositæ sententiæ, nam ait Pontifex: [*tam pertinaciter pro alterutra parte contenduntur:*] & paulo post, [*nemo absque temeritate alterius partis sententiam damnare potest;*] & glos. 2.] *De huius alterutra parte disputare vulgari sermone scribere, vel dictare præsumant.*] Certum est autem has duas partes eo tempore non pugnauisse, neque egisse, nisi de Conceptione Dei matris prout in primo instanti suæ animationis fuerit prædita, vel priuata gratia sanctificante: nam expressissimè affirmationem vel negationem huius dicti retulit, & prohibuit damnari Sixtus, & confirmauit, & explicauit etiam satis Pius V. in dictis verbis.

8. Probatur 3. idipsum. Quia interminatis quæstionibus illis etiam post Pium V. & eius Bullam nedum antequam hanc Bullam edidisset inter argumenta de Conceptione Virginis, illud erat vnum præcipuum de sensu Romanæ Ecclesiæ circa illam, quemadmodum & modo etiam tractatur apud duos vel tres quosdam libellatores validè impugnatos, & reiectos à sapientissimis viris, & si quid de suo primario significato mutauisset apud Pium nomen Conceptionis, summus Pontifex huiusmodi mutationem annuisset, quæ dirimeret lites hasce, necnon explicauisset sub quo sensu voluisset ab vniuersali Ecclesia festum Conceptionis celebrari. Nam posito quod prius ab Ecclesia Romana & aliis Ecclesiis celebrabatur sub nomine Conceptionis, & eodem tempore ab aliis sub nomine sanctificationis, dum ipse in Breuiario instituerit festum sub nomine Conceptionis, nec in dicto Breuiario, aut Bulla ei præposita, nec in Bulla posteriori de hac re agente, nihil prorsus, nec à longè declarauit de sensu mutato in hoc nomine, quis nisi fatuus non videt, quod eiusmodi mutationem non admiserit, neque de ea vmquam cogitauerit?

&

& si quidem cogitasset, dummodo illam non expressit, egit omnino, vt temerè & valdè erroneè quis dicere possit, quod per eum facta sit talis mutatio ita recipienda in Ecclesia: in qua id quod recipi debet ex doctrina Pontificum debet esse sufficienter expressum ex vi verborum vt patet, & non ex eo, quod diuinando vel somniando quis sæpè peruersè discurrens putet illos esse loquutos.

9. Probatur 4. conclusio; quia tempore Pij V. Patres Franciscani vsi sunt Officio ordinato à Leonardo de Nuegarolis sine vlla contradictione, in quo explicitissimè traditur Conceptio Virginis Immaculata pro primo signo, & instanti suæ animationis, vt *in Opusculo de sensu Ecclesiæ* videbimus, si autem idem Pius dedisset in celebratione festi Conceptionis toti Ecclesiæ alium sensum ab antiquiori, & per consequens voluisset celebrari sanctitatem Virginis pro prima animatione, siue pro ea & eius duratione in morula temporis; dum talem mutationem fecisset pro Ecclesia Romana in qua prius ipso celebrabatur, vt videbimus alias clarè sub sensu scilicet primæ animationis absolutè, nullo modo permisisset Patribus Franciscanis expressum quid oppositum tali mutationi ab ipso factæ, sicuti per impossibile si aliquis Pontifex vellet ab Ecclesia Romana tollere aliquod festum sub vno sensu, & certè id non posset facere sine magna ratione; ita etiam hac intercedente nullo modo sustineret & concederet sub tali sensu reiecto celebrari ab alia Ecclesia. Si ergo dicant Aduersarij tempore Pij factam hanc mutationem sensus nominis Conceptionis, omnino debent asserere factam mutationem sensus eius celebrationis quæ prius vsurpata fuerat in Ecclesia Romana, quod non nisi aliqua graui ratione fecisset Pius Pontifex. Hac ergo stante ratione, nullo modo potuisset rectè permittere Religioni tam vastæ, & per vniuersam Ecclesiam diffusissimæ, quæ in numero Religiosorum excedit complures alias Religiones simul, celebritatem in sensu, qui oppositionem haberet cum ratione, quam ipse habuisset in dicta permutatione, vt patet manifestè cuilibet rectè perpendenti quæ dicimus.

10. Probatur 5. Hoc idem, quia si Pius V. hanc mutationem sensus posuisset in nomine Conceptionis Dei parentis, dum eam celebrari mandauerit ab vniuersa Ecclesia, non obstitissent tam acriter executioni eius mandati complures ex primatibus Aduersantium Immaculatæ Conceptioni, qui noluerunt vti eo nomine, sed perstiterunt in suo sanctificationis, vti libellator ipse anonymus testatur apud Cismontan. familiam, atque id refert in suo armamentario.

Ita vt deinde necesse fuerit multum laborare, cum contra ipsi pugnarent, quantum possent; vt obstringerentur non vti nomine sanctificationis, sed Conceptionis in hoc festo SS. Virginis, prout fecit Gregorius XV. quod signum est manifestum nomen Conceptionis tempore Pij perstitisse in primæua significatione.

11. Probatur denique 6. quia si tempore dicto facta fuisset hæc mutatio significati in hoc nomine, non debuissent notari; sicuti notati sunt apertæ inobedientiæ, & contumaciæ Aduersantes, qui vsi sunt in hac celebritate nomine sanctificationis, & non Conceptionis: nam cum idem prorsus significaretur per vtrumque nomen, si Conceptio importare sanctitatem siue pro primo, siue pro secundo instanti animationis: quoad substantiam in modo celebrandi conuenissent cum sensu Pontificis: & sic quoad substantiam rem præceptam impleuissent; nec possent notari vera aliqua inobedientia, quemadmodum si quis præcipiente Ecclesia, quod celebraretur translatio alicuius Sancti, sicuti actum est de Inuentione corporis sancti Stephani, quæ ab Ecclesia celebratur; & aliquis non vteretur in ea celebranda nomine Inuentionis, sed vsurparet nomen adinuentionis, vel alterius similis habentis idem significatum; hic vtique non diceretur inobediens mandato Ecclesiæ in substantia rei, sed ad summum in aliquo leuissimo, quod non meretur notam inobedientiæ, & contumaciæ, contra autem se habuisse Aduersantes in hac re, notatur à Cismontana familia supradicta. Quæ fusè id probat, & alibi à nobis notabitur. Ex quibus omnibus & iis, quæ diximus initio huius diuisionis, & disput. præcedenti; quæ applicari possunt circa hoc nomen pro hoc tempore; ad euidentiam constat quod tempore Pij nulla facta est mutatio sensus in hoc nomine Conceptionis Deiparæ, quod nobis sternit viam ad demonstrandum neque pro sequenti tempore Gregorij factam esse hanc mutationem, vt ostendemus *disp. seq.*

DIVISIO II.

Ostenditur ex Doctoribus, qui scripsere post tempora Pij V. in nomine Conceptionis non esse factam mutationem significationis; quasi vero incaperit significare morulam temporis post instans animationis primæ.

1. NOn esse factam mutationem aliam in nomine Conceptionis ab ea quam cæpit habere tempore Scoti, quo significauit infusionem & vnionem primam animæ rationalis cum corpore in vno solo indiuisibili instanti temporis, præter dicta potest & debet patere, ex eo quia Auctores qui scripsere post Pium V. & institutionem ab eo factam festi Conceptionis Virginis pro tota Ecclesia, non nisi de Conceptione sistente in dicto instanti loquuti sunt: & numerandi sunt sequentes.

2. Bellarm. *lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati*

peccati cap. 17. qui scripsit [sine peccati originalis macula fuisse existimamus animam Beatæ Virginis in ipso etiam primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus, ita vt numquam persona illa actu existens peccatum habuerit.

3. Ioannes Azor. lib. 4. institut. moral. cap. 34. quæst. 3. pag. 354. *Vera sententia est Beatam Virginem esse seruatam à peccato originis, quia in ipso primo temporis momento, quod est, concepta fuit vna cum gratia & sanctitate.*]

4. Gregor. de Valen. *tom. 4. disputat. 2. quæst. 1. punct. 1.* cuius titulus est; [*an Beata Virgo fuerit sanctificata in ipso Conceptionis momento, ita vt semper fuerit ab originali peccato immunis. Respond. affirmatiuè:*] Et in tota disput. non loquitur, neque controuersiam definit, nisi de dicto instanti.

5. Pelbartus Themesuar. *in stellario Coronæ Benedictæ Mariæ Virginis lib. 4.* cui titulus est. *de Immaculata Conceptione Mariæ*: eius præseruationem & gratiam in primo instanti latè confirmat, nec explicat Conceptionem alio modo posse intelligi nisi illam quæ consistit in organizatione corporis; & aliam metè consistentem in instanti infusionis animæ. Eius verba *lib. 4. parte 2. articul. 4. cap. sunt dupliciter accipitur hominis conceptio. Primo pro tota propagatione carnis quando scilicet embrio concipitur vsque ad infusionem animæ rationalis. Alij modo pro ipsa animatione quando anima infunditur.*]

6. Franciscus Suares *tom. 2. in 3. par. disp. 3. sect. 5.* cuius titulus est, *an B. Virgo fuerit ab originali peccato præseruata, & in primo suæ Conceptionis instanti sanctificata*: vbi respondet affirmatiuè.

7. Gabriel Vasquez *ibidem disp. 117.* cui titulum apposuit. [*Vtrum B. Virgo in momento Conceptionis per sanctificationem fuerit ab originali peccato reseruata.* & respondet itidem affirmatiuè.

8. Philippus Faber *in 3. disp. 3. quæst. 1.* vbi controuertit vtrum B. Virgo concepta fuerit sine peccato originali: & titulum explicat dicens. [*Quæritur, an de facto ex gratia fuerit immunis, ita quod in illo instanti, quando debebat contrahere peccatum originale, præuenta fuerit à gratia Spiritus sancti?*] Resp. affirmatiuè.

9. Ægidius à Præsentatione *tit. de Immaculata Virginis Conceptione ab omni originali peccato immuni lib. 3.* qui inscribitur, *de præseruatione Virginis à macula originali*, ita hanc explicat inscriptionem. [*An de facto maculam originalem contraxerit, dum in vtero Matris primùm concepta est:*] Et addit: *Quæstio apud veteres Theologos olim non modo celebris, sed iam controuersa.*] Toto autem libro defendit præseruationem. In quibus locis explicat pro Conceptione intelligere primam Virginis animationem.

10. Nazarius nostri temporis auctor, qui in suos Commentarios ante constitutionem Gregor. XV. elaborasse videtur 3. par. quæst. 27. artic. 2. [*Quintum principium est possibile fuisse B. Virginem in ipso Conceptionis momento sanctificari, in hoc principio necesse est omnes Theologos conuenire propter decreta Sixti IV. Pij V. & aliorum summorum Pontificum nostri temporis, & sacri Concilij Tridentini, & ita sentiunt omnes discipuli Sanctæ Thom. & multo magis alij, qui docent B. Virginem per Dei gratiam à peccato originali fuisse præseruatam.*

11. Atque vsque huc sufficiat Auctores propriis eorum verbis citasse vnanimes in hac acceptatione nominis Conceptionis Deiparæ; in sequenti satis sit ne idem repetatur, solum annectere catalogum eorum qui expressissimè nomen Conceptionis pro prima animatione Virginis, nec aliter sumpsere, vt constet hæc immutatio acceptionis huius nominis; & quia laborem hunc insumpsit Cismontana familia PP. Minorum est hic subscribendus vt Lector non debeat eum alibi quærere, nec inuenire.

12. Balthassaris Porrenni liber primo videatur *de pura Conceptione Virginis Mariæ matris Dei, & Domine nostræ* collectus ex scriptis de hoc Mysterio in Conciliis, summis Pontificibus, Reuelationibus, Miraculis, Ecclesiis, Parochiis, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus Ecclesiæ, Imperatoribus, Regibus, Religionibus, Vniuersitatibus, & sanctis fœminis, anno 1620.

13. Hieronymi ab Aznar & Cardona Augustiniani Prædicatoris Iubilati *Conceptus in honorem purissimæ Conceptionis Matris Dei, & de licita emissione Votorum & Iuramentorum circa eius Veneration Legibus Regiis in fauorem Ecclesiæ*, an. 1620.

14. Christophori Moreni Franciscani liber inscriptus *Puritas Virginis Matris Dei*, hunc titulum primi capitis habet [*Caput primum in quo sacra Scriptura auctoritatibus tractatur de purissima Conceptione Matris Dei*, editus an. 1582.

15. Antonij Gonzales de Roseride Clerici Minoris sacræ Theolog. Lectoris complut. & Qualificatoris: *Memoriale pro Conceptione sine macula Mariæ sanctissimæ, Reginæ Angelorum & hominum causa communis ardentis deuotionis fidelium.*]

16. Philippus de Ayala item numeretur Franciscanus sacræ Theologiæ Lector librum emisit anno 1616. hac inscriptione [*Casus maior & Conscientiæ punctum de modo prædicandi, tractandi & loquendi publicè his nostris temporibus de purissima Conceptione Virginis Dominæ nostræ.*]

17. Antonius Daza Ordinis Minorum quondam in Romana Curia Procurator Generalis, & Prouinciæ Conceptionis Minister ardentissimi effectus erga hoc mysterium, viuum nostro sæculo exemplar inter plurima pietatis & eruditionis; plena scripta publicauit Matriti anno 1621. *Opus de purissima Conceptione Matris Dei*, in quo historicè & Theologicè tractantur præcipua, quæ circa hoc Mysterium in orbe contigerunt à die qua sanctissima Virgo concepta fuit vsque ad nostra tempora.

18. Petri Oieda Soc. Iesu *Informatio Ecclesiastica in defensionem puræ Conceptionis Matris Dei*, an. 1616.

11. Ioannis Guerreri de Spinar Aduocat Hispalensis,

Hispalensis, *Informatio concordantiarum, & discursuum iuridicorum cum locis Theologicis & sacra Scriptura in fauorem Mysterij puræ Conceptionis sanctissimæ Virginis Matris Dei & Dominæ nostræ sine peccato originali conceptæ*, an. 1620.

20. Bartholomei Loaisæ Carmelitani, *Triumphi Reginæ Angelorum*; vbi per discursus concionatorios probatur eius purissima Conceptio absque omni contagione peccati anno 1616.

21. Emanuelis Reinosi Ordinis sanctiss. Trinitatis Definitoris generalis liber inscriptus. *Probatio purissimæ Conceptionis B. Virginis*, anno 1616.

Ioannis de Carthagena Ordinis Minorum *liber de sacris Arcanis æternæ prædicationis, ac Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ*, Lutetiæ an. 1618.

22. Libellus est etiam Barcinone excusus an. 1618. cum hoc titulo; *Relatio summaria de Renouatione facta à Ciuitate Barcinonensi iuramenti antiquitus in ea statuti circa Immaculatam Conceptionem Virginis Matris Dei & Dominæ nostræ.*

23. Ferdinandi rursum de Oieda insignis Maioris Collegij Vrsonensis Immaculatæ Virginis Conceptioni sacri, antiqui Collegæ, & in eadem Academia sacri Decreti Cathedræ antecessoris: *Relatio ad tit. celebr. cap. firmissione de consecrat. d. 4. & bimembris de peccato originali Theologica & Canonica disputatio*, anno 1615.

24. Præter hos sunt & alij complures qui statu pro eadem immutatione significatûs nominis Conceptionis sistentis in notando mero instanti infusionis animæ rationalis à tempore Pij V. & deinceps qui omnes vno ore loquentes, & in eodem sensu vsurpantes nomen Conceptionis, ostendunt à tempore Pij V. non se extendisse hoc nomen ad significandum tempus sequens ad dictam infusionem, nec apud eos huius mutationis fuisse vestigium, quo patet pro tali tempore, non posse præsumi factam eiusmodi mutationem, & perstitisse vniuersam Ecclesiam in intelligendo & vsurpando nomine Conceptionis sine extensione eius ad morulam sequentem ad animationem primam rationalem dictam nec in Virgine nec in homine quoad euidentiam constabit neque à tempore Pij, neque etiam ab illo Gregorij sequentis XV. passum esse dictum nomen aliquam aliam mutationem cum Doctores post Gregorium eodem modo loqui videbuntur quo illi qui scripsere ante ipsum post tempora Pij quod ex sequentibus fiet euidentius.

DISPVTATIO IX.

PROLEGOMENA OPERIS,

ET QVARTA

OPVSCVLI SECVNDI.

De nomine Conceptionis Deiparæ perseuerante pro significatione primæ animationis Deiparentis Mariæ etiam à tempore Gregorij XV. vsque ad præsens tempus.

ADVERSARII semper vel facto, vel verbo quæsierant inuehere hanc doctrinam de mutatione sensus in nomine Conceptionis, ex quo viderunt sub eo celebratami, & celebrati volitam ab Eccletẽpore Sixti, vel præceptam tempore Pij Conceptionis Dei genitricis. Sed tandem hanc doctrinam apertè professi sunt pro tempore Gregorij XV. & deinceps. Quare vltima in hac re Prolegomena disputatio erit pro hac signata quæstione, in qua primo referemus sensa & rationes huius dicti. Secundo ostendemus quam futilibus & inanibus falsisque fundamentis sit inuecta. Tertio eam validis impugnabimus argumentis Et quarto eam refellemus auctoritate & sensu Doctorum, & Ecclesiæ vniuersæ, & probabimus eam esse omnino temere traditam & abominandam in Ecclesia Dei.

DIVISIO I.

Proponitur sententia, quæ vult tempore Gregorij XV. nomen Conceptionis mutauisse sensum priorem stantem pro primo instanti animationis Virginis, & illum extendit ad tempus sequens; eiusque fundamenta recensentur.

1. HÆc sententia primum expressa est à quibusdam Anonymis, qui occasione cuiusdam decreti, quod prodiit nomine sacræ Congregationis generalis Inquisitionis Rom. quo videbatur prohiberi titulus Immac. Conceptionis Dei mattis tabulis marmoreis; vel inscriptionibus librorum & similibus præpositus, quasi male vsurpatus in absoluto & irrefragabili quendam sensu Ecclesiæ Catholicæ ad illius exequutionem supposuerunt aliquos libellos, quorum duo typis dati & impugnati sunt summa cũ eruditione à familia Cismontana PP. Franciscanorũ, nec non à doctissimo viro D. Ant. Calderonio Seremiſ D. Matiæ Tere. sic Hispaniarũ Infantis Gall Reginę Magistro.

2. Vidi ego etiam alium tertium libellatorẽ anonymum, qui in eumdem scopũ scripserat, & typis mandatus non est. Hi omnes tres anonymi conuenerunt vt dicerent, & persuadere vellent pro re certa, quod nomẽ Concept. post Greg. XV. mutauerit significationem, & quod prius stabat pro primo instãti animationis SS. Virginis post Bullam Gregorij, (in qua præcipiebatur in celebratione festi Concept. Deiparæ omnes vti nomine Conceptionis, non vero sanctificationis) staret omnino tum primo instanti, tum pro tempore sequenti, ita vt significaretur celebrari sanctitatem Virginis non habitam præcisè & absolutè pro primo dicto instanti, sed vel pro primo, vel pro alio proximo, sequenti, vel etiam pro tempore sequenti ad primum instans. Idquod etsi non expressere his verbis, eorum tamen sensus in hoc recidit; dum primus Libellator scribit; *Contenderunt fautores Immaculatæ Concept. apud eumdem Gregorium, vt præciperet omnibus, quod in celebratione solemnitatis* (scilicet Conceptionis Deiparæ) *nõ alio quam Conceptionis nomine* (Fratres Prædicatores) *vterentur. Quod Pontifex vt cultui esset magis vniformis concessit inuens nomen Concept. esse de se indifferens ad vtramque sententiã.* Videlicet ad dandam sanctitatem Virgini, siue pro primo instanti creationis animæ eius, siue pro aliquo proximo instanti ad illud primum. Secundus item Libellator §. 2. ait: *Dum Aduersary sub Greg. XV. summo conatu partis affirmantis* (scilicet originale peccatũ in Virgine) *præiudicium exquirunt, decretum prodiit vtramque sententiam in sua probabilitate confirmans, cuius rigore Fratres Predicatores nomine Concept. sanctificationẽ intelligunt Aduersary Præseruationẽ.* & similia verba habentur in tertio Anonymo dum scripsit. *Cum ergo à fidelibus fide credatur, religione colatur, non Præseruatio, non Conceptio Immaculata, non sanctificatio, sed Conceptio absolutè & simpliciter,* (vt loquuntur Theologi) *communis pariter Ecclesiæ sermo idẽ nomen amplecti debet.* Vbi explicat pro Concept. Virginis non coli sanctitatem pro primo instãti, sed vel pro primo, vel sequenti aliquo proximo instãtis li- et tandẽ in hac re negare nõ potuerit, tertius Anonymus quin pia credulitate primũ instans

celebrari

celebrati voluerit Ecclesia sanctum, conuictus vt puto lectione eruditissimorum librorũ contra primos anonymos; nam hic tertius longè post illos videtur scripsisse, & coactus est tandem dicere: *Quamuis ergo (quod absit) fateamur vniuersalem Ecclesiam Conceptionem Immaculatam Virginis celebrare; vnde tamen quantumlibet contendant Aduersarij, nihil magis enuncunt, quam quod ingenue fatemur, & ambabus manibus ipsis concedimus Conceptionem sc. Immaculatam Virg. à fidelibus celebratam ab Ecclesia pia credulitate esse assertam*: atque hæc circa sensum huius sententiæ de mutatione significationis nominis Conceptionis post Greg. XV.

3. Hic autem notandum est, quod quando dicitur ad Aduersantibus, quod nomen Conceptionis Deiparæ mutauit significatum post tempora Gregorij XV. & quod erat determinatum, ad significandam Conceptionem Immaculatam, factum est indifferens, vt ipsi dicunt, & præcipuè primus Libellator citatus ad significandam Conceptionem siue maculatã, siue Immaculatam pro primo instanti, & sanctam pro secundo proximo; non est sermo de Conceptione Beatissimæ matris vt sic, quasi vero post Gregorium, quando nominata est Conceptio Beatissimæ Virginis significauerit Conceptionẽ sanctam pro primo instanti; hoc enim falsum est. Nam quocumque tempore dum præcisè nominabatur Cõceptio, istud nomen fuit indifferens ad coniungendum se cum conditione sancti & Immaculati, vel maculati; & apud Auctores modo dicta est Immaculata, modo maculata, & quando sine addito dicebatur Cõceptio, non significabat neque maculatam, neque Immaculatam; sed sensus verborum Aduersantium est, quod dum in statutis Pontificiis, vel in celebritate festi Conceptionis, vel in vsurpatione nominis Concept. celebratæ, vel celebrandæ ab Ecclesia & fidelibus sermo erat ante Gregorium, idẽ erat dici, quod v.g. celebrabatur festum Conceptionis, ac dici quod celebrabatur festum Conceptionis Immaculatæ. Post Gregorium vero mutationem sensus passum fuerit istud nomen; & quando Gregorius præcepit celebrari festum Conceptionis, non sub alio nomine nisi Conceptionis, in nomine Conceptionis non significauit celebrandam Concept. Immaculatam, sed benè sanctam: sed non ita sanctam, vt excluserit maculam pro primo instanti animationis, sed sanctam siue pro primo, siue pro secundo instanti, atque adeo compatibilem cum macula in primo signo, in quo suppositere isti boni viri, quod nomen Concept tempore Gregorij se extenderit ad significãdum aliquid aliud, quod antea numquam significauerat, scilicet tempus sequens ad primum instans animationis Virginis, in quo cum potuerit esse sanctitas, post maculam in re contractam in primo instanti, vt sic esset celebrabilis & celebranda sub nomine Conceptionis extenso ad eiusmodi significationem; quæ omnia hic fuere notanda vt possint recte intelligi dicta aduersantium, quæ nude sumpta apparent in intelligibilia, vtpote impropriantia passim, præsertim in re hac nativos sensus verborum; nam si quis audiat ante Gregor. nomen Concept. stabat, & stare solitum erat pro Concept. Immaculata, nihil prorsus potest intelligere de eo quod ipsi volunt, nam vt aduertimus alium sensum faciunt hæc verba vt sic sonantia: & fortè id ipsi in eo agunt more suo, vt in obscuro seruantes hanc materiam, ibi difficultates implicent, vbi non sunt, & tanquam de re difficili intellectu, absterreant Prælatos Ecclesiæ ab euidenti fere intelligentia huius veritatis, vtpote de cetero occupatos in aliis animarum negotiis, qui rectè sciunt, quod si ij perpetua veritate sub terminis clarissimis, & tricis ablatis, quantum ea modo pateat in Ecclesia, idque ex nouo, & affulgentissimo diuino lumine & studiis profundis doctissimorum hominum animaduertant: omnimoda & magna vnanimitate omnes clamabunt apud Pontifices pro vltima definitione, ne diutius scilicet quã oporteat eiusmodi veritas, quæ tantũ ad Christi Domini & eius matris gloriã pertinet; ea certitudine careat apud omnes prorsus fideles, quæ ipsi conuenit ex tot tantisque testimoniis sanctorum Scripturarum, ex vnanimi consensu Patrum, ex rationum ponderibus maximis, ex reuelationibus frequentissimis ex miraculis innumeris, & maxime ex dictamine Spiritus S. in vniuersitate Ecclesiæ contestante in cordibus fidelium sine vlla dubitatione amplexandam profitendam & defendendã hanc veritatem cum sanguinis etiã effusione, vtpote in quã inclinat Ecclesia, licet non adhuc à Sum. Pontifice definitam, & præueniente diuina opera id quod sanctissimus Pontifex suo decreto est firmaturus, cui vt potissimum hoc præstatur ad sufficientissimum testimonium, vt alibi ex principiis fidei demõstrabimus, quod solum & vnicum est sufficiens, & superabundantissimum ad optatam ab eo consequendam fidei definitionem: cui præsertim numquam prorsus talem, & tantam præstiterit Deus in vlla controuersia, quæ definita sit, ante eius definitionem veritatis huius rei testificationem.

4. Sed redeamus ad præsens propositum, & asseramus fundamenta dicti allati ab Aduersariis, qui præcipuè arguunt nomine Concept. vsurpando in celebritate festi eiusmodi, non posse significari primum instans animationis Virginis merum, quia illud debet significare instans, seu signum celebrandum sub hoc nomine, quod continet indubitatam sanctitatem, quæ non sit opinabilis in contrarium; nam non debet coli in Ecclesia vniuersali, id quod dubitari potest, quod sit falsum, & non sit; sed primum instans animationis Virginis non cõtinet indubitatam eius sanctitatem, sed dubiã & opinabilem in contrarium: ergo non est dicendum quod sub nomine Concept. in Ecclesia celebretur primum solum instans animationis Deiparæ, sed vel ipsum, vel cum ipso aliud proximè sequens post aliquam moralem temporis, aut ipsum cum tempore immediatè sequenti. In quo pro certo sit, & habeatur sanctitas sanctissimæ matris. Ita primus Libellator §. 3. scripsit: *Ex officio Sum. Pontifex prouidere debet, ne aliqua doctrina, seu assertum aliquod reputetur vniuersalis Ecclesia sensu, si de eius veritate dubitari possit, & oppositum ab ipso Pontifice tanquam verum, & ab eadem vniuersali Ecclesia tenendum possit definiri.* Secundus vero Libellator ita etiam addit §. 23. *Sed Ecclesia sancta fixa est, & perpetua consuetudo colendi, nonnisi certam & indubitatam sanctitatem, quod*

pro comperto habent sanctus Bernardus, sanctus Ildephonsus, & S. Thomas, qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis sanctam fuisse tradũt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat; numquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam; hoc enim adhuc est indefinitum, atque adeo dubitationi subiectum; qui aliter dixerint, videant quomodo hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant:]& §. 21. & Bellarm. [*Obiectum primary cultus in hac celebritate est prima gratia Virginis collata, abstrahendo à primo tempore vel instanti, quo collata fuerit, quod hausit ex D. Thoma docente celebrari Officium Conceptionis in ratione sanctificationis eius facta in vtero matris; quia enim incertum est quo die, quoue temporis momento eius sanctificatio facta fuit, rectè Ecclesia memoriam eius agit die anniuersario Conceptionis*] & addit prestius pro re proposita;[*Non instituuntur ab Ecclesia festiuitates iuxta has, vel illas, quæ falsi possunt opiniones. Sanctitas ergo dubia & in opinione posita, non proponitur colenda. Primo enim & per se respicitur obiectum cultus, secundario vero populorum pietas* :]]& tandem concludit §. 25. [*Quare necessario dicendum est sanctitatem Concept. B. Virginis, quæ colitur in Eccl. Catholica, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ non esse illam quam aliqui in primo instanti ponunt, nec illã, quæ ab aliis ponitur in secundo instanti; quia vtrũque dubium, & opinabile & à parte rei aliter se habere potest, sed est illas sanctitas pro instanti illo, quo verè fuit sancta*] & iterum §. 26. [*Vox, sancta, ju sensu ab Ecclesia inuento, tam primum, quam secundum instans complectitur, siue vt abstrahit à primo, vel à secundo; & cum sit terminus positiuus sufficit, vt in altero instanti verificetur; vox autem Immaculata exprimit sanctitatem per negatiua; hoc est per negationem cuiuscumque maculæ, ideo videtur excludere maculam pro quocumque instanti, & per consequens minus apte, & minus propriè ad vtrumque instans referri potest.*] Ex quorum verbis apertè demonstratur ex inde maximè ab Aduersariis dici, quod in celebrando Conceptionem Virginis non celebret Ecclesia vniuersalis primum instans animationis eius, quia illud est subdubiè sanctũ, & per consequens cum certo sanctum sit instans vel tempus sequens, conceptio quæ ab ipsa celebratur, est extensa ad tale instans, vel tempus.

5. Secundum fundamentum aduersantium in hac re est, quia si Sum. Pontifex Greg. XV. sub nomine Conceptionis significauisset sine vlla mutatione, quod prius significabat hoc nomẽ, ipsumque stare fecisset pro primo instanti dictæ animationis; vtique præiudicium fecisset sententiæ neganti sanctitatem Virginis pro tali instanti; sed ipse ait in Bulla, quà præcepit vti omnes in celebratione huius festi nomine Cõceptionis; quod nullum præiudicium faceret dictæ sententiæ: ergo signum est mutauisse significationem in præfato nomine, & voluisse nomen Conceptionis extendi ad significandũ tempus post primum instans animationis Deiparæ; sic habes apud primum Libellatorem §. 1. [*Gregor. XV. concessit nomen Conceptionis innuens esse de se indifferens ad vtramque sententiã, quod vt magis insinuaret, declarauit expressis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alteri parti, sed relinqui in eodem statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum.*] Secundus etiam libellator tangit hanc rationem nam §. 30. ait [*In controuersia de Conceptione Ecclesia mater piam fouet intentionem vtriusque partis opinantium, sine præiudicio veritatis.*]

6. Tertiũ fundamentum adductũ ab his Anonymis pro dicta mutatione sensus in nomine Conceptionis stantis sub celebritate & veneratione, est. Quia apud Vrbanum VIII. institũ est ex parte nostra, vt celebrari præciperet vel in Bullis nominaret Conceptionem Immaculatam; quod renuisse scitur. Vnde sic argumentantur: si nomine Concept. apud Pontifices in celebritatibus Ecclesiæ vel veneratione eius importaretur Conceptio pro primo instanti solo animationis Virginis; idem apud ipsos esset præcipere celebrationem sub nomine Concept. ac sub nomine Conceptionis Immaculatæ; sed ipsi renuerunt præcipere celebrationem vel venerationem eius sub nomine Concept. Immac. ergo signum est, quod apud ipsos, nomen Conceptionis datæ celebritati, non significet solum primum instans animationis. Sequela maioris videtur patere, quia celebratio primi instantis animationis Virginis esset celebratio eius vt sanctæ pro illo instanti, ac proinde vt omnino Immaculatæ, ac proinde eadé esset celebratio Concept. & Conceptionis Immaculatæ, nec difficultas esset in præcipiendo vnum & non alterum, dum in idem recíderent. Minor probatur ex instantia de hac re facta apud hos Pontifices, & eorum repulsu. Sic secundus libellator refert §. 21. [*Sub initium Pontificatus recol. me. Vrbani VIII. id validissimè conquisitum fuit, magnorum Principum coacernatis instantiis; vt & festum & officium Immaculatæ Conceptionis concederetur, quæcumque, tunc de Sixto IV. aliisque allata sunt, nunc ipsissimis penè verbis refricantur, vt facilè inferri possit petitionis variari prætextum, non sensum. Post consultationes adhibitas summa decreti fuit nihil agendum in alterius sententiæ præiudicium, & ideo nihil omnino fuit concessum.*] & rursum §. 35. [*Habemus euidens experimentum nullatenus prætereundum. Erigitur à Fœlicis rec. Vrbani VIII. Religio militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ instantibus Ducibus Mantuæ, & Niuernensi, quoties titulus exprimitur in Bulla incipiente* Imperscrutabili. *Diligentissimè cauetur ne Verbum Immaculata iungatur Virgini, non autem Conceptioni, & cum in aliqua impressione domi tunc facta, titulus Immaculatæ Conceptionis vel per errorem, vel per fraudem irrepsisset, sedulo mãdante Papa, emendatus fuit, & recollecta est, vt probe intelligamus Vrbanum noluisse in præsenti statu quæstionis, vti Immaculatæ Conceptionis titulo non tantum dispositiuè, sed nec etiam recitatiuè; nec prædictorũ ducum pietatem deferendo, cum tamen Iulij II. Leonis X. & Sixti IV. non ignoraſſet exempla :*] & primus Libellator §. 1. [*Ad hoc rursus curarunt iidem apud Vrbanum VIII. vt declararet festum celebrari non pro Conceptione quomodolibet accepta, sed pro Cõceptione Immaculata, quod constantissimè renuit Vrbanus VIII. asserens, quod neque recedere à vestigiis Prædecessorum debebat, qui vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant; neque affirmare poterat Gregorium opposita, & inter se pugnantia protulisse. Quod si declarasset nomine Concept. Immaculatam Conceptionem intellexisse*

declo

declarasset Gregorium sibimet fuisse contrarium; dum ex vna parte asserit se nullam praiudicium inferre velle opinantibus B. Virginem in peccato conceptam, & ex alia à parte plusquam notabile praiudicium ipsis inferret, iubendo, quod Ecclesia vniuersalis Conceptionem Immaculatam celebraret] & §. 3. [*Caterum non ita Vrbanus VIII. Gregorij successor, vt videre licet in Bulla qua erigitur Religio militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ, vbi numquam titulus Immaculata adiungitur Conceptioni, sed Virgini, & hoc ex speciali mandato Vrbani VIII.*] Ex quibus duobus actibus Vrbani VIII. visi sunt Aduersantes rem euicisse; & mirum certè est, quomodo muscas suas Elephantes, & ingentes montes esse clamitant ad defensionem proprij sensus, & de cætero Elephantes & camelos oppositorum, quæ sibi obiiciuntur, glutiunt quasi saliuam; vt videbimus postquam ostenderimus, hæc fundamenta esse inania, & prorsus futilia.

DIVISIO II.

Ostenduntur fundamenta sententiæ dicentis nomen Conceptionis mutasse sensum tẽpore Gregorij XV. omnino nulla & prorsus inania, & primò primum quòd Conceptio Immaculata si celebratur debet esse indubitata fidei apud omnes fideles.

1. Mirum certè est, quomodo proferant Aduersantes nostri propositiones aliquas tam apertè falsas; & quæ tam facilè vt falsæ possint demonstrari, quasque sæpè temere prolatas quis, posset fortiter euincere; id tamen ita ij agant & tanta cum asseuerantia & certitudine, quasi ex Cathedra; sine vlla probatione, vel tam tenui & inani, vt mero flatu duorum vel trium verborum enanescat; videant quod dicimus Lectores apertissimè. Assumunt in re nostra, quòd obiectum cultus externi in Ecclesia Catholica ab ea vniuersaliter receptum, debet esse indubitatæ fidei, & ratio quam assignant, est; quia hinc probant sanctitatem Virginis in Natiuitate S. Thomas S. Bernardus & S. Ildephonsus. Quando autem dicunt quod ea quæ præcipiuntur coli, debent esse, certæ sanctitatis; loqui videntur apertè de certitudine fidei, quasi velint, quod eiusmodi obiecta proposita ab Ecclesia colenda debeãt esse sancta tali certitudine, vt qui eiusmodi sãctitatem negaret, esset hæreticus, posita scilicet definitione. Sic vidimus libellatorẽ scripsisse, quod ideo non poterat coli sanctitas Virginis in primo instanti animationis eius vniuersaliter in Ecclesia, quia eiusmodi sanctitas erat indefinita; requirit ergo quod sanctitas colenda debet esse definita vt talis, atque adeo certa certitudine fidei. Patet hoc etiam quia ait, quod aliter non potest responderi hæreticis, qui ingeminant contra infallibile iudicium Ecclesiæ; quare vult in casu proposito, quod ad hoc vt possit ex præcepto coli in vniuersali Ecclesia; sanctitas primæ animationis Virginis debeat ea esse firmata infallibili iudicio Ecclesiæ, videlicet definitiuo: nisi enim ita firmata sit: contradictione hæreticorum congruâ, aliquid coleretur ab Ecclesia vniuersali, quod coli non deberet.

2. Persiste iam libellator optime in hoc asserto & vide quantũ ab omni veritate aberras? cẽses ergo quod quidquid colitur vel præcipitur vel præceptũ est coli in vniuersali Ecclesia, debeat esse certũ certitudine fidei quod sit ita colendũ. Iam Ecclesia vniuersalis decernit esse colendas has vel illas reliquias sanctorũ, ergo certum esse debet certitudine fidei, quod hæc vel illæ sint reliquiæ sanctorum. Ecclesia colit has vel illas hostias à sum. Pontifice v.g. consecratas; ergo debet esse certum certitudine fidei, quod hæ hostiæ sint cõsecratæ. Ecclesia coluit & colit Inuentionẽ corporis S. Stephani, Gamalielis & similiũ Martyrum: ergo de fide est certum quod hæ sint reliquiæ illorũ sanctorũ. Ecclesia vniuersalis coluit, & colit apparitionẽ S. Michaëlis, festũ de Inuentione & Exaltatione S. Crucis. De Transl. S. Bartholomæi, de Stigmatibus S. Francisci, S. Catharinæ Senen. & similibus celebritatibus, quę sunt de obiectis, de quibus insania & mera ignauia eorum, qui neque à limine salutauerint sacram doctrinam esset, si dicerent ex vi cultus esse ea certa fidei certitudine in Eccl. Catholica: vt tertius libellator admonitus credo à Cismontana Familia & Calderone cõfessus est, corrigens errorẽ commilitonum suorum, qui dedit vt vidimus pia credulitate celebratam; atque adeo dignã celebratione dignumq; obiectum cultus Concept. sanctã Deiparæ. Falsa ergo & falsissima & valdè temeraria est doctrina vniuersalis, quam assumis, quod quicquid colit Ecclesia Catholica, debeat habere sanctitatem certam, vel obiectũ colendum tanta certitudine vt illa sit propria fidei, & ratio manifesta est, quia repugnat apertissimè communi & vnanimi consensui Theologorum in hac re, vt patet in Suar. 3. *p. d.* 3. *sect.* 3. *in 2. tom.* Vasquez & aliis nemine ferè cõtradicente. Nam quis est, qui dubitet, quod quãdo Episcopi decernunt has vel illas reliquias sanctorum esse adorandas, & hac definitione Episcopali habeti de fide, vel etiã proximo gradu certitudinis illi qui est fidei, quod ex sint reli. quiæ Sanctorum; vnde certum est vniuersaliter, quod ad cultum decernendum non requiritur certitudo fidei: nec repugnat Caiet. qui scripsit suo tempore non coli Assumptionẽ Virginis, nisi stante ea in probabilitate, & sine vlla certitudine fidei, quod sãctissima Virgo resurrexerit.

3. Neque in hac re demonstranda, plura sunt congerenda argumenta. Si enim Canonizationes Sanctorum antiquæ, quæ habebantur ex examine & statuto Episcoporum non erant de fide, & neque, præsentes habitę per Pontificem sunt de fide ex S. Thoma *quod lib. 9. art. vlt.* & aliis compluribus Theologis nec vllo modo censendæ sunt absolutè astruere de fide certam sanctitatem Canonizatorum; qua audacia eius Discipuli contra proprium Magistrum quasi ex cathedra sine vlla ratione

promulerunt sic falsum effatum? audiatur S. Thom. qui ait primo. [*Certum est quod iudicium Ecclesia vniuersalis errare in his, quæ ad fidē pertinent impossibile est:*] & deinde: [*In aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de possessionibus vel criminibus, vel de huiusmodi possibile est iudicium Ecclesiæ errare posse propter falsos testes*] & sequitur [*Canonizatio vero sanctorum medium est inter hæc dico. Quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, quia sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.*]

4. Sed dices. Licet non sint de fide proposita ad colendum ab vniuersali Ecclesia, debent tamen ea esse ita certa moraliter, vt temerarium saltem sit veritatem & sanctitatem colendorum negare. Quare cum sanctitas Virginis pro primo instanti suæ animationis non habeat hanc certitudinem, non est censenda proposita coli ab vniuersali Ecclesia. Et falsa item est hæc doctrina, & ad libitum conficta, & merè verbis Aduersantium sono vocis exposita, atque adeo nihili pendenda, reiicienda, & vt temeraria censenda, quia repugnat vniuersali sensui Ecclesiæ Doctorum omnium & Prælatorum totius orbis, qui celebrant Conceptionem Virginis, sanctam pro primo instanti animationis, nec tamen temerariam posuere saltem antiquo tempore negationem talis sanctitatis pro dicto instanti. Cum expresè summi Pontifices primum præceperint, & secundum expresè dici prohibuerint variis Bullis. Vnde ergo isti homines inuehunt in Ecclesiam istas doctrinas nouas, falsas, & contra Ecclesiæ statuta decernentia? certè miror qua ratione hæc effata tolerentur, vtpote apertè contra acta Ecclesiæ sanctæ pugnantia?

5. At aperiamus dicti falsitatem euidenti argumento, quia si hæc assertio Aduersariorum staret, & haberet aliquam vel minimam probabilitatem, sequeretur quod antiquiori tempore, quo non excludebat limites probabilitatis Assumptio SS. Virginis in anima, & corpore in cœlum, non poterat tradi colenda ab vniuersali Ecclesia, & malè celebrata est per tot sæcula, in quibus vt diximus teste Caietano, probabile tantum erat Beatam Virginem fuisse in corpore glorioso in cœlum assumptam, videlicet *Opusc. de Conceptione cap. primo*: consequens est falsum & temerarium vt patet, ergo nullo modo obiectum colendum in Ecclesia vniuersali debet esse tale vt temerarium sit opinari in contrarium de veritate rei cultui datæ. Sequela patet. Quia antiquiori tempore veritas assumptionis dictæ non erat ita certa in Ecclesia, & Imperator Marcianus, qui construxerat magnum Templum in honorem Deiparæ exquisiuit reliquias corporis SS. Virginis, id quod ostendit suo tempore latuisse Doctores Ecclesiæ communiter eius in corpore assumptionem. Et certum est, quod priscis temporibus cœptum est celebrari, quando hæc veritas nonnisi probabilibus rationibus poterat concludere. Cum ergo hac indubitata certitudine non polleret secundum Aduersarios, celebrari non poterat, neque esse obiectū cultus vniuersalis Ecclesiæ; & per consequens errauisse: sequitur Ecclesiam, eo tunc in eius veneratione, quod est apertissimè absurdum, & error intolerabilis carpens & notans erroris licet practici Ecclesiam Catholicam,

6. Idem argumentum potest fieri de Festo Præsentationis sanctissimæ Virginis, de quo non est certitudo Theologica; nam certum hoc modo non est, Virginem fuisse præsentatā in Tēplo, & de ea fuit dubitatio tēpore Pij V. licet ante ipsum fuerit instituta eius celebritas in vniuersali Ecclesia; nec in præsenti hæc veritas est talis, vt temeritati subsit, qui opinaretur in oppositum. Non ergo importat temeritatem in opinatione merè speculatiua contra id quod celebrat vniuersalis Ecclesia, nisi aliquid aliud intercedat quod causit & maiorem certitudinem speculatiuam. Dixi speculatiuam: quia censent aliqui quod ex eo quod ex rationibus magis probabilibus Ecclesia præcipiat & decernat aliquid esse colendum, ex hoc eius iudicio aduenial illi maior certitudo, vt si ea nō permittat dubium speculatiuum; hæc superueniens certitudo faciat oppositum iudicium speculatiuum esse temerarium, sed de hoc alibi in *Opusc. de sensu Ecclesiæ Rom. & vniuersalis.*

5. Probatur idipsum à priori; quia ea certitudine debet pollere veritas obiecti colendi in Ecclesia vniuersali, quæ est sufficiēs ad obiecta pietatis, Religionis & similiū; sed hæc obiecta non debent cōstare vt vera, veritate, cui si contradicatur, vel in dubium vertatur, temerarios faciat contradicentes. Ergo obiecta colenda in Ecclesia non debent habere veritatē, quam si quis in dubitationem poneret, temerariè se gereret; & per consequens non debet habere tantam certitudinem veritas sanctitatis Virginis pro primo instanti suæ animationis, quę faciat temerarium in fide illam negantem, ad hoc vt possit coli ad Ecclesia cultu externo. Maior argumenti patet manifestè; quia malè requiretur maior certitudo, quæ non est necessaria; & dum pro exercitio alicuius virtutis habetur aptum fundamentum, irrationabiliter requiritur maius quia si hoc tale maius posset requiri, posset refugi exercitium virtutis, quæ apte posset exerceri, in quo haberetur vitiosa omissio, quod non est dicendum. Et sicuti habita sufficienti propositione credibilitatis obiecti in fide, tenetur quis credere, vel non discredere in hoc vel illo non necessario ad salutem; ita pariter, dum aliqua veritas obiecti Religionis habet certitudinem? quæ est sufficiens ad cultum externum? maiorem non debet requirere. Minor probatur, quia ad exercitia virtutis Religionis, & virtutum moralium non requiritur in obiecto veritas, quæ habeat gradum aliquem infallibilitatis omnimodæ, & sic ad exercendum actum misericordiæ in pauperes non est necesse habere certitudinem paupertatis huius vel illius hominis, cui debet fieri eleemosyna; ad adorandum etiam corpus Christi Domini in hostia consecrata; non est necesse quod constet veritas de consecratione aliquo gradu infallibilitatis Theologicæ. Et licet quis dubitaret de intentione vel potestate consecrantis, adhuc sæpè dum certus non est, debet exhibere signa adorationis circa hostiam consecratam, & sic de reliquiis sanctorū, si quis dubitaret de sufficiēti examine

Theo

Theologorum, & dubitaret interius speculatiuè de tali adoratione exercenda necne; adhuc teneretur externe colere eiusmodi reliquias. Nec tamen propterea veritas earum ab eo esset amplectenda cum censura temeritatis in iudicio oppositio: nisi quis adorationē existimaret denegandam vel quia putaret non esse reliquias Sanctorum adorandas, vel non esse in Ecclesia auctoritatem eas declarandi, vel quid simile non pertinens ad factum. Vbi notandum quod si Reliquiæ approbentur vt sanctæ ab Episcopo, neque quis euidentia haberet testimonia erroris circa factum interuenientis, temerè negaret vel dubitaret de falsitate reliquiarum; nam debet submittere iudicium suum iudicio Episcopi habentis in hac re aliquam specialem assistentiam Spiritus sancti, licet non infallibilem, & quemadmodum si grauissimi & veridici homines aliquid testificarentur, aliquis tamen rem testificatam negaret, temerariè se gereret, ita multò magis in casu posito. Sed hæc temeritas concerneret ad voluntatem non ad intellectum. Nec propterea is esset existimandus errare temerariè in iudicio speculatiuo intellectus, sed in actu voluntatis non submittentis iudicium suum, iudicio Ministri Ecclesiastici, censendi, dum aliud euidenter non constat, bene in re processisse, & Spiritus sancti directionem habuisse.

8. Quartò probatur assertum, quia sicuti sæpe multæ doctrinæ traduntur à Pontificibus & Conciliis pro Ecclesia vniuersali quæ non continent certitudinem fidei, nec definitiuo modo traduntur, vt sunt illæ, quæ sunt in Canonibus; & quæ non definitiuo modo ponuntur, sæpe non sunt certæ de fide, neque etiam aliquando temerariæ oppositæ: vt notant communiter auctores. Ita pariter aliquæ veritates inuoluuntur in præceptis de Ecclesiastico cultu, quæ non habent traditam certitudinem fidei, nam in tantum Aduersarij putare possunt, quod quicquid traditur colendum ab vniuersali Ecclesia, debet continere veritatem speculatiuā, in qua fundatur cultus, certam certitudine fidei, quia quicquid communicatur toti Ecclesiæ; vel ad discendum, vel colendum debeat esse obiectum infallibilis veritatis, sed hoc est falsum, quia sæpè Ecclesiæ bene possunt tradi & traduntur ea doctrinæ amplectendæ, quæ sunt hoc vel illo tempore maioris probabilitatis, quando maius lumen non affulsit diuinum; sic ante decisionem, quod illicitus esset baptismus iteratus, quia primus fuerat ab hæreticis habitus, Cornelius Pontifex prohibuit baptizatos ab hæreticis rebaptizari, quia probabilius censebatur oppositum, etiamsi septuaginta duo Episcopi cum Cypriano in oppositam iuissent sententiam, & sic de similibus. Nec tamen tunc erat certum de fide, quod non essent rebaptizandi hæretici, neque Cornelius id definiuit, licet id præceperit sub pœna excōmunicationis ita fieri. Ergo etiamsi toti Ecclesiæ tribuatur, & tributa sit colenda sanctitas Virginis pro primo instanti suæ animationis, non propterea sit, vt ad hoc præcipiendum de fide debuerit eo tempore esse, quod eiusmodi sanctitas totaliter fuerit Virgini adscribenda. Esto hinc validum argumentum possit desumi ad ostendendum, quod ex hoc capite efficacissimum possit haberi ad definitionem fidei circa rem hanc nostram habendam.

9. Probatur 5. ex eo quod posuimus, quia ad hoc vt possit rectè præcipi cultus aliquis in Ecclesia, sufficit vt veritas super qua fundatur sit eiusmodi vt moraliter non possit illi subesse falsum, non autem physicè: vt contra distingatur in hoc obiectum fidei ab obiecto virtutum moralium; sed in iis obiectis, in quibus nō potest moraliter subesse falsum, potest dari locus dubitationibus physicis. Ergo cum obiecto cultus Ecclesiastici potest stare dubitatio physica, & illa, quæ non potest conuenire obiectis fidei. Falsum ergo est, quod quæ coluntur in Ecclesia, debeant habere veritatem indubitatam & infallibilem propriam fidei, ita vt non possit relinqui locus dubitationibus physicis, licet non moralibus, quales essent dubitatio, quod non esset colenda hæc vel illa celebritas, quam Ecclesia præcepit colendam, vel ex tali licita dubitatione speculatiua tradere quod sit error in cultu, vel quid simile. Maior patet, quia in moralibus sufficit vt id, quod requiritur, habeatur moraliter, non sit necesse vt habeatur physicè, nam requireretur aliquid non sibi proportionatum, sed excedens. Minor patet, quia moralia mensurantur per humana testimonia prudenter credibilia: sed in his potest subesse falsum, & dubitatio physica. Vnde bene potuit Ecclesia præcipere festum Conceptionis Virginis vt sanctæ pro primo instanti animationis suæ, cui moraliter ex iis, quæ discussérat, viderant Pontifices præcedentes Pium V. rei non posse subesse falsum; & tamen permittere dubitationes physicas opinantium in contrarium.

10. Probatur 6. conclusum: Quia posito quod obiectum cultus Ecclesiastici non debeat habere veritatem, cui non possit subesse falsum physicè, quando super fundamentum eius debet præcipere Ecclesia hunc vel illum cultum, & agnoscit moraliter loquendo rei non posse subesse falsum propter imperfectionem aliquorum, qui ad eiusmodi veritatem pro certo habendam adhuc non peruenium, vt suauiter cum omnibus suis filiis procedat, & ad sua sensa pertrahat cum omni satisfactione discursus pro aliquo tempore: potest abstinere à definitione certa eiusdem veritatis, & quamquam agnoscat eam esse definibilem, potest morari in hac definitione prodenda, & pro tali tempore permittere opinationes in contrarium, non quidem concedendo obiectum in se opinabile vt dubium moraliter, quasi ipsa non videat quod illi non possit subesse falsum moraliter, sed quia ex aliis capitibus morari vult ad illud proponendum vt tale fidelibus. Ergo falsum est omnino, quod obiectum celebritatis Conceptionis debeat esse indubitatum hoc secundo modo, seu quoad omnes fideles; sed sufficit, quod sit indubitatum in se, & quoad valde maiorem, & sapientiorem partem Ecclesiæ; quo posito bene potuit præcipi à Pio V. & Gregorio cultus Conceptionis purissimæ sanctiss. Virginis, quando ea erat indubitata moraliter, à sapientiori & maiori parte Ecclesiæ; nam euidens est quod decuplo immo & centuplo & millies ac millies sapien-

tior & maior pars Ecclesiæ censenda est ea, quæ conflatur ex sensu omnium doctissimorum virorum, qui sunt injcunctis Religionibus, excepta vna, in qua etiam viri Primates, & magnæ doctrinæ contra suos socios pro hac veritate pugnant, & pugnauere acriter ante Pium & Gregorium XIII. quibus debent accedere cæteri alij Doctores fere omnes omnium vniuersitatum, necnon prælati innumeri Archiepiscopi, Episcopi, & eminentissimi Cardinales, qui pro eadem veritate vt certa apud ipsos moraliter eo tempore sentire; nec non etiam populi vniuersi, qui à Deo moti pro hac veritate clamauere fortiter, & indubitatam esse apud ipsos hanc veritatem testati sunt, quod nonnisi diuino instinctu peragi potuit, cum in aliis controuersiis Ecclesiæ nunquam tale quid euenerit, vt patet discurrenti per omnes Ecclesiasticas historias.

11. Probatur septimò, hæc eadem veritas ex eo quod de facto contigit in Ciuitate Senarum, quæ cum vouisset celebrare festum Conceptionis SS. Dei Genitricis iuxta hoc votum noluerunt Fratres Dominicani eamdem celebrationem vsurpare, & recursum est ad Leonem X. qui diplomate Pontificio iussit vt Dominicani Senensibus conformarentur, & celebrarent festum Conceptionis sicuti illi voluerunt; & cum eo tempore officium, quod vsurpabatur in festo Conceptionis Dei Matris esset illud Nuegarolicum, in quo sæpissimè replicatur immaculata & sine peccato originali Conceptio eius; illud vsui etiam habuerunt in ea Ciuitate & Dominio Fratres Dominicani, sicuti oculatus testis refert Ambrosius Catharinus *In Præfatione ad Capitulum Generale eiusdem Ordinis.* Ex quo facto ad euidentiam constat, quod non debeat esse ita indubitatæ fidei obiectum cultus, vt non possit admittere opinatiuum iudicium speculaticum in contrarium. Quoniam in hoc præcepto Leonis X. de celebrando festo Conceptionis sub nomine Conceptionis, vel Dominicani tenebantur interius includere actum opinatiuum contrarium puritati SS. Virginis, & elicere actum positiuum, quo eius iudicarent immaculatam Conceptionem, vel non. Si secundum ergo non est necessarium ad cultum externum, quod obiectum eiusmodi cultus sit indubitatæ fidei, vt ex necessitate excludat formidinem actualem oppositi. Si verò dicatur primum sequeretur quod omnes Dominicani, qui degebant Senis & deguerint ferè per centum annos ante Gregorium ibidem, tenebantur excludere actum opinatiuum internum in contrarium, quod nullo modo præcepit Pontifex, qui sicuti Sixtus IV. liberam reliquit potestatem opinandi in alterutram partem, sicuti & cæteri Pontifices summi.

12. Probatur 8. Quia certum est, quod qui in Officio diuino & sacrosancto Missæ sacrificio celebrat Conceptionem Deiparæ sanctam & immacalatam, eam colit nomine Ecclesiæ & vt Minister publicus; ergo ad hoc vt colat sine mendacio & fictione sufficit vt secundùm eiusdem Ecclesiæ sensum colat & velit colere, esto de reliquo vt fidelis priuatus existimet probabiliter quod obiectum cultus speculatiuè loquendo possit aliter se habere, ac habetur ab eis, à quibus colitur, quod videlicet in casu nostro possit physicé loquendo sanctitas competere Virgini non in primo instanti suæ animationis, quia hæc duo non sunt incompossibilia; & per consequens ex eo quod præcipiatur primum, non præcipitur neque infertur secundum. Hæc autem duo non esse incompossibilia patet manifestè, quia si v. g. in aliqua Republica consultetur an sit deferendus alicui Ciui aliquis honor, & in Concilio quis iudicauerit & iudicet eiusmodi honorem non defetendum esse dicto Ciui; si statuatur à maiori parte Concilij illum honorem ei deferendum, Princeps, seu Dux, qui in illa Republica præsidet, tenetur & debet homini illi præstare honorem præceptum vt Minister Reipublicæ, esto vt priuatus & pars singularis Reipublicæ contrarium senserit & sentiat, vt patet cuilibet consideranti rem intimè. Si Aman nomine Regis debuit honore magno prosequi, & prosequutus est Mardochæum clamans: *Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare*, licet in corde eum putaret dignum suspendio, & illud ei pararet.

13. Probatur 9. Eadem veritas in vsu celebritatis aliquorum Sanctorum quos venerãtur in aliqua peculiari Ecclesia, non verò in Romana à qua sæpe excluduntur in suo Martyrologio, quia non habetur de eis tanta certitudo, quanta in ea requiritur; si enim ij, qui in consilium adhibiti sunt in huius rei discussione petant eam vrbem, in quâ colitur ille Sanctus, certè tenentur se conformare illius Ecclesiæ moti, præsertim si eiusdem fiant Episcopi & Pastores, & tamen non tenentur interius excludere iudicium speculatiuum, quod habuerunt in consultatione Romæ. Ergo etiam si præcipiat Pontifex Romanus omnes colere Conceptionem Virginis iuxta sensum Romanæ Ecclesiæ vt Ministri eius; non propterea vetat eorum iudicium opinatiuum in contrarium internum, & extra talem celebrationem; id quod ostenditur exemplo Patrum nostrorum Reuisorum, qui proferunt sententiam de impressione librorum; nam si ex iis tres putent librum imprimendum vel contra, cæteri duo provt faciunt vnum corpus cum aliis, subscribunt sententiæ maioris partis, etiamsi de cætero putent, & putauerint oppositum fuisse, vel esse agendum: vt in casu nostro; & ex his sexcenta possunt animaduerti inuentum iri pro confirmatione præsentis assertionis, nam multa dicuntur & sentiuntur ab aliquibus provt gerunt vnam personam, alia verò provt stant pro alia. Sic aduertit S. Thomas, quod sanctissima Virgo orabat dicens. Dimitte nobis debita nostra, sed non in persona sua, sed Ecclesiæ. Licet item Sacerdotibus priuata oratione orare pro hoc vel illo hæretico, vetatur autem id fieri pro hoc vel illo publica prece. Quocirca in casu nostro tenentur etiam Dominicani vt Ministri publici celebrare in sensu Ecclesiæ Romanæ & vniuersalis, esto de cætero eis permittatur sensus non declaratus censurabilis; nam ij debent putare bene se gerere in hac celebratione sanctam Ecclesiam, & sufficienter procedere certitudine morali, & eadem ipsi ducti, debent colere ex parte Ecclesiæ, sicut colit eadem Ecclesia; alioqui

essent

essent membra opposita sancto corpori Ecclesiæ.

§. II.

Perspicuum & apertum fit, nullam vim habere pro mutatione sensus nominis Conceptionis post Gregor. XV. fundamentum secundum aduersantium, sumptum ex eo quòd in decreto de nomine Conceptionis vsurpando in celebritate Virginis dicatur nullum præiudicium fieri oppositæ sententiæ admittenti maculam in Conceptione Virginis.

1. QVia Gregorius XV. præcepit omnes in Ecclesia vniuersali debere vti nomine Conceptionis, dum celebrarent ex præcepto eiusmodi festum, volunt Aduersarij mutauisse sensum primum nomen Conceptionis, & non stetisse præcisè pro primo instanti animationis Virginis, sed vel pro primo, vel pro secundo disiunctiuè, & rationem grandem huius rei assignant; quia idem Gregorius dicit se nolle per eam Bullam præiudicium facere sententiæ danti maculam sanctissimæ Virgini pro primo instanti infusionis animæ suæ. Sed subsumunt ipsi, si nomen Conceptionis stetisset in primo sensu, præiudicium factum esset præfatæ sententiæ, nam celebrari deberet festum præcisè pro prima animatione Virginis, quam prius significabat nomé Concept. & per consequens Ecclesia Rom. decidisset, vel quasi decidisset contra eiusm. sententiã, dum ab omnibus vellet coli primam animationem vt sanctam, quod non posset agere, nisi pro indubitato sensu tradidisset Dei Genitricem in eo primo instanti fuisse sanctam. Nam Ecclesia vniuersalis non celebrat, neque celebrare potest statum Virginis in peccato. Sed quidquid sit de hoc discursu, quo vtuntur aduersantes, quem vidimus vndique claudicare, ex aliis capitibus in præsenti solum diluemus fundamentum, quod astruunt ad probandum hanc mutationem sensus, ex eo quod per eiusmodi decretum statuerit Gregorius nullum velle fieri præiudicium dictæ sententiæ.

2. Nullum enim est hoc fundamentum, & inanis prorsus hæc coniectura ad intentum probandum, nam prætensa verba Gregorij non cadunt supra vsurpationem nominis Conceptionis in celebratione eius festi, sed supra præiudicium sententiæ opinantis primam animationem Virginis cum macula, quod inferri, magnum vsque ad censuram posset existimari, & propositiones antecedentes solæ relictæ fuissent in Bulla sine hoc addito, quia scilicet indictum est ei silentium hoc sensu, etiam inter priuata colloquia sub pœna excommunicationis, & ex ea posset inferri eius censura: ne ergo ei impingeretur, addidit Gregorius. *Per huiusmodi autem prouisionem non sanctitas sua intendit reprobare alteram opinionem, nec ei prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus in præsenti reperitur præterquam quoad supra disputata,* Et post hæc imperat, præcepitque in celebratione festi Conceptionis neminem alio quam Conceptionis vti nomine. Quare præiudicium vitatur à Pontifice in iis, quæ dixerat in antecedentibus, non vero in iis, in quibus subsequitur & ait. *Insuper eadem sanctitas sua cum sancta Rom. Ecclesia de beatissima & intemerata Virginis Maria Conceptione festum solemniter & officium celebret, omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam cuiusuis Ordinis & instituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio ac diuino officio celebrandis tam publicè quam priuatim non alio quam Conceptionis nomine vti debeant,* Nec de præiudicio vitando aliquid meminit, quare nullum hic vetatur: & de cætero factum esse quoad hoc, dictæ sententiæ nemo negare debet.

3. Nec dicas præiudicij vitationem referendam esse ad vtramque decreti partem ex cap. *exiit.* De verbor. signif. in 6. vbi Nicolaus III. scripsit. *Ex vtriusque iuris argumenta nos docent ea, quæ in principio ad medium & ad finem, illa vero quæ in medio ad finem, atque principium, & ea, quæ in fine ad vtrumque vel alterum eorum sæpè referri:* Nam hæc doctrina valet in iis, quæ disputata non sunt, & ad inuicem connexa vnum faciunt, non in disparatis qualia sunt hæc duo tractata in decreto Gregor. vnum scilicet de seruandis Bullis in non censurando oppositas sententias circa Conceptionem Virginis, & de silentio omnimodo seruando ab vna ex duabus maculante Conceptionem eandem, quæ omnia pertinent ad doctrinam, & sunt dogmatica. Aliud est pertinens ad cultum & celebrationem festi Conceptionis non sub alio nomine quam Conceptionis, vt excluderetur nomen sanctificationis, & si quid simile, quod excluſum absolutè etiam fuerat à Pio V. & pro Ecclesia Rom. à Sixto etiam IV. qui censurauerat sensum dicentem eam non celebrare nisi Conceptionem spiritualem, vel sanctificationem Virginis, quo patet clausulam dictam non benè cadere supra hanc secundam partem Decreti, neque ad ipsam extendendam, sed bene tantum cecidisse supra primam; quo Gregorius illud ipsum replicauit, quod dictauerat in sua Bulla Paulus V. qui hoc silentium maculanti Conceptionem in publicis Conuentibus imposuerat, & addiderat nullum sententiæ per hoc fieri præiudicium, videlicet eam censurando, & damnando; & quemadmodum Paulus nonnisi huic negationi censuræ incubuit in his verbis, ita in ipsissimis non nisi in eodem incubuit Gregorius, vt bene ponderat etiam Cismontana familia in Armamentario Seraphico *in num. primo libelli à se reiecti, fol.* 287. & deinceps, necnon Calderonius super eadem prima verba Libellatoris.

4. Probatur 2. eadem veritas, quia in hac ipsa

ipsa clausula exprimitur quod ad summum præiudicium illud vitatur in vna ex dictis sententiis, quod diximus esse de ea non censuranda, nam de ea habet Pontifex: *Eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur.* Quare si eo tempore firmum erat quod Ecclesia Romana ex eo quod celebrabat festum Conceptionis sub prima animatione sentiebat, & accipiebat Conceptionem pro prima animatione, id omnino in ea reliquit Gregorius. Nec in secunda parte Decreti id reuocauit vel limitauit, & si reuocauisset, & limitauisset, dum prius firmauerat suis ipsissimis verbis omnino clarioribus clausulis: id docere debuisset, cum tamen clausulas adhibuerat euidentes ad oppositum demonstrandum: vt in sequentibus videbimus. Præterea si tempore Gregorij hæc sententia maculans Conceptionem Virginis cecidisset à sua probabilitate: per hæc verba in sua improbabilitate eam reliquerunt hæc verba Gregorij vt patet. Nam verbum Decreti eam relinquens in eodem statu est. Hoc expresè significat, cum præsertim cecidisse à probabilitate, non faciat sententiam censurabilem Theologicè, sed merè Philosophicè falsam, vt notant Auctores communiter, & patet ex iis, quæ nos animaduertimus supra in explicandis censuris *disp. 2. diuis. 2.* posito autem quod improbabilis esset sententia maculans Conceptionem Virginis, non posset subdi secunda pars Decreti de vsurpatione nominis Conceptionis celebrandæ sub significatione primæ vel secundæ animationis, vt liquido constat. Tertiò, adde quod si tempore Pij V. hæc opinio fuit merè in aliquibus tolerata, tempore Pauli fuit minus tolerata & reiecta à Concionibus vel disputationibus publicis, & cum hac minori toleratione inueniebatur tempore Gregorij, cui diminuta fuit ab ipso Gregorio tolerantia, & exclusa etiam fuit à priuatis scriptis, & colloquiis, vnde inepta prorsus fuit facta, vt in publica celebratione festi Conceptionis nomen vsurpatum ad solemnizandam sanctitatem Virginis, factum fuerit aptum ad solemnizandum secundum suum sensum vt sic enim non amandata fuisset à publicis & priuatis colloquiis & scriptis, sed in ipsamet solemnitate Ecclesiæ expresè de nouo intrusa fuisset contra priora Decreta Pontificum, & vsum Romanæ Ecclesiæ, quod esset fatuum dicere. Quæ omnia, breuiter tangimus, ne valde in longum procedamus, cum sicuti videt lector, perpetua suppetant argumenta noua ad res nostras confirmandas.

7. Probatur 3. Quod concluſimus, quia etiamsi demus aduersariis clausulam dictam afficere secundam partem Decreti de vsurpando nomine Concept. adhuc prorsus nullum est hoc fundamentum aduersantium ad ostendendū nomen Conceptionis mutauisse sensum determinatum in significando primam animationem, & distractum fuisse ad significandam illam pro primo instanti, & sequenti tempore animationis; nam Gregorius sicuti & Paulus præiudicium sententiæ dictæ noluit fieri non absolutè nullum, sed expresè concessit fieri, immo & voluit fieri ex dispositis à se in eadem Bulla, scilicet ex silentio imperato tali sententiæ etiam in priuatis colloquiis & scriptis; ex qua dispositione certum est quod aliquod præiudicium factum sit eiusmodi sententiæ, quæ facta est valde minus tolerabilis ex illo statu, in quo erat antea tolerabilis, nam merè facta est tolerabilis in mente aliquorum, non vero extrinsecus in Ecclesia Dei, neque priuatim vel ore vel scripto; quare si hæc dicta clausula de præiudicio non facto dictæ sententiæ cadit supra Decretum de non vsurpando alio nomine, quam illo Conceptionis in Missa & officio celebritatis festi Conceptionis, debet intelligi cadere eo modo, quo posita est à Pontifice videlicet cum illo addito, *Scilicet præterquam quoad supra disposita.* Inter dispositā autem cùm fuerit silentium impositum, & vitatio vsurpationis alterius nominis à nomine Conceptionis, omne præiudicium quod oriri potest huic sententiæ tum ex primo tum ex secundo, quod fuit à Pontifice dispositum in hac Bulla, totum conceditur ab eodem fieri eiusmodi sententiæ; atque adeo tum ex ipsorum sensu restringi ipsos ad non vsurpandum aliud nomen, quam illud Conceptionis in hac celebritate sine mutatione sensus, facit magnum præiudicium huic sententiæ, dummodo illud ei proueniat ex hac dispositione Pontificis vt patet, non vitatur ipsum vllo modo, sed infertur, quia non vitari sed inferri voluit ipsemet Pontifex, qui hac exceptione firmauit præiudicium proueniens ex eiusmodi dispositione, quæ per ipsum exempta est à non causando præiudicio. Tantum abest ergo quod hæc clausula aliquid adiumenti contulerit aduersariis, vt ea destruxerit sua fundamenta, eaque vt nulla perspicuè demonstrauerit; & cum in virtute eius, qua se exemptos à præiudicio putauerint, exaggerarunt certè sine illa præiudicium sibi factum, dum ostendimus eam ipsis non prodesse, sed obesse, & confirmasse ex sequentibus præiudicium à se ipsis assertum; ipsi sibi iugulum rupto filo in cuius integritate fidebant, ne eorum fauces perstringerentur, fortius intimiusque perstrinxerunt. Vt inde liquido constet, quod ea omnia, quæ contra immaculatam Conceptionem sine fundamento inuenire sibi videantur, ipsis sint in laqueum, & ad eam conuertantur decorandam, firmandamque vt verissimam & inoppugnabilem.

§. III.

Demonstratur nullum tertium fundamentum quo probatur mutatio sensus in nomine Cõceptionis post Gregor. XV. quia Vrbanus VIII. noluit in aliquibus Bullis apponi titulum immaculati eidem nomini Conceptionis.

1. VT vidimus bis referunt Libellatores Vrbanum negauisse titulum immaculati nomini Conceptionis, initio scilicet Pontificatus

tificatus sui petentibus variis Dynastis. Et secundò in institutione militiæ sub nomine Conceptionis. Sed falsissimum æssumptum, & narratio vtraq; nam initio Pontificatus nihil tale petierunt Christiani Principes, neque bene petiissent id, quod ex tot tantisque Pontificibus habebant luculenter, vt alibi referemus. Proferant Libellatores hos Principes, & cum nulli fuerint, iam ex primo, mendacij conuincuntur vt Cismontana familia & Calderonius contra eos scribit, & notat in dictis Paragraphis.

2. Sed dices, Calderonius refert Oratorem Hispanum apud Vrbanum egisse vt Officium Nuegarolicum posset ad libitum recitari, vt habetur *cap.* 4. §. 1. *n.* 7. & *cap.* 5. §. 5. *n.* 67. at hoc, vt ipse notat, non ex parte Regis Hispaniarum, neque vllius alterius Principis Christiani. Manet ergo firmum mendacium confictum de petitione magnorum Principum. Audiant Libellatores in hac re Calderonium, *cap.* 4. qui scripsit. *Ego sane pietatem & deuotionem Oratoris Regij laudo, consilium & factum non probo. Nihil enim opus erat vt a Pontifice efflagitaret Officium Nuegarolicum, cum illud, quo Ecclesia Rom. vtitur post reformationem Pij V. præstantius sit, & Conceptioni immaculatæ honorabilius, vt ostendam cap. sequ. & 9. nec etiam dubito Oratorem non habuisse in mandatis Regijs eiusmodi petitionem.*

3. Secundò, dum damus Libellatoribus renuisse Vrbanum concedere pro aliis, quam pro Franciscanis Patribus hoc Officium, negamus penitus id renuisse, quia nolebat recedere à vestigiis Prædecessorum suorum, qui vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant; (& ecce secunda confictio) quia huius dicti nullum aptum testimonium proferunt, & sæpe Calderonius & Cismontana familia eos euincit vt rerum confictores, quare fictitie hic etiam locutos autumant, & autumare omnibus licet, vt alibi fusius ostendemus. Nec quia Officium istud renuit concedere pro omnibus ad libitum Vrbanus negauit apponere titulum immaculati nomini Conceptionis. Nec item quartò, si negasset apponere, correxisset, quod ei tradidere alij Pontifices, qui titulum hunc expresse illi dedere, quæ enim præsertim in materia doctrinæ vnus Pontifex tradit, non censetur, quia non repetit alius, idcirco illud negare, & reprobare vt euidentissimum est. Innumera enim sunt, quæ in vna materia proferunt plures Pontifices, quod cæteri non replicant; & insanus est, qui suspicetur, inde tale quid ab eis reprobari vel corrigi, & tempus nobis non sufficeret longissimum, si quæ hoc euidenter demonstrant, recitare vellemus.

4. Quintò non videt Libellator in hisce suis verbis sibi ipsi transfigere telum; nam notat noluisse apponere titulum immaculati, quia noluit recedere à vestigiis Prædecessorum suorum, qui vtramque sententiam in sua probabilitate reliquerant. Ergo si apposuisset titulum immaculati vnam ex sententiis non in sua probabilitate reliquisset. Et per consequens cum cæteri Pontifices anteriores ipso illum apposuerint Conceptioni, vt Sixtus IV. & omnes Pontifices, qui eius Extrauagantes approbauere. Videlicet Alex. IV. qui vnam ex illis videlicet secundam integram suæ Bullæ inseruit: & præterea Leo X. Pius V. Paulus III. & Gregor. XIII. nec non etiam specialiter Iulius II. & item Leo X. nec non Paulus III. & Sixtus V. qui purissimam atque adeo immaculatam vocat Conceptionem. Et tandem Paulus V. in viuæ vocis oraculo relato à Card. Aragonio, vt habes apud Calderonium *cap.* 15. *n.* 27. cum inquam hi omnes maximè posteriores Pio V. & ipse Pius V. dederint hunc titulum Conceptioni, in sua probabilitate non reliquerunt sententiam dantem maculam Conceptioni Virginis; atque hæc circa primam relationem historicam, quæ ex historia ipsa nihil facit pro mutatione sensus in nomine Conceptionis.

5. Secundò, notant historicè Libellatores, quod Vrbanus iusserit expungi nomen immaculatæ, quod ex errore vel fraude ab impressore positum fuerat Diplomati militiæ institutæ sub nomine Conceptionis Deiparæ, vnde inferunt quod inde hoc egerit, quia voluerit nomen Conceptionis celebrandæ indifferens seruari ad significandum primum vel secundum instans animationis Virginis.

6. Atque huic historiæ vt sic merè ab ipsis relatæ sine teste probato, nulla certa fides danda, cum in priori viderimus Libellatores vel ex iniuria, vel ex alio figmento mendaces. Præterea etiamsi credi possit sub dubio, quod impressor nomen immaculati addiderit nomini Conceptionis, relationem hanc mendacij arguit, quod referatur deletum hoc verbum ex mandato Vrbani, quod nullo modo verissimile est, nam immediatus exequutor eiusmodi impressionis, dum in originali Diplomatis tale verbum non acceperit, rem ad Pontificem deferri non siuisset, sed sua sponte verbum illud expunxisset, ne visus esset ipse de se illud addidisse cum falsificatione Diplomatis addendo de suo id, quod ibi non erat. Propter quod omnino debuisset timere de aeri & iustissima reprehensione Pontificis; quare videtur confictum quod expuncta fuerit hæc vox vsque dum relata fuerit Pontifici, & ab eo imperata deletio. Ex eo autem quod exequutor impressionis illam eraserit à Bulla, nihil prorsus inde probatur vt patet: atque adeo nullum hoc fundamentum.

7. Sed demus expresse noluisse Vrbanum VIII. apponere titulum immaculati nomini Conceptionis, & putauerit præiudicium afferri maius sententiæ danti maculam Virgini, quia sic ei retulerint nostri Aduersantes, vtpote ad aures Pontificis ex officio constituti; hoc certè si putauit, non ex se id putauit, vt apertè patet, nam hæc notatio non est neque fuit apud vllum auctorem, qui scripserit post Gregorium contra immaculatam Cõceptionem, nam nullus fuit, neque apud eos, qui pro immaculata Conceptione pugnant, sicuti omnes legi possunt. Debuerunt ergo hoc Pontifici suggerere Aduersantes Conceptioni purissimæ; quare si titulus hic apponendus fuisset, erant hi contradictores audiendi more Sedis Apostol. quæ omnia considerantissimè gerit, & res præsertim in controuersiam ponendas & discutiendas: quare omnino à publicatione petiti

Diplomatis

Diplomatis erat abstinendum, & mora rei danda circa id; quod non petebatur vllo modo ab institutoribus dictæ militiæ: vnde cum nulla esset ratio vel legitimum caput huius motæ controuersiæ discutiendæ, neque aliquid magnum daret Conceptioni purissimæ Virginis Pontifex, quod illa non habuisset, & de cætero audiendi essent ab ipso clamores & querelæ Aduersantium, qui sibi præiudicium fieri clamitassent, non poterat non expungere prudentissimus Pontifex dictum titulum immaculati: sed ita vt nullo modo ex hac expunctione posset colligi, quod inde hoc egerit, quia iudicauerit nomen Conceptionis coarctari à sua significatione indifferenti ad primã & secundam animationem Virginis, nullo ergo prorsus modo, neque per somnium nisi valde insanum potest hinc inferri dicta mutatio sensus in nomine Conceptionis posit Gregor. XV. notata ab Vrbano VIII.

8. Quod autem Vrbanus VIII. ad summum hunc clamorem Aduersantium vitare voluerit & pacificè de reliquo honorem omnem & venerationem immaculatæ Conceptioni tribuere, nec nisi sub nomine immaculatæ eam colere & celebrari & decorari velle ab vniuersa Ecclesia: patet, quia replicatis vicibus sanctiss. Matrem nominat, & agnoscit immaculatam in Cõceptione, nec aliquam isto nomine insignit, dum de ea substante Conceptioni loquitur. Dicere autem Virginem immaculatam, semper dum de eius Conceptione loquitur, & antonomasticè significãs eam esse immaculatam, dum eam in statu Conceptionis considerat; maximè immaculatam facit, & significat Conceptionem; quia qui dicit immaculatam Virginem, tum tempore Conceptionis, cum omni tempore vitæ plus immaculatam, quam in Conceptione solum facit Virginem; sed Vrbanus eam facit & nominat immaculatam in omni tempore, eoque Conceptionis; ergo facit eam plus quam in Conceptione immaculatam, & per consequens saltem per euidentem consequentiam facit eam immaculatam in Conceptione, quod non aduertentes Aduersarij ex Spiritus sancti prouidentia, illud ipsum suggesserunt non aduertentes suæ petitioni aduersari. Maior huius syllogismi patet. Minor prob. quia si replicatur Natiuitas immaculatæ Virginis, & Præsentatio immaculatæ Virginis, maximè dicitur immaculata Virgo pro omni tempore vitæ, & specialiter etiam pro signo Natiuitatis, ergo similiter si Conceptio Virginis signanter dicitur Conceptio immaculatæ Virginis, significatur immunitas eius ab omni macula, & præsertim tempore Cõceptionis, quia sicuti si tempore Natiuitatis aliquis sanctus diceretur, & replicaretur immaculatus deberet intelligi sine macula in suo ortu, ita si Conceptio signanter dicitur immaculatæ Virginis: pro eodem signo Conceptionis debet dici, intelligi, & significari immaculata.

9. His adde. Tertiò, quod sicuti si veneraretur Natiuitas alicuius Sancti, & titulo Natiuitatis eius, replicati immaculati, Pontificia auctoritate decoraretur, & insigneretur aliqua congregatio vel militia, vel exercitus; bene quis posset arguere, quodque is Sanctus, dum aliud non obest, aperte censeretur in sanctitate natus, si præsertim alij Pontifices vt Sanctum in Natiuitate retulissent, ergo & à pari & à fortiori in beatissima Matre pro statu Conceptionis dicta tum immaculata idem infero.

10. Quartò, qui replicat Conceptionem Virginis cum titulo immaculatæ specialiter & frequenter, ostendit se considerare & significare Virginem immaculatam in statu Conceptionis, non posset vllo modo eam signare immaculatam pro omni tempore vitæ excludendo tempus, seu signum Conceptionis; ergo debet dicere illam immaculatam tempus illud includendo, & sic sequitur intentum. Quod autem dum dicitur signanter Virgo immaculata pro omni tempore, & consideratur & signatur pro tempore Conceptionis; non excludatur esse immaculata pro signo Cõceptionis patet, quia pro illo signo non conueniret illi titulus immaculati, ergo non deberet omnino ei ita replicate saltem aptari, cum pro eo conueniret ei titulus oppositus, non signatus immaculati; quemadmodum si sermo esset de homine tempore, quo sordidatus fuerit in luto, non bene aptaretur illi pro statu tali habito & recensito cum veneratione titulus mundissimi & immaculati, ita in casu nostro: quæ ita magis confirmabuntur ex iis, quæ dicemus in opusculo ex argumentis desumptis à dictis Patribus pro immaculata Conceptione, ad quod remitto lectorem pro efficacia huius argumenti.

11. Quintò, Vrbanum VIII. nullo modo agnouisse, neque fecisse mutationem sensus in nomine Conceptionis, patere potest, non solum ex dictis, sed quia vt bene notat Calderonius aliis occultissimis modis, à quibus non poterat ab Aduersantibus facilè auerti, factis ostendit se velle in Ecclesia coli Conceptionem dignissimam Dei Matris sub prima animatione præcisa, nec aliter intelligere celebritatem eius à Gregorio firmatam; etenim dum firmauit variis Diplomatibus militia sub ratione immaculati colentem, & volentem colere Conceptionem Deiparæ, & sub hoc titulo petentem confirmationem, vt perspicuum fuit ex petitione facta à Duce Mantuæ super erectionem eiusmodi militiæ, dum inquam talem militiam sub hoc nomine Conceptionis firmauit, nonnisi iuxta petentium sensum eam firmauisse censendum est. Sic si similis militia instituereturr sub nomine Assumptionis Virginis, quæ specialiter coleret eius corporis gloriam in Cœlo, & Pontifex eam confirmaret, certè firmaret sensum de corpore glorioso eiusdem Virginis, etiamsi de cætero non firmaret illam sub nomine Assumptionis in corpore: ita in casu dicto Vrbanus, censeri debet confirmauisse militiam, vt colentem Conceptionem immaculatam, & non præscindentem à prima & secunda animatione, sed præcisè sub prima animatione.

12. Idem, sextò constat, quia confirmauit hanc militiam sub Regula sancti Francisci, vt ostenderet in eo sensu se accipere Conceptionem, quo eam Franciscani colunt, videlicet sub prima animatione; nam eodem modo similem subiectionem alterius Religiosi Monasterij; quod prius subiectum

erat

erat Cistercienſibus, dedit Patribus Franciſcanis cum propriis Conſtitutionibus ex hoc capite Iulius II. *Volumus, inquit* (in Conſt. eiuſdem ſcilicet Monaſterij ab ipſo confirmatis cap. 4. *Quod ex quo Fratres Minores tam indefeſſo ſtudio, & vigilantia puritatis & innocentiæ Dei Genitricis defenſores exiſtunt, Vicarij Generales in ſuis Vicariis & Prouinciales & Cuſtodes in ſuis Prouinciis & Cuſtodiis ſint Viſitatores huius ſanctæ Religionis; quibus firmiter teneantur obedire in omnibus.*

13. Septimò, idem Vrbanus confirmauit ſtemma proprium huius militiæ, quod Conceptionem ſub dicto, & primæuo ſenſu ſignificat, ſcilicet non admittentem inſtans, in quo Virgo non fuerit immaculata, atque adeo primum, in quo fuerit ſancta, hoc autem fuit vt dicitur 2. p. conſtit. *Crux aurea notis vermiculata cerulei coloris, quæ in medio ex vna parte habeat imaginem Conceptionis circumdatam cingulo S. Franciſci, ex alia vero imaginem S. Michaëlis Archangeli.* (Conterentis ſcilicet caput ſerpentis, in quo exprimitur originale non permiſſum in Virgine) *Tænia vero ſeu faſcia eui ex collo Crux pendebit ſerico ceruleo, atque albo intexta erit.* Et redditur ratio in eiſdem Conſtitutionibus confirmatis ab Vrbano de vſu eiuſmodi ſtemmatis. *Prout myſterium Conceptionis eius deſignans illam refert amictam Sole, habentem Lunam ſub pedibus, & in capite coronam duodecim ſtellis inſignitam:* Vt oſtendatur apertè nonniſi in ſenſu primo Concept. hæc omnia conceſſa huic militiæ, dum dicitur quod eo deſignant myſterium Concept. quod non eſt niſi in Conceptione ſub ſenſu primæ animationis, nec aliud niſi iſtud intendebatur ab hac militia; vt ex eius profeſſione & ſupplicibus libellis ad Vrbanum eumdem relatis à Calderonio *ibidem* perſpicuum eſt.

14. Octauò, Color albus & cæruleus conceſſus faſciæ, illud ipſum debuit ſignificare apud Vrbanum, quod ſignificauit apud Iulium II. qui ſub eis ſignificari voluit primam animationem Virginis puriſſimam: nam ſcripſit in conſtit. Monialium immaculatæ Concept. prædictarum cap. 3. *Habitus cum ſcapulari ſint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior, virgineæ puritatis mentis & corporis teſtimonium præbeat.* & de Pallio Hyacinthino. *Propter myſticam ſignificationem videlicet quod gloriosa Virginis anima à creatione ſua tota facta eſt cœleſtis, & ſingularis Regis æterni thalamus.*

15. Nonò, ſcribens Iſabellæ Borboniæ Reginæ Hiſpaniarum, vxori Philippi IV. Regis Catholici; quæ petierat definitionem immaculatæ Conceptionis habitum ſupradictum miſit, & in hac militia coaptauit, ſicuti & extra morem quoſlibet Epiſcopos, Archiepiſcop. eundem habitum eos vſurpare conceſſit, & in Epiſtola ita ei loquutus eſt, *Mittitur maieſtati tuæ munitus Apoſtolica benedictione habitus militiæ Chriſtianæ, quæ ab eiuſdem Virginis Conceptione petiit ſacrum equeſtris familiæ nomen, & auſpicium. Sic quod inſigne Catholica Regina condis in corde, idem in regali pectore geſtabis.* Regina autem hæc, in corde non gerebat ſenſum & affectum niſi ſanctitatis & puritatis primæ animationis Virginis; ergo hunc illi his verbis confirmat Vrbanus, nec alio vtitur ſenſu in decoranda Conceptione ſub diſtinctione ſcilicet primæ vel ſecundæ animationis.

16. Decimò, Idem Vrbanus in vrbe erexit Conuentum PP. Capucinorum ſub nomine Conceptionis, & in lapide fundamentali impreſſit imaginem Concept. Virginis teſte Hippolyto Marachio *in Pontificibus Marianis c. 95.* & in Regio Matritenſi Monaſterio Diſcalceatarum ſub Regula S. Franciſci duas erexit Capellanias cùm penſione aureorum mille, teſte Calderonio *c. 5. n. 208.* ſub titulo Concept. ad feſtum Concept. præcipuè celebrandum, nam Philippus IV. qui hanc penſionem petiit propter deuotionem, quam ſequebatur ex Patre ſuo Philippo III. circa myſterium puriſſimæ Conceptionis dicit ſe eam petitionem expoſuiſſe. Necnon Confratribus immaculatæ Conceptionis in Eccleſia S. Franciſci orantibus indulgentiam Conceſſit; quæ omnia cum omnino debeant ſupponi conceſſa ſecundum apertiſſimum, & euidentiſſimum ſenſum petentium, qui fuit in honorem Concept. puræ pro prima animatione Deiparæ; oſtendunt pariter non in alio ſenſu ac dicto, ſumpſiſſe Concept. Vrbanum. VIII. quare nullum prorſus eſt fundamentum, quo nituntur Aduerſarij ad oſtendendum, quod nomen Concept. poſt Gregorium XV. ſignificare inceperit primam vel ſecundam animationem Dei Matris diſiunctiuè non præcisè primam.

DIVISIO III.

Abſolutè & poſitiuè demonſtratur à Gregorio XV. nullam factam mutationem ſignificationis in nomine Conceptionis, ipſumque perſtitiſſe in primæua primæ animationis Dei Genitricis.

1. FVndamentis penitus dirutis, quibus hæc mutatio ſignificationis in nomine Conceptionis arguebatur, eam abſolutè prorſus nullam oſtenſiuis argumentis demonſtrare debemus quod vt agamus; primo retexere hiſtoricè debemus ea, quæ antecеſſerunt, & ſubſecuta ſunt, quæque narrant Auctores, antequam, & poſtquam à Gregorio deuentum fuit ad Bullam euulgandam; quæ ſilentium impoſuit omnis prorſus generis, ſenſui maculanti Dei Matris Conceptionem; & præceptum non alio, quam Conceptionis nomine vtendi in Miſſa & Officio eius ſolemnitatis; ex eiuſmodi enim progreſſu hiſtorico narrato patebit quam fictitia, quam inſana quam fatua, quam temeraria ſit hæc mutatio ſenſus inuecta in nomine Concept. vt vniuerſæ Eccleſiæ pateat ad euidentiã quantũ quotidie intolerabilis, & vt ita dicã, inaudibilis & reiicienda penitus ſit enunciatio oppoſita

immaculatæ Conceptioni, quæ tot monstra doctrinæ perfert, quæ omnia fusdeque inuertit & perturbat; omnes Catholicos sensus deturpat ac deiicit more, vt notauimus, hæreticorum, qui falsitates, & errores suos nonnisi falsitatibus & erroribus perpetuis, firmare, vel tegere soliti sunt. Ad rem deueniamus & videamus si aliquis tractatus præcessit, si aliqua discussio facta fuit, si aliqua conuentio intercessit de mutatione significationis in isto nomine Conceptionis, vnde ea possit aliquo tandem modo coniectari vt facta, vel etiam vt prætensa si non à Gregorio, saltem ab his aduersantibus; si enim nihil tale eo tempore contigisse scitur, apertissimè concluditur hoc fuisse & esse merum & inane figmentum ad declarandam vim argumenti, quod ex Ecclesiæ sensu manifestissimo de sanctitate primæ animationis Virginis habetur, ad oppugnandam & conculcandam vt falsam sententiam oppositam.

2. Res ita se habuit tempore Gregorij XV. Censores assistant relationi historiæ, quam fideliter referimus, obsignatisque tabellis, & non mero placito nostrorum verborum, vt ipsi Censores agere solent, & agunt in hac re, in qua quicquid dicunt: ex se ipsis, & mera sua auctoritate, & sine vlla probatione referunt; & in hac re speciatim cum omni falsitate scribunt *in p. Libellatore num.* 1. vt vidimus quod apud Vrbanum actum sit, vt non de Concept. vt sic, sed de Concept. immaculata celebraretur; & secundò, quod huic petitioni obstiterit Vrbanus; & tertiò, quod obstiterit, quia nolebat à Prædecessorũ vestigiis recedere. Quartò, quod Prædecessores vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant; & quintò quod non poterat affirmare Gregor. inter se pugnantia protulisse, quæ omnia quinque prorsus falsa sunt, nec à Libellatoribus vllum pro eis monumentum affertur. Et prima petitio relata falsã est, vt vidimus, quia solum de officio Nuegarolico actum, atque adeo secundo falsum, quod ei obstiterit Vrbanus, nam obstitit officio dicto tantum propter gloriam maiorem Virginis & decorem Ecclesiæ Rom. maiorem in retinendo Officio cultiori forma cõposito antiquiori, & ex reuelatione diuina præscripto. Falsum tertium quia supponit primum & secũdum, quod vtrumque falsum comprobatur. Falsum quartum quod Vrbanus renuit celebrare sub nomine immaculatæ Concept. quia prædecessores vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant; nam in controuersia est apud auctores an opposita sententia fuerit eo tempore probabilis, nec discussum fuit tempore Vrbani hoc punctum, nec ita discussum vt pro Aduersariis fuerit decisum; nam ad hoc stabiliendum irritæ fuissent quæcumque eorum vires, quæ obstare non possunt tot magnis argumentis in contrarium, & tandem penitus falsum, & mera confictio est, quod tempore Vrbani discussum & conclusum fuerit, quod si celebraretur Conceptio sub nomine immaculatæ, assereretur Gregorius pugnantia dixisse. Esto Aduersarij hoc prætendebant: asserere autem quod Gregorius in hunc absolutum sensum venerit cum decisione vt par erat, Theologorum grauissimorum, temerè dicitur, & qui fuere hi Theologi si id verum est, & quando discussum, & definitum hoc est.

3. Legatur quod scripsit in hac re de falsitate huius relationis Cismont. familia n. 54. fol. 298. *Nobis ex fide dignissimorum testium, qui tũc in vrbe aderant assertione compertum est prædictum Ducem de Alcala fel. rec. Vrbano VIII. petiisse vt liberum, licitumque esset quibuscumque Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis Officium Fr. Minorum in festo Concept. recitare, nihilque aliud eo tempore apud Sedem Catholicam actum, neque hoc ipsum Regis Catholici aut Hispanæ nationis nomine:* & de responso & causis ab Vrbano assignatis n 55. fol. 299. *Quicquid vero auctores Libellorum de causis ab Vrbano assignatis & allatis quasi vel ex ipsius ore audiuerint, vel dicenti verba dictauerint, vt compendio loquamur, nullo modo credimus, & indignum esse quod à prudentibus credatur, constantissimè asserimus:* Nec aliquid obstat relatio Ill. D. Francisci de Arauio *ex t. 1. in p. 2. q. 81. pag.* 323. qui scribit institutum à Domino Duce de Alcala, vt celebraretur festũ Concept. sub titulo immaculatæ, nam putauit vel ipse, vel ij, qui sibi retulerũt ex rumore sparso idem esse dicere celebrari sub titulo immaculatæ, ac recitari Officium Nuegarolicum, quod Conceptionem sæpe sæpius celebrat immaculatam, & sæpe rumores illud enunciant, quod est vel summa rei, vel dimidium eius, vel quod maximè aliquis haberet in optatis, seu alij magis timent, nec dictus Auctor aliquem rei luculentum testem adducit, sed solum notat id relatum esse nemine relationis auctore numerato dicens, vt refertur. In qua relatione nihil habetur subsistens nec pro Aduersantibus, nec etiam eiusmodi vt dignum sit seria & efficaci arguitione, cum isti homines fabricent sua magna dicta & pronunciata super arenam, & friuola proponunt arguentibus ad suorum dictorum confirmationem & defensionem, vt tempus sit terendum in futilibus reiiciendis, & expediendis gressibus à lapillis, paleis, ramusculis quibus viam sternunt non difficili quidẽ, sed molestissimo negotio. Bene etiam in hac re notat Cismontana familia super hanc Libellatoris falsam relationem scilicet. *Prorsus laboriosas partes in hac Apologia suscepimus; quid enim laboriosius, quam pugnando defatigari, cum nihil solidi videas quo impetum dirigere possis, & vires in ventum effundere; quare si Aduersariis propositum est disputationis conatum in nugis consumptũ deludere, vmbras ferro non diuerberabimus; sed eis solum, qua aliquam argumentorum speciem habeant, operam impendemus; quinam illi fuerunt ex fautoribus immaculatæ Concept. qui hac noua instantia Sedem Apost. compellarunt? A quo Catholico Principe, Prouincia, Ecclesia, vel vniuersitate id in mandatis habuerunt? Qua forma, quibus verbis exposuerunt Sedi Apost. suum desiderium, & petitionem? Quo testimonio constat Sedem Apostolicam, id quod ipsi referunt respondisse? Proferantur acta, exhibeantur instrumenta, qua reliquis nostri Regesti bona fide adiungantur; nam qua incertis rumoribus feruntur, facile iuxta narrantium affectum detorquentur; & in nulla causa ne dum in hac grauissima fidem facere possunt.*

Hæc autem ab æquis Iudicibus rerum rectè pensentur, comparentur cum fundato & solido sinceroque modo procedendi eorum, qui

pro

pro immaculata Conceptione saltem modo pugnant: qui nihil non veritati consentaneum, nihil non probatum proferunt; qui nugas amphibologicas vitant, & subterfugia quælibet: veritati, & ponderibus rerum, quæ aguntur insistentes, vt in præsenti videatur quam solida veritate pateat ex historico progressu, quo deuentum est ad Gregor. XV. Decretum, nulla ratione Gregorium mutauisse sensum nominis Conceptionis in sui vsurpatione, in Officio & Missa de Conceptione Deiparæ.

4. Historicus autem & veridicus huius rei progressus hic fuit. Anno Domini 1618. die 16. Decembr. ingressus est Romam D. Antonius à Treio Episcopus Carthag. Generalis olim Ordin. Minorum. Legatus extraordinarius Philippi III. Hisp. Regis Catholici Piissimi ad Paulũ V. Pontificem max. qui nomine Regis sui, cuius litteras attulit, aliorumque complurium Episcoporum, Ecclesiarum, Religionũ, & Regnorum Hisp. & Confessariorum Regis & Principis ex Dominicana familia, cum aliis doctissimorum virorum ex eodem ordine, petiit à summo Pontifice definitionẽ immaculatæ Cõceptionis, vel si ea in præsenti negaretur totale silentium oppositæ sententiæ & cultus vniuersalis idem pro tota Ecclesia sub nomine Concept. in eius festo. Verba petitionis primæ habentur apud VVadingum *sect. 2. in orat. 2. eiusd. legati ad sanctissimum n. 16. & 17. pag. 12. & orat. 3. §. 3. p. 109. & sect. 3. orat. 2.* præcipuè *§. 10. pag. 381. & §. 18. pag. 304.* Vbi habes apud eamdem familiam *fol. 283.* Verba verò petitionis 2. fuere. *Ne quis vllatenus auderet affirmatiuam opinionem publicè aut secretò docere, nec verbo aut scripto vllo modo de ea agere; & vt omnes vndique fideles eodem nomine ac sensu, quibus ab Ecclesia celebratur, colerent festum Conceptionis beatissimæ Virg.* Habes hanc legationem ex VVadingo in eius historia *sect. 1. n. 37. pag. 29. & n. 38. pag. 30. n. 31.* vt refert Cismontana familia *fol. 282. & deinceps ex oratione 1. Legati n. 11. pag. 48. & orat. 6. §. 4. pag. 157.* Per annum integrum; & quinque menses moratus fuit in hac legatione Ill. hic Episcopus, & vrbe discessit, euocatus à Rege, re infecta apud Paulum die 19. Maij 1620. vt legi potest ex *sect. 3. post. tr. 13. p. 425.*

5. Post hæc eadem instantia continuata refertur vsque ad obitum Pauli V. per Ducem Alburquerquium Ordinarium Catholici eiusdem Regis Philippi III. Legatum, & aliquantulum intermissa morte eius die 3. sequentis Martij, replicata est ardentius iussu Philippi IV. vt patet ex eius Epistolis registratis ab VVadingo *sect. 4. an. 20. pag. 437.* quas etiam ex parte habes *in Regestu Cism. fam. 318.* Deinde Comes Montis Regij Legatus extraordinarius superuenit Romam, die 12. Martij an. 1621. & rursum institit, & obtinuit vt pro scandalis vitandis Cardinales sactæ Congreg. inquisitionis Generalis consulerẽtur, & quicquid opportunè prouidendum esse censerent, referrent sanctiss. Greg. XV. vt testatur VVadingus idem *sect. 4. an. 28. pag. 441. ad n. 37. p. 445.* post omnes has instãtias exiit Decretum Greg. quod in regesto eodem refertur *fol. 183.* editũ 14. Maij an. 1622. in quo propter causas propositas à Legatis primo renouatur, & ad verbum inseritur Decretum Pauli V. & deinde ex eisdem causis extenditur Decretum Pauli de silentio in publicis, ad priuatos sermones, & vltimo interdicitur vsurpatio alterius nominis, quam Concept. in Officio & Missa. Decretum subsequutæ sunt litteræ Philip. IV. Margaritæ à Cruce Austriacæ Regis Cathol. amitæ in gratiarum actionem, & Ciuitatis Hispalensis ad eumdem Greg. & Gregorij ad Regem & Marguaritam, & ad eandẽ Ciuit. & vniuersalis lætitia in Regnis Prouin. & vrbibus summa cum consensione vt testatur Cisin. fam. *In armamen. Seraphico ar. 2. nu. 75.* & VVadingus *sect. 4. Legat. n. 40. p. 450.* vbi scribit de actis Rom. Vrbis. *Ad aras etiam solemnes intonarunt hymnos ordinatis etiam processionibus, & grauiori ritu sacris celebratis in gratiarũ actione, & immac. Mariæ publicum honorẽ ob stabilitam ab vniuerso peccatorum genere immunitatem.*

6. Ex quo historico progressu ita licet primo argumentari. Decretum Greg. quod fuit: *Et insuper sanctitas sua cum S. Rom. Ecclesia de beatiss. & intemerata V. Maria Concept. festum solemniter & officium celebret, omnibus & singulis personis Ecclesiast. tam secularibus, quam cuiusuis Ordinis & instituti Regularib. mandat & præcipit, vt in sacrosancta Missa sacrificio ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quam priuatim, nõ alio quam Concept. nomine vti debeant.* In eo sensu est intelligendum loqui de Concept. & vsurpatione talis nominis, in quo accipiebatur ab instantibus, vt sub eo solo celebraretur ab omnibus. Sed Conceptio ab his non sumebatur in sensu, quo significaret aliud à prima animatione primoq; eius instanti; ergo in eo prorsus sensu vsurpatum est à Greg. & per consequens nullã passum est hoc nomen sensus mutationẽ tempore Greg. Maior patet manifestè, quia in omnibus controuersiis in quibus apud Pontificem actũ est pro hac, vel illa declaratione à primis initiis Ecclesiæ, nunquam auditum vel scitum est, quod aliter egerit vllus Pontifex, & replicatis instantiis apud illum de vna determinata declaratione, is in Decreto suo significationem mutauerit in nomine principali, de quo erat cõtrouersia, & secundũm illam, secundum quam nõ poterat esse, tem deciderit vel decreuerit vel intelligendam, vel sequendam, & siquidem dicatur quod non egit vllus Pontifex, egerit in hac re Gregorius contra omnem morem, omnino debet dici, quod ad hoc vt legitimè hoc potuerit agere, debuerit Greg. signanter, & expressè notare eiusm. significationẽ mutatam, ne contra decorem S. Sedis Apost. videretur velle, vel voluisse illudere, seu deludere instantias & petitiones sibi factas, & condescendere, vel cõdescẽdisse cum hac vel illa petitione, eiq; assensum præbuisse, quem verè non præbuerit; quod esset manifestè voluisse decipere postulantes; & in casu nostro ferè vniuersam Ecclesiã quæ in postulantibus stabat, & cum postulantibus idẽ exoptabat & requirebat, quod non est vllo modo sine notabili præiudicio & errore contra Sedem Apost. sentiendum; etsi eadem S. Sedes quia vidit ex Decreto suo de silentio impositio sententiæ contrariæ, posse ortum habere aliquem alium sensum, qui censuraret illam, cautissimè voluit notatum ex eo non oriri in dicta sententia eiusmodi præiudicium; ita paritet si in assentiendo vnitati nominis Conceptionis vsurpando, mutauisset significationem

ea erat expressius notanda, quia primum nonnisi ex illatione haberi poterat: intelligentia autem vnius pro alio, seu sensus immutati pro mutato falso habita fuisset formaliter, atque adeo falsi modi loquendi vsus agnosceretur in Pontifice, qui hanc mutationem haberi voluerit, vbi locum non habebat; nec ipse de ea ad libitum suum facta, moneret Ecclesiam, quod asserere de sancta Sede videtur erroneum, alioqui si hoc posset agere, posset etiam fideles fallere, quod est enormiter dictum de eius sanctitate, & veracitate.

Minor autem primi argumenti est perspicua, quia ex historico progressu constitit quod instantia per annos facta sanctæ Sedi ad hunc scopum directa fuit, vt tolleretur omnis alius vsus alterius nominis à Conceptioue in celebratione eius festi, vt apparet ex citatis eorum verbis apud Vuadingum, vnde ad euidentiam sequitur prima, & secunda consequentia.

7. Secundò, idipsum argumentum fieri potest ex resistentia in contrarium facta ab aduersantibus eidem Decreto, quod ne prodiret ab eis, habuit moram annorũ. Nam in eo sensu debet intelligi acceptum à Gregorio nomẽ Conceptionis in suo Decreto, in quo illud oppugnarunt ipsi, & secum sentientes, vel pro ipsis obiicientes; sed ipsi non oppugnarunt in sensu, quo Conceptio staret pro primo & secundo iustanti animationis, sed provt stabat primo solum instanti; ergo in primo sensu sine vlla mutatione accepit Gregorius nomẽ Conceptionis. Maior patet, quia dum in vna causa vnum oppugnatur ne stet, & illud in Decreto Iudicis stare deciditur, in sensu certè, quo accipitur ab oppugnatoribus, debet intelligi decisum, alioqui frustra factum iudicium diceretur in re quæ controuersa non est, & quæ nullam deberet habere considerationem, cum vtraque pars litigans in alio sensu conueniret. Minor patet, quia vsurpationi nominis Conceptionis in tantum restiterunt Aduersantes, & semper vti volebant nomine sanctificationis, in quantum apud ipsos significabat sanctitatem celebratam pro prima animatione, non pro secunda: nam pro secunda erat eorum assertum; ergo in primo sensu ei restiterunt non in secundo. Et si dicas inter Aduersantes & Gregorium factam esse conuentionem de tali mutatione sensus, ac proinde ipsos consensisse Decreto, iam fabulas & errores narrabis intolerabiles, & tibi respondendum esse potius oris occlusione, quam vsu verborum; sed nemo in hæc erronea nisi insanus prodibit.

8. Tertiò, eadem vis argumentandi, & eadẽ forma posset vsurpari ex parte intelligentiæ indubitatæ, quæ fuit sequenti tempore ad Decretum ex parte tum eorum, qui institerunt pro hoc Decreto, tum totius ferè Ecclesiæ, quæ cũ ipsis sentiebat; nam in eo sensu æstimandus est, loquutus fuisse Ggeogorius, qui intellectus fuit ab instantibus pro immaculata, & ab vniuersa Ecclesia, sed intellectus fuit ipse loquutus in nostro & primo sensu, ergo in eo vere est loquutus, & nulla fuit ab eo habita significatio in nomine Conceptionis. Maior patet euidenter ex similibus, & ex eo quod monstruosum esset dicere, quod Pontifex in vno sensu edat quoddam Decretum & vniuersa ferè Ecclesia illud intelligat in alieno sensu ab eo, quem ipse intendit. Minor est euidens ex gratiarum actione quam egit Philippus IV. & Ciuitas Hispalensis eidem Gregorio. Sic Philippus IV. fœliciter regnans ex hac ipsa pietate, erga Virginem immaculatè Conceptam maximo Pontifici scripsit die 14. Iulij anno 1622. *Dux Albuquerquens & Comes Montis Regij me monuerunt, Decretum, quod à Sanctitate vestra emanauit in fauorem purissimæ Conceptionis Domine nostræ, ad quod peculiari affectus sum lætitia, dum considero quam sancta & vestra beatitudine digna fuerit hac resolutio, quantaque gloria hinc resultauit Deo, sanctissimaque Dei Genitrici, & fidelibus populis consolatio, qui tanto feruore & fiducia expectarunt successum hunc in fœlici vestra beatitudinis Pontificatu. Porro propter consolationem, & exultationem, quam concepimus ego Regina, & fratres mei ad bonum hunc nuncium sanctitatis vestra beatitudinis exosculer manus, sanctè asseuerans, inter summè grata hoc vnum me computare, & vltra quam dici potest, magni me æstimare, quodque mea interceſſio aliqualem habuerit in hac re partem, ſicut largius ſignificauis veſtræ beatitudini Dux Albuquerquius, cuius relationi, me remitto. Dominus noſter ſanctam veſtræ beatitudinis perſonam ſeruet incolumem ad bonum & proſperum totius regimen Eccleſiæ. Matriti 14. Iulij 1622. veſtræ ſanctitatis, per quam deuotus & humilis filius Philippus Dei gratia Rex Caſtellæ, legionis Aragoniæ, &c. Rex, & ex mandato Domini Regis Antonius de Aroſtagni.*

9. Ciuitas autem Hispalensis sic illi scripsit. *Beatiſſime Pater. Vrbs hæc & vniuerſa adhærẽs Prouincia ita ſe locupletatam agnoſcit magno illo bono, & fauore, quem reſultaſſe ex ſacro Decreto veſtræ beatitudinis circa myſterium immaculatæ Conceptionis Virginis ſanctiſſimæ Dei Genitricis & Domine noſtræ cognoſcit, vt proſtrata ad ſanctiſſimos veſtræ beatitudinis pedes per quã affectuoſas reddit gratias, quales debentur immortali huic & veluti diuino beneficio. Quod fauſto hoc veſtræ beatitudinis Pontificatu cœlitus impulſa adeo concupitam hanc gratiam præſtiterit veſtra ſanctitas fœliciſſimis ſuæ Maieſtatis Regnis* (Per quam æternum suum reddidit nomen, nullo vnquam æuo à cordibus fidelium abolendum) *Ciuitas hæc peculiari conatu nulli ſecunda, iuxta debita gratitudinis & perpetuæ obligationis menſuram ſemper Dominum orabit, vt veſtram beatitudinem plurimis & fœliciſſimis annis tueatur incolumem, iuxta Chriſtiani orbis neceſſitatem. Datum Hiſpali 12. Iul. ann. 1622.*

10. In quibus Epistolis apertissimè patet quæ decreuerat Pontifex, quorum præcipuum fuit illud de nomine Conceptionis solo vsurpando in celebritate sanctiss. Concept. intellecta fuisse iuxta habita in votis, & in fauorem sentientium pro immaculata Conceptione; si enim Pontifex mutauisset sensum nominis Conceptionis, & intellexisset & illum prout se extenderet ad significandum sequens tempus post primam animationem non pro immaculata decreuisset, sed pro placitis maculatam asserentibus Conceptiouem Virginis, nec hos insistisse accedere ad sensum pugnantium pro immaculata sed contra sentientes

pro

pro immaculata reduxisset ad sensum maculantium Conceptionem Virginis, atque adeo non habuissent, qui pro immaculata steterant, caput vllum lætitiæ, & exultationis, & gloriæ matris sanctissimæ Virginis, nisi in quantum vidissent voluntatem Dei fuisse, ne optata gloria Virgini conferretur, quod est absurdissimum concedere.

11. At dices: gaudium & gratiarum actio præcipua fuit de impositio silentio oppositæ sententiæ, non verò de solo vsurpandi nomine Conceptionis in celebratione festi. Sed contra est: quia licet fuerit de vtroque, maius gaudium esse debuit prudentibus æstimatoribus rerum de secundo statuto, quia primum concernebat aliquid negatiuum, & merè prohibebat loqui in oppositum pro immaculata. Secundum verò præcipiebat aliquid positiuum concernens ad laudem Virginis, & obligabat ad dicendam solemnem, dignissimam & sanctam Conceptionem eius, quod velint nolint Aduersantes in idem & maius recidit cum eo, quo dicitur immaculata, asserente ipso commentatore S. Thom. quod plus sit dicere Concept. Virginis sanctam, quam immaculatã, quia immaculatum stare potest ex natura sua sine sanctitate; sicuti aliqui dicunt de Angelis & Adamo, quod fuerint creati immaculati, sed sanctitatem, seu gratiam sanctificantem habuere post aliquod tempus ab eorum creatione.

12. Præterea impositio silentij in priuatis etiam colloquiis & scriptis, nisi connecta fuisset cum vsurpatione nominis Conceptionis in Missa, & Officio solennitatis, fuisset valde manca & deficiens in principalioribus; in Ecclesia enim ex externo cultu sententia contracta clamasset, & liberè professa sanctificationis nomen (cum in desuetudinem apud ipsos abiret solemnizare Conceptionem Virginis) in ipsismet Ecclesiasticis Officiis vigens apparuisset, & loquax quam maximè, quare præcipuum, quod gratissimum & optatum fuit à zelantibus honorem sanctiss. Virginis. & pro quo gratias reddidere summo Pontifici Rex Catholicus & Ciuitas Hispalensis, necnon omnis ferè Ecclesia cum ipsis, si non ore, saltem corde, fuit ablatum nomen sanctificationis in hac solemnitate, & positum & firmatum perpetuo solum & specialiter nomen Conceptionis.

13. Sed respondebit aliquis audax. Esto isti Principes ita senserint & Ciuitas Hispalensis, numquid in eis regula est rectæ intelligentiæ verborum Pontificis. Sed hæc audacissima responsio: nam & hi Principes in doctrina & scientia fuere in tam excelso culmine Principatus perspicui, & in magnorum Theologorum simili sensu, quorum consiliis vtebantur in re Ecclesiastica tam graui loquuti sunt, qui si omnes decepti sunt in hac intelligentia, decepti certè sunt cum vniuersis Theologis fere totius Ecclesiæ, necnon etiam Canonistis, & aliis Doctoribus viris, qui neque per somnium venere in mutationem dictam sensus primi, & antiqui nominis Conceptionis, vnde monstrũ hoc in Ecclesia Dei euenisse hi homines affirmant, nunquam visum, nunquam auditum quod Pontifex maximus Decretum eiusmodi ediderit, quod vniuersum aliter intellectum sit in Ecclesia, quam ab ipso fuerit traditum; atque hoc euenire ex transmutatione sensus à se tradita verbo, quæ illi esset aliena, & talibus formis, vt præcepta non sit vniuersalissimè à doctioribus, & doctissimis viris. Vide quid affers anonyme in Ecclesia, quæ monstra confingis in ea oriri, & in conspectu Rom. Curiæ nó vereris hæc scribere; somniasti certè ea, vel in nubibus ea ex tuo placito effinxisti; quãdo vnquam tale quid in Ecclesia Dei contigit, hoc ne tempus horum monstrorum? Sed age vide quam horrendum hoc monstrum, & quanto plus horribile, quod ostendit, vniuersalem Ecclesiam posse errare, & aliquando errauisse generaliter in intelligentia Pontificiorum Decretorum spectantium ad doctrinas à summis Pontificibus traditas, quod est ex duplici capite absurdissimum; tum quia eiusmodi deceptionem possibilem, cum etiam de facto existentẽ admittat in vniuersali Ecclesia; & summum Pontificem redarguit tam male loquentem, nec sinentem se bene intelligi, vt ex eius dictis generalissimè decepta fuerit Ecclesia vniuersalis, quo nihil absurdius, nihil temeritate refertius, nihil hæreticorum dictis & sensis deterius.

14. Quartò, augetur vis argumentationis similis ex sensu ita habito ab his Principibus & præsertim Ciuitate Hispalensi, vt confirmatus is fuerit ab eodem Gregor. XV. qui illis rescribens & gratas habens actiones gratiarum ostendit in recto & vero sensu eos percepisse suum Decretum. Nam si in alieno sensu à percepto ab ipsis vidisset se loquutum, debuisset eos monere de recto sensu percipiendo, nec cõfirmare eorum intelligentiam de celebratione recepta festi Concept. in sensu à se intento; & nisi fecisset, decipi eos voluisset, & errori firmando cooperatus fuisset, quod est absurdissimum dicere de communi Ecclesiæ Magistro, qui cum etiam sciuisset Ecclesiam generaliter in eandem iuisse intelligentiam, eius etiam deceptor fuisset eiusmodi admonitione non adhibita, & confirmatione præsertim in oppositum data; quod esset facere Magistrum veritatis, deceptionis & erroris auctorem in mentibus fidelium, quod est dictum omni temeritate plenissimum

15. Ponderentur verba Ciuitatis Hispalensis, & responsum ei datum à Gregorio XIII. Ciuitas ei dicit. vt supra citauimus. *Se locupletatam illo bono & fauore quem resultasse ex sacro Decreto vestræ beatitudinis circa Mysterium immaculatæ Conceptionis Virginis sanctissimæ.* Vbi explicitissimè de Concept. in statu primæ animationis loquitur, vtpote à se volitæ & appellatæ immaculatæ. Et huic propositioni respondet Greg. die 4. Nouemb. 1622. *Intelleximus quo studio beatiss. Virgini gloriosæ inseruiatis: ita sentire, ita loqui par est Ciuitatem à Dominarium Domino custoditam.* En approbat sensum & modum loquendi de Conceptione. Nam de alia materia non loquuta est in Epistola Ciuitas Hispalensis, & rursum Pontifex. *Vos autem scientiam salutis præclarè didicisse ostenditis, cum beneficium vobis tributum esse profitemini eo Apostolico Decreto, quo altercantium Theol. dissidia tollere, & cœlestis Reginæ dignitati consulere voluimus.* Vbi iterum expressissimè Cives illos laudat rectæ intelligentiæ

Decreti sui ; nec non ostendens illud cessisse in dignitatem cœlestis Reginæ, expressitque non in sensu mutato nomini Conceptionis sumendum, quia vt sic nihil gloriæ accreuisset ex illo, beatissimæ Virgini. Cum pro aduersantibus immaculatæ eius Conceptioni proclamasset, vt in comperto est, & Aduersarij dictitant; quod reiicit Gregorius.

16. Sextò, idem confirmatur eadem via, quia in eo sensu acceptum esse nomen Conceptionis est credendum in Decreto Gregorij; in quo petierunt Hispani Principes, qui scripserunt Pontifici, & rescripsit idem Pontifex se satisfecisse eorum votis: sed eorum votis non satisfecisset, si mutauisset Verbi Conceptionis sensum vt patet. Ergo nullo modo mutauit sensum dicti nominis Conceptionis. Maior patet ex dictis, quia in eodem sensu loquutus fuisset Pontifex, nec per consequens satisfecisset eorum votis, sicuti satisfecisse scripsit ad illos, immo eos modo dicto decepisset, quod est indignissimum & falsissimum dicere de sancta Sede Apostolica. Minor probatur adductione Epistolarum nostri Catholici Regis Philippi IV. Infantis Cardinalis, Isabellæ Reginæ, & Margaritæ Austriacæ amitæ eiusdem Regis, & responsis ad ipsos eiusdem Gregor. XIII. & quidem Catholicus Rex 10. Nouembr. 1621. ita scripsit sanctissimo Patri Gregorio XIII. *Horum Hispaniæ Regnorum Reges Prædecessores mei magno colebant affectu purissimam Conceptionem Dominæ nostræ Virginis Mariæ, sed prater cæteros Rex Pater & Dominus meus magno feruore eandem veneratus est. Instillata etiam mihi à primogenitoribus peculiaris huius sacri mysterij, & sanctæ fetiuitatis deuotio, quam vestræ sanctitati propalandam duxi, humiliter deprecans vt in felici tuo Pontificatu id curare digneris, vt exaltetur & extendatur in populo Christiano hæc pietas in Virginem, iis appositis remediis, quæ sanctæ tuæ Zelo mira eruditioni, & rerum experientiæ potius expedire, & magis ad obsequium & honorem Dei, & Dominæ nostræ, suaque benedictæ Genitricis conducere videbuntur.* Et Isabella eius vxor datâ 5. Nouembr. eodem anno inter alia scripsit. *Humiliter obsecro vestram beatitudinem, vt dignetur vniuersa hæc Regna consolari per vltimam determinationem in causa adeo rationali. Porro si propter rei grauitatem longiori mora opus fuerit, affectuosius, & supplex oro vt vestræ beatitudini complaceat, quod dum non peruenitur ad vltimam determinationem, non liceat nec disputando, nec altercando contrariam defendere sententiam nec in publico, nec in secreto.* Et deinde rationem assignat huius suæ iustissimæ petitionis. Tertio Infans Cardinalis & Archiepisc. Toletanus eadem die sic habet. *Supplex oro vestram beatitudinem vt dignetur totaliter resoluere negotium, quod in omnium votis est, & magni censetur momenti; si vero rei grauitate moram exegerit, deprecor vt interim prohibeat vestra beatitudo defendi contrariam sententiam tam in publico, quam in priuato.* Et 10. Nouembr. Sereniss. Margarita à Cruce Austriaca sanctimonialis Regis Catholici Amita. *Determinare dignetur vestra beatitudo pro omnium desiderio quod in hoc sancto mysterio tenendum, & credendum sit, per quod scandalorum causa tollentur, & omnium summa & vniuersalis erit exultatio.* Respondet autem Gregorius Catholico Regi die 4. Iunij 1622. laudans, *Regem potentissimum tanto studio sanctissimæ laudibus, & Beatæ Virginis dignitati inseruire.* Et deinde. *Vix dici potest quanto nos gaudio cumulerint nuperæ litteræ Maiestatis tuæ de immaculata Deiparæ Conceptione differentes. O curam Catholico Rege dignam, & Christi Vicario gratissimam.* Et iterum, *Magni apud nos ponderis fuerunt preces Maiestatis tuæ, tantumque negotium iterum, accuratiusque pensauimus, aliquid tibi, Regnisque tuis solatium afferre cupientes.* Et rursum. *Ex eo, scilicet decreto, & dilectis filiis nobilibus viris, oratoribus tuis Comite Mentis Regij, & Duce Alburquerque mentem nostram uberius cognoscet Maiestas tua.* Et Margaritæ Austriacæ. *Cognouimus ex literis tuis, &c. quanto studio Deiparæ laudibus inserias, ita enim scribis, vt tibi gloria Principatum adipisci videreris, si dissentientes Theologorum populorumque disputationes in vnam aliquando purissimæ Conceptionis sententiam conuenirent.* Et loquens de suo decreto addit, *Ex eo cognoscet Maiestas tua quam propensa tibi voluntate gratificemur.* Vbi Margaritæ affirmat Pontifex votis eius respondere Decretum, laudat affectum vniendi Theologos in immaculatam Conceptionem; quare non aliam, quam primi instantis animationem præcisè, nec extensam ad secundum. Vt sic enim non esset purissima, neque quæ erat in votis tam magnis, quæ Pontifex mirum in modum extollit: nec Regi Catholico potuisset dicere cum effectu, quod ei curauerit afferre aliquod solatium, quodque id agnoscere posset ex Decreto edito. Neque iterum laudare quam maximè curam de Conceptione Virginis, nisi de ea loqueretur, & loquutus esset in Decreto, in sensu Regis Catholici, quæ certè non erat alia nisi illa in primo instanti animationis attenta, & ab ipso Pontifice relata vt immaculata, vt patet; neque vllo modo extensa ad tempus vel instans proximum.

17. Sexto probari potest efficaciter intentum, quia illud significauit, & significari voluit in vsurpatione præcepta nominis Conceptionis Gregorius, quod significauit in suis Epistolis Philippo IV. amplissimo Regi Catholico, & Margaritæ à Cruce eius amitæ. Sed in his Epistolis dum bis de Conceptione scripsit, eamque nominauit, non loquutus est de Conceptione stante pro primo instanti animationis, & sequenti tempore, sed pro sola prima animatione: ergo hanc solum significauit, & significari voluit in suo Decreto. Maior patet, nam perperam & temerè diceretur aliud significare in Bulla, aliud in Epistolis. Minor autem patet ex ipso contextu, necnon etiam quia non in alio loquuti sunt Rex, & eius amita & Pontifex eorum sensum referens; quare dubium esse non debet, quin in eodem sensu vtrobique sit loquutus Gregorius XIII.

§. 2.

§. II.

Aliis efficacißimis rationibus concluditur, & stabilitur Gregorium XV. in suo Decreto nomine Conceptionis non significari voluisse nisi primam animationem Virginis, & nulla ratione statum includẽtem illam, & præterea tempus sequens.

1. SEptimo demonstratur hæc veritas firmissimè, quia in eo sensu censendus est loquutus de Conceptione Gregorius, eamque illi significationem tradidisse, quam tradidit, & habuit ipsissimum nomen apud cæteros Pontifices Prædecessores suos. Sixtum scilicet IV. Alexandrum VI. Leonem X. Paulum III. Iulium II. Pium V. & Paulum V. Sed hi omnes vsurparunt hoc nomen pro statu Virginis in primo instãti præciso infusionis animæ eius; ergo pro eodem primi instantis infusionis animæ Virginis statu, vsurpauit hoc nomen Conceptionis Gregorius, & voluit Conceptionem eius celebrari pro tali statu. Maior huius argumenti seipsa liquet, quia horret animus Catholicus à concedendo quod in hac re Gregorius à suis Prædecessoribus discessit, & aliam significationem huic nomini voluerit adhiberi nulla data ratione, nec monita prius explicitissimè Ecclesia, quæ fere tota sub hoc sensu à Sixto IV. vsque ad ipsum in alio sensu celebrauerat & intellexerat nomen Conceptionis; nunquam enim tale quid actum esse scitur ab vllo Pontifice, & si egisset, vel egisset, set sine consilio doctiorum virorum, & longa discussione, vel non; si secundum temerè eum in hac re processisse sentiendum esset, quod est abominabile dictu, vel cum consilio doctorum virorum, quod vtique eo tempore pauisset, & aduersantes immaculatæ Conceptioni retulissent, cum eo tempore, veluti erubescentes, siluerint tristes in euulgatione eiusmodi Decreti, & memini Panormi eo anno quo hoc Decretum exiit in die Conceptionis Virginis plures eo consilio accurrisse in Ecclesiam S. Dominici ad cognoscendum si Fratres Prædicatores, qui nonnisi nomine sanctificationis vti solebant in Missa & Officio illius celebritatis, illo Conceptionis vterentur: & per eos dies triumphare videbantur cultores immaculatæ Conceptionis silentibus, & erubescentibus oppugnantibus immaculatam, qui si nomen Conceptionis sciuissent eo tempore à Gregorio vsurpatum cum sensus mutatione, non defuissent ipsi triumphare de sensu aliorum ad suum tracto, & omnibus propalassent non contra se, sed pro se maximè, esse illud Decretum per quod vt ait Libellator, correcta fuissent per Gregorium quæ habita erant anterioribus temporibus à Sixto, & sequentibus compluribus summis Pontificibus, qui nomen scilicet Conceptionis in alio sensu vsurpassent. Quæ quam falsa sint tum secundùm factum, tum etiam in doctrina Catholica, nemo est, qui non videat. Nam licet nihil repugnet quod recens Pontifex Max. aliqua Decreta temperet, limitet, vel etiam annullet, quæ edidere antecedentes sui prædecessores, quando ea concernunt merè ad aliquid executioni mandandum & præcipiendum, vel ad meram historiam, nam pro diuersitate temporum, quæ in vno conueniunt fieri, alio sunt inconuenientia: in iis tamen quæ concernunt ad intelligentiam diuinorum, & tradita sunt à prioribus Pontificibus, maturo præsertim consilio vniuersæ Ecclesiæ, absurdissimum est dicere quod per sequentem Pontificem habeant diuersam acceptionem aliam à præcedente, quæque illi aliquo modo apponatur; qualis fuisset in casu nostro, si Gregorius præcepisset celebrari Conceptionem Virginis sub prima vel secunda animatione; quando anteriores Pontifices voluerint, & præceperint celebrari præcisè sub prima; nam hoc Decretum secundum inuolueret diuersam intelligentiam in Gregor. à reliqua cæterorum Pontificum, quia scilicet priores ideo præceperunt celebrari sub prima animatione quia censuerunt positiuè sanctissimam Virginem nunquam & signanter in prima animatione fuisse originali peccato in re infectam. Contra verò Gregorius si præcepisset celebrari vel sub prima, vel sub secunda animatione; ostendisset omnino recedere saltem ab illa positiua priori intelligentia, & illam vel negare, vel suspendere, quod nunquam auditum est euenisse in Ecclesia Catholica; & expressè idem Gregorius in eodem Decreto vt falsum & falsissimum ostendit; nam profitetur omnia prorsus confirmare, quæ positiuè intellexerant, & præceperant sui sancti Prædecessores circa hoc mysterium, & aliquid amplius voluisse tradere immaculatæ Conceptionis, dum dicit: *Eademque sanctitas sua voluit, & expresse mandauit vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur,* (scilicet suo & Pauli V. prius dicto) *Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. Pij V. ac Pauli V. eius prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, firma & illibata remaneant, ac exactè obseruentur, perinde ac si eiusmodi Decretum non emanasset.*

2. Sed dices Gregorius sensit cum antecedentibus Pontificibus, & confirmauit quæ illi tradidere de Conceptione Virginis, quod scilicet non sit hæreticum dicere eam eximere in prima animatione à peccato originali in re, & quod puniendi essent tanquam erronei qui hoc dicerent, sed de reliquo per hoc, quod præcepit celebrandam Conceptionem sub nomine Conceptionis, & noluit præiudicium facere sententiæ opinanti Virginem cum originali in re, in prima infusione animæ eius: correxisse quod ij voluerunt & præceperunt de celebratione, cum exclusione originalis in re à prima creatione animæ Dei Genitricis.

3. Sed facta est hæc responsio, quia si ea staret corruerent præcipuè statuta, quæ emanarunt per prædecessores Gregorij, quæque ipse

voluit firma & illibata, quæque etiam confirmauerat Concilium Trid. de celebratione scilicet eius festi Conceptionis sub sua prima significatione vigente primis illis temporibus; nam alio modo & sub alia forma præcipi diceretur hoc festum, & cum alia longè diuersa significatione à priori scilicet, vel sub prima, vel sub secunda animatione; cum prius fuerit celebratum sub prima præcisè: vnde ea priora decreta non perstitissent nec persisterent firma & illibata; sicuti dicit Gregorius in Decreto. antequam præciperet in eo vsurpationem nominis Conceptionis; & sic postquam illibatas & firmas stabilierit in dicto Decreto, per sequentis Decreti partem diceretur, quod ea in principalibus abscidisset, & annullasset, quod quis nisi insanus posset dicere? & aperte constat, quia celebratio festi sub prima animatione indubitata fuit apud priores Pontifices post Sixtu: patuit etiam in Ecclesia, quod ipse Sixtus voluit instituere festum & celebritatem, seu officium proprium Conceptionis Virginis, vt ipsemet semper dixit in Bulla *Præexcelsa* & sequentibus extrauagantibus *Grane nimis*. Confirmatis à Concilio Trid. & hæc ipsa verba repetit etiam in hac secunda Parte Decreti Gregorius dum ait: *Cum sancta & Romana Ecclesia de Beatissima & Intemerata Virginis Mariæ Conceptione festum & officium solenniter celebret*: Quare impossibile est quod referat ea ipsa Verba, quæ ostendunt priores Pontifices instituisse, & celebrasse Festum Conceptionis sub sensu primæ animationis Virginis; dum decernit vsurpandum metum nomen Conceptionis in Missa & Officio, quod mutauerit sensum Prædecessorum suorum in hoc nomine, & præcipuum ab ipsis volitum in Ecclesia omnino deleuerit, & ab ea abras erit, & remouerit quod erat tanta consideratione & voluntate susceptum.

4 Octauo probatur hæc immutatio sensus in nomine Conceptionis quia in eo sensu debet à Gregorio hîc nomen supponi sumptum, prout aduersantes & simul etiam fautores Immaculatæ Conceptionis conueniebant, quod significaret istiusmodi nomen, seu prout de eo lis vlla non erat. Sed nomen Conceptionis apud vtrosque significabat primam animationem: ergo in hoc eodem sensu debuit supponi sumptum à Greg. XV. Malor argumenti est euidens. Nam dum in Ecclesia controuertitur aliqua materia, & vocabula apud vtrimque aduersantes accipiuntur in eodem sensu, nullo modo est credendum quod Pontifex si inter eos diiudicet, ad eos componendos mutet sensum alicuius nominis cum maximè ij non de nomine decertent, sed de re. Neque similis mutationis sensus potest afferri aliquod exemplum, quod certè adduceretur si fuisset. Ergo verissima est vniuersalis propositio, quod quando de nominis significatione conueniunt aduersantes vtrique in Ecclesia Catholica: non potest censeri, quod Pontifex inter vtrosque diiudicans sensum nominis immutet in alium diuersum ab eo, quem vtrique vnanimiter intelligunt. Minor probatur, quia aduersantes Immaculatæ nolebant vti nomine Conceptionis, vt ipsi Anonymi testantur, quia significabat primam animationem Virginis, & primam significabat idem nomen apud fautores eius, ergo significabat idipsum nomen hoc apud vtrosque, vt assumebamus, & sic concluſum manet intentum.

5. Non probatur hæc eadé immutatio sensus in hoc nomine, quia si Gregorius sensum immutare voluisset in nomine Conceptionis maximè ad conciliandos auctores oppositum sentientes, vt ipsi Anonymi testantur, fecisset; & vt sub eodem cultu & sensu omnes celebrarent Festum Conceptionis. Sed si hæc ratio valeret, potius debuisset Pontifex vti nomine sanctificationis, quàm Conceptionis, quia ex natura rei aptius est hoc nomen ad significandam sanctitatem Virginis siue pro primo instanti, siue pro secundo, quam nomen Conceptionis, vt patet apertissimè, nam qui celebraret sanctitatem Virginis primam, non excluderet illam pro primo instanti, & sic nullo modo fautoribus Immaculatæ ex se & natura sua obest: vnde multi sancti Patres Virginem dicunt Matrem Dei sanctam in prima animatione, & existimantur aperte stare pro Immaculata, neque aduersarij sanctitatem istam Virgini datam respuerent sine vllo scilicet addito, sic illi datum, vt est modo euidens, & euidentius fuit tempore antecedenti, quo ipsi pugnabant hoc solum nomen sanctificationis vsurpari debere, & ipsi maximè vsurpabant; vnde aptius conuenissent vtrique, in nomine sanctificationis, quam in nomine Conceptionis, quod erat determinatum ad vnum; si ergo nomen Conceptionis assumpsit, vt aptius præ illo sanctificationis; id maximè fecit, quia nolebat sanctitatem Virginis pro primo vel secundo instanti disjunctiuè sumi, sed absolutè pro primo præcisè & solitariè excludendo secundum instans animationis, vel tempus sequens à Conceptione.

6. Decimo, idem patet à contrario sensu, quia si Gregorius præcepisset vti nomine sanctificationis & non Conceptionis; vtique existimatum fuisset, quod voluisset celebrari sanctitatem indifferentem ad primum vel secundum instans animationis Deiparæ, quia scilicet eo volebant vti nostri impugnatores, hanc indifferentiam in sanctitate prima Virginis agnoscentes; & per consequens dum quod ipsis vsui erat, præciperetur, intellectus fuisset Pontifex sub eodem eorum sensu voluisse celebrare. A contrario ergo sensu cum oppositum præceperit Pontifex, & statuerit non fautores Immaculatæ venire ad opugnatorem in vsurpatione nominis, sub quo celebraretur, sed contra oppugnatores venire ex præcepto & sub pœna excommunicationis ad vsurpationem, voluissent, noluissent, in vsum nominis vsurpati à fautoribus Immaculatæ scilicet Conceptionis; censendus est omnino voluisse celebrari sub sensu proprio eorumdem, non aduersantium, ac proinde sine mutatione sensus sed cum permanentia sui proprij & antecedētis; quibus adde quod si quid commune vtrique sententiæ voluisset Pontifex celebrari, seu cum sensu indifferente ad sanctitatem pro primo vel secundo instanti animationis Deimatris, aptius & minori præiudicio sumere debuisset nomen sanctificationis, quod ex natura sua æque erat aptum ad significandam

primam

primam sanctitatem pro prima & secunda animatione dicta, quæ aptitudo non erant in nomine Conceptionis, quod ex natura sua, & anteriori significatione erat determinatum ad primam animationem, & violenter & magna vi deportandum erat, & detorquendum ad sensum innaturalem, & sibi non conuenientem.

7. Sed dices. Hoc egit Pontifex vt satisfaceret in nomine fautoribus Immaculatæ, in re autem in sensu oppugnatoribus eius. Sed hoc est vt diximus velle efficere Magistrum veritatis fidei perceptoré vniuersæ fere Ecclesiæ, quæ stabat pro Immaculata, quod est falsissimum; & dum hoc non tradidit apertissimis verbis, ita vt sine tergiuersatione docuisset Ecclesiam se eiusmodi mutationem sensus adhibuisse in hoc nomine & interius tantum id intenderit; dicendum est oppositum prorsus esse sentiendum, & prout sonant Verba; quia si per impossibile Pontifex in vna definitione fidei intenderet vnum definire, & ex vsu Ecclesiæ aliter verba sonarent secundum quod sonant verba, res esset intelligenda non secundum suam intentionem & veritatem fidei declarate in iis, quæ haberet per verba suum proprium sensum exprimentia; quia assistentia Spiritus sancti est promissa, ad veritatem dictandam quantum ad exteriora, quæ hunc vel illum sensum exprimant, non vero quo ad interiora, quia esto Pontifex non crederet interius, vt posse de facto euenire aliqui autumant; licet non sit ita probabile, nam Christus tum pro Petro, cum pro suis successoribus orauit, vt non deficeret fides eius, & credi debet pro sua reuerentia exauditus; nihilominus certum est, quod quidquid exterius decerneret definiendo, de fide esset tenendum. Nulla ergo ratione tolerandum est dici, quod Pontifex Maximus voluerit in Officio & Missa dicti festi vsurpari nomen Conceptionis ad satisfaciendum in exteriori sono verbi, propugnantibus pro Immaculata, & secundum verum sensum illam oppugnantibus: quod videas Anonyme ad euidentiam ex te ipso addisce: si is vsus fuisset nomine sanctificationis, & nos tibi diceremus, quod nobis forte in hac re dicis, vel dicere velles; videlicet hoc prænotatum, & reiectum, in qua re lege & pondera, & à nobis contra responderi cogita & meditare, quæ tibi admodum apte adscribit, & dirigit Calderonius c. 11. n. 24. qui scripsit: *& vt à contrario sensu sumamus argumentum, dic mihi Libellator* (simile quid & nos tibi repetimus) *fatere ingenuè, si Gregorius Decretum ita haberet, omnibus & singulis mandat & præcipit vt in sacrosancto Sacrificio Missæ ac diuino Officio celebrandis tam publicè quam priuatim non alio quam sanctificationis nomine vti debeant, quid ageres, quas choreas non duceres? quibus tripudiis non celebrares Decretum? clamares actum esse de Festo Conceptionis, sanctificationis vocem præceptam, Conceptionis exclusam, obstructum os Immaculatæ defensoribus falsum in Officio diuino, sanè mœrerent ipsi, tu exultares & merito?* (*si scilicet humano modo res contingeret, nam alioqui mœrendum non est in iis, quæ decernit summus Pontifex, sed semper lætandum, quia & sic diuinæ conformat scientiæ, & voluntati, quarum est fidelis Interpres*) *Hæc cum ita sint; nam conscientiam tuam testem inuoco, quid mœstri est, cum Pontifex è contrario sanctificationis nomen & vocem exclusérit, Conceptionis præceperit, velle tibi integras easdem latendi causas, & in contrariis omnino Decretis eumdem sensum comminisci? si tunc Immaculatæ Conceptionis assertores contenderent sanctificationis voce præseruationem significari, obstreperes, videres, sibilares, & tamen multo probabilius id dicerent, quam tu modo Conceptionis voce significari sanctificationem. Nam vox sanctificatio sicuti abstrahit à tempore, ita non pugnat cum primo instanti, sed potest ab eo determinari, atque adeo non excludit præseruationem. At vox Conceptio sicut determinatè concernit primum instans, ita non potest compati cum illo indifferentia sanctificationis, sed eam necessario aut determinat, aut excludit. Dicerent ergo Immaculatæ assertores Pontificem nomine sanctificationis intellexisse præseruationem in primo instanti, voluisse tamen tantum exprimere quod pertinet ad obiectum primarium cultus, nempè sanctitatem & gratiam; nam circumstantia temporis quid extrinsecum est. Hac ratione multo probabilius defenderent nomine sanctificationis præseruationem intelligi, quam tu defendis nomine Conceptionis, quæ natura opus exprimit, significari sanctificationem, quæ ad supernaturalem ordinem spectat, si ergo illorum explicationem nihilominus casu reiiceres, & merito; qui non vides tuam multò digniorem esse, quæ respuatur.* Vide si quid possit Anonyme huic tam aptæ retorsioni argumenti huius doctissimi viri responderi, & interim sile, & attende tui nouissimi inuenti numquam apud doctiores audiri falsitatem.

8. Probatur 11. Idem sensus immutatus in nomine Conceptionis post Gregor. ex destructione fundamentis principalis in oppositum, quod est, quia alioqui factum fuisset per præceptum Gregorianum factum præiudicium sententiæ maculanti Conceptionem SS. Matris, quod nullum declaratum est factum esse illi à Pontifice per hoc Decretum; hoc enim fundamentum penitus ruit, quia si quid valeret, ostenderet, quod etiam ante Gregorium nomen Conceptionis debuisset significare id, quod cœpisse significare dicitur post Gregorium. Consequens est falsum ex ipsorum aduersantium dictis, ergo & falsa est hæc immutatio sensus in nomine Conceptionis post Gregorium. Sequela patet ex dictis, quia antecedentes Pontifices approbarunt, & præcepernnt festum Conceptionis, & tamen reliquerant locum opinandi in contrarium oppugnatoribus Immaculatæ Conceptionis, quod est voluisse illi facere præiudicium, vt vidimus supra, ergo si propter hoc datur peculiaris sensus nomini Conceptionis post Gregorium, hic ipse sensus fuit dandus eiusmodi nomini ante Gregorium.

9. Probatur 12. Permanentia eiusdem sensus in dicto nomine, quia illum sensum habuit ante Gregorium, & maximè post Pium V. ergo nullo modo eum immutauit, si enim mutauisset eumdem, non retinuisset, vt patet. Anteced. probatur. Quia si non habuit post Pium V. eumdem sensum, maximè esset, quia post Pium V. vsque ad Gregorium nomen

Conceptio

Conceptionis erat vsurpandum, & inueniebatur proprium sententiæ volentium Immaculatam Conceptionem Dei parentis, & non sentientium pro maculata Conceptione, cum istis esset proprium nomen sanctificationis; hoc enim vtebantur, & vti eos licebat; sed hoc est falsissimum; quia post Pium V. etiam aduersantibus non fuit licitum vti nomine sanctificationis, sed omnino tenebatur vsurpare nomen Conceptionis: ergo ante Gregorium habuit eumdem sensum, quem post Gregorium. sequela est doctrina Aduersariorum, nec potest ab ipsis negari, quia mutatio sensus in hoc nomine ab ipsis asserta fundatur in noua præceptione vsus huius nominis; quare si probatur quod ante hanc præceptionem eius à Gregorio tenebantur aduersantes, & omnes in Ecclesia vti nomine Conceptionis ex anteriori præcepto Pij V. nulla habetur ratio nouitatis in sensu nominis, quæ fundatur in nouitate præcepti, vt patet. Minor probatur, quia Pius V. sub nomine Conceptionis præcepit celebrari ab vniuersa Ecclesia hoc festum, vt patet ex Breuiario à se instituto, nec excepit aduersantes Immaculatæ Conceptionis, qui eo tempore erant multi extra Dominicanam familiam; quare sicuti bene stabat cum illis hoc præceptum vsurpandi nomen Conceptionis, etiamsi sentirent oppositum interius; ita & benè stetit in Gregorio etiamsi Dominicana familia sentiret oppositum, ita vt teneretur nomine Conceptionis vti, sicuti antea eodem tenebantur vti ceteri Religiosi, omnesque alij fideles regulares & sæculares, tenentes Conceptionem Virginis Beatissimæ cum macula etiã retento hoc interiori sensu. Quæ paritas omnino illaqueat Aduersantes, ne possint respondere doctrinæ à nobis positæ, & receptæ communiter, quod stat præceptum colendi sub vno sensu proprio Ecclesiæ, etiamsi eidem permittatur proprius & priuatus sensus interior, quemadmodum fuit ante Gregorium, & sic post Gregorium, quare nulla est ex hoc capite, & per consequens ex nullo, eo quod omnia in hoc fundantur, ratio quare dicatur post Gregorium facta mutatio sensus in hoc nomine Conceptionis.

10. Quibus adde quod etiam Dominicana familia tenebatur etiam post Pium V. vti hoc eodem nomine, nam ea non fuit excepta à Pio V. vt benè & optimè probat Calderonius, neque per aliquam clausulam in Bulla Breuiarij à se instituti per vniuersam Ecclesiam, neque per peculiarem Bullam sibi concessam, nec per viuæ vocis oraculum vllum, nec ipsius, nec Pontificum: ostenditur autem primum, quia per Bullam Breuiarij concessa fuere alia officia à Romanis, quæ per ducentos annos legitima auctoritate erant in Ecclesiis, vel Ordinibus recitata, officium autem nullum vsu nominis sanctificationis in Dominicana familia perseuerauerat per duo sæcula, cum eiusmodi ad summum vsui fuit post Sixtum IV. qui per sæculum præcessit Pium V. rursum nullum apud eamdem familiam fuit officium tale, legitima auctoritate introductum; nam Generales Ordinis istiusmodi auctoritatem non habebant, quæ erat penes Episcopos, & Ordinarios locorum, quorum ipsa debebat in hac re sequi mandata, & tertio neque eadem familia in omnibus regionibus vtebatur vno quodam signato officio, cum teste Catharino, vltra montes, & in Germania doctissimi viri celebrarent sub nomine Conceptionis, quare ad euidentiam ex vi Bullæ allegatæ Breuiario Pij, tenebatur familia sancti Dominici recitare Officium, & celebrare Missas sub nomine Conceptionis in Festo eodem dicto. Et si Dominicana familia exempta intenditur à lege vniuersali Pij, debuit habere officium proprium Ordinis, quod concedit Pius in ea Bulla; ad hoc autem vt sit proprium Ordinis debet esse pro omnibus Regionibus quod non fuit tale in dicta familia.

11. Quod autem Dominicana familia nullum habuerit priuilegium vel Bullam concedentem sibi recitationem Officij sub nomine sanctificationis post Pium V. est euidens, quia nihil tale profertur, neque proferri potest, solum adduci potest conniuentia Romanorum Pontificum, quæ si tolerauit factum, illud certè non approbauit, præsertim in Romana Ecclesia, quæ oppositio modo celebrabat, & secundum verum & naturalem sensum Conceptionis alienum ab ipso aduersantium: tolerauit autem hunc abusum Sedes Apost. quia videbat aliquos ita inclinare in oppositum sensum, vt essent coërcendi renouatione Bullarum, nec propterea desisterent à contradictionibus erroneis Festo Conceptionis, vt patet ex duabus extrauagantibus Sixti, & alia Alex. VI. in qua ad verbum inseruit vltimam *Graue nimis* Sixti: nec non ex Conc. Trid. quod renouauit pœnas Constit. Sixti IV. dum autem Pontifices laborabant vt ab erroneis doctrinis suos auerterent, tolerarunt prudenter alios abusus alioqui temerè introductos.

12. His iterum adde vt notat Calderon. idem loco cit. satis eruditè, nec non etiam Cismontanea familia ex parte, quirem hanc apertè probat non solum post Pium V. sed neque post Sixti IV. licuisse vmquam etiam Dominicanis vti in officio nomine sanctificationis; nam etsi Iulius III. dicatur concessisse vsum quemdam peculiaris Breuiarij sibi oblati à Cardin. Protectore, in eo erat officium Conceptionis, non sanctificationis, & si in eo diplomate concessa fuit facultas Capitulo Gen. mutandi, diminuendi, & addendi, hoc intelligitur de Officiis Ordinis non vero de institutis ab Ecclesia Romana, vt expressè notauit Clem. VIII. in alia concessione data recitandi propria Ordinis Officia, seu sanctorũ Ordinis, & similium, si quæ sunt. Hæc omnia confirmantur, quia à tempore S. Dominici videlicet 1154. celebrabatur alicubi in ea familia festum Conceptionis, vt apparet in Martyrologio vetusto edito Salmanticæ 1579. iussu Generalis Seraph. Caualli. Senis etiam in Italia ex mandato Leon. X. celebrabant Dominicani festum Conceptionis propter votum Ciuitatis.

§. III. *Addunt*

§. III.

Adduntur aliæ plures rationes desumptæ ex natura rei, quod post Gregorium XV. nomen Conceptionis Virginis non potuerit mutare sensum & significare tempus primæ & secundæ animationis Deiparæ.

1. SVnt & aliæ rationes efficacissimæ ad confirmandam immutationem sensus in nomine Conceptionis desumptæ ex natura rei, quæ præscindendo etiam à tempore Gregorij, probant numquam eiusmodi sensum, ab aduersariis confictum, intrusum fuisse, nec potuisse congrue intrudi huic nomini, & prima in hoc ordine, quæ in posito est decima tertia, ex eo habetur, quia si hoc nomen apud Gregorium passum esset aliquam mutationem sensus, vel etiam apud alium Pontificem, eam posset dici subiisse mutationem quæ aliquid affine significaret primo à se significato, & non aliquid à primo omnino contradistinctum & disparatum; sed si nomen Conceptionis post Gregorium significasset tempus, vel instans sequens ad primam animationem Deiparæ, non assumptum fuisset ad significandum aliquid affine priori significato, sed ab eo omnino dissitum & disparatum; ergo nomen Conceptionis non potest dici assumptum à Gregorio vel alio Pontifice ad significandum tempus vel instans aliud sequens ad primã animationem Deiparentis. Maior patet: nam non assumitur nomen panis ad significandum lapidem, quia naturale significatum per nomen panis est quid disparatum, neque habet similitudinem, aut est aliquid tale, qualis est lapis, & sic de similibus. Nam cuidens est quod quando vnũ nomen trãsfertur ad significandũ aliquid aliud; illud aliud solet habere aliquam similitudinem saltem extrinsecam cum primo significato, vt patet in nominibus analogis & æquiuocis etiam, nam nomen canis licet æquiuocum ad canem terrestrem, aquatilem, & cælestem, in quantum vterque hic canis habet aliquam speciem externam similem cani terrestri, qui naturaliter, & ex prima eius institutione dictus est canis, & sic in ceteris nominibus, quæ incipiunt significare, & sumi pro aliquo nouo, quod prius non significabant, vt patet discurrenti per singula nomina in omni idiomate, & apud Philosophos & Theologos.

2. Minor autem patet manifestè, quia tempus sequens ad primam animationem Virginis, seu aliam quamcumque animationem tum in homine, cum etiam aliis in animantibus pertinent ad actionem contradistinctam ab illa, quæ significatur per nomen Conceptionis, & ad esse omnino positum in alio statu; nam nomen Conceptionis vt vidimus propriè sterit primò pro prima mistura seminum apte coagulatorum ad formationem, & generationem corporis animalis, & quia hæc formatio durat & sequitur per plures dies, nomen Conceptionis etiam significauit apte hoc itidem tempus; & denique quia istiusmodi actio terminatur tamquam in finem in animam infundendam corpori, illudque debentem informare, quæ est quædam formatio substantialis naturæ humanæ, dicta est conceptio, prima animatio & infusio animæ in corpore; quæ dicit statum hominis vel animalis in fieri; & in primo esse. Post autem hanc actionem & instantaneam productionem & infusionem animæ in corpore, tempus quod sequitur non pertinet vllo modo ad dictam actionem, neque ad statum esse sequentis, sed concernit ad diuersam aliam & contradistinctam à prima actione, & ad diuersum rei statum, quæ sequentia non habent, vnde significari possint per hoc idem nomen, quia non habent aliquid simile, sed potius disparatum & contradistinctum; atque hoc verum est non solum physicè, sed moraliter, & sic anima rationalis rectè dici potest contrahere in primo instanti originale & nullo modo potest dici illud contrahere in sequenti tempore, itavt si in primo instanti illud non contrahit, impossibile sit quod illud contrahat in tempore immediatè sequenti ad primum instans, & contra si gratiam non habet in primo instanti potest illam habere in sequenti alio proximo, vel etiam in tempore immediatè sequente. Similiter in sententia aliquorum, & vt videtur S. Thomæ, in primo instanti creationis anima rationalis si vsum rationis haberet non posset peccare sicuti Angelus; post illud instans omnino posset, quare hi duo status, & instans & tempus sunt longè contradistincta, & per idem nomen insignificabilia; quare à Philosophis & Theologis solent significari diuersissimis nominibus & signa temporis ad ea pertinentia, sicuti ad valdè diuersum quia attinentia, omnino sunt per idem nomen insignificabilia, nec vnquam per illud significata; quare omnino ipsum fuit ineptum vt assumeretur à Pontifice vllo ad significandum tempus sequens ad primam animationem Virginis Beatissimæ. Sic S. Thomas maximè contradistinguit hæc signa temporis pertinentia, scilicet ad duo disparatas primum scilicet instans; anima Virginis, cum toto tempore antecedente ad Conceptionem, sequens autem tempus ad augmentationem loquens præsertim de Christo Domino in vtero matris sanctissimæ. Videlicet 3. *p. q. 33. art. 1. in corp.* vbi scribit, *Resp. dicendum quod in conceptione corporis Christi tria est considerare. Primum motum localem sanguinis ad locum generationis. Secundo, formationem corporis ex illa materia. Tertio, autem augmentationem quæ perducitur ad quantitatem perfectam in quorum medio ratio conceptionis consistit: nam primum est Conceptioni præambulum, tertium autem conceptionem consequitur*: Et ad 4. dat differentiam inter Conceptionem & actionem: quæ illam consequitur, ex eo quod prima terminatur ad animam, & non est ex anima. Secunda vero supponit animam, & procedit ab anima. Vnde distinguit signa temporis vt pertinentia vnum ad Conceptionem, aliud ad quid disparatum, & contradistinctum ab ipsa. Sic ait: *Ad 4. dicendum quod augmentum fit per potentiam augmentativam ipsius, quod augetur, sed formatio*

matio corporis (quæ est Conceptio) *fit per potentiam generatiuam non eius, qui generatur, sed ipsius generationis ex semine in quo operatur virtus formatiua ab anima Patris derivata.* Ex quo patet quod nomen Concepti non potest extendi ad significandam actionem tam disparatam, neque potest pertinere ad tempus eiusmodi actionis proprium, & omnino à limitibus sui proprij significati extractum. Id quod confirmatur ex supradictis disputat. 3. diuision. 1. vbi ostendimus Conceptionem in idem reuolui cum generatione & productione substantiali; quare sicuti pro tempore sequenti ad instans primum infusionis animæ, non potest dici animal vel homo generari, neque ei generationis & productionis substantialis nomen competere, ita neque conceptionis; hoc enim significatum repugnat nomini conceptionis, sicuti nomini generationis & productionis substantialis.

3. Ex his probatur X I V. hic idem sensus immutatus in hoc nomine, quia si Conceptio Virginis celebraretur prout se extendit ad tempus sequens ad primam infusionem animæ, ipsa Virgo posset vel potuisset intelligi concipi in aliquo vero & naturali sensu pro tali tempore. Consequens est manifestè falsum: quia pro toto tali tempore semper de ea verificatur quod concepta fuit, non vero quod conciperetur; imo ante tale tempus pro instanti scilicet immediatè antecedente ad illud, dum anima eius infusa verè & in omni rigore concepta est; & si quidem benè pro tali instanti dici potuit concipi conceptione humanitatis non feminis, tale concipi erat similiter in secundo signo naturæ cum concepto esse, vt expressè testatur S. Thomas de Christo Domino, qui quia formatum habuit corpus eodem instanti cum illo infusionis animæ suæ sanctissimæ in corpore dictus est ab ipso simul concipi, & conceptus esse. Sic S. Thomas eadem 3. part. quæst. 33. art. 1. ad primum: *quia ponimus Conceptionem Christi in instanti esse perfectam, consequens est quod in carne simul fuit concipi, & conceptum esse.* Et ad secundum subdit; & per hoc patet responsio ad secundum nam simul dum caro illa concipitur concepta est & animata. Et expressè S. Thomas tempus sequens ad instans creationis & animationis primæ carnis Christi tradit vt extraneum & impertinens ad sui Conceptionem; nam ipse distinguit eodem articulo in Conceptione Christi tria sicuti *in 3. d. 3.* distinxerat loquens de conceptione humana in communi; videlicet *primo motum localem sanguinis ad locum generationis. Secundo formationem corporis ex tali materia; tertio autem augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam*; & expressè in secundo reponit conceptionem dicens. *In quorum medio ratio Conceptionis consistit*; & de tertio vt de aliquo diuerso & impertinente ad Conceptionis Christi rationem loquitur, & notat quod in Christo fuit quid successiuum cum Conceptio Christi fuerit in instanti; & rursum quod conceptio fuerit operâ Spiritus sancti: tertium verò ex virtute propriæ animæ: vnde ad tertium scripsit: *Augmentum corporis Christi fuit factum secundum potentiam augmentatiuam animæ Christi.* Quare tempus sequens ad primam eius animationem omnino tradit vt extraneum Conceptioni Christi; & cuilibet humanæ.

4. Probatur 15. idem conclusum, quia si nomen Conceptionis significaret in Virgine, sequens ad primam infusionem animæ eius, similiter Conceptio Christi, & aliorum hominum posset significare sequens tempus ad primam animationem; sed hoc numquam intellectum est in vllo alio homine, & in Christo dicere est falsissimum; ergo valdè absurdè irrationabiliter & temerè admittitur hoc monstrũ formatum ineptissimè à summo veritatis fidei Magistro summo Pontifice Gregorio & sub hoc monstro dicitur ab eo solennizari præceptum festum Conceptionis Virginis. Sequela patet. Vnde enim ex mero placito id quod absurdissimè diceretur de aliis hominibus, & de Christo, sine nota temeritatis, potest attribui contra omnem naturalem significationem Virgini? Minor quoad Christum est manifesta ex dictis. Cum etiam quia alioquin Conceptio Christi posset dici successiua, vel coëxistens tempori, nec instantanea, & momentanea, vt dicitur à Patribus, & est erroneum, vel temerarium dicere, quod fuit in tempore; tum autem haberetur in tempore, dum significaret tempus aliquod; & sic manifestè patet, quod non esset instantanea.

Probatur X V I. idipsum, quia si mutatus fuisset sensus in nomine Conceptionis à Gregorio XIII. ita vt Conceptio se extenderet ad tempus sequens ad primam infusionem animæ Deiparentis posset secundum talem significationem Dei genitrix dici concepta in peccato originali, & ab eodem sanctificata, & purgata, posset item dici in sua Conceptione filia iræ, & rursum in sua Conceptione sancta & prædita gratia, & filia Dei. Consequens est falsum & inauditum in Ecclesia Dei vt patet, ergo & illud, vnde sequitur; & sequela est manifestissima, quia dum Conceptio complectitur tempus, & instans à se præcedens, potest Virgini attribui vtrumque prædicatum tantam oppositionem habens; nam in tantum apud Theologos repugnauit dicere in prima animatione, Virginem sanctam & peccato in re inquinatam, quia ea instantanea est; quare si conceptio extrahitur ab illo solo instanti animationis, & complectitur præter illud instans tempus; potest optimè dici in conceptione peccato originali in re inquinata, & itidem sancta, & prædita gratia sanctificante quæ sunt inaudita.

5. Probatur itidem XVII. idem assumptum, quia si conceptio posset complecti tempus sequens ad primam animationem Virginis, in quo ipsa fuerit sancta, & vt sic bene dici sancta, & celebritate digna. Similiter Conceptio S. Ioannis Baptistæ, vel saltè Hieremiæ posset dici sancta & digna celebratione; consequens est falsum & inauditum; ergo Conceptio Virginis non potest se extendere ad tempus sequens ad primam animationem. Sequela probatur de sancto Ioanne Baptista, quia sicuti præter primam animationem potest nomen Conceptionis complecti tempus sequens vnius horæ vel diei, vel etiam plurium; post quos sanctissima Virgo habuisset gratiam & sanctitatem: ita nomen Conceptionis applicatum Ioanni potest extendi vsque ad 6. mensem à

Conceptione

Conceptione seminis, in quo anima eius habuit infusam gratiam, & dona Spiritus sancti; imo posset quis dicere, quod licet vsum liberi arbitrij habuerit, & plenitudinem Spiritus sancti in sexto mense ex salutatione Virginis ad Elisabeth, tamen ante hoc tempus fortè aliquem gradum gratiæ recipere potuit, per quem à peccato originali mundatus fuerit. Quamquam sine dicto vsu liberi arbitrij, & plenitudine spiritus, quam ex Euangelio, & Patribus habuit opera Virginis in sexto mense à sui Conceptione; nec nisi temere hæc eadem dona prius recepisse dicendum est; potuisset tamen certissimè eiusmodi simplicem gratiã consequi sine excessu priuilegij supra habitum valdè maioris, sed intra idem genus & speciem vt patet. In tali ergo casu potuisset Conceptio Ioannis dici sancta, & celebrari ab Ecclesia. Id quod facilius potest dici de Ieremia, vel aliquo alio sancto, qui fuerit sanctificatus in ventre: nam potest dici, quod paulò post animationem hæc sanctificatio in eo præcesserit, ad quid enim expectandum fuit longius tempus; quod si Ioanni datur, id fuit, quia cum maiori plenitudine hæc sanctitas erat infundenda cum descensu super eum, & matrem, Spiritus sancti opera sanctissimæ Virginis iam donatæ Dei maternitate. Nec si quis diceret has sanctificationes omnes dicendas longe posteriores fuisse animatione, quicquam tollit ab argumenti efficacia, quia certissimum est, quod aliquis infans per breuissimum tempus v. g. vnius momenti, vel minoris temporis fuerit à peccato originali mundatus, & sanctitate præditus in vtero matris, si scilicet infusa anima, matereius cum ipso essent in odium fidei occisi; in tali enim casu posset hæc infantis signati Conceptio celebrari vt sancta, nam haberet conditiones easdem, quas habet Conceptio Virginis ad hoc vt celebraretur secundum aduersantes; hoc autem dicere de vlla alia Conceptione quis non videt esse temerè dictum, & absurdissimum in Theologia, & Ecclesia? Vnde nulla prorsus est hæc noua significatio conficta ab aduersariis in nomine Conceptionis Deiparæ.

6. Probatur 1. Probatum. Quia si nomen Conceptionis posset extendi ad tempus aliquod sequens ad primam animationem, similiter natiuitatis nomen posset extendi ad tempus aliquod breue post egressum ab vtero, & sic possent celebrari natiuitates Sanctorum, qui per baptismum mundati sunt à peccato originali statim post egressum ab vtero: consequens est falsum & inauditum in Ecclesia, quia vt benè dicit Sanctus Bernardus, sanctitas quæ aduenit homini post Conceptionem & Natiuitatem non potest facere Natiuitatem, & Conceptionem sanctam, sed opus est, vt vel illam præcedat, vel concomitetur Natiuitatem & Conceptionem; nam si per subsequentem statum prior potest dici sanctus, status etiam peccatoris potest dici Sanctus, quia præcedit, & est sæpè immediatus statui sanctitatis.

7. Confirmatur vlterius: quia si non esset vt sancta celebranda natiuitas alicuius Sancti post egressum ab vtero per baptismum lauati; saltem Natiuitas eorum, qui nondum egressi ab vtero baptizantur, posset rectè celebrari, quia si non in tota Natiuitate, seu in toto decursu & via, & successione eius habuerint sanctitatem, eam tamen habuerunt in medietate eius, vel etiam initio, si sicuti aliquando solet euenire, dum incœperunt nasci, aliqua pars corporis sufficiens ad baptismum, qualis est præsertim caput, eueniat contingi, & aqua contingatur ab obstetrice, par enim, imo maior ratio est, vt hæc Natiuitas dicatur sancta, dum in aliquo sui proprio admittit sanctitatem concomitanter; si Conceptio, quia proximè habet sanctitatem in tempore subsequente ad animationem, ideo dicatur & dici possit sancta; cum tale tempus ad euidentiam constat, quod non sit de ratione intrinseca Conceptionis, sed aliquid ad summum illi inhærens, & omninò extrinsecum.

8. Confirmatur secundò idipsum in casu quo contingat infantem hora natiuitatis seu partus, ad mortem vulnerari cum matre: nam si nascatur, eius natiuitas poterit dici sancta, & celebrari, nam ipsomet ferè initio sanctitate poterat dici prædita ex martyrio, quod subire diceretur eiusmodi infans, & sic celebrari posset; etiamsi ante progressum totum natiuitatis, & per aliquam paruam partem temporis (quam admittunt Aduersantes in Virgine infectam originali in re) fuerit eiusmodi puer in originali peccato, in ea scilicet sententia quæ vult vulneratos ad mortem esse veros Martyres, & ante mortem infundi ipsis gratiam sanctificantem quod quando non sunt magis debet verificari. Absurditas autem sequelæ patet, quia natiuitas, quæ celebratione esset digna, & sancta diceretur, esset illa quæ sanctitatem includeret in toto decursu suo naturali, quando deciditur infans à reliqua carne matris ad egrediendum ab vtero eius. Vnde omnes Sancti & Theologi ex sanctitate, & celebritate natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, inferunt sanctitatem, & sanctificationem, non merè in egressu eius ex vtero, sed in vtero, quia cum sanctitas, seu gratia sanctificans soleat infundi in instanti, & non in tempore, id quod verum est saltem de prima gratia, quæ non consistat in quodam augmento, quod posset concedi haberi cum tempore, vt rectè aliqui doctiores Theologi discurrunt. Hinc infertur quod ante totum progressum egressus infantis ab vtero, debuit sanctus Ioannes habere gratiam sanctificantem, saltem in instanti immediate antecedenti ad tempus talis egressus, quia si in alio instanti sequenti fuisset sanctificatus, iam intelligeretur incœpta eius natiuitas in originali peccato, & sine sanctitate, atque adeo in egressu eius ex vtero non posset intelligi sanctus, & gratia præditus in vtero constitutus, & per consequens non sanctus absolutè in natiuitate tota, seu in tota via exitus, seu egressus sui ab vtero, quod requiritur ad habendam absolutè sanctam natiuitatem. Quod à fortiori valet in Conceptione, quæ intelligitur esse in solo primo instanti indiuisibili animationis.

9. Probatur itidem 19. quod assumpsimus, quia si Conceptio Virginis per Gregorium extenderetur ad tempus sequens ad primam infusionem animæ in corpore, seu ad tempus post instans suæ creationis; vnde per ea, quæ pro tali tempore ei conueniunt, posset dici sancta; posset similiter dici, quod creatio Angelorum etiamsi ij fuerint creati sine gratia, vt aliqui antiquiores tenuerunt, potuisset celebrari & prædicari sancta per sanctitatem, quæ illis obtigit paulò post creationem, maximè si quis dicat, quod gratiam habuerint ex speciali priuilegio post instans creationis suæ, quia scilicet post illud immediatè se disposuerint receptioni talis gratiæ. Consequens est omnino falsum, quia cum verè illa creatio nonnisi per quandam adhæsionem sibi extrinsecam posset significare tempus illud sequens; & intrinsecè liceret negationem sanctitatis, nulla esset veneratione dignâ, ita à fortiori Conceptio Virginis sanctissimæ Immaculata fuisset peccato originali secundum sua formalia in primo instanti creationis animæ eius in corpore, etiamsi immediatè post eo fuisset mundata, minus creatione Angelorum posset dici sancta, & digna celebritate, qualem eam iudicat & prædicat Ecclesia, & nonnisi propter sanctitatem, quæ in ipso instanti creationis suæ habuit.

10. Probatur similiter ad euidentiam. Vigesimò; quia si Conceptio Virginis in aliquo vero sensu pertineret ad tempus sequens ad primam animæ eius introductionem in corpore, similiter Conceptio Christi filij Dei posset, vel potuisset pertinere ad simile tempus; atque adeo si non in primo instanti infusionis animi Christi Domini in sancto eius corpore contigisset assumptio eius ad personalitatem diuinam, sed post breuem morulam temporis, sicuti dicitur de infusione gratiæ collata Deiparæ; posset rectè dici conceptus pro eiusmodi Conceptionem Filius Dei; nam paritas est ipsissima. Falsissimum autem & erroneum est consequens, quia neque Virgo potuisset dici Mater Dei, neque per talem conceptum posset dici Christus Deus, sed merus homo, seu persona cum hypostasi certo humana, & si in tempore sequenti eam hypostasim dimitteret, & diuinam assumeret: nam etsi natura illa verè deinde esset assumpta à personalitate diuina, & ille homo postea esset verè Filius Dei, non posset tamen per conceptionem præcedentem dici conceptus Filius Dei, sed merè filius hominis, quod est euidens in Theologia, & notauit rectè sanctus Thomas, qui *quæst. 33. art. 3. in corp.* ait: *Si caro Christi concepta fuisset antequam susciperetur à Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim præter hypostasim Verbi Dei, quod est contra rationem Incarnationis, secundum quam ponimus Verbum Dei esse vnitum humanæ naturæ, & omnibus partibus eius in vnitate hypostasis; nec fuit conueniens, quod hypostasim præexistentem humanæ naturæ, vel alicuius partis eius Verbum Dei sua assumptione destrueret; & ideo contra fidem est dicere, quod caro Christi fuerit prius concepta, & postmodum assumpta a Verbo Dei*: Et quemadmodum si quis diceret, quod Conceptio Christi se extenderet ad tempus post instans formationis corporis eius, & pro tali tempore diceret assumptionem Verbi, temerarie & erroneè loqueretur ex hoc falso principio, quia Conceptio potest significare talem sequentem morulam temporis ad instans creationis animæ Virginis in corpore; ita ostenditur, quod pessimè inuehit in conceptione eiusdem Virginis Mariæ morulam temporis post instans creationis animæ eius.

11. Animaduertant ergo hîc Anonymi isti, qui ad se tuendos, & maculandam Deiparæ Conceptionem, has pernicioſas nouitates adducant, quæ, eos trahant ad hæc horrenda præcipitia; & hæreticis inuentis à simili sternunt viam quasi facilem ad sua peruersa dogmata defendenda, & confirmanda; neque dicant hunc sensum non posse habere locum in Conceptione Christi Domini quæ non progreditur vltra instans infusionis animæ suæ: nam nulla fuit componenda controuersia inter Catholicos de tribuendis & concedendis Christo pro tali statu; benè autem eum habuisse, & habere in Conceptione Virginis, de qua controuersia est in Ecclesia Dei si scilicet ei competat, & quando sanctitas; quare ad componendam litem optimè fuisse inductam nouam in eo significationem, quæ illam extenderet ad dictam morulam temporis, non vero hoc possit vllo modo dici in Conceptione Christi Domini, sed contra est manifestissimè, quia semel admisso in Virgine, quod hæc immutatio sensus in nomine Conceptionis sit apta, ostenditur quod ea sit etiam apta si fieret in Conceptione in genere, vel in aliqua alia, & perconsequens in illa Christi, esto de facto id non fiat, & hoc ipsum esset absurdissimum dicere; scilicet quod hæc doctrina possit habere locum in nomine Conceptionis propriæ Christi Domini, de quo si quis nou posset dicere, quod assumptionem humanitatis perfecerit post morulam temporis ad animæ eius creationem; saltem quis auderet dicere, quod in instanti Conceptionis non viderit Deum, neque gratiam creatam sanctificantem habuerit, sed post aliquam morulam temporis importabilem per nomen Conceptionis, quando scilicet Sancti & Theologi, qui dicunt à Conceptione Christum Dominum vidisse Deum, possent interpretari de dicta morula, quod est temerarium & pessimè sonans in Ecclesia Dei.

§. IV.

Eadem immutatio sensus in nomine Conceptionis Deiparentis probatur vlterius ex iis, quæ decreuit in sua prima Extrau. Graue nimis *Sixtus IV. volens errore notandos, qui dicerent Ecclesiam Rom. celebrare solam Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem Virginis.*

1. VIsi sumpsimus omni ex parte fere probauisse nostrum intentum de immutatione sensus in nomine Conceptionis Virginis, sed adhuc suppetunt efficacissima argumenta ad idem confirmandum, quæ sumuntur ex expressa declaratione summorum Pontificum super hac re habita; nec non ex vniuersali Ecclesiæ intelligentia & persuasione firmissima, quod idem semper sit ab ea seruatus sensus in hoc nomine à Sixto IV. & aliis Pontificibus.

2. Vigesima prima ergo ratio, quæ sumitur euidentissima circa hanc rem est ex declaratione, quam de ea edidit idem Sixtus IV. in prima Extrauagante *Graue nimis*, vbi recenset suo tempore aliquos fuisse, qui de instituto à se festo de Virginis Conceptione, dicerent ab Ecclesia non celebrari per illud, nisi spiritualem Conceptionem eiusdem Virginis, quod ipse damnat vt temerarium & erroneum. Verba Pontificis, in quibus refert hunc errorem sunt sequentia [*Sane sicut hactenus accepimus nonnulli diuersorum ordinum professores ad Prædicandum Verbum Dei in diuersis Ciuitatibus, & locis ac partibus Lombardiæ deputati, & non ignari quod sancta Romana Ecclesia de Immaculata semperque Virginis Mariæ Conceptione Festum celebre, & speciale, ac proprium officium ordinauit, in eorum prædicationibus ad populum publicè affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessante astante populi multi multitudine omnes illos, qui tenent, & affirmant eamdem gloriosam & Immaculatam Dei genitricem Virginem Mariam absque omni originali macula fuisse conceptam, hæreticos esse, & ipsam Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem eiusdem Virginis Mariæ celebrare*: & facta hac narratione definiendo subiicit; *Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus, & peruersis à veritate penitus alienis assertionibus, & scandalis, &c. Obuiare volentes, &c. Huiusmodi assertiones Prædicatorum eorundem qui affirmare præsumerent eamdem sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosa festum celebrare, & eos qui crederent, & tenerent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse; Propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vt pote falsas & erroneas, & a veritate alienas, editosque desuper libros præfatos id continentes auctoritate Apostolica præsentium tenere reprobamus, & damnamus*: Ex quibus Sixti verbis ita licet argumentari. Si nomen Conceptionis apud Gregorium XV. mutauisset sensum, & celebrari ostenderet sanctitatem Virginis siue pro primo instanti, siue pro tempore & instanti sequenti; non ostenderet celebrari nisi solam sanctificationem Virginis, & Conceptionem eius spiritualem. Sed hoc est decisum vt falsum & erroneum à Sixto IV. ergo falsum omnino est, quod apud Gregorium hoc nomen mutauerit sensum, & steterit pro celebratione sanctitatis indifferentis, vel pro primo, vel pro secundo instanti animationis Virginis sanctissimæ. Sequela maioris patet manifestè, quia qui celebrat sanctitatem Virginis siue pro primo instanti animationis eius, siue pro secundo, & sequenti tempore non celebrat aliquid extra Conceptionem spiritualem, neque aliquid extra sanctificationem primam Virginis, quia celebrare sanctitatem sub disiunctione temporis nullum tempus proprium sanctitatis celebrat, vt patet, atque adeo nihil extra sanctitatem Virginis primam celebrat. Ergo si vt dicitur cum hac mutatione sensus nomen Conceptionis accipitur à Gregorio, non ostenditur per ipsum in vsurpatione dicti nominis celebrati, nisi merè sanctitatem primam Virginis; nam non celebrari aliquid extra primam sanctitatem Dei genitricis, & celebrari solum eius primam sanctitatem, idem sunt formaliter vt liquido constat, & sic patet sequela ad euidentiam. Minor autem patet ex decisione Sixti, qui vt erroneam damnauit hanc propositionem superius dictam; vnde ad euidentiam conuincuntur Aduersantes de errore, in quem labuntur, si cum Libellatoribus istis Anonymis affirment tempore Gregorij factam esse mutationem sensus in nomine Conceptionis.

3. In quo argumento duo vana effugia possunt prætendere aduersantes, vnum est, quod Ecclesia Romana post constitutionē dictam Sixti IV. permittit quidem, & defendit celebrari festum Conceptionis prout significat sanctitatem in prima infusione animæ eius, ita vt vt erroneos declaret illos, qui censurent hunc sensum, sicuti prius aliqui de classe aduersantium illum censurabant, sed de reliquo non propterea sub hoc determinato sensu, & cum exclusione oppositi, eiusmodi festum celebrauit, sed celebrauit tum in sensu nostro, cum in sensu aduersantium; vtrumque scilicet admittendo in hac celebratione à diuersis personis, vel sub nomine sanctitatis, vel Conceptionis vsurpandum; & in hoc consistit mutatio sensus nominis Conceptionis quod prius tempore Sixti significabat primam, & veluti secundā, animationem Virginis, licet non pro iisdem celebran

lebrantibus, sed pro diuersis, & sic verè tempore Sixti celebrabat Ecclesia aliquid præter Conceptionem spiritualem & sanctificationem in diuersis tempore autem Gregorij mutauit celebritas modum, & quia voluit Gregorius quod omnes eodem modo celebrarent in vniuersali Ecclesia propterea celebrari mandauit in sensu compatibili vtrique sententiæ, videlicet non primam & secundam animationem à diuersis, sed vnam vel alteram disjunctiuè ab omnibus, & sic esto modo celebret Ecclesia Romana in substantia solam sanctificationem primam Virginis, non propterea erratur in hac assertione, nec dicitur Ecclesia nunc vnum habere sensum, nunc alium, sed solum quod antiquo tempore præceperit vnum, nunc autem ex diuersa rationabili caussa præcipiat aliud prius huic, vel illi parti Ecclesiæ; nunc toti eidem Ecclesiæ; & sic error erat dicere tempore Sixti, quod Ecclesia Romana celebrabat festum solius Conceptionis spiritualis, seu sanctificationis Virginis: sed modo tempore Gregorij non est vllus error hoc asserere & tenere propter nouum eius Decretum; non contradicens priori in sensu doctrinæ, sed in iussu huius vel illius modi celebritatis, quæ variari rectè potest à Pontificibus posterioribus, cum sit quid pertinens ad statuta operationum, non iudiciorum doctrinalium, quibus debetur immutabilitas omnimoda,

4. Secundum effugium posset esse, quod hæc prima Constitutio Sixti IV. damnans celebritatem solius sanctificationis, seu Conceptionis spiritualis Virginis dicatur non genuina, vt pote non inserta in corpore Iuris, neque differens ab inserta dicta, nisi in hac damnatione, quæ videri potest ex hoc capite commentitia, cum præsertim Vasquez & Corduba eam non agnouerint, & contrariis oppositionibus respondeant.

5. Sed nullum est primum effugium & falsum profert, tum in primo, tum in secundo, quod asserit. Et primum falsissimum est, quod per Constitutionem dictam Sixti IV. Ecclesia dicta sit celebrauisse in diuersis personis primam vel secundam animationem Virginis sub nomine Conceptionis; nam in eo statuto nihil tale habetur, & est merum commentum aduersantium hoc asserere; nam expressè ibi dicitur [*Quod Ecclesia Romana de Intemerata semperque Virginis Mæria Conceptione festum celebrat, & speciale ac proprium officium ordinauit:*] & rursum additur, quod hoc non ignorauerint contrarij sensus fautores; & cum eo tempore Conceptio non significaret, nisi primam animationem, & ea non potuerit celebrari in originali in re habita; expressè intelligitur dicta celebris, eadem prima animatio Virginis vt sancta. Vbi cum nulla prorsus mentio facta fuerit de celebratione alia, quæ confingeretur ab istis hominibus sub alio sensu videlicet sanctificationis, ineptissimum esset dicere, quod per primam Constitutionem Sixti celebrata dicatur Conceptio sub sensu puræ sanctificationis ab aliquibus, id approbante Sixto, seu tamquam ex sensu admisso & volito ab Ecclesia Romana, & qui posset dici Ecclesiæ Romanæ.

6. Id quod ad euidentiam demonstratur primo, quia si quando dicitur, quod Ecclesia Romana instituit vnum festum sub vno determinato sensu, ad quod non obligat omnes fideles, neque ceteras omnes Ecclesias, sed solum eas allicit videlicet dummodo non reprobat, & damnat alium sensum, sub quo alij celebrarent, possent hi dici celebrare secundum sensum Romanæ Ecclesiæ, proprius sensus Romanæ Ecclesiæ posset esse de duobus contradictoriis qualis esset in præsenti casu; nam diceretur Ecclesia celebrare primam animationem Virginis primo sanctam, & sine peccato originali, & rursum secundam animationem eius primo sanctam, atque adeo excludentem sanctitatem per prius in prima animatione, quod est sub contradictoriis sensibus celebrare; atque ineptissimè, ne dum falsissimè, diceretur de matre omnium Ecclesiarum. Rursum secundo rerum esset in præsenti casu, quod Ecclesia Romana in ea parte fidelium, qui celebrauissent secundam animationem primo sanctam, vel etiam sanctitatem eius siue in prima, siue in secunda animatione disjunctiuè consideratam in tali inquam parte rectè diceretur celebrare solam Conceptionem spiritualem, & sanctificationem Virginis, quod damnatum à Sixto, qui absolutè, vt errorem definit asserere, quod Romana Ecclesia celebrat solam Conceptionem spiritualem, & sanctificationem Beatæ Virginis. Tertio, id ostenditur item ad euidentiam, quia iuxta eum solum sensum celebrare dicitur Ecclesia Romana in Sixtiano Decreto, quem obtendit, & profert sine vlla ambiguitate officium à se institutum vt dicitur in extrauaganti Præexcelsa, & ordinatum prout dicitur in eadem Extrauaganti. Sed in officio expressissimè sola prima animatio dicitur sancta & Immaculata; ergo ea prima animatio cum exclusione secundæ celebrari dicitur & celebrata ab Ecclesia Romana vt patet.

7. Quarto hæc celebratio solius sanctificationis Virginis, quasi in aliquibus à Sixto IV. admissa, omnino reiicitur, qui ante Sixtum nulla erat, & qui putabant Virginem in prima animæ infusione originali in re infectam, nullum peculiare officium de sanctificatione vsurpabant; & si aliquod vsurpabatur nonnisi proprium de Conceptione recitabatur, nam duo officia de sanctificatione in vniuersum sciuntur ab aduersantibus (sed nulla legitima auctoritate, vt diximus) vsurpata, & neutrum ex eis à tempore Sixti, neque vnquam ab eo, vel alio Pontifice approbatum. Id quod patet, quia primum officium sanctificationis à Dominicana familia vsurpatum fuit compositum à Vincentio Bandello de Castro nouo electo Generali Ordinis 1501.

qui

qui obiit 1506. quare infra hos annos à sua electione ad mortem, vsurpatum hoc officium fuit, ac proinde post triginta annos post Constitutiones Sixti, non tempore Sixti: similiter officium alterum, quod vsurpatum fuit à Religiosa Dominicana familia est illud ipsum quod vsurpat Ecclesia Romana mutato nomine antiquo Natiuitatis in illud Conceptionis, & hoc vsurpatum est à Religione dicta post primum (quod est reiectum ab illa) cum mutatione nominis Conceptionis in illud sanctificationis, quodque excusum fuit Salmanticæ 1579. sed ante hoc tempus vsurpatum fuit, illud quod post deletum fuit scilicet Bandellicum, quia Catharinus, qui obiit 1552. scripsit officium suo tempore vsurpatum non obstare quantum erat ex vi verborum Conceptioni immaculatæ, quod dici non potest de officio Bandellico, quod explicitè, & in actu signato fatebatur beatissimam Virginem originali in re infectã, & deinde ab illo mundatam; quod autem neutrum ex his duobus officium (atque vtrumque valde posterius Sixto) fuerit vnquam à Sede Apostolica approbatum neque pro tota, neque pro parte Dominicanæ familiæ, patet manifestè, quia nullum tale profertur Priuilegium vel Bulla, vel viuæ vocis oraculum legitimum, quod hanc approbationem ostendat neque probabiliter, & constat manifestè non pro tota Religione fuisse aliquid tale approbatum; quia refert Catharinus lib. 3. pro immaculata Conceptione: *Quem ritum* (celebrandi scilicet Conceptionem sub nomine Conceptionis) *iam communiter omnes Ordines, vt par erat receperunt, nostro dumtaxat excepto, qui etiam in hoc diuisus est, nam in toto Christianissimo Regno sub eo nomine absque vllo scrupulo fratres nostri eam celebrant solemnitatem.* Et in disp. ad Patres Concilij Trid. *Quin & ipse noster Ordo secum minimè constat, cum Transalpini Fratres nostri Ordinis, sapientissimè concedant, & morem vniuersalis Ecclesiæ sequantur sub nomine Conceptionis celebrantes, inter quos tamen non desunt Patres & Magistri, qui in lectione B. Thomæ Italis non cedunt.* Et *lib.* 3. notare videtur, quod merè in Italia vsurpatum sit à Patribus Dominicanis Officium sub nomine sanctificationis, quod ei bene notum erat, vtpote Ordinis totius Magistro Generali, scribit autem ipse in hæc verba. *Nolo tamen latere quemquam etsi nostri celebrent in Italia de sanctificatione, nihil tamen contrarium veritati eos celebrare quod multi nesciunt, non enim repugnat Conceptioni immaculatæ sanctificatio.* Et iterum, *Quod & valde notandum est, ne quis putet ab Ordine nostro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi Conceptionis*: vbi duo notanda sunt. Primum quod vsum huius Officij semper cùm restringat ad Italos, extra Italiam agnouit non vsurpari saltem communiter; & secundum id, quod supra diximus suo scilicet tempore abolitum fuisse Bandellicum. Et tertiò hic notandum, quod neque in Italia tota vsurpabatur hoc Officium, nam Senis vt vidimus alias ex præcepto Leonis X. vsurpatum est per centum & amplius annos ante Gregorium XV. Officium cum nomine Conceptionis. Dum autem hæc diuisio in hoc ordine ab antiquo fuerit in modo celebrationis, certum apparet, hæc non ex aliquo indulto Sedis Apostol. vsurpata fuisse, quæ non satis facile cum hac varietate impetrari poterant; sed ex libito vsui data, & si fuisset tale indultum, omnino proferri posset; illud autem viuæ vocis oraculum, quo conceditur à Iulio III. Dominicanis Patribus demere, vel addere de Officio; nihil pro hac re facit; nam non potest intelligi de officiis institutis ab Ecclesia Romana; quasi vero Pontifex dederit facultatem Dominicanis mutandi Officia instituta à summis Pontificibus quale fuit Sixtianum; sed merè id concessit in illis Officiis propriis Ordinis, vt patet; nam alia interpretatio intolerabilem continet errorem. Confirmat etiam hanc veritatem, quod eodem anno, quo Officium sanctificationis Salmanticæ typis datum est, prodiit etiam Martyrologium Dominicanum opera Ioannis de Palentia ex iussu Seraphini Caualli totius Ordinis Generalis cum approbatione Magistri Ioannis Galli insignis Theologi Salmanticensis, qui de Palentia dictus testatur in Procemio inhæsisse se vestigiis alterius antiquissimi scripti anno 1254. triginta tribus post mortem sancti Dominici; & in hoc Martyrologio festum Conceptionis Deiparæ, non sanctificationis eius recensetur: quare eodem anno 1579. in eadem Dominicana familia vigebat sensus celebrationis festi Conceptionis sub nomine Conceptionis ab antiquissimo tempore, & vniuersale in ea non poterat esse, celebrare sub nomine sanctificationis, nec ex præcepto Capituli Generalis mutatio potuit fieri nominis Conceptionis in illud sanctificationis: quæ omnia ostendunt apertissimè tum doctrinam, quæ traderet Ecclesiam Romanam in aliquibus celebrare meram sanctificationem Virginis esse erroneam, cum etiam factum ipsum esse temerè inuectum in istiusmodi celebratione, & contrarium censeri debere sensui Ecclesiæ Romanæ. Id quod condemnat maximè Anonymum erroris inficientis etiam ipsam Dominicanam familiam nota, qua liberauerat eam, seu potius explicauerat Catharinus supra citatus liberam: nam redit anonymus ad sensum Bandellicum in Celebratione festi Conceptionis, quem facto saltem reprobauit ipsamet Dominicana familia; dum Bandelli Officium relegauit à suis Choris, & expressè notauerunt Primates Doctores ex hac sacra familia eos scilicet non celebrare in dicto sensu dante originale Virgini, sed in sensu ab hoc præscindente, seu celebrare sanctitatem Virginis in eo signo in quo fuit non eam determinando, neque ad primum instans, neque ad tempus sequens.

8. Audiatur anonymus hic erasse errans contra suos, & omnino damnatus à Sixto IV. cum profiteatur celebrationem suam esse merè de sanctificatione Virginis, imo de sanctificatione ita intellecta, vt dicat se præcedentem in Deipara maculam veram & propriam peccati originalis. Ita enim dixit primus Libellator n. 1. *Vnde Fr. Prædicatores ad fugien-*

dam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam exprimendam, vtebantur nomine sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis; Et sic merè celebrabant sanctificationem in sensu alieno ab Ecclesia, & qui, si ab ipsis putaretur proprius Ecclesiæ, esset secundum declarationem Sixti, erroneus. Secundus item Libellator n. 3. ait. *Ante Decretum Fe. re. Gregor. XV. de officio recitando sub nomine Conceptionis retenta à Dominicanis voce sanctificationis ex nominum distinctione inferebatur opinionum distinctio, ita vt Conceptio præseruationem apud eius vocis assertores importaret; sanctificatio vero alteram sententiam exprimeret.* Videlicet illam, quæ sanctitatem volebat in Deiparæ post peccatum originis contractum in re. Vnde hi Anonymi loquuntur iniuriosè contra ipsummet eorum ordinem, si Dominicani fuere, vt videntur, dum dicunt quod Dominicani celebrabant in eo sensu, in quo si dicerent, celebrare Ecclesiam, erroris notantur à Sixto IV. & sic certum est euidentissimè, quod non celebrauerint nisi meram sanctificationem Dei matris, vt perspicuum est.

9. In qua re miror vel non vidisse suosmet auctores primos antiquiores, vel si viderint contra eorum relationem de re, quæ suo tempore peragebatur, voluisse audatiter contra referre sine vlla auctoritate ex mero figmento capitis sui. Legatur pro hac re Caietanus: *Opusc. de Concept. cap. 5.* dicens: *Constat & quibuscumque Catholicis celebratur hoc festum, celebratur ratione sanctificationis B. Virginis in vtero matris, siue illa sanctificatio fuerit præueniens, & quasi præoccupans peccati originalis actualem incursum, vt opinio ista dicit siue fuerit, mundans ab originali peccato iam contracto, vt altera dicit opinio.* Quibus addit deinde, *quocirca omnes conueniunt in sanctificatione Beatæ Virginis, & quod fuit in vtero, & quod est ratio celebritatis iuxta illud. Tu solus sanctus Mariam sanctificans:* quod vltimum sumpsit ex Missali Dominicano. Vbi aduerte quod à quibuscumque Catholicis in dicto à se sensu celebrari hoc festum asseuerat Caietanus, vt ostendat esse Catholicum sensuum, & in eo conuenisse non solum Dominicanos, sed etiam alios, qui eo tempore adhærebant modo ab omnibus ceteris relictæ sententiæ. Caietanum sequitur Medina 3. *part. quæst. 27. art. 2.* §. Ad hoc dicendum his verbis. *Vt nullus sit error neque speculatiuus, neque practicus in celebrando Conceptionis festo, securissimus modus est celebrare illud punctum, in quo iustificata est, & plenitudine gratiæ decorata, abstrahendo an sit concepta cum peccato originali, nec ne:* Quibus adde Catharinum supra allegatum, & manifestum erit ex congrua auctoritate non in alio reprobo sensu celebrauisse antiquos Dominicanos post delectionem officij Bandellici in sensu relato ab his anonymis.

§. V.

Perspicuum fit non habere locum ad infringendam hanc damnationem Sixti de sola sanctificatione Deiparæ celebrata ab Ecclesia Romana in Festo Conceptionis eius effugium, ex eo quod ciusmodi extrauagans non sit genuina, sed supposititia.

1. NOn vidi Auctorem, qui positiuè scripserit hanc extrauagantem Sixti IV. esse confictam, sed aliqui Auctores cum de ea non meminerint, nec fuerit ipsis nota, possunt occasionem dare aliquibus negandi veritatem eius, quo circa ne eius auctoritas aliquo modo vacillet, sed firmissima maneat, ostendemus nullum esse caput dubitandi de veritate eius, & omnia alia intercedere, quæ veritatem, & certitudinem emanationis eius persuadeant, & concludant manifestè. Ea autem quæ hanc dubitationem immittunt, possent esse primo vt diximus, quia si ea emanasset à Sixto, inserta fuisset cum reliquis in corpore iuris contra id, quod re ipsa contigit. Secundo, quia cum ea tota coincidat cum secunda exceptis his paucis verbis, nonnisi secunda censenda videtur cum additione dicta suppositicia. Tertio, quia si ea fuisset germana & continuisset totum id, quod continet secunda, & aliquid aliud, idque præcipuum, ipsa, & non secunda esset inserenda in corpore iuris; cum ergo ibi ipsa inserta non sit, signum est quod fuerit nulla. Quarto, quia si ea verè emanasset à Pontifice, de ea meminissent auctores dantes maculam Conceptioni SS. Virginis. Quinto, quia si verè extitisset, non ausi fuissent fratres Dominicani contra ponere diuersum officium, & Missam cum nomine expresso sanctificationis, officio & Missæ eiusdem Romanæ Ecclesiæ de Conceptione præsertim illud Bandellicum signans celebrationem sanctitatis Deiparentis positiuè per veram incursionem in peccatum quod certum est, fuisse ab eis vsurpatum spatio multorum annorum. Et Sexto denique, quia cum his fuisset erroneus sensus: summi Pontifices, & præsertim Sixtus IV. eum detestatus fuisset, nec desiisset eum in secunda Extrauaganti expungi, quæ omnia videtur satis probabiliter ostendere suppositam esse, vel fuisse hanc Extrauagantem, atque adeo nullum nostrum argumentum præcipuum desumptum ex illa.

2. Sed nullæ sunt hæ coniecturæ, & prima nulla est, quia innumeræ sunt Bullæ verè & certissimè à summis Pontificibus emanatæ, quæ non sunt insertæ in corpore Iuris: nam non fuit vmquam in more apud summos Pontifices inserere in corpore Iuris omnes Bullas, nec quia aliqua Bulla non est in corpore Iuris, propterea

propterea aliquid de certitudine sua amittit. Id quod est in confesso apud omnes, & ratio est manifesta, quia cum Bullæ eiusmodi fuerint innumeræ, si omnes fuissent insertæ, libri iuris deberent esse innumeri, vel excessiuæ molis, & si omnes eiusmodi Bullæ fuissent insertæ in dicto corpore vbi apparent Bullæ confirmantes Concilia, in quibus erant veritates de fide: Vbi innumera priuilegia quæ sunt concessa Regibus, Principibus, Monasteriis, Religionibus, & similia? Et quinto cum euidentissimum sit nullam extare legem, quæ tollat valorem Bullis, nisi in corpore iuris inserantur, omnino nihil facit ad eius infirmam validitatem ostendendam, si desint in corpore iuris. Nam alioqui quartò omnis Bulla, quæ emanat, deberet inseri in corpore iuris, & per consequens, & eiusmodi Bullæ etiam præsenti tempore essent inserendæ, & quando de earum collectione in vnum speciales fiant diligentiæ, & exquisita cura adhibeatur ad eas vnitim congregandas, nihilominus multæ earum, quas euidenter scimus à summis Pontificibus prodiisse, non inueniuntur in Bullariis, qualis est illa canonizationis sancti Francisci Xauerij edita ab Vrbano VIII. & aliæ non paucæ, licet præsentibus temporibus editæ. Quinto, non erat inserenda hæc Bulla in corpore iuris, quia de errore agebat aliquorum in Lombardia singulari Prouincia degentium, cum errores damnati vniuersaliores viderentur in corpore iuris apparere damnati, & peculiaribus sufficeret damnatio semel edita. Sextò, hic error vtpote crassus & manifestus, manifesteque vt talis decisus, non erat in secunda Bulla denuo refutandus, & damnandus, neque etiam curandus inseri in corpore iuris. Septimò, quia credendus est priori Bulla satis reiectus, nec vlterius renouatus à contradicentibus immaculatæ Conceptioni. Et octauò, quia vt videbimus si qua confutatione & damnatione indigebat, ea habeatur satis per illam damnationem, quæ continebatur in secunda Extrauganti quæ damnabat eos, qui peccati mortalis culpabant celebrantes & præsentialiter assistentes Officio & Missæ Conceptionis, & hæreticos dicentes illos, qui sine originali peccato conceptam tradebant sanctissimam Virginem ex eo quod Ecclesia Romana celebrabat festum Conceptionis, & ipsi hoc ipsum recte sciuerant; quod festum secundum aduersarios apertissimè erat non de sola sanctificatione, sed de Conceptione pro primo instanti, nam alioqui non improbasset illud, vt est euidentissimum, quare nullum prorsus est primum caput, vnde nullitas dictæ Extrauagantis probari intenditur.

3. Secundum caput itidem nihil probat, quia & si in secunda Bulla non fuisset, vlla alia immutatio, nisi quod prima contineret hanc aliam declarationem erroris dicti, quæ non inueniretur in secunda, adhuc bene essent duæ, & bene potuit edi secunda sine hoc puncto, & diuersificari à prima per hoc ipsum. Quia dum primus alius error esset sufficienter correctus, nec reuiuisceret, & secundus vel perseueraret, vel etiam angeretur sub noua data poterat optimè per eundem Sixtum reiici & damnari; ita vt hac replicata damnatione penitus aboleretur. Secundò per hoc quod in secunda narraretur, & damnaretur error non merè in Lombardia vagans, sed per alia regna & Ciuitates ac Prouincias noua & sufficiens causa suppetebat & suppetiit ad nouam Bullam sine damnatione primi erroris non ita magis latè patentis edendam; nam error magis latè patens ex hoc ipso est diuersus extensiue, & diuersa potest indigere Bulla ex hoc capite iam variata. Tertiò, his adde quod quemadmodum vnus error potest damnari per vnam Bullam, & si perseueret, potest iterum damnari per similem sine vlla mutatione, nisi datæ, & noui temporis, quo editur, ita similiter, & eo magis cum dictis mutationibus potuit renouari secunda sine vlla coniectura probabili data, quod prima Bulla edita non fuisset. Quartò, quia si quid obstaret, quominus de eodem ederentur duæ Bullæ, posset esse, quia in tali casu secunda Bulla videretur frustratoria; sed hæc ratio nulla est, quia posset prima non ita latè esse cognita, & indigere noua editione, nouisque exemplaribus, quæ deessent, ac per consequens dum ea essent typis edenda, vt maiorem vim haberent, bene per nouam datam esset Bulla renouanda, & per hoc ex replicato summi Pontificis præcepto secunda non eadem cum prima. Quintò, quia dum in casu nostro error fuerit extensus ad alias regiones, vel Ciuitates & regna, bene erat per nouam Bullam notificandus, vt talis in eisdem supponeretur non esse ita facile bene cognitus, cum eiusmodi Bullæ damnantes errorem proprium alicuius Prouinciæ, ad eas maximè mitti contingat prætermissis aliis locis, vt scilicet in eas non tam multa exemplaria transmittantur. Sextò, quia nihil noui est Bullas eisdem tenoribus repeti nouas, vt patet in Bullis Cœnæ quolibet anno replicatis, in Bulla Cruciatæ ipsissima replicata, quæ secundum Auctores noua editione quascumque derogationes interpositas annullare censetur. Et vidi ego Bullam pro Fratribus Franciscanis dirigi ad prædicationem per vniuersum Orbem, quam edidit Alexander IV. & habetur in directorio inquisitorum, nec in Bullariis inuenitur, & eandem iisdem verbis ostendit mihi editam pro Fratribus Dominicanis vir doctus & valde pius ex eadem Dominicana familia. Septimò, addas Alexandrum VI. renouasse Extrauagantem secundam Sixti IV, vt communiter notatur, nec tamen aliud ei addidisse, neque dempsisse merè ex eo quod viderit eundem errorem, qui emanarat tempore Sixti adhuc pullulasse; propter similem ergo causam idem Sixtus noua data potuit nouam Bullam edere. Octauò denique annullatur prorsus hoc caput, quia hæc Bullæ signatæ in multis positiuè differunt, nec vt vna censeri possunt. Et in prima quidem duo tantum damnantur à Sixto, videlicet dici quod Ecclesia Rom. celebrat solam Conceptionem spiritualem seu sanctificationem, & rursum quod hæreticum sit dicere Dei Matrem ab originali præseruatam. In secunda verò relinquitur prima damnatio, & retinetur secunda, & præterea alia damnatio additur. *Qui credunt, & tenent Virginem ab originalis peccati macula in sua Conceptione fuisse præseruatam moraliter peccare.*

Et rursum hæc alia, *Qui officium Conceptionis celebrant peccati reatum incurrunt:* & tertia demum alia; *Qui audiunt sermones de immaculata Conceptione incurrunt etiam peccati ratum*; Desunt etiam in prima illa verba, quæ habentur in secunda pro ratione data, ne censuretur sententia affirmans originale in Beatissima Virgine Matre, quæ est. *Cum nondum sit à Rom. Ecclesia & Apostolica Sede decisum.*

4. Nec tertium caput aliquid probat, quod scilicet prima inserenda fuisset, vtpote continens quidquid continebat secunda, & præterea aliquid aliud principale bene definitum, nam nuper vidimus hanc secundam aliquid continere de nouo, & aliquid reliquisse de antiquo, quia non erat necessario repetendum ex dictis rationibus efficacissimis.

5. Quartum caput non vrget, quia frequentissimum est apud aduersarios etiam antiquos non meminisse argumentorum validissimorum, & auctoritatum, quæ contra ipsos fiunt in hac materia, vt alibi notatur, & in his anonymis est manifestum. Sic videmus Caietanum non meminisse variarum Scripturarum Patrum Doctorum, qui pro immaculata Conceptione pugnant, audetque dicere neminem ex antiquis pro nobis sensisse, quod est solemne mendacium, vt in solutione eius argumentorum notamus, & opusculo proprio demonstrabimus. Secundò, non vrget, neque valet hoc Aduersariorum silentium de eiusmodi Bulla, quia ex iis multi neque mentionem faciunt aliarum Bullarum, & ipsius Extrauagantis in corpore iuris insertæ. Tertiò, quia ij, vt appareat in his anonymis maximè quæ ad eruditionem pertinent in hac re, vel ignorasse, vel voluisse ignorare videntur, vt apparet ex innumeris auctoritatibus & relationibus signorum supernaturalium, quæ afferunt immaculatæ Conceptionis impugnatores, nec aduersantes sciuisse agnoscuntur. Quartò, quia in iis, quæ magis insolubilia sunt, moris est apud eos silentio præterire, ne si responsis friuolis se tueantur, videantur ex hoc ipso clarius causa cecidisse. Quintò, quia nostri propugnatores hoc telo sibi subministrato sæpè vsi non sunt, vt quod etiam ipsis non ita obuiam fuerit, cum sciamus eiusmodi scripta & libros, quæ pro ipsis contra aduersantes facere possunt, pro viribus occultasse. Vnde nonnisi in Bibliothecis celeberrimis inueniuntur vel Catharinus, vel Vvadinghus, vel Serranus Episcopus; nec mirum; quia si plures S. Thomæ textus decurtarunt, quid de cæteris libris fecerint, coniectari potest: Quæ omnia latissimè & signanter ostendemus in opusculo de hac re tabellis obsignatissimis. Quintò, positiue aliqui ex nostris etiam primatibus Auctoribus, nonnisi vnam Extrauagantem Sixti IV. de hac re agnouerunt, & istis acquiescentes Aduersarij, hunc Alexandri nodum neque soluere tentarunt, ac proinde ne canem excitarent quiescentem, vt dicitur, rem silentio præteriere. Sextò efficaciùs, quia ex aduersantibus plurimi & iis doctiores, expressè concesserunt Rom. Ecclesiam verissimè non solam sanctificationem & Conceptionem celebrare, sed primum instans Conceptionis sanctitate Virginis præditum; vnde nihil ipsis soluendum in hac re relictum est, atque adeo non memorandum, cum pro ipsis non faceret aliunde.

6. Neque aliquid obest quintum caput, scilicet quod Fratres Dominicani si edita fuisset hæc Extrauagans Sixti IV. non vsurpassent Officium sanctificationis; nam etsi sine dubio in rem prohibitam inciderunt mera vsurpatione officij, non fuerant in ea damnati cum erroneo sensu vt celebrantes. Nam eiusmodi celebrationem Sixtus non damnauerat, neque de ea meminerat, nec rursum tempore Sixti eiusmodi officium initiatum fuerat. Propterea cum Sixtus damnaret eos, qui dicerent Ecclesiam Rom. merè sanctificationem Virginis celebrare, ipsi ex professo tradebant non celebrare id, quod Ecclesia Rom. celebrabat, sed secundum propriam opinionem, ac proinde non dogmatizabant contra illum, & eius definitionem. Et tertiò, quia cum hoc officium cœperint vsurpare longè post tempore dictæ Extrauagantis, quæ apud eos communiter latere potuit sine dubio peccandi, viri etiam pij illud suscipere potuerunt. Quartò, in hoc excusari ipsi se debent, nam dum alioqui sciatur per plures annos vsurpasse officium Bandellicum, valde temerè inuectum ea incuria seu ignauia, quæ plures ex ipsis excusauit propter eius vsum, potuit etiam eosdem excusare de vsu officij solum mutantis nomen Conceptionis in illud sanctificationis.

7. Neque tãdem obest sextum caput. Quod scilicet Pontifices non sciuissent ipsos celebrare secundum sensum alienum ab Ecclesia Romana expressè totaliter definitum, nam hic sensus constabat aliunde, vt patet ex auctoribus, & nos prosequemus in opusc. proprio de hac re. Quare sicuti ex aliis verbis decisiuis Pontificum hic sensus Ecclesiæ Romanæ constabat, & tamen non propterea Pontifices vsum dicti officij non puniuerunt; neque aboleuerũt funditus, ita in eadem permissiua toleratione duraverunt, etiamsi expressè esset decisum quod Ecclesia Romana non celebrabat solam sanctificationem beatissimæ Matris. Secundo patet ratio ista tolerationis tam pessimi abusus, quod vna vel altera familia religiosa celebraret secundum sensum diuersum positiuè ab illo, quo celebrabat Ecclesia Romana; nam hic error non erat dogmaticus ex se præcisè, atque adeo secundum prudentem, & prudentissimam gubernationem Ecclesiæ opportuno tempore abolendus. Cum pia Mater Ecclesia in iis, quæ pertinent ad seruanda non ad credenda, soleat expectare filios, vt resipiscant à malè operatis præsertim cum ij sint valde multi, & tumultuantes, quales erant eo tempore aduersantes. Quartò, quia eo tempore maximè insudabant Pontifices in extirpando errore dogmatico, quo censurabant plures sensum de immaculata Conceptione; vnde necesse fuit Alexandro VI. & aliis Pontificibus sæpe renouare Sixtianas Extrauagantes, quemadmodum vltimo egit Concilium Tridentinum sub pœnis ibidem contentis; quare prudenter tempori committebant eiusmodi abolitionem officij. Quintò, quia propugnatores immaculatæ Conceptionis illo ipso tempore incumbebant potius ad instandum pro extirpatione erroris dogmatici, & ad obtinendam

celebra

celebrationem festi per vniuersam Ecclesiam, illudque magis magisque firmandum, quam ad hanc abolitionem officij ferè in vna sola familia locum habentis, nec hoc ipsum in ea tota vt vidimus supra. Sextò, quia prudentissimè scientes summi Pontifices in hac re plures ex aduersantibus eo deuenisse, vt hæresi proximi essent, & tumultuarétur in Ecclesia propter errorem intellectus, in quem inciderunt aliqui multi, & præ cæteris hoc bene sciens Pius ipse V. dum videret per plures annos continuatum apud aliquos fuisse officium sanctificationis præ tenacissimo sensu adhærente ad opinionem eo tempore toleratam ab Ecclesia, dum illi nonnisi priuatè renunciatum fuisset, in hoc abusu prosequi Fratres Dominicanos sine sui licentiâ, cum omni prudentia rectè statuere potuit eos tolerandos, & suauius tempore corrigendos, ne scilicet præruptum aliquod ingenium in effata proditet Catholicæ fidei aliena, & in Ecclesiam Romanam insurgeret. Recensent enim approbatissimi auctores complura dicta Doctorum illius temporis valde male sonantia, à quibus exhorruit Paulus V. dum ea retulit in vno Vincentio Bandello Vvadingus in sua legatione vt refert Cismont. Familia. Quare nihil debet esse mirum si cordatissimi Pontifices, qui in hac re semper vlterius progredientes & semper magis, magisque immaculatæ Conceptioni dantes sensim ferè sine sensu temerè prosilientes in contrario sensu, compescuerunt; nec quia eos tolerauerunt, vt decretis tempori datis, suauius obtemperarent, existimari vlla ratione potuerunt, eum eis aliquo pacto vel consentire, vel adhærere; quibus notatis ad euidentiam constat nihil ex dictis capitibus argui posse ad concludendum quod dicta prima Extrauagans Sixti IV. fuerit suppositia; quo ostenso positiuè ostenderur eam vere & germane ab eodem Pontifice emanasse.

§. VI.

Firmatur vt genuina prima Extrauagans Sixti IV. Graue nimis. *Ex auctoritate Doctorum & maximè quia eam confirmauit Concilium Tridentinum.*

1. EX dictis liquet apertè nulla esse capita allata ad inferendam suppositiam primam Extrauagantem Sixti IV. *Graue nimis.* Modò ostensiuè ostendemus eius genuitatem. Primò, quia eã signatissimè retulerunt sine vlla veritatis ambiguitate vel formidine doctissimi & veracimmi viri relati à dicto Calderonio *capite* 7. per totum, necnon à Cisnontana familia *in suo regestu pag.* 106. hi autem sunt Pater Torres, qui *lib.* 4. *cap.* 7. *fol.* 13. Meminit huius Extrauagantis. Et *fol.* 539. eam recitat integram. Porreno. *cap.* 3. Lazerus *cap.* 5. Daza *cap.* 18. Pater Hieron. Embid. August. *cap.* 9. §. 2. *& seqn. & cap.* 16. Ægid. de Præsent, *lib.* 3. *qu.* 6. *art.* 1. §. 6. Selbat. *in stellar. lib.* 14. *p.* 2. Castill. *tom.* 1. *disp.* 2. ex Societate Iesu tres, *Granad. disp.* 3. *cap.* 7. *sect.* 3. *fol.* 59. Quiedo *cap.* 16. *fol.* 64. & Salazar *cap.* 33. *arg.* 8. Vvadingus *in legat. tr.* 7. *apud Paul. V. sect.* 2. & ex Dominicanis Iustinian. *de Ast.* §. 3. & Catherinus *tr.* 2. *de Concept. parte vlt. per totam.* Cismontanâ familiâ etiam eiusdem est sensus *in suo Regesto fol.* 106. & Calderonius *cap.* 7. distinctè item hæc Bulla habetur edita 1481. vel 1482 nam annus decimus tertius Pontificatus Sixti IV. ab aliquibus ponitur in anno 1481. & ab aliis in anno 1482. Secunda verò edita est anno 1483. extat autem hæc Extrauagans authentica in monum. Ordin. Minor. edit. prim. fol. 74. & in 2. edit. fol. 158. Refertur item in Bullar. Roderici. *Bulla* 7. *fol.* 137. *& tom.* 1. *qq. Regular. qu.* 57. *art.* 1. *in firmam. trium Ordinum tr.* 1. *fol.* 24. Rursum in Compen. Priu. Fratrum Min. *ver. Conceptio* §. 2. apud Bernard. de Busto *serm.* 4. *de Concept.* in processu iuridico. Murciæ *in sua Collect. Priuil. sacri Ordin.* S. Ioannis Baptistæ Confectij Protonot. Apost. Clementi VIII. dicata, eiusque auctoritate munita anno 1589. sicuti videri potest ex pag. 153. nec non in Compen. Priuileg. Fr. Min. Sup. §. 6. & 7. fol. 41.

2. Non licet autem dubitare de fideli relatione horum auctorum, tum quia supponi non potest eos ex malitia & fictione eam tradidisse, neque quia sufficientem rei cognitionem non habuerint; nam rescriptio eiusmodi Bullæ habetur ex monumentis illorum temporum, nec peculiaribus vnius vel alterius Scriptoris sed vniuersi Ordinis Minorum, qui non potest vlla ratione supponi vel per ignauiam errasse, vel ex malitia; quibus adde locupletes testes hîc adhibitos viros doctos illius temporis, qui ei suffragantur videlicet Bernardinus de Bustis gratus Pontifici Sixto. Et qui omnia propria Conceptionis euoluit eo tempore, necnon Catharinus Magister Generalis Ordin. Domin. qui florebat tempore editionis huius Bullæ, nam electus fuit Generalis Magister Ordin Domin. 1501. vt *cap.* 19. *n.* 19. refert Calderonius. Et antequam ingressus fuisset Ordinem teste Sixto Senensi ius Cæsareum docuit, cuius præsertim discipulus fuit Iulius III. Pontifex Max. à quo in Episcopatum & Archiepiscopatum assumptus Cardinalatui destinatus fuit. Quocirca necesse fuit quod 1481. ipse floreret in Doctrina & suo tempore editæ Bullæ oculatus fuerit testis; cuius rei euidens etiam testimonium est, quia cum hi antiqui Scriptores circa illa tempora scripserint, quando falsitate relationis suæ poterant apertè redargui, nullo modo ausi fuissent, vt indubitatam citare Bullam, quæ nusquam edita fuisset à suis coæuis auctoribus, in re præsertim magni ponderis, & quæ maximè pungebat impugnatores immaculatæ Conceptionis, & præsertim eos, qui circa illa tempora vsurpabant officium sanctificationis. Nulla ergo debet esse dubitatio de genuina & germana veritate huius Extrauagantis.

3. Est itidem aliud præcipuum argumentum, quod eius sinceritatem confirmat, ductum

ex auctoritate Concilij Trident. quod duas saltem Bullas agnoscit in Christo, quas præcipit seruandas sub pœnis in eis contentis, cum autem non posset dici quod pœnæ hæc contineantur in duabus Bullis, nisi germanæ sint, hæc dicta edita 1581. vel 1582. & alia 1585. consequens est, quod eius veritas ex Trident. omnino firmetur. Nam etiamsi Sixtus IV. ediderit aliam Bullam, quæ incipit. *Ex præexcelsa.* In ea non continentur pœnæ, atque adeo non potest intelligi Concilium loquutum de pœnis in Constitutionibus Sixti contentis, nisi hæc alia Bulla concedatur germana Sixtiana, vt patet; nam etsi dicas quod in Bulla *ex Præexcelsa* videatur notari, vt rectè notat & aduertit Calderonius pro titulo immaculatæ Conceptionis aliam Bullam prius condidisse Sixtum circa institutionem, vel confirmationem Officij Nuegarolict, nihilominus cùm illud officium non nisi liberè recitandum proposuisset Pontifex, non potest illo modo supponi in tali Bulla, cuius non extat alia expressior cognitio, quod contentæ in ea fuerint pœnæ; quærendum de pœnis agit Concilium Trid. contentis in Bullis Sixti de sanctiss. Conceptione, omnino de his duabus agit, & confirmat præfatam Extrauagantem vere editam à Sixto fuisse, esseque germanam & non suppositiam.

4. Huius autem argumenti vim videtur infringere responsio Vasquis, qui cùm non viderit hanc Bullam, neque item illam Alexandri VI. in qua ex Corduba retulit (non quia ipse viderit, vt non bene eum carpit Ægidius de Præsentat. *qu. 6. art. 1. num. 33.*) contineri damnationem eorum, qui dicebant ab Ecclesia Romana coli Conceptionem spiritualem seu sanctificationem, vt videri potest apud ipsum, verba Tridentini interpretatus ita est, quasi vnam constitutionem, non quasi duas nominauerit, & habuerit: quia in illa vna erant duæ partes, & duo præcipiebantur. Nec mirum esse debet, quod tantus Doctor hanc responsionem adinuenerit, nam supposuit verè aliam Extrauagantem non edidisse Sixtum, vt pote qui apud Auctores citatam non legerat, & ab Italia remotus exactam harum rerum cognitionem non habuit; quo supposito acutè satis discussum in re adhibuit. Sed is nullo modo est admittendus, neque eius responsio dum talia firma fundamenta rei habeantur; & præterea nouissimum sit habere vt duas Constitutionem illam, quæ duo decernat, nam si tria vel quatuor in aliqua vna constitutione Pontificia præcipiantur, vt videri potest in Bulla Clem. de largitione munerum; in qua plura præcipiuntur, & in plures diuiditur partes; quis eiusmodi Bullam propterea dicere posset quadruplicem vel quintuplicem constitutionem? Similiter Gregor. XV. edidit Decretum de sanctiss. Conceptione in quo sunt duæ partes, & nemo illud diceret duplex, vel appellaret nomine constitutionum; & sic de similibus innumeris; quare firmum sit; quod dum Concilium Trident. loquitur de constitutionibus vt pluribus quæ contineant pœnas, tenendum est quod agnouerit duas Bullas edidisse sub pœnis Sixtum IV. & per consequens legitimam esse iam signatam Extrauagantem.

Nec item aliquid contra aptè affert Granadus *lib. de Concept disp. 3. sect. 5. num. 22.* qui vult ex his verbis Tridentini non colligi duas fuisse Extrauagantes minitantes pœnas transgressoribus suis, sed etiamsi vna fuerit, in qua exprimerentur pœnæ, adhuc posse eam significari per numerum pluralem, cum de reliquo Sixtianæ constitutiones de Conceptione Virginis constet, quod fuerint plures, vna scilicet, quæ incipit. *Cum præexcelsa*, & alia secunda *Graue nimis.* Quia scilicet etiamsi pœnæ non sint contentæ in ambabus, quia continentur in vna ex ambabus, possint dici contineri in illis, quatenus scilicet illæ faciunt vnum totum, & quicquid est in parte dicitur esse in toto. Sic notat Granad. quod bene potest dici, quod S. Ignarius in suis Constitutionibus præceperit, v. g. quod professi voueant si eligantur in Prælatos id eligere quod putent ad maiorem Dei gloriam expedire ex consilio illius, quem vt consiliarium ei præbeat Generalis Præpositus Societatis. Licet nonnisi in vna constitutione id inueniatur præceptum; sic quicquid *in p. part.* S. Thomas scribit, rectè dici potest haberi & scribi in partibus D. Thomæ. Nam hi modi loquendi sumunt constitutiones S. Ignatij & partes D. Thomæ, vt facientes vnum opus; & sic bene quicquid semel continetur in tali opere appellatione habente ex vocabulo in numero plurali, dicitur in eis contineri: contra vero constitutiones duæ Sixti non intelliguntur facere vnum opus, & vnum quid, vt quicquid continetur in vna, dicatur contineri in omnibus pluraliter.

5. Vtraque item responsio reiicitur in verbis Concilij Trident. rectè ponderatis. Nam Concilium Trident. de illis constitutionibus Sixti agit maximè & speciatim, in quibus de peccato originali dando vel non dando sub censura, vel sine censura sanctissimæ Matri agitur. Et secundò, de constitutionibus iis agit, in quibus pœnæ continentur, & quas profitetur innouare. Et primò reiicitur responsio Granadi. Secundò verò illa Vasquij. recitentur verba Concilij, quod scripsit. *Declarat tamen hæc sancta Synodus non esse sua intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed obseruandas esse constitutiones fel. rec. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eisdem constitutionibus contentis, quas innouat.* Quibus apertè reiicitur vtraque responsio, nam signat Concilium Constitutiones, quas vult obseruandas, illas scilicet, quæ concernunt ad peccatum originale; in quo numero non potest venire illa *Cum præexcelsa*, quæ non nominat peccatum originale, atque adeo ea non potest venire in nomine Constitutionum, sicuti vult Granadus. Quod autem de istis loquatur Concilium, patet, quia eas contraponit vt tractantes circa materiam, circa quam explicat non comprehendere Virginem circa peccatum originale, nam si non agerent de peccato originali non essent notandæ vt obseruandæ in confirmationem non comprehensionis Virginis in Decreto originali, sicuti ait Concilium; quod scilicet explicauit ita se doctrinam tradidisse de originali communem omnibus posteris Adæ, vt simul sentiret cum

Sixto

Sixto IV. in Constitutionibus editis de peccato scilicet originali dando vel non dando Virgini, quod eius dictum non bene prodiisset si in vna tantum constitutione egisset de peccato originali Concilium. Præterea dum eiusmodi constitutiones notat se innouare, plures certè innouat, & Granadus ipse plures innouare fatetur, ac propterea innouatam dicit illam cum præexcelsa. Maiori ratione censeri debet innouare maximè constitutiones, de quibus meminerat, scilicet quæ de peccato originali agebant expresè, quales sunt duæ *Graue nimis.* notatæ. Quo etiam dicto refellitur responsio data à Vasquez inscio alterius dictæ Extrauagantis, qui propterea non est censendus errasse, facta suppositione quod vna sola esset Graue nimis, nam si Concilium loquitur de pluribus constitutionibus agentibus de peccato originali, iam ostendit non esse duas, quia duo decernunt, sed duas absolutè, dum maximè eas esse à se innouatas denotat, quod non dicitur vnquam de vna tantum constitutione, & si vt probabilis esset sustinenda hæc responsio, deberet ostendere Vasquez, quod in Conciliis vel Pontificibus aliquando dicitur innouari Bullas vel Constitutiones; & sermo non est nisi de vna. Quibus addo in hac re diuersum modum loquendi Pij V. qui cum non curauerit sicut Tridentinum ambas Sixti constitutiones renouare, sed voluerit vnam ex Graue nimis renouare constitutionem; non vocauit eam nomine plurali sed singulari, atque ita habuit. *Statutum fel. recor. Sixti IV. &c. Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus.* Et Paulus V. in Bulla Regis pacifici repetens contenta in secunda Bulla *Graue nimis* Sixti etiam IV. eodem modo eam vocat, & sic habet. *Hanc verò Sixti prædecessoris constitutionem Oecumenica Tridentina Synodus postea innouauit.* Et rursum in Bulla Pauli V. quæ incipit. *Sanctissimus Dominus noster*, scribitur: *Quamuis in constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione beatissimæ Virginis Mariæ.* Ex quibus patet manifestè quod quia Concilium Trid. non vnam constitutionem tantum voluit innouare, ideo scripsit in numero plurali, & diuerso modo loquutum est, ac præfati Pontifices, quibus cum satis fuisset vnam inserere, sicuti omnes fecerunt, vel de verbo ad verbum eam exprimentes, vel ferè de verbo ad verbum; proinde eam non appellauerunt nomine plurali, & si quidem numero plurali eam vocauit, & inseruit Alex. VI. ideo fuit, quia eam non constitutionem, aut statutum, sed litteras appellauit, quod verbum rem singularem explicat; vt constat Grammaticis.

6. Neque hîc arguas. Pium V. & Paulum V. qui meminere de innouatione Bullæ Sixti IV. facta à Concilio Tridentino nonnisi de vna *Graue nimis* hanc innouationem factam esse dixisse, nam dum affirmauit de vna, non negauit de aliis; & de vna tantum hi Pontifices loquutionem habebant, atque adeo eam vt valde firmatam explicare voluerunt, vt solent summi Pontifices aduertere, nec ad eos tunc spectabat, alias confirmare, nec propterea dicere itidem à Concilio innouatas.

7. Vbi aduertendum quod Concilium Tridentinum non solùm approbauit duas dictas *Graue nimis* Sixti IV. sed etiam aliam *cum præexcelsa*, vt aliàs fusius probabimus *in Opusc. de sensu Ecclesiæ circa immaculatam Conceptionem*; Ibique patebit id, quod posset hîc etiam inseri, quod Concilium Tridentinum etiam censuit, & confirmauit Conceptionem beatissimæ colendam non vt significantem tempus sequens ad primum instans animationis Virginis, sed stantem pro mero primo instanti, quod modo non ostendimus, vt suo loco aptiori id discutiamus, & bis in idem non veniamus.

§. VII.

Prosequimur ostendere Gregorium XV. non mutauisse in suo decreto significatum primum nominis Conceptionis, tum ex variis vsurpationibus nominis in hoc ipso Decreto, cum in aliis Epistolis à se missis.

1. NOn mutauisse Gregorium XV. sensum nominis Conceptionis in dicto suo Decreto probatur etiam 22. ex vsurpatione eiusdem nominis tum in hoc ipso Decreto, cum in aliis Epistolis missis ad Regem Hispaniarum Margaritam Austriacam; & Ciuitatem Hispalensem. Et primo hoc ostenditur ex prima vsurpatione huius nominis in dicto Decreto, vbi habet primo Gregorius. *Quamuis in constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione beatissimæ Virginis Mariæ edita, &c.* tum sic. Si Gregorius mutauisset sensum huius nominis Conceptionis in hoc suo Decreto, vel primo, quando eiusmodi nomen vsurpauit, eius significationem mutauit, vel non; si non mutauit, & sæpius idem nomen semper immutata eius significatione vsurpauit, omnino dicendum, quod cum illud vsurpauerit prima vice pro prima animatione Virginis sanctissimæ, pro eadem vsurpauerit, quando decreuit non vsurpandum aliud nomen in celebritate festi Conceptionis, cum maximè pateat in Definitoriis & Decretoriis verbis Bullarum Pontificum, eumdem sensum retinere verba quæ præse tulere in narratiuis earum: fatuum enim esset in narratiuis Pontificiis dicere, quod quia in vna re significata per aliquod determinatum nomen, occurrit hoc vel illud incommodum, ad quod vitandum hoc vel illud in illa re præcipiatur; proinde in definitione rei nomina mutare sensum qui sit alius ab illo narratiuarum, & in rem primo acceptam præceptum cadat, sub aliquo verbo vel nomine qui in sensu narratiuarum ab illo definitionis maximè diuersificetur. Pari ergo ratione in casu nostro cum Gregorius XV. narrauerit festi institutionem habitam à Sixto IV. de Conceptione Virginis; & subinde is decreuerit in

eodem

eodem festo non vsurpari debere aliud nomen ab eo, quod ab ipso vsurpatum fuerit. Fatuum est dicere, quod dum ad tale Decretum deuenerit, mutauerit sensum verbi Conceptionis in alium longè diuersum à primo habito in sua narratiua. Si autem dicitur quod in eodem sensu vsurpauit nomen Conceptionis in narratiua, & in præceptione dicti nominis: cum apud ipsum Conceptio sterierit ex dictis, & ex sensu aduersariorum pro primo instanti animationis Dei Genitricis: pro eodem pariter dicendum est stetisse, quando præceptum est vsurpari in Missa & Officio Conceptionis. Quod argumentum habere potest maximam euidentiam, si percurrantur variæ Bullæ, imo omnes, in quibus semper potest obseruari, quod diximus.

Potest confirmari hoc ipsum, quia paulò post idem Gregorius subdit quod per Sixtum & Pium, *Relinquebatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, scilicet quod fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali.* Sed dum hic sermo fuit de Conceptione Virginis, non potuit esse sermo de Conceptione Virginis vt se extendente ad tempus post primum instans animationis, de quo nulla erat controuersia, vt perspicuè patet; ergo dum hîc de Conceptione loquutus est Gregorius prout stat pro primo instanti animationis, ità pariter censendus est in eodem sensu, & primo eodem instanti præciso similiter intelligere Conceptionem Virginis per eiusmodi simile nomen, dum illud præcisè vsurpandum in tali celebritate præcepit.

2. 23. Idem amplius confirmatur, quia deinde refert. *Ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis Concionibus, lectionibus, conclusionibus & actibus publicis, quod eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, iurgia, & offensiones.* Et non multò post recitat præceptum datum à Paulo V. his verbis. *Non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere quod eadem beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali*, & rursum de Paulo scribit. *Vlterius sub eisdem censuris & pœnis mandauit, quod negatiuam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali in præfatis actibus asserentes, aliam opinionem non oppugnarent, nec de ea aliquo modo agerent, seu tractarent.* Et aliàs etiam paucis interstitiis. *Nec etiam in sermonibus & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali.* Sed in his locis manifestissimè de Conceptione Virginis est sermo pro prima animatione accepta. Ergo nonnisi de ea vt sic decreuit Gregorius vsurpandam identitatem huius nominis.

3. 24. Probatur etiam pressius ex eo quod deueniens Gregorius ad Decretum huiusce determinatæ vsurpationis bis repetit nomen Conceptionis, & nonnisi in dicto sensu, ergo non nisi in eodem illud sumit, dum præcipit vltimo non vtendum in diuinis officiis, alio nomine, vt scilicet illud sanctificationis penitus aboleret. Antecedens patet, quia declarat & præcipit Gregorius his verbis. *Eademque sanctitas sua voluit, & expressè mandauit vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. Pij V. ac Pauli V. eius Prædecessorum super Conceptione beatissimæ Virginis Mariæ firmæ & illibatæ remaneant.* Sed hæ constitutiones nonnisi de Conceptione vt primam Virginis animationem significante loquuntur; quia circa eam dicebant, vel dicere poterant controuertentes, quod hæreticus esset hic vel ille sensus. Ergo immediatè ante initium Decreti firmati de Conceptione sermonem habuit Gregorius de Conceptione, vt eandem primam animationem significante. Id quod similiter replicat dum subdit. *Insuper eadem sanctitas sua cum sancta Romana Ecclesia de beatissima & intemerata Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter & officium celebret.* Nam certum est quod tempore Sixti hoc festum non fuit institutum & celebratum nisi sub sensu primæ animationis Virginis, quare perpetuo tot replicatis vicibus, antequam veniret ad Decretum nomen Conceptionis sumpsit Gregorius pro prima animatione Dei Genitricis. Vnde nulla prorsus vel vt ita dicam in somno occurrenti forma, potest dici, quod quando vltimo decreuit non vsurpandum in festo aliud nomen ab illo Conceptionis, vt aboleret nomen sanctificationis, intellexit pro Conceptione tempus sequens ad primam animationem.

4. Ex hoc eodem capite augeri potest 25. argumenti vis ex alia Bulla, quam Gregorius idem XV. edidit pro danda facultate Dominicanis Patribus, vt inter se dumtaxat possent agere de materia Conceptionis beatissimæ Virginis, in qua iterum pro certo demonstratur, quod dum de Conceptione loquitur sumus hic Pontifex non nisi de ea, vt de prima animatione accepta loquitur, vt patet ea legenti: vnde ad euidentiam patet, quod merum figmentum & somnium est hoc inuentum, quod Gregorius in dicto Decreto mutauerit sensum primum nominis Conceptionis.

5. Patet hoc similiter 26. ex litteris ab eodem Pontifice datis Regi Catholico Primum rursum Ciuitati Hispalensi, & Margaritæ Austriacæ. Nam maximè laudat magnum Regem de pietate erga sanctam Virginem sine originali conceptam, eiusque immaculatam Conceptionem, & eodem modo Ciuitatem Hispalensem, & de Margarita notat. *Cognouimus ex litteris tuis & ex sermone dilecti filij nobilis Comitis Montis Regij quanto studio Deiparæ laudibus inseruias, ita enim scribis vt tibi gloria principatum adipisci videritis, si dissentientes Theologorum, populorumque dispositiones in vnam aliquando purissimæ Conceptionis sententiam conuenirent.* Quis autem non videt hîc nomine Conceptionis tum Margaritam tum Pontificem nonnisi primæ animationis eius instans solum significare? Quare omnino fictitium & insanum est existimare, quod Gregorius Conceptionis significatum mutasset à suo naturali & primæuo. Id quod etiam apparet ex Gregorio, dum tantum se gauisum esse testatur ex lectione Epistolarum Regis Catholici de Conceptione Virginis differentium. Nam habet, *Vix dici potest quanto nos gaudio cumulauerint nuperæ litteræ Maiestatis tuæ de immaculatæ*

culata Deiparæ Conceptione differentes.

6. Videri etiam pro eodem potest Bulla eiusdem Gregorij, qua concedit fratribus Prædicatoribus posse inter se dumtaxat, & non cum aliis loqui de materia Conceptionis eius, vbi narrat quid circa eamdem Conceptionem decreuerint, & iusserint antiquiores Pontifices, & de quæstione, an concepta fuerit Virgo cum peccato originali, vel non, & dum nominat Virginem conceptam, vel nomen Conceptionis, certum est non loqui de Conceptione extendente se ad tempus post primum instans animationis, quod ferè septies in Bulla dicta repetiit, quomodo ergo in somnum etiam venire potest docto viro, immo mediocriter discurrenti, quod Gregorius idem, in Decreto eodem de vsurpando in festo solo nomine Conceptionis, mutarit naturale significatum, quod perpetuo dum de eo sermonem habuit, vel immediatè ante Decretum, vel post illud in variis occasionibus semper vsurpauit vt significantem primam infusionem animæ Virginis sanctissimæ, vt vidimus.

§. VIII.

Ad euidentiam vlterius demonstratur Greg. XV. sine vlla extensione ad significandum tempus post primam animationem Deiparæ iussisse vsurpationem nominis Conceptionis, ex eo quod pro causali huius decreti adduxerit, quod S. Rom. Ecclesia Conceptionem sanctissimæ Virginis instituerit celebrandam.

1. Distorquẽt anonymi & aduersantes nostri more suo, quæ pro ipsa immaculata Concept. maximè faciunt, id quærentes interpretari pro ea maculanda, vt visum est, quare sicuti inuertunt sensum in hac re nominis Concept. ita quoad possunt causalem Gregoriani Decreti peruertere conantur: & licet in specie sermonis aliquid veri affirment, in hoc ipso inuoluunt pessimum virus doctrinæ. Sic dicunt, quod Gregor. in tantum præcepit vsurpationem solius nominis Concept. in celebratione huius festi, & officiis diuinis, in quantum voluit cultum vniformem, & quid sub his verbis latere posse fraudis quis diceret? Quis non putaret optimam rei assignatam causam ab Aduersantibus; sed aduerte lector quid sub hac causali quærant ipsi insinuare; quæ tamen à Pontifice non assignatur neque per somnium, nam eius causalis sola assignata fuit, quia Ecclesia Romana celebrat festum Concept. Dei Genitricis, id quod antequam perspicuum faciam, iterum animaduerto & exposco ab aduersantibus, quare cum Pontifex explicitam & apertã causalem assignat: ipsi ad aliam à se prætensam recurrant? Quare non ad propriam Pontificis se recipiũt in specie, bona ratio potuit esse hæc, quam ipsi dicunt, si rectè intelligatur, vltro do; sed dum ipse non illam assignat, sed aliam, quare genuinam & expressam silent; & tacitè videntur eam reiicere, cum tamen non possint, ea enim est ante omnium oculos posita? Aduertant quæso discursus istos distortos, & ad planos rerum sensus pergere non desinant.

2. Sed eorum technæ aperiantur, dictam & veram causalem ipsi tacent, cum eos iugulet, & recurrunt ad aliam, quæ posset mouere Pontificem, & habere locum maximè, quando non esset in cultu maxima differentia, sed ea interueniret in aliquibus accidentariis, tunc enim solet dici habere locum hæc ratio, vt si v. g. aliqua Ecclesia vteretur aliquibus ritibus extra Romanam, & Pontifex eos omnes ad Romanos traheret, bene locum haberet hæc ratio cultus vniformis, sed non bene quis diceret, quod si aliqua Ecclesia celebraret, v. g. festũ aliquorum Sanctorum, quod non celebraret Ecclesia Romana; & Pontifex prohiberet ne celebraretur ab illa; vel contra si Ecclesia Romana celebraret aliqua festa, & aliæ Ecclesiæ positiuè nollent celebrare, non bene diceretur, quod Pontifex quando vellet vt cæteræ celebrarent, quod ipsæ agere renuebant, id merè egisset ad seruationem cultus vniformis; sed dicendum esset hoc agere quia censuisset malè eos æstimasse Sanctos illos indignos celebratione, cum Ecclesia Romana celebraret eorum festum: atque hoc euenit in casu nostro, nam Ecclesia Romana celebrabat festum Conceptionis, renuebat sola Dominicana familia, quia censebat non celebrandum, & propterea celebrabat sub nomine sanctificationis; quocirca dum Pontifex præcepit, quod omnes prorsus celebrarent sub nomine Conceptionis, non merè voluit vniformitatem cultus quasi in accidentibus, sed in essentialibus, vt scilicet coleretur id; quod ab ipsa colebatur, & renuebatur ab aliquibus coli, maleque colebatur sub alio nomine non significante expressè id, quod colebat Ecclesia Romana.

3. Atque ex his patent manifestè technæ horum anonymorum, qui assignantes pro causali huius præcepti Gregoriani de vsurpando nomine Conceptionis ab omnibus in celebritate dicti festi, & officiis diuinis in eis vsurpandis vniformitatem cultus, hanc vniformitatem explicant, ita vt Ecclesia & Pontifex summus sub hoc nomine voluerit coli sanctitatem Virginis, non sicut prius colebat sumptam & agnitam in illa pro primo instanti animationis eius, sed vel pro illo, vel pro tempore sequenti, atq; adeo mutauerit cultum, & rem, quæ coleret non sub primo statu, sed vel pro primo illo, vel pro alio; nec firma fuerit in eo; quod determinatè prius coluerit fere per duo sæcula, quod meo iudicio nomisi magna & impudentissima temeritate dici potest, reclamantibus omnibus Theologis, & vniuersa Ecclesia, quæ à temporibus Sixti IV. non agnouit vsque ad hæc tempora vllam mutationem in re, quam coluit in dicta solemnitate; vbi ad euidentiam apparet, quomodo isti homines omnia volunt in hac re peruertere, atq; ita sunt audaces, & vt videtur cæcutientes; vt quæ in conspectu omniũ sunt sub vno certissimo aspectu, dictitent non illum, sed alium aspectum facere; atque ita

parum in hac re discurrant: vt putent has suas technas ignauas, à sapientissimis viris non detegendas, obliterandas, & debitis notis carpendas, & penitus disrumpendas. Si enim viderunt facilem fraudis deprehensionem, & nihilominus ab ea componenda non destiterunt, capitis vertigine laborasse eo tempore, vt aliquam excusationem subeant, æstimandi sunt, qui sic in irritum tela iacere contenderint. Sed prætereamus eos, quos nescimus quinam sunt, nec homines alicuius digni nominis esse possunt, qui in hos errores prolapsi sunt manifestissimè, quique ferè in omni periodo suorũ libellorum figmenti, vel mendacij, vel falsitatis, vel nugarum bis, ter, & quater cõuincuntur à Calderonio, & Cismontana familia Fratrum Minorum, vt aliàs notauimus, & notabimus, quando ab ipsis auctoribus rectè eis inflictas censuras numerabimus.

4. Quibus præscitis ita ex hoc 27. capite licet arguere pro immutatione sensus in nomine Concept. retenta à Gregor. XV. in hunc modum. In eo sensu præcepit Gregorius celebrari Concept. Virginis Deiparæ, sub præciso & determinato solo nomine Concept. in quo eam celebrabat, & celebrauerat illud à Sixto IV. & deinceps. Sed Ecclesia Rom. celebrauerat illud in sensu, in quo Conceptio dicta, erat determinata ad primum instans animationis beatiss. Matris. Ergo in hoc eodem præciso instanti accepta Conceptione præcepit Gregor. vsurpandum nomen Concept. in Officiis diuinis. Sequela patet ex causali posita à Gregor. eodẽ in eius Bulla de hac re edita. Ita scribitur. *Insuper eadem sanctitas cum sancta Rom. Ecclesia de beatissima & intemerata Virginis Mariæ Conceptione festum solẽniter & officium celebret, omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam cuiusuis Ordinis & instituti Regularibus mandat & præcipit, vt in sancto sacrificio Missæ ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quàm priuatim non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant.* Si enim in alio sensu ab illo, quo Ecclesia Rom. celebrauerat Concept. & vsa erat hoc nomine summus Pontifex Gregorius in suo Decreto mandauit vsurpationem eiusdem nominis, non adhibuisset pro causali talis præcepti celebrationem Ecclesiæ Rom. nam non potest assignari pro causa celebrationis vnius determinatæ, celebratio alia noua longè diuersa à prima; quare cum dictus Pontifex celebrationem sub nomine Concept. præceperit, quia sub eo nomine eam instituerat & durauerat Ecclesia Rom. omnino censendus est accepisse nomen Concept. in eodem sensu, quo illud acceperat Ecclesia Rom. Exemplo res fit perspicua; fac controuersiam esse si fit celebrandum festum de aliquo sancto vocato v. g. Constantino, & aliqui vt Græci putent esse Constantinum magnum Imperatorem, alij alium sanctum Martyrem Ecclesia Rom. celebrante festum sancti Martyris. Si Pontifex in vniuersa Ecclesia præciperet celebrari festum S. Cõstantini ex eo, quia sancta Ecclesia Rom. tale festum semper celebrauerit, posset ne quis respondere quod summus Pontifex præcepisset celebrari siue vnus, siue alter Constantinus disiunctiuè, & assignatet maximè pro ratione, quod hoc fecisset, vt cultus esset vniformis, nonne hoc dictum esset fatuum & insanum, & omnium sensu detestabile? & ratio est manifesta, quia cum causalis propter quam moueretur Pontifex esset, quia Rom. Ecclesia celebrauerit vnum quemdam Constantinum Martyrem, aut etiam Confessorem non Pontificem alium à Constantino Imperatore; ea non posset esse ratio ad celebrationem Constantini Imperatoris neque determinatè, neq; disiunctiuè, quia omnino esset impertinens motiuum ad hanc disiunctionem; seu ad alterutrum ex duobus, quando cum ambobus aliquam habet connexionem vel determinatã, vel saltem indeterminatam; si enim nullam habet talẽ cõnexionem, non potest illud tale inferre. Quare in tali casu, quando Ecclesia Rom. solũ celebraret Constantinum alium à Constantino Imperatore, & Constantinum Imperat. nullo modo celebrasset, nec dubium esset, quod illius festũ celebrauerit, non posset dicta causalis facere, vt præceptum de celebratione festi S. Constantini, extenderetur neque sub disiunctione ad Constantinum Imperat. vt aliquando constat. Ita pariter in casu nostro rdum certum est quod Ecclesia Rom. celebrauerit sub nomine Conceptionis Concept. stantem præcisè pro prima animatione Deiparæ, & in tantum præcipi dicitur à Põtifice vsurpatio solius nominis Concept. & non sanctificationis, sicuti alij vsurpabant; quia Ecclesia Rom. celebrauerit festum Concept. eius; insanum & fatuum est dicere quod præceperit Pontifex vsurpationem nominis Concept. ad significandum aliud quid, à prima animatione Virginis in primo instanti animationis, siue determinatè, siue indeterminatè, & sub disiunctione; quia celebratio eius in sensu præciso determinato non potest se extendere, neque habere connexionem cum parte opposita, neque determinatiuè, neque etiam sub disiunctione, & si connexionem cum ea non habet vt sic, neque eius vt sic potest esse causalis. Quamobrem cũ præsentis præcepti Greg. XV. summi Antistitis de vsurpatione nominis Concept. & non alterius, causalis sit celebratio continuata S. Rom. Ecclesiæ de festo Concept. sub eo sensu debet intelligi nomen Concept. sumendum, sub quo eum sumpsit in dicta sua celebratione S. Rom. Ecclesia. Minor autem Syllogismi primo positi est euidens ex dictis, quod S. Rom. Ecclesia celebrauerit festum Concept. intelligendo pro Concept. Virginis primam animationem eius præcisè; nam de hac re fuit contradictorium iudiciũ tempore Sixti, atque in hoc sensu eam celebrasse testatur officium à se institutũ, & alia supra allata, nec ab aduersariis negata, qui hanc mutationem sensus verbi Concept. dicunt factã tẽpore Greg. quare supponunt talem non fuisse tempore Sixti, Pij, & aliorum Pontificum.

Sed dices. Summus Pontifex Gregorius pro causali vsurpationis nominis Conceptionis vniuersaliter assignauit celebrationem sanctæ Ecclesiæ Romanæ de Conceptione Virginis merè in eo, quod vsa fuerit hoc nomine, & non alio, & quia sub eo ipsa celebrauerit, ideo voluerit sub eodem celebrari à reliquis, non vero quod intenderit ita vsurpandum hoc nomen à reliquis, quo illud vsurpabatur, & vsurpatum fuerit ab Ecclesia Romana, & rationibus ab aduersariis supra assignatis.

5. Sed

5. Sed mentiuntur crassissimè Aduersarij, si hæc velint respondere; quia non dixit Pontifex, quia sancta Ecclesia Rom. vtitur nomine Conceptionis in celebratione eius festi, ideo omnes vtantur hoc nomine, sed quia, *Ecclesia Rom. de Conceptione Virginis festum solemniter & officium celebrat.* Dicere autem quod celebret Conceptionem Dei Matris, non est ibi merè dicere quod vtitur nomine Conceptionis in hac celebratione; sed quod colat primã animationem Virginis, quæ sunt pronunciata longè diuersa & differentissima. Quare falsissimum est assumptum aduersariorum, quod causalis Gregorij fuerit, quia Ecclesia Rom. vtitur hoc nomine in hac celebratione, vtantur & cæteræ Ecclesiæ. Vnde nulla responsio.

Rursum dices secundò, esto causalis dicti præcepti de vsurpando hoc nomine Concept. tantum sit cultus præteritus Concept. beatissimæ Matris ab Ecclesia Rom. sub sensu dicto vsurpatus; non proinde fit, vt sub hoc nomine præcipiantur fideles omnes intelligere illud ipsum, quod intellexerit sancta Rom. Ecclesia, quia tale quid non expressit Pontifex, sed tantum dixit, non vti debent alio nomine, & de reliquo liberum reliquit vnicuique quid sub hoc nomine vellet sentire, siue primam animationem præcisè, seu primum instans infusionis animæ Virginis; siue illud & præterea breuem morulam temporis sequẽtis. Id quod confirmare poteris jen arma nos etiam vobis damus, quæ neque vos attulistis, quia in petitione pugnantium pro immaculata Conceptione hoc ipsum erat, vt sub eodem nomine & sensu omnes celebrarent. Gregorius autem in suo Decreto primum expressit, nec secundum adhibuit. Quare ex hoc ipso videtur concessisse, quod qui vellent celebrare sub alio sensu, ex vi præcepti ipsius non obligentur ad illum abigendum. Verba Vvadinghi qui hanc Catholici Regis in sua legatione petitionem expressit habes supra à nobis citata, & in ea notata *Oratione sua prima n.* 11. *pag.* 48. *& orat.* 6. § 4. *pag.* 157. Sed vana & nulla est hæc responsio, nam posito quod Ecclesia Rom. celebrauerit festum Conceptionis & dignam laude & sanctam habuerit Concept. sanctissimæ Matris acceptam pro prima eius animatione, & vt sic eam celebrauerit; & ex hoc ipso motus sit Pontifex, vt ipse ait, ad præcipiendum, quod omnes celebrarent sub eodem nomine Concept. vt in hoc duo virtualiter sub præcepto seruãda statuit, & primum est celebratio festi, quod celebrat Ecclesia Rom. quod supponit saltem habitum à Pio V. in institutione Breuiarij à se editi, vel etiã virtualiter ex suismet verbis, quibus ait, omnes absolutè debere vti hoc nomine in celebratione huiusmodi festi, quo, dum modum præscribit omnibus, iisdem omnibus omnino per suppositionem explicitam, intelligitur præscribere substantiam, atque adeo celebrationem huius festi vt sic. Et secũdum quod præcipit hoc supposito est quod solum hoc nomẽ Concept. in eiusmodi solemnitate vsurpetur cum exclusione cuiuscumq; alterius nominis & maximè illius, quod ãntea immerito vsurpabatur sanctificationis, tum ergo propter primum, tum propter secundum, quod in hoc præcepto continetur præcipit Pontifex celebrationem Concept. Deiparæ conceptæ & significatæ pro prima animatione eius, quia causalis huius præceptionis est celebratio S. Ecclesiæ Rom. de eiusmodi festo. Dum autem sancta Ecclesia Romana sic celebrat, & celebritatem præcipit Pontifex ex causali eiusdem Ecclesiæ, euidens est non præcipere sub alio, seu mutato sensu ab eo, quo celebrat eadem Ecclesia, alioqui impertinens fuisset istiusmodi causalis ad eiusmodi præceptionem vt vidimus. Rursum supposita hac causali & præcepta celebritate sub eodem sensu, sub quo ponitur causalis, dum præcipitur vsurpatio nominis, apertè præcipitur identitas nominis Concept. in omnium celebritate sub illo sensu, qui exprimitur, & scitur proprius S. Ecclesiæ Rom. atq; adeo cũ exclusione secundæ animationis Dei Matris, & cum inclusione præcisè primæ eius animationis vt patet.

His adde quod etiamsi Gregor. per hoc suũ Decretum non præcepisset virtualiter, & suppositiuè vt diximus festum Concept. Dei Genitricis celebrandum, sed solum per hoc Decretum præceperit quod qui celebrarent nonnisi hoc nomine vterentur, & non alio propter vllam rationem; ex eo quod Ecclesia Rom. celebrat festum Conceptionis: ex hoc ipso præcipit quod celebretur secundum sensum, quem tale nomẽ habet ex sua naturali significatione; quemque habuit in tali celebratione; nam quãdo Ecclesia instituit aliquod festum sub aliquo nomine, v.g. Præsentationis Virginis in Templo, ex hoc ipso præcipit celebrationem illius corporalis eius exhibitionis in Templo; & qui merè celebraret Præsentationem eius spiritualem, erroneè & cõtra sensum Ecclesiæ faceret. Hoc modo celebrando præsertim, si Præsentatio eiusmodi & exhibitio corporalis in Templo Hierosolymitano ellet controuersa, & aliqui ad distinctionem huius sensus non celebrarent sub nomine Præsentationis in Templo, sed v.g. oblationis Deo in parua ætate scilicet facta à sanctiss. Matre. Ita in casu nostro dum Pontifex præcipit nomen Concept. vsurpandum ab omnibus indicta solemnitate & officiis diuinis, & Missæ sacrificio, & ideo dicat se id præcipere quia Ecclesia Rom. festum Concept. celebrat, & celebrauit. Omnino præcipit celebrari sub nomine Concept. illud quod prius intellecta est priori tempore celebrauisse, & quod ex naturali sua significatione tale nomen significat, quando Ecclesia secundum quod idem nomen significat censetur celebrare vt patet.

7. Et confirmatur secundò, quia nomen hoc Concept. fuit expetitum celebrari à Ponifice, & ab eodem præceptũ cum exclusione omnis alterius nominis; vt aboleretur & excluderetur nomen sanctificationis, quod erat indifferens ad significandam sanctitatem vel primæ vel secundæ animationis. Ergo dum ad hanc exclusionem maximè sit solitarie ipsum præceptum, omnino voluit Pontifex excludere à re significata celebrata per hoc nomen, hoc tale indifferens ad primam & secundam animationem. E per consequens non præcisè voluit vniformitatem cultus quoad meram vsurpationem nominis, cum libertate dandi eidem nomini sensum alienum à propria significatione, & ab illa, quæ respicie-

batur & intendebatur ab Ecclesia Romana, vt euidenter cessat.

8. Nec vrget quod Pontifex non addidit *Nemo vtatur alio sensu*, sicuti prohibuit quod quis vteretur alio nomine. Nam posito quod summus Magister causalem illam maxime inculcandam adhibuit, cum sancta Romana Ecclesia de sanctissimæ Virginis Conceptione festum solemniter celebret, & deinde præcepit non aliud nomen, quàm Conceptionis vsurpandum, ex hoc ipso sub eodem sensu eiusdem Ecclesiæ præcepit celebrationem, cùm intolerabile esset dicere, quod vellet suos fideles celebrare in alio sensu ab eo, quem ipsa celebrat, posito quod celebrent; quare magna sapientia censuit præcepisse eumdem sensum, nec signatis dictis verbis expressit, cùm sufficienter æquivalentibus expressérit, quæque causalem continerent tanti ponderis ad eiusdem sensus confirmationem. Præterea cum Pontifex sapientissimus noluerit vti sola affirmatiua, videlicet quod omnes vsurparent nomen Conceptionis, sed præterea adhibuerit prohibitiuam expressè, ne alio nomine quis vteretur quod est valde notandum, quia id egit ad excludendum expressè nomen sanctificationis in se ipso, & non per meram inclusionem nominis Conceptionis, non congruebat adiicere sine longo alio verborum circuitu præceptionem eiusdem sensus prout erat in postulato, quod asserebat, *Vt omnes vndique fideles, eodem nomine & sensu, quibus ab Ecclesia celebratur, colerent festum Conceptionis.* Pontifex vero plus posuit, quàm petebatur, dum voluit exprimere causalem, & explicitè excludere nomen sanctificationis; si autem similibus verbis voluisset exprimere præceptionem dictam sicuti in postulato continebatur, non poterat rectè præceptum claudere dicendo [non alio quam Conceptionis vti nomine debeant] & addendo non alio, quàm Conceptionis vti nomine & sensu, qui enim esset hic modus loquèdi videlicet iste sensus Conceptionis idem? Quare oporteret alio circuitu verborum id declarare & dicere, v. g. & rursum præcipimus vt non celebrent hoc festum nisi in sensu Ecclesiæ sanctæ Romanæ, quod non erat necessarium, neque solitum fieri in vlla præceptione solemnitatis vsurpatæ ab Ecclesia Rom. nam quando aliquod festum quod celebratur ab Ecclesia Rom. præcipitur celebrari eodem ritu externo, consequens est semper præcipi vt celebretur secundum sensum eiusdem Ecclesiæ Rom. cùm ergo hoc sit vniuersale in omnibus festis ita celebrari præceptis, non erat hoc addendum, quasi vero ante hanc præceptionem significaretur non fuisse cæteras Ecclesias obligatas celebrare iuxta sensum Rom. Ecclesiæ. Nec non etiam quia quando non additur eiusmodi clausula, cæteræ celebrationes essent liberè celebrandæ sub alio sensu ab illo Ecclesiæ Rom. quod esset magnum absurdum, vnde nihil valet adducta coniectura ad infringendam nostram validissimam probationem.

§. IX.

Eadem immutatio sensus in nomine Conceptionis post Gregorium XV. demonstratur ex vniuersali intelligentia totius Ecclesiæ de tali immutatione.

1. Efficacissimum erit hoc 28. argumentum ad probandum propositum, quod desumitur ex sensu totius Ecclesiæ, quæ pro Conceptione sanctissimæ Virginis intelligit primum instans infusionis animæ eius in corpore, & non hoc instans cum tempore sequenti, atque ita ipsa intellexit à Sixto IV. vsque ad Gregorium XV. vt vidimus, & à Gregorio XV. vsque ad præsentia tempora sine vlla mutatione. Id quod patet euidentissimè in omnibus, qui colunt Conceptionem Virginis, dum eam non colunt nisi vt præseruatam, & exemptam à macula originalis peccati, quæ non agnoscit aliud signum temporis pro sua contractione, nisi primum instans infusionis animæ in corpore, atque adeo intelligunt firmissimè Conceptionem pro tali signo temporis, & pro ea certo autumant tribui & præcipi ipsis ab Ecclesia Romana, & summis Pontificibus colendam Conceptionem eandem sanctissimæ Dei Genitricis.

2. De qua re familiariter & humiliter exposco ipsosmet Aduersantes si ita censeant necne, vel de hac relatione dubitationem aliquam admittant; puto enim non ita esse à cognitione humana per vniuersam Ecclesiam latè patenti ita alienos, vt hæc veritas non sit eis ita aperta, & manifesta, quemadmodum lux Solis. Quis enim dubitare potest in celebratione festi Conceptionis sanctissimæ ab vniuersis Ecclesiæ Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, Abbatibus, Parochis, Presbyteris, in Dignitatibus, Præpositis constitutis necnon & similibus coli Deiparam ab originali immunem exceptis aliquibus, neque omnibus iis, qui his dignitatibus vel ministeriis Ecclesiasticis præsunt ex Dominicana familia, qui præ sua paucitate numerum non conficiunt, neque eorum ratio habetur. Idem dico de Eminentissimis Cardinalibus & summis Pontificibus à Sixto IV. & deinceps; qui omnes hac eadem ratione coluisse purissimam Conceptionem sciuntur incluso etiam summo Pontifice Pio V. ex Dominicana familia assumpto, qui primus hoc festum ad vniuersalem Ecclesiam extendere voluit, & extendit piissimè & efficacissimè, extinguendo omnem aliũ cultum; sed nos restringamus assumptum à tempore Gregorij vsque ad nostra; & peto ab aduersariis si quos habent, exceptis Dominicanis, qui aliter colucre Conceptionem beatiss. Virginis post Gregor. nisi provt immunem ab

ab

originali peccato ? Et nullum certè exhibebunt numerum, qui sit hic proderandus. Id quod dico, quia non puto impossibile, quod aliquis alius vnus vel alter in aliqua regione ex Prælatis Ecclesiæ in doctrina Dominicanorum excultus, hanc doctrinam ebiberit; quemadmodum id ipsum de aliquo alio asserò in numero cæterorum Ordinum, qui in Ecclesia Catholica degunt; sed hi raræ aues in terris, si tamen aues hi dicendi sunt; nec possunt quid detrahere de vniuersitate Ecclesiæ, vt patet. Quare primò certum est, quod omnes Ecclesiæ Patres, iique qui in Conciliis ex iure diuino facultatem habent ferendi suffragium in definiendis rebus Iudæi, hactenus coluerunt, & censuerunt coli ab Ecclesia Conceptionem Virginis ab originali immunem.

3. Hoc ipsum secundò certum est de omnibus Religiosis familiis nulla excepta, & magna ex parte de numero complurimorum Fratrum Dominicanorum in Hispania & Gallia doctrina, in celebertimis Vniuersitatibus excellentium, & maioris nominis quam alij in aliis Regionibus. Nec tertiò absimile inuenitur in personis omnibus Ecclesiasticis Clericis, Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus. Quartò, Vniuersitates & Doctores omnes studiorum, & ij iuncti, qui in eis ediscunt eodem modo sciuntur coluisse, & colere Dei Matris Conceptionem. Quintò, omnes sanctimoniales in claustris vel extra claustra etiam prodeuntes ex priuilegio Pontificis. Sextò, vniuersus populus Christianus omnium Vrbium, Regnorum, Prouinciarum, & Regionum Ecclesiæ Catholicæ, vel etiam ille, qui in Ciuitatibus degit hæreticus sed Catholicus, atque hic à maximo vsque ad minimum à Regibus, Principibus, & aliis Primatibus Regnorum, & Equestrium Ordinum vsque ad vltimum plebis etiam infimæ viri & mulieres, senes & pueri, nonne omnes clamant & colunt sanctissimam Matrem conceptam sine peccato originali? Quis de hac re dubitat? Anguli Vrbium, portæ domorum, parietes compitorum, processiones frequentissimæ & solemnissimæ, & voces promiscuæ totius Christianæ Reipublicæ. Quid frequentius, ardentius, & firmius clamant, quàm hunc cultum supradictum Conceptionis sanctissimæ sumptæ pro primo instanti infusionis animæ Virginis in corpore, à qua omnimodè excludunt, & pro omni signo temporis, & præsertim pro primo omnem maculam originalis peccati in actu? Quare si quis de hac re velit dubitare, volet profecto insanire, & lucem meridianam tenebras æstimare.

4. Quo posito adhuc strictius, si interrogetur populus Christianus, Clerus Ecclesiasticus, Religiosi Ordines, Episcopi, Archiepiscopi, Eminentissimi Cardinales, & ipsimet summi Pontifices quid sentiant colendum, quod colant quando colunt, solemnizant, laudant Conceptionem Virginis sine peccato originali? Nonne omnes vna voce fatentur pro Conceptione intelligere illud primum signum, quo anima creatur & infunditur corpori, quo sanctissima Virgo æstimatur ab omnibus ab originali prorsus libera & munda? Si negatis hoc aduersarij, nonne cœcutitis, nonne insanitis? Cum enim vox communis totius Ecclesiæ sit Virginem fuisse liberam, & nunquam inquinatam peccato originali in actu, & originale nonnisi in primo instanti creationis animæ contrahatur ad euidentiam, constat quod pro Conceptione Virg. celebrata, vniuersalis Ecclesiæ intelligentia attendat primum dictum signum infusionis animæ beatæ nostræ Dominæ in corpore suo, & quando celebratur in Missa & Officio diuino, Conceptio eius vt sancta dignissima, gaudium afferens vniuerso mundo, & solemniter celebranda, nonnisi prima dicta infusio eiusdem animæ intelligitur sanctitate & dignitate & celebratione prædita. Quare apud vniuersalem Ecclesiam ita colentem Conceptio Virginis beatissimæ non intelligitur aliud, quam prima infusio dicta animæ Deiparæ Virginis.

5. Si item peculiarius petatur ab omnibus hisce sacræ Conceptionis cultoribus, quid Ecclesia colendum ipsis proponat in festo Conceptionis Virginis ad quod sentiendum eos indulgentiis alliciat; vna omnium voce, vno omnium ore respondebitur, colendam, & agnoscendam, vt sanctam, & sine vlla labe peccati originalis primam eandem dictam infusionem animæ sanctissimæ Matris, vnde & omnes censent Conceptionem non esse aliam ab hac prima infusione animæ, neque Ecclesiam pro Conceptione colenda Deiparæ aliud intelligere, quam eandem primam infusionem: ad hanc celebrandam vt immaculatam referent, testabuntur, asseuerabunt firmiter primum hortatos omnes fuisse & indulgentiis allectos à Sixto IV. & reprobatos eos vt temerarios, qui assererent meram sanctificationem & Conceptionem spiritualem Deiparæ coli ab Ecclesia Romana quique sanctitatem non refunderent, & immunitatem à peccato determinatè in primum instans infusionis animæ Deiparentis; nec non Patres eorum, aliter non intellexisse constitutiones & statuta prima dicti Sixti IV. scilicet *cum Præexcelsa*, & prima *Grauc nimis*. Similiter nemo est qui non dicat, quod hunc ipsum confirmauerit esse sensum Ecclesiæ Romanæ idem Sixtus in Extrauaganti secunda *Grauc nimis*. Et deinde Alexander VI. in sua Bulla confirmante, & innouante, & inserente de verbo ad verbum priorem Sixti, ne eius ignorantia prætenderetur, de qua poterat dubitari, vt ipsemet Pontifex in ea dubitauit quod ab aliquibus ignoraretur. Tertiò nonnisi de hac dicta prima infusione animæ Virginis sensere fideles omnes dictam immaculatam Conceptionem eandem à Leone X. à Iulio II. & Paulo V. & ab vniuersa Ecclesia celebrandam, vt à Pio V. & expressè sub nomine Conceptionis præceptam, à Gregorio XV.

6. Cùm ergo certissimè ita res hæc se habeat, & ita se habere sit euidentissimum apud omnes, afferant Aduersarij aliquam multitudinem probatorum auctorum post Gregorium XV. quæ valeat infringere

certissimum sensum vniuersalis Ecclesiæ de acceptione nominis Conceptionis Virginis pro prima infusione animæ eius, & videamus an ea possit habere tantum pondus vel minimæ aut vmbratilis etiam probabilitatis, quod possit correspondere illi maximo, quod prouenit nostro assertо de hac re ab vniuersali Ecclesia conclamato? Si dicent, ita sentire Fratres Dominicanæ familiæ post Gregorium XV. nullum est eorum testimonium. Primò quia ipsi non sunt ex doctioribus eiusdem familiæ præsertim in Hispania & Gallia doctrina florentibus, qui oppositum sentiunt, & præterea nulli sunt, etiamsi omnes ita sentirent, respectu omnium Patrum Ecclesiæ, & vniuersi Cleri, ac cœtus fidelium. Neque item in eadem Dominicana familia censendi sunt nisi valde pauci in tam apertum errorem corruisse, vt voluerint & velint pro Conceptione Virginis intelligi ab Ecclesia primam & secundam animationem Virginis, atque hæc pro sensu vniuersali circa hoc punctum, quod vtique confirmat apertus sensus omnium, qui scripsere post Gregor. XV. quos §. *sequenti* recensebimus ad ostendendam omnem Ecclesiæ sapientiam pro eodem scriptis pugnare, nullo prorsus contradicente quem viderim, & auctores citent, sicuti eorum catalogum conscripsit Cismontana familia *in suo armamentario art.* 1.

§. X.

Adducitur Catalogus Auctorum qui scripsere de controuersia Conceptionis Virginis à Gregorio XV. vsque ad præsens tempus, & inueniuntur indubitanter loquuti de solo primo instanti animationis Virginis, & nonnisi de tali signo nomen Conceptionis vsurpauerunt.

1. SEparatim adducimus catalogum Auctorum post Greg. XV. nomen Conceptionis Virginis vsurpantium pro primo instanti infusionis animæ sanctiss. Genitricis, vt distinctius sint in promptu, & appareat manifestè falsum effatum oppositum Aduersariorum ex communi placito Theologorum, qui scripsere post Gregor. cum nemo prorsus ex iis, qui typis dedere sua scripta, acceptionem eius pro morula sequenti ad instans animationis Virginis sanctiss. nulla ratione receperit vel memorarit aliter receptum, & facto ipso omnino ostenderit explosam ab Ecclesia Dei, in qua quotquot scripsere de hac re, & controuertetunt de Conceptione Virginis maculata necne, omnes vnanimiter hoc nomen pro statu Virginis in dicto primo instanti, nihil prorsus cogitantes ad morulam temporis sequentem, vtpote impertinentissimam ad Conceptionem beatæ Virginis. Vt hoc luce clarius appareat. Primò sunt adducendi aliqui ex Auctoribus cum ipsissimis eorum verbis, & deinde eorum enumeratio simpliciter ponenda citatis eorum locis, vti egimus in præcedente catalogo, nè nimis in hac re certa immoremur, & lectorem molestia afficiamus tam simili & multiplici repetitione eiusdem rei. In qua maximè commendamus laborem & diligentiam piissimam Cismontanæ familiæ Minorum, ex qua contenti fuimus hunc catalogum mutuari, & eius frui opera, dum ad alia laboriosiora properamus, & scimus eam gauisuram, quæ nobis subministrauerit hæc auctoritatum argumenta ad expugnandos aduersantes immaculatæ Conceptioni.

2. Ex primo allegetur Ludou. Miranda tr. de Conceptione quæst. 38. concl. 16. dicens, *Fuit Virgo Maria à peccati originalis actuali contractione diuinitus præseruata ex speciali priuilegio per gratiam in primo sua Conceptionis instanti sibi collatam, qua præuenit causam, & impediuit originalis maculæ resultantiam.*

3. Cornelius à Lapide ad 8. Prouer. in 3. p. cap. 5. *Beata Virgo in ipso initio viarum, ipsoque momento Conceptionis & Vitæ à Deo solo possessa fuit, tanquam hæreditas amplissima Mater vtique Dei dilectissima futura.*

4. Ioannes Perlinus in Apol. Schol. pro immaculata Conceptione dist. 1. cap. 1. *Quando in illam permulti sententiam conspirauerunt vt tetram à communibus parentibus in omnes filios deriuatam originis labem: ipso primo vitæ initio reliquorum more Mariam contraxisse arbitrarentur, quantas hi Ecclesiæ turbas dederint, commemorare præsentis loci non est. Sedauit illas Sixtus IV. atque deinceps liberum in suo sensu abundare cuique fuit. Ille iam omnibus fere arrisit, qui Virginem immaculatam semper censuit.*

5. Hieronymus de Ormachea Guerrerus in acclamat. ant. Commen. in Cant. Cant. *Fœlix faustumque sit piissima nostra sententia, qua purissimam beatæ Virginis, & Dei Genitricis Mariæ Conceptionem sine macula peccati originalis affirmat. Fœlix inquam faustumque sit, quod nouos quotidie in Ecclesia Dei progressus assumit, & nouis in dies proficit incrementis.* Et Proleg. 2. in art. Theolog. D. Thom. pag. 92. num. 138. *Sed contra est, quod Ecclesia celebrat festum Conceptionis beatæ Virginis pro eo primo instanti temporis, quo vere concepta fuit.*

6. Ioannes Fr. Serranus Episcop. Aternens. de immaculata prorsusque pura sanctissimæ semperque Virginis Genitricis Dei Mariæ Conceptione lib. 2. cap. 1. alt. *Asserimus, & dicimus immaculatam Dominam nostram Angelorum Reginam, ac Dei Genitricem Mariam de facto ab instanti sua puriss. Concept. ex meritis Filij sui præuisis, ita fuisse ab omni labe, ab omnique cuiuslibet peccati affinitate præseruatam, immunemque & liberam, vt numquam adhuc per minimum imaginarium instans gratia caruerit.*

7. Ioannes

7. Ioannes Baptista Nouatus de eminentia Deiparæ Virginis Mariæ to. 1. dicato Vrbano VIII. cap. 3. qu. 3. concl. 2. fol. 47. *Dico 2. B. Virginem in primo Conceptionis instanti à peccato originali fuisse præseruatam.*

8. Petrus de Biuero Soc. Iesu de sacris Priuilegiis ac festis magnæ filiæ, Sponsæ & Matris Dei differt. 5. num. 20. tit. Conditio possessionis Dei in Maria. *Non est opus*, inquit, *alia comprobatione, vel alia definitione: cùm beata Maria stante adhuc dubio, dirimat litem, antiquam sui possessionem allegando. Dominus inquit possedit me in initio viarum suarum; vobis dico, qui adhuc de prima mea Conceptione ambigitis. Vobis dico, qui filiam Adæ & non Dei in prima mea formatione suspicamini. Dominus possedit me in initio viarum suarũ.* Dissertatione verò secunda ita scribitur. *Gloriosa Maria filia Dei in festo & priuilegiis immaculatæ Conceptionis.* Et num. 1. *Festum triumphale immaculatæ Conceptionis.*

9. Andelmus à Valle lib. inscripto Conceptio immaculata Virginis Mariæ Dominæ nostræ cap. 3. cuius titulus est. *Declaratur quomodo beata Virgo fuit concepta immaculata, & sine culpa originali* ibi *fol.* 23. explicat piam opinionem, & præseruationem de instanti creationis animæ.

10. Doctor Mar. Ant. Palaus an. 1628. librum vulgauit, cuius & Titulus & argumentum est. *Defensio Dominicana pro pura Conceptione Mariæ sine peccato originali.*

11. Hieronymi de Gueuara Soc. Iesu. Comment. in Matth. to. 1. part. 2. *De augustissimo immaculatæ Mariæ Conceptionis Mysterio.* Matriti 1640.

12. Petri Siglerij, lib. *De attributis illustrioribus Mariæ sanctissimæ Dominæ nostræ in suæ immac. Concept.* an. 1632.

13. Anton. de Balingen. Soc. Iesu *in Parnasso Mariano* excuso Duaci ann. 1624. fol. 33. & sequ. Hymnos & Officia de immaculata Conceptione inseruit.

14. D. Franciscus de la Cueua & Sylua insignis nostri temporis Iurisconsultus. *Informatio in iure Diuino & humano pro purissima Conceptione.* Matriti an. 1625.

15. Laurentij de Portel Franciscani Prouinciæ Algarbiorum. *Responsiones contra certas propositiones Doctoris cuiusdam circa Conceptionem Mariæ Deiparæ* excusæ inter responsiones aliquorum casuum moral. casu 32. Vlyssipone 1630. & sæpe alibi. Vbi casum proponens sic incipit. *Quidam Doctor Gaspar Ram in vrbe Cæsaraugustana Regni Aragoniæ patum deuotus erga Deiparæ Matris immaculatam Conceptionem sequentes propositiones enomuit, non sine scandalo, & piarum aurium offensione &c.* Deinde propositionibus vndeviginti recitatis, & hac quæstione vtrum defendere quod Deipara Maria caruerit peccato originali, possit cadere sub votum & iuramentum? perdoctè in affirmatiuam partem decisa, singulis propositionibus plenissimè satisfacit.

16. Philippi Bernal. Ordin. Præmonstrat. Magistri Generalis *lib. de sent. S. Thom. in fauorem immac. Concept. Virginis Matris Dei* an. 1623.

17. Libellus Panormi excusus an. 1624. cuius titulus est. *Formula iuramenti, quod emissum est Panormi de tuenda immaculata Deipara Virginis Conceptione.*

Libellus Goæ in India Orientali editus an. 1629. cum hac Epigraphe. *Benedictum sit sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, & immaculata Conceptio S. Virginis Mariæ Dominæ nostræ. Relatio festorum quæ in hac Goana Ciuitate celebrata sunt in Cœnobio Seraphici Patris nostri Francisci Regul. Obseruant. ad honorem immac. Conceptionis Virginis Domina nostræ. Die 6. Decembr.*

19. Bartholomæi de los Rios Augustiniani libri editi an. 1647. *Tractatus I. de Immac. Conceptione beatæ Virginis Mariæ*, Vbi fere per singula capita repetitur titulus immaculatæ Conceptionis.

20. Hieronymi de Huerta Medici Regij *Panegyricus de immac. Conceptione B. Virginis*, Matriti an. 1630.

21. Lucæ Vvadingi Franciscani *Historia Legationis Philippi III. & IV. Catholicorum Regum ad sanctiss. DD. N. Paul. V. & Gregor. XV. de definienda controuersia immac. Concept. Virginis Mariæ. Louanij* 1624.

22. Francisci Biuarij Cistercienſis. *Sancti Patres vindicati à vulgari sententia, quæ illis in controuersia de immaculata Virginis Conceptione imputari solet. Lugduni* 1624.

23. Ildephonsi de Mergelina à Montero, *Discursus iuridicus pro immaculata Conceptione Mariæ sanctissimæ concepta sine peccato originali. an.* 1628.

24. Sylueſtri de Saauedra, *Discursus pro solennissima festiuitate purissimæ Conceptionis D. N. semper obseruata in Ecclesia, & nunquam propter formale præceptum Sedis Apostolicæ, anno* 1643.

25. Petri de Simancas Augustiniani Prioris & Lectoris Granatensis. *Epist. ad sanctiss. D. N. Innoc. X. super definitione de fide articulari de immaculata Concept. Virg. Mariæ Domina nostræ, typis excusa.*

26. Andreas Pintus Ramirez Soc. Iesu libtũ edidit, *De beata Virginis Conceptione* an. 1644. in cuius appendice num. 1610. sub titulo *Maria non solum in gratia, sed etiam in gloria concipitur.* Sic ait. *Ergo non paulò post sed in ipso instanti, in quo concipitur in gratia, beatur gloria.*

27. *Prima & secunda Pars Opusculor de purissima Concepcione D. nostræ Matris Dei edita* à Patre Magistro Bernardino de Leon Ordin. S. Norberti Præmonstr. duobus tom. an. 1626.

28. Bartholomæi Guerreri Ord. Min. *Expositio in controuers. de immac. Concept. breuiter & copiosè ambiens omnia, quæ sanctiss. Patres & alij Doctores huc vsque scripsere anno* 1623.

29. Francisci Huttadi Minoritæ, *Lamina aurea attributorum Virginalium purissimæ Conceptionis Virginis Mariæ D. nostræ an.* 1628.

30. D. Francisci de Leon in sacris Canonibus licentiati. *Informatio iuridica pro purissima & mundissima Conceptione semper Virginis Mariæ Matris Dei concepta sine macula, & sine debito peccati originalis, anno* 1625. Ibi in summario, Argumenta ex vtriusque iuris regulis desumpta non leuem vim habere ad coadiuuandum dicta circa mysterium immaculatæ Conceptionis.

§. XI.

Expenduntur & reiiciuntur aliquæ responsiones quæ possent excogitari ad infirmandum argumentum desumptum ex vniuersali sensu Ecclesiæ, non agnoscente mutationem sensus in nomine Conceptionis post Gregorium XV.

1. HVic euidentissimæ rationi desumptæ ex vniuersalitate sensus totius Ecclesiæ, & omnium Doctorum exceptis his anonymis, & aliis paucis eiusdem farinæ, quid respondere possint aduersarij videndum hîc vltimo est, eiusdem scilicet ipsorum dicti ponderatione. Et primo ex similibus potest coniectari, quod respondeant; videlicet esto, quod qui censeant Conceptionem Deiparæ Immaculatam hanc mutationem sensus in nomine Conceptionis non aduerterint post Gregorium. Nihilominus contra hos omnes nostra stat sententia, ita omnino dicendum propter rationes adductas.

2. Sed hæc responsio meo iudicio, est omnino temeraria vt pote quæ contradicit ex diametro, & aperte sensui tam vniuersali Doctorum & Patrum Ecclesiæ, nec non vniuersalissimo sensui totius Cleri, & populi Christiani: nihil enim aliud requiritur ad temeritatem alicuius dicti nisi similis, & sæpè minus aperta contradictio sensui communi; quod tamen præterea contradictio huius dicti, opponatur cum addito, non solum communi sensui Theologorum, vt vidimus, sed toti corpori Ecclesiæ, & membris principalibus eius in summa generalitate. Secundo hæc huiusmodi responsio cogitur sustinere, quod tota reliqua Ecclesia in hac acceptione nominis Conceptionis B. Virginis post Gregorium in celebritate præsertim vsurpati, fuerit & sit decepta, neque sciuerit agnoscere post Decretum Gregorij hanc mutationem sensus in dicto nomine inuentam, & somniatam de cætero ab aliquibus paucis innominatis, qui tantum audeant, vt hanc notam ignauiæ vniuersæ Ecclesiæ imponant, & omnibus summis Doctoribus eius. Quod dictum aperte non solum est temerarium, sed fatuum, & insanum, seu capitis vertigine laborantium, qui in materia significati alicuius nominis putent illud significare, quod ipsi decem, vel viginti, vel etiam in numero quo conflarent vnum oppidum contra id quod sentit Vniuersa Christiana Respublica.

3. Quibus adde, quod coguntur etiam abiicere à sancta Romana, & vniuersali Ecclesia altam Dei prouidentiam, quæ non sinit eam in maxima præsertim parte, ne dum in sua totalitate, errare in intelligentia doctrinæ, quam docent Summi Pontifices eius Magistri, nam volunt consequenter eam capere nesciuisse sensum verum nominis Conceptionis in Decreto Gregorij. Et quarto omnino debent concedere quod vel posteriores Pontifices aduerterunt hunc errorem ab Ecclesia amplexatum, vel non: si secundum faciunt etiam illos ignauos, & in re graui deficientissimos, qui non docuerint, & correxerint eiusmodi errorem in vniuersa Ecclesia, vel si aduerterunt faciunt illos pessimè prouidos in permittendo eiusmodi errorem, ita vniuersaliter in illa, sine vlla cura & studio correctionis eius; quæ omnia sunt absurda quam maxima & inaudita, vndè nulla, & falsissima, & amentium propria existimanda est hoc responsio si ab aduersariis daretur.

4. Secunda responsio aduersariorum in hac re posset, quod auctores & bona pars Ecclesiæ huic assertio eorum non contradixit: dum illud non proposuere anonymi, qui primum illud scriptis dedere circa annum quadragesimum sextum huius sæculi, quare non potest illi opponi vniuersalis sensus totius Ecclesiæ. Sed nugatentur aduersantes; licet hoc sit in more eorum positum, si ita responderent: nam esto non venit in mentem, nec impugnata neque audita sit in Ecclesia ante hos anonymos hæc mutatio sensus in nomine Conceptionis post Gregorium, non propterea is non repugnat vniuersali sensui totius Ecclesiæ: quia hæreses sæpè prodeunt, quæ numquam aliàs venere in mentem Doctorum, & eiusdem Ecclesiæ, nec propterea non repugnarunt, & non repugnant sæpissimè vniuersali sensui Ecclesiæ. Quamquam ergo hæc subtilis, vt ipsi putant interpretatio nominis Conceptionis post Gregorium sit adinuenta ab istis anonymis, non propterea sequitur, quod ea non contradicat vniuersali sensui Ecclesiæ, id quod patet manifestè; quia cum à prima institutione festi Conceptionis, & à Sixto IV. vsque ad hæc tempora nomen Conceptionis Virginis semper intellectum sit significasse primam animationem, seu infusionem animæ Dei genitricis in corpore, dum aduersarij intrudere voluerunt idem nomen non esse determinatum post Gregorium ad tale primum instans, sed extendi ad tempus sequens; ex hoc ipso aduersantur communi & vniuersali sensui totius Ecclesiæ firmæ in intelligenda Conceptione Deiparæ pro primo solo instanti infusionis animæ in corpore, vt perspicuum est.

5. Tertia responsio, quæ itidem posset componi ad infringendum hunc vniuersalem sensum Ecclesiæ esset, quod non sit nouum in Ecclesia, quod nomen Conceptionis steterit pro primo signo infusionis animæ Virginis, & tempore sequenti, quia D. Thomas & Sanctus Bonauentura, & aliqui antiquiores putarunt toleratum festum Conceptionis ab Ecclesia Romana, quia sub nomine Conceptionis celebraretur prima sanctitas sanctissimæ Virginis siue pro primo instanti, siue pro tempore sequenti; oportuit ergo quod apud hos Doctores nomen Conceptionis steterit eo tempore pro hac significatione, in qua scilicet aliquæ Ecclesiæ celebrarent. Et confirmari potest hæc assertio, quia antiqui aliqui Doctores de festo Conceptionis Virginis disseruere, illudque admisere,

misere, licet de reliquo non nisi post contractionem peccati originalis agnouerint sanctitatem in anima Beatissimæ Virginis. Sic Petrus de Natalibus *in vitis Sanctorum* admittit hoc festum, & sentit Virginem originale contraxisse. Sanctus Vincentius Ferrerius item de Conceptione Virginis sermonem habuit, & idem originale creditur admisisse in sanctissima Matre. Et simile refert Calderonius de Armando de Bellouisu qui claruit anno 1296. licet nõ asserat an admiserit originale in Deipara; sicuti nec de Iacio Porta qui floruit anno 1429. & de eadem Conceptione sermonem habuit, vt habes *cap. 13. in fine.* Pro quo facere videtur id, quod addit *ibidem* Calderonius, videlicet quod ante Sixtum IV. non fuit celebratum hoc festum sub nomine sanctificationis, sed si quod coluerint fratres Dominicani, Conceptionis fuisse; & cum de reliquo credendi sint originale à Virgine sanctissima non abstuliisse, censeri debet quod nomine Conceptionis, intenderint breue tempus post primum instans animationis, in quo Beatissima Virgo sanctitatem secundum ipsos obtinuerit.

6. Sed nulla est hæc apparens responsio, quia esto ante Sixtum nomen Conceptionis impropriatum apud aliquod paucos Doctores, hoc significauerit, tamen hoc non potest vllo modo ostendere, neque defendere, quod posito quod post Sixtum IV. hæc acceptio nominis Conceptionis abolita penitus sit, etiam apud Dominicanos, qui nomen sanctificationis vsurpauerunt in hoc festo, abiicientes illud Conceptionis, & in hac abolitione durauerit vsque ad Gregor. XV. tempore Gregorij Ecclesia nihil ad hoc prorsus aduertente, neque de re ab eodem vel sequentibus Pontificibus edocta, mutationem sensus subierit & redierit ad illum, quem illi aliqui Doctores cum summa impropriatione ei dederunt ante plura sæcula. Secundo nulla est hæc responsio, quia aliud est admisisse aliquos Doctores dantes originale Virgini festum Conceptionis, in quantum voluerint statim post aliquod tempus à Conceptione habuerit sanctitatem, & in die Conceptionis celebrare non ipsam Conceptionem, sed consequens ad illam, quod dicebant ignorari, quando fuerit, quia ne celebatur, quando anima Virginis fuit in corpore infusa, seu etiam quando fuit sanctificata aliud inquam hoc est ab eo, quod modo volunt anonymi isti, qui sub ipso nomine Conceptionis dicunt non coli dictam infusionem animæ Virginis præcisè vt sanctam, sed eius sanctitatem pro eo signo & tempore, pro quo fuerit in Virgine etiam post mensem à prima sui animatione, si tanto tempore post primum instans fuit in anima eius, & primum quidem agnoscimus in aliquibus Doctoribus ante Sixtum, non vero hoc secundum in vllo, quem viderimus: nam numquam aliquis ex his voluit sub nomine Cõceptionis significari tempus sequens ad primum instans animationis. Imo expressè D. Thomas notauit in die Conceptionis, coli non ipsam Conceptionem, pro Conceptione enim ipsa, & antiquiores videbimus, intellexere formationem corporis, sed sanctitatem Virginis, quæ ignoraretur, quando fuerit à Conceptione; quare per nomen Conceptionis numquam significauit, neque significari dixit tempus sequens seu id quod peractum fuerit tempore sequenti ad primam animationem. Lege Sanctum Doctorem 3. part. quæst. 27. artic. 2. ad 3. *Nec per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua Conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur; celebratur festum sanctificationis eius potius, quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius:* Vbi Sanctus Doctor ad summum si concedit celebrari Festum Conceptionis dum ait: *Nec per hoc quod Festum Conceptionis celebratur*, expressè non loquitur de Conceptione, quæ includat tempus, in quo fuerit in Virgine sanctitas, vt volunt aduersarij, nam subdit, quod non propterea datur intelligi, quod Conceptio sit sancta, quare Conceptionem permittit celebratam, in quantum ad eam sequuta est sanctitas, sicuti aliqui Doctores censuerunt etiam post Sixtum, quod Ecclesia celebrauit Festum Conceptionis in quantum formata fuit natura humana Virginis præscindendo ab originali, & Bellarminus cum aliqua limitatione, de qua suo loco, id admittit. Nullo ergo modo neque Sanctus Thomas, neque vllus alius Doctor antiquus, cum sit eadem ratio de cæteris, Conceptionem extendit ad significandum tempus sequens ad primam animationem.

Tertio plusquam nulla est hæc responsio aduersariorum quia vt vidimus, per multa in superioribus, nomine Conceptionis tempore D. Thomæ, & ante Sixtum tradita erat maximè de Conceptione seminum antecedenter ad animationem, quare multo magis nullo modo extendebatur ad sequens tempus ad eamdem primam animationem, vt patet ex fusè dictis supra in variis diuisionibus.

7. Quarto, exploditur hæc responsio, quia cum per Bullas Sixti explosa sit vt erronea intelligentia Conceptionis Deiparæ celebratæ ab Ecclesia Romana sub sensu Conceptionis spiritualis, & sanctificationis, vt visum est superius latissimè & firmissimè; temerarium omnino est id quod semel damnatum fuerit à priori Pontifice Sixto dicere reassumptum à posteriori Gregorio. Si autem post Gregorium celebrari sub nomine Conceptionis significaret coli sanctitatem siue pro prima, siue pro secunda animatione; ad euidentiam pateret, quod Ecclesia Romana modo non præcepisset colere, neque profiteretur colere, nisi meram sanctificationem & Conceptionem spiritualem, vt liquido, consideranti patet id non enim extenderetur ad colendum positiuè aliud à sanctitate Virginis: hoc enim aliud; semper esset sanctitas Virginis pro instanti primæ animationis.

§. XII.

Ex viua vocis oraculo & mandato dato à SS. Domino Innocentio X. in iudicio contradictorio de seruando titulo Immaculatæ, sanctissimæ Dei genitricis, Conceptionis demonstratur meras somnia anonymorum fuisse supradictam mutationem sensus in nomine Conceptionis, ad significandum scilicet post Gregorium XV. primum instans infusionis animæ Deiparæ cum tempore, vel instanti proximo sequenti, in quo celebraretur sanctitas Virginis sanctissimæ.

1. PRo intelligentia vltimæ huius rationis 29. quæ penitus & radicitus euellit ante oculos omnium sine vlla tergiuersatione hanc prætensam mutationem sensus in nomine Conceptionis, nec non ad ab imis eradicanda fundamentis aduersantium figmenta, quamquam reuera super arenam firmata: referendus est historiæ quidam progressus & machinatio intentata pluribus ab hinc annis ad sustinendam in aliqua probabilitate sententiam de maculata Conceptione Virginis, quæ relegata in abditis mentis paucorum, & longo tempore exulans ab Ecclesiæ Doctoribus, & pene ab omnibus aliis fidelibus videbatur, vel videri poterat iam è sua qualicumque antecedente probabilitate & tolerabilitate decidisse, & sensim sine sensu timeri poterat prudenter, quod breui, vel aliquo alio maiori tempore, ab his ipsis abditis mentis Ecclesia præcipiente, ad quod videtur iam valide proxima, amandaretur itidem cum ignominia, non quidem Doctorum, sed sua: excogitarunt aduersantes firmare & inuehere in Ecclesiam hanc mutationem sensus in nomine Conceptionis celebrantis primam infusionem animæ eius cum breui morula temporis subsequentis, vt scilicet posset sententia præbens Dei parenti originale, & sanctitatem post ipsum simul cum sententia negante habere locum in celebratione Conceptionis Virginis, & si possibile etiam esset negantem supplantare, ita vt præcisè ab Ecclesia Dei celebraretur sanctificatio Virginis post contractum originale in re in anima eius, & non cum omnimoda eius, negatione pro quocumque instanti temporis; quare ad inuenta, seu melius somniata dicta mutatione sensus in nomine Conceptionis, quæsiuerunt diu illam intrudere saltem vt probabilem primo in Curia Romana, & maximè apud Vrbanum VIII. sub prætextu facilis conciliationis ipsorum, & nostræ sententiæ, vt retulit Eminentissimus Dominus Oregius S. R. Ecclesiæ Cardinalis, & intimus Vrbani VIII. qui fraudem aduersantium in hac re detexit illi sicuti viro à fide dignissimo accepi circa annum millesimum sexcentesimum trigesimum tertium Romæ commorans.

2. In Curia etiam Rom. idem sensus intrudi quæsitus est, pro quo die festo Conceptionis Virginis narratum mihi est, vt quid notorium contigisse, videlicet quod vnus ex primatibus aduersantium Immaculatæ Conceptioni primo mane celebraturus sanctum sacrificium, & recitaturus officium Conceptionis Dominæ nostræ, quasi per iocum retulit coram Prælatis multis, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ea die dicere aliquos, licere iam per Sedem Apostolicam mendacium vsurpare. Hæsere Illustrissimi, & Eminentissimi Viri, qui fraudem non poterant attendere, & qua ratione hoc potest dici responderunt? is autem audaciter, en omnes nos celebrati præcimur Conceptionem sanctissimæ Virginis, eamque dicere sanctam, & tamen concedit nobis sancta Sedes Apostolica interius eam sentire non sanctam, & originali infectam, quod nonnisi mendacium est, quoniam mendacium aliud non est, nisi loqui non conformiter ad sensum internum, & ita nos hodie loquimur; risu excepere argutiam venerabiles illi Prælati, & nodi solutionem quæritabant; at is non ita est, Domini, vt hi existimant; sanctitatem primam Virginis colit Ecclesia, nec definit an ea fuerit in primo instanti, vel in secundo instanti, vel tempore; sed eam siue in primo & secundo celebrat, & sic nullus error, nullum mendacium, & hoc modo nos eam celebramus; & nodi solutionem facilem demonstrans insinuabat falsam doctrinam, vt ex dictis patet. Illustrissimi autem illi, Eminentissimi Viri in aliis Ecclesiæ occupationibus distracti, cum hic modus celebrandi non obstaret sensui proprio de Immaculata Conceptione, non videbatur eis prima facie reprobandus pro sentientibus in oppositum, vt accommodate ad suum vsum sine errore, vt putabatur, possent celebrare. Paralogismi enim aliqui non se ita facile produnt, quales sunt iis præsertim, qui scholasticam non pertractant doctrinam continuis Theologicis discussionibus; dici hæc doctrina versatur in ore aduersantium, & opportuno aliquo tempore insinuata in paucos sub specie conciliandarum sententiarum, & in sua probabilitate seruandi oppositam sententiam; quam scilicet vt probabilem seruari vellent Summi Pontifices in suis Bullis (quod falso persuaserunt) occasione data, & vt dissentiones aliquæ vitarentur, proposuerunt sacræ Inquisitioni generali, ne in aliquibus Ciuitatibus titulus Immaculatæ Conceptionis permitteretur; vnde sacra Congregatio refertur quod in aliquibus casibus ita decreuit, atque ita scripsit primo, vt hic anonymus tertius refert ad Inquisitorem Cæsariensem 13. Feb. 1627. & secundo die 28. Apr. 1638.

ad

ad Inquisitorem Anconitanum. Et tertio ad Inquisitorem Bononiensem 1644. & tenor huius vltimi Decreti typis editi, refertur à Cismontana familia initio operis quemadmodum & à Calderonio. Est autem huiusmodi.

Feria 6. die 20. Ianuarij 1644.

3. *In Congregatione generali sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu Sanctæ Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica deputatis. Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Cardinales Inquisitionis Generalis prædicta decreuerunt, quod quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis nullo modo præmittatur, sed solum dicatur Conceptio Immaculata Virginis, & ita obseruari mandarunt. Loco ✠ sigilli, Io. Antonius Thomasinus S.R. Inquisitionis Notarius.* Tenor autem antecedentium Decretorum non est ab his auctoribus relatus, neque obiter notatus; vnde non possum ea pro certis habere, sed si toties ea replicata fuere, mihi ostendunt manifeste ex hac ipsa replicatione ad varias Ciuitates, eas non fuisse leges vniuersales sacræ Inquisitionis, sed pro iis locis merè latas ob particulares causas ad turgia fortasse vitanda; vnde nec vltimum Decretum, & multominus priora non fuere euulgata, sed per Epistolas missiuas notificata Inquisitoribus, nec ab iisdem legitime promulgata nec Romæ nec in dictis Ciuitatibus, & per consequens nomisi ad directionem Inquisitorum ciuiusmodi locorum ordinata. Vnde certum est, quod si Bibliopolæ typis edidissent hunc titulum in libro ad Inquisitore approbato, nihil contra hæc decreta, vt pote legitimè inscij, deliquissent, nec ad ipsos directa, neque eis, vel cuilibet extra Inquisitores mandata exequi; cuius rei inditium esse potest, quod huiusmodi decreta pœnam illam non minitantur, vti solent communiter imponi delinquentibus contra Decreta; quæ vim haberent legis vniuersalis; licet pro hac vel illa Ciuitate, vel pro hac vel illa Diœcesi.

4. Viuente Vrbano VIII. Pont. Max. vt patet, hoc Decretum recitatum, editum est, primate vt diximus; & quantum apparet ex recitatione ipsius Decreti, eo vel inscio, vel ab ipsis aduersantibus intruso peculiari forma & exaggeratione de lite & dissidiis occasione tituli Conceptionis ortis differentibus Pontifici; cui hæc valdè displicebant. In hac re à fide dignis viris habuimus Romæ commorantes ea die fuisse hoc Decretum, qua plurimi ij, qui solent huic præsidere Tribunali, casu non interfuerunt: duobus vel tribus ex Primatibus Congregationi præsentibus. Nec huiusmodi Decreti scientia vlla, vel fama exiit Romæ extra Congregationis personas viuente Vrbano VIII. qui obiit sequenti Septembre; & silentium seruatum de ciusmodi Decreto biennio ad Pontificatum assumpto Innocentio X. Post multum ergo tempus ab eius assumptione, videlicet circiter annum quadragesimum septimum Romæ eiusmodi Decreti ab aduersantimentio facta, & priuata auctoritate est emanatum in vulgus, nec tamen eius editionis veritas certa erat, vnde ad summum Pontificem Innocentium recursus factus à R.P. Fr. Antonio Ribera Commissario Generali Ordinis Minorum, à quo responsum accepit se de eiusmodi Decreto vsque ad illum diem nihil resciuisse; vt Cismontana familia testatur post dicti Decreti recitationem libri initio. Quo rescito ab vniuersa Ecclesia conclamatum est, contra rumorem sparsum de editione eiusmodi Decreti, vt pote omnino supreptitij, præsertim si vim legis vniuersalis habuisse prætensum sit, & ad euidentiam meo iudicio demonstratum; quod etiamsi eiusmodi Decretum verè à sacra Congregatione emanasset, nullo modo sub ratione legis vniuersalis ab ea condi nec emanari voluerit, cum maximè incredibile videatur, quod tam docta, tam sacra, tam prudens Congregatio eum titulum vellet vniuersaliter tollere à Conceptione B. Virginis, quem ei tradidere non recitatiuè, vt somniant anonymi, sed assertiuè plurimi Summi Pontifices; & confirmauit Concilium Trid. quem à Sixto IV. vsque ad Pium V. ferè tota Ecclesia in Missa, & diuinis Officiis decantauit, & quo ad decorandum Virginem inuitati sunt fideles, concessione variarum Indulgentiarum, quo vt ex expresè consentientibus Pontificibus summis perpetuo condecorant in Officiis Ecclesiasticis Fratres omnes, & Moniales Minorum, qui super centena millium Fratrum & sacrarum sororum numerant, in hoc ordine, quemque illi immobiliter conuenire conuincunt innumeræ & efficacissimæ rationes, quas recensent auctores & præsertim dicta Cismontana familia & Calderonius à nobis supra relatas.

5. Oppositionibus autem huius Decreti responderunt aliqui anonymi, præsertim duo, qui ferè in idem recidunt, nos breuiorem hic subdemus propriis verbis, vt summa rei perspicua fiat omnibus; & eluceat magis mandatum Domini nostri Papæ Innocentij decimi & deinde Alexandri VII. perspecta intentione & conatibus aduersantium.

Prior supplex libellus aduersariorum pro tuendo asserto Decreto Congregationis sacræ & Generalis Romanæ Inquisitionis vt apparet oblatus.

EMINENTISS. ET REVER. Domine.

6. *Ad agnoscendum quam prouide sacra Romana, & vniuersalis Inquisitio decreuit titulum Immaculata non esse addendum Conceptioni sed Virgini, adnotanda maximè est diuersa acceptio huius nominis* Conceptio *ante Gregorium XV. & post illum. Licet enim nomen* Conceptio *in suo proprio significatu solum importet formationem fœtus in vtero, ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vsus nominis Conceptio, quod Conceptio Immaculata: vnde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam vtebantur*

tur voce sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quasi idem importaret Conceptio & Immaculata Conceptio, & ideo contenderunt fautores Immac. Conceptionis apud eundem Gregorium, vt præciperet omnibus, quod in celebratione solemnitatis non alio, quam Conceptionis nomine vterentur, quod Pontifices vt cultus esset magis vniformis concessit, innuens nomen Conceptionis esse de se indifferens ad vtramque sententiam, quod vt magis insinuaret, declarauit expressis verbis per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, sed relinqui in eodem statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum Decretum, & ad hoc rursus curarunt iidem apud Vrbanum VIII. vt declararet festum celebrari non pro Conceptione Immaculata, quod constantissimè renuit Vrbanus asserens, quod neque recedere a vestigiis prædecessorum debebat, qui vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant, neque affirmare poterat Gregorium opposita, & inter se repugnantia protulisse. Quod si declarasset nomine Conceptionis Immaculatam Conceptionem intellexisse; declarasset Gregorium sibimet fuisse contrarium, dū ex vna parte asserit se nullum præiudicium inferre velle opinantibus Beatam Virginem in peccato conceptam, ex alia parte plusquam notabile præiudicium ipsis inferret iubendo, quod Ecclesia vniuersalis Conceptionem Immaculatam celebraret.

2. Quis ergo non videat diuersitatem status in acceptione huius nominis Conceptio ante Gregorium XV. & post illum? Hæc igitur diuersitas in causa fuit, quod adeo attente post Gregorium curatum sit, quod nullo modo adderetur titulus Immac. Conceptioni, sed Virgini, ita vt nec etiam recitatiuè hic titulus ipsi Conceptioni annecteretur. Cum enim satis compertum esset aduersariorū intentum esse populis persuadere Ecclesiam præseruationem definisse, dum voluit, quod omnes sub nomine Conceptionis celebrent, quasi apud Ecclesiam idem esset Conceptio, & Immac. Conceptio: (iuxta prædictam vulgarem huius nominis acceptionem) ne populi in hunc errorem inciderent, prudentissimè cautum est, quod sub Gregorij prædecessoribus non adeo cauendum erat, quia tunc licitum vnicuique erat vtique volebat, nec aderat præceptum, vt in vniuersa Ecclesia sub vnico nomine Conceptionis hoc festum celebraretur.

3. Vnde non mirum quod aliqui Pontifices ab aduersariis citati, aliquando recitatiuè addiderint titulum Immac. ipsi Conceptioni. Cæterum non ita Vrbanus VIII. Gregorij successor, vt videre licet in Bulla, qui incipit imperscrutabilis & qua erigitur Religio militaris sub Inuocatione Conceptionis Deiparæ, vbi nunquam titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni, sed Virgini, & hoc ex speciali mandato ipsius Vrbani VIII. Præterea cum ex officio Summus Pontifex prouidere debeat, ne aliqua doctrina, seu assertum aliquod reputetur vniuersalis Ecclesiæ sensus, si de eius veritate dubitari possit, & oppositum ab ipso Pontifice tamquam verum, & ab eadem vniuersali Ecclesia tenendum possit definiri. Cum igitur opinio præseruationis Virginis Deiparæ à peccato originali dubia sit, oppositum possit ab Ecclesia definiri, & nihilominus Romani Pontifices iustis de causis iudicauerint silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt nec etiam in priuatis colloquiis cum secularibus liceat ipsis de hac materia differere, insensibiliter eo deueniret negotium, vt vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem præseruationis tamquam certam, & ab Ecclesia definitam. Cogitur ergo ipsa Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendam opinionem adeo in sacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum & Doctorum consensu firmatam.

4. Concluditur ergo quod non valet argumentum ex permissione ab Ecclesia facta ante Gregorium XV. & post illum, quia stabilitur per Gregorium XV. Decretum, quod omnes nomine Conceptionis vtantur: curandum magis est, quam antea, vt hoc nomē maneat in sua indifferentia, & non vsurpetur vt antea pro Conceptione Immaculata, ne intelligatur Ecclesiam velle quod omnes sub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.

5. Dicunt auctores oppositæ sententiæ iure cautum esse, ne in Ecclesiastico officio, seu Pontificiis Constitutionibus addatur terminus Immaculatæ cum adhuc Ecclesia non definierit controuersiam. Cæterum cum eadem Ecclesia libere permittat illis, quod publicè & priuatim possint de ea loqui, illamque defendere, quod tamen prohibet alteri parti, cur non poterunt etiam illam typis mandare & diuulgare non quasi rem definitam, & certam, sed piam, & probabilem.

6. Ad quod dicimus in præsenti non controuerti de impressione opinionis, sed inhærendo Decretis Pontificiis rescripsit sacrum Tribunal Inquisitionis, ne permittatur addi Conceptioni terminum Immaculatæ, ne videlicet per adiunctum Epithetum, distrahatur sensus huius nominis Conceptio, quod de se indifferens est, à proprio significatu; idque præsertim in impressione, quæ præ se fert approbationem ministrorum sanctæ Sedis Inquisitorum scilicet, seu Magistri sacri Palatij, quod non contingit in locutionibus priuatis, nec etiam publicis.

7. Vel ergo reuocanda est Gregorij XV. Bulla, vel omnium post ipsum acta, & præfata Bullæ inhærentia Decreta prout est illud, de quo controuertitur; sunt omnino sustinenda: Hæc in primo Libellatore; quæ autem habet secundus vide apud auctores citatos.

17. In Hispanias peruenere hi libelli circiter annum sæculi quadragesimum septimum, vt refert Calderonius & contra eos primum complures docti viri Romæ scripsere; & ex professo in Hispania de Verbo ad Verbum eos impugnauere ibi quatuor grauissimi Viri, doctissimique è Franciscana familia in vnum conuenientes, nec non dictus Doctor Calderonius, & è Societate nostra in Gallia Pater Theophilus Raynaudus, omnes mira eruditione solidissimis rationibus, & rem euincentibus, nec non auctoritatibus innumeris, tum pro hoc titulo firmando Conceptione Virginis, tum etiam pro euidenti ostensione, quod nomen Conceptionis absolutè non se extendit ad morulam temporis post instans primæ animationis Deiparæ, sed restrictum purè sit ad primum instans infusionis animæ eius in corpore, atque adeo celebritatem Conceptionis Deiparentis, vt sanctæ omnino dicere eam Immaculatam, & ab originali in illo primo

instanti

instanti alienam: atque adeo omnino ad maiorem explicationem; præsertim extra officia Ecclesiastica decorandam, & promulgandam, & inscribendam absolutissimè Immaculatam, quorum scriptis accuratissimis, doctissimis, & omni veritate plenis meo iudicio omnis subscribit Ecclesia, & vniuersa magnorum Doctorum eius Ecclesiæ sapientia.

8. His peractis in consilium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium res redacta est ex mandato Innocentij X. Pontificis Maximi post annum quinquagesimum sæculi circiter, & quamquam apud Purpuratos Patres difficultas nulla fuerit de titulo Immaculati omnino relinquendo Conceptioni sanctissimæ Virginis, dum in quæstionem vertebatur, decerenne annullare Pontificia auctoritate Decretum sacræ Inquisitionis Generalis, si quod fuerit prohibens titulum Immaculatæ Conceptionis, aliqui dicuntur censuisse ex extrinsecis causis, vel quia viderentur in posterum pauci pendenda eiusmodi Decreta, vel quia maximè ab aliquibus insultandum fuisset contra sentientes maculatam Conceptionem Deiparæ, & excitandas turbas, & nimium deprimendam eam familiam, in qua aliqui contra Virginem in hac re iudicarent, sicuti contigit in Concilio Tridentino ex relatione Patris Nicolai Lancitij, quod scilicet abstinuit à definienda de fide Immaculata Conceptione sanctissimæ Virginis, ne dedecus eo tempore proueniret illi familiæ, ita rogantibus quinque Episcopis Dominicanis, vt ipse propriis oculis legit cum Patre Arrubal in quibusdam manuscriptis actorum Concilij seruatis in Castello Sancti Angeli Romæ, vt idem Pater Lancitius refert *in suis Opusculis.* Attamen Innocentius X. auditis his indiciis censuit, & decreuit in dicta Congregatione decreto suo annullandum prius illud, prohibens titulum dictum, Immaculatæ, sanctissimæ Virginis Conceptioni, sentiens cum reliquis, qui ita professi sunt fortiter sentire, mandatum est edi decretum iam compositum in eadem Congregatione, & pralo datum, quemadmodum per omnes Italiæ partes scriptum fuit pro re certissima, & euidenti, & expectabatur in dies, quando iterum atque iterum exoratus est Pontifex propter superiores causas & timores exaggeratos magni dedecoris dictæ familiæ imminentis, ne scilicet in actu figuato, sed vt dicitur in actu exercito annullaretur eiusmodi decretum, si quod fuisset; nec materia supperetet iurgiorum; vnde re dilata à prudente Pontifice, vt Ecclesiæ filij tempore deferuescentes à propria temeritate iudicij promptius & alacrius summorum Pontificum Decreta susciperent, & amarent, morte præuentus nihil aliud in re scitur imperasse, sed ipso facto liber fuit nobilissimus titulus à prohibitione prætensa, & in omnium ore, & quibuscumque inscriptionibus publicis Conceptioni Immaculatæ centies donatus, & repetitus. Quo facto vniuersæ Ecclesiæ patente, in nihilum abiere figmenta notatorum libellorum, qui typis remanent mandati, vt eorum Doctrina an aliis etiam Doctoribus iterum atque iterum refellatur, & solitæ technæ, & fallaciæ, quibus saltem aliqui ex aduersariis vruntur in re sua defendenda detegantur, & obliterentur à facta doctrina. Pateat similiter ipso exitu rei, quam vera, quam benè notata, qua apte animaduersa fuerint omnia ea, quæ attulerunt Doctissimi Viri contra hos Libellatores, eosque, qui vna cum eis sentiunt, & contra Immaculatam Conceptionem pronunciant; quorum magna pars videtur esse similis farinæ, cum dictis Libellatoribus, qualem vidi ego, & apud me habeo tertium Libellatorem; quare quidquid dictum est de his duobus rectè potest existimari dictum contra cæteros; qui vna cum præfatis concidere necesse est ex tam clara, & conuincenti doctrina penitus contriti.

9. Hoc ergo rei exitu narrato animaduertatur quam nulla quam futilia, quam falsa, quam mendacia, quam absurda, quam etiam, vt videntur erronea, protulerint libellatores dicti contra istam mutationem sensus in nomine Conceptionis, quæ in summum euanuerunt, eumque fœtum doctrinæ parum sanæ in multis, vt in antecedentibus vidimus, & ne videantur hæc notata, vel à nobis solis, vel non iuxta meritum animaduersa, pateat ex reiectione ipsa Pontificia tum Innocentij X. cum etiam Alexandri VII. modo regnantis, vt immediatè sequenti videbimus, nec non ex aliis scriptoribus, qui plures his, & ponderatiores censuras vsque ad euidentiam eis impegere: quæ non ideo referuntur à nobis, vt iniuriosi simus anonymis, quod absit, sed vt rei veritas à cæteris cognita, à nobis etiam confirmari, & cognosci similiter videatur, & ecce quæ contra primum Libellatorem primis eius verbis Cismontana familia respondens illi dicto, quo prouidè sanctissima Romana, & vniuersalis Inquisitio dicitur decreuisse titulum Immaculatæ Conceptionis non esse addendum Conceptioni, sed Virgini, effatur: *Inani ergo labore consumuntur, dum docere nos volunt, quam prouide sancta Romana & vniuersalis Inquisitio aliquid decernat. Scimus enim Decretis illius supremi Senatus nihil cogitare posse prouidentius. Id potius demonstrent quam verum sit Congregationem sanctæ Inquisitionis de abolendo Immaculatæ Conceptionis titulo legitima, & competenti forma rescripsisse:* & paulo post: *En igitur quo euadant aduersariorum conatus, vt nimirum præsumpta Decreti auctoritate armati, & magni nominis vmbra protecti verissimis Apostolicis Constitutionibus illudant, cultum Ecclesiasticum*

de ſuo capite interpretentur, & deinde: *impune quidquid voluni, effutiant, qua larga in loquendo licentia, non priuatorum Apologiis notanda, ſed maiorum ſeueriſſimis legibus coercenda: nihil autem à nobis confingi, nec verba concerpi ſingulorum diſcuſſione aperiemus*; quod reuera impleuerunt hi doctiſſimi viri de ſacra Minorum familia, & in diſcuſſione ſequentium verborum Libellatoris pagina eadem 225. ſic habetur. *In tradenda ſignificatione nominis Conceptio, qua reuera omnes eorum machinas proſternit, miſere ſe torquent noſtri deputatores, vera decurrant, falſa admiſcent, abuſum quaſi legitimam conſuetudinem oſtendunt, vt commentitiam illam mutationem, Decreti Gregorij incautis perſuadeant*: Et fol. 318. ponderato dicto aduerſariorum de dubia Immaculata Conceptione, quæ moraliter eſt in Eccleſia certa, ita habet: *Profunda ergo calliditas, qua nec tacere volebant, nec probare poterant in medio abſque rationum fuleris quaſi ſuo pondere ſtantia reliquerunt, vt ab incautis tanquam axiomata ſuſpicerentur & ſine trepidatione affirmantibus aſſenſus abſque timore præberetur? ſed nihil confidentia fallacius, vbi veritas ad lapidem Lydium ſeria diſputationis examinatur*? Et his ſimilia videri poſſunt iunumera per totum in eo eruditiſſimo libro. Eadem etiam notat in his Libellatoribus Calderonius, qui ſuper §. primum recitati Libelli ait: *Diuerſa acceptio Conceptionis ante Gregorium XV. vt poſt ipſum quam maximè adnotandum dicis, merum figmentum eſt*: & numero 9. ibidem. *Abſque vllo fundamento tribuis Gregoriano Decreto illam Conceptionis ſignificationem*: & numero 5. dum recitat dictum de indifferentia nominis Conceptionis ad vtramque ſententiam: *At hæc expreſſa impoſtura eſt nihil enim eiuſmodi declarauit Pontifex*: & numero 6. *Hoc non contentus figmento audet aliud*; & ibidem numero 28. *Sed tibi ſolenne eſt ambigue & lubrice loqui, ne deprehendaris; vt longè operoſius nobis ſit te intelligere, quam conuincere*: & numero 38. *Sed cum hæc lenia ſint & futilia, liquido monſtrant, qua ſuperius merito dixerimus te conſultò ambigue & obſcure loqui, ne deprehendaris*: & cap. 5. §. 3. numero 21. *Hæc eſt mens tua in his verbis; licet ſubobſcura, & latens ſed quantum ſit à veritate aliena res ipſa docet*: & numero 22. *Nunc vide quam ſiniſtre interpreteris mentem Sixti IV.*: & numero 55. *Nihilominus illa tua propoſitio, non minùs erronea eſt, quam illæ, quas damnat Sixtus IV. virtute enim eas continet*: Qua ſcilicet dicitur improbatum eſſe Officium Nugarolicum & delata pœna improbantibus impoſita. Et numero 56. *Nunc vide quantum veneni effutias, cum dicis derogatam videri conceſſionem Sixti*: & numero 59. *Nunc in Franciſcanos debaccharis, eoſque impoſtores appellans, qui oraculum Pij V. poſt eius mortem confinxerant, impoſtores, inquam quid enim ſibi vult; ex quo colligi poteſt quam facile pietatis prætextus impoſturæ paretur*. Et tamen totus ordo teſtis eſt huius oraculi. Nec non Vincentius Iuſtinianus in vita Beati Beltrami cap. vltim. §. 3. qui & ſcripſit conceſſionis diem & annum ſcilicet 23. Maij 1569. & numero 69. loquens cum Anonymis Calderonius ait: *Sed certè hæc non eſt oſcitantia, aut ſegnities, ſed verſutia, & calliditas. Noſti ſi verba Pontificum exprimeres, te ſola lectione vincendum, ideo ſilentio premis. Noſti decretum illud purum figmentum eſſe*: & numero 72. *Tecum ergo ipſe pugnas, neque video quo euadere poſſis*: & numero 82. *Vis tu videre quo te deducat ingenij tui acumen? obimericam nobis Conceptionem obtrudis, & tamen miſere tecum confligis: quid enim monſtri eſt Conceptio in ſecundo inſtanti; aut in alio quam in primo Conceptio ideſt animatio, ſeu infuſio animæ non concernit diuerſa inſtantia, ſed vnicum, quod eſt primum vitæ; eſt enim generatio ſubſtantialis, qua ſecundum Philoſophos & ſanctum Thomam tota ſit in inſtanti in ſuo ſcilicet complemento. Quo tranſacto quod eſt primum vitæ, nulla eſt Conceptio*: & numero 26. *Hæc propoſitio eſt eadem cum illa, quam damnauit Sixtus IV.* Videlicet quæ per aduerſarios habet non celebrari ex Eccleſiæ ſenſu Conceptionem in primo inſtanti immaculatam, & numero 87. *Non vides hoc exemplo* (ideſt Bernardi, Ildephonſi & ſanctæ Thomæ) *damnari argutias tuas, imo cauillos? Conceptionem, quæ in inſtanti fit, aut in diuerſa inſtantia* (quaſi in fruſta) *ſecas, reclamante ipſa rerum natura, aut quod prius eſt, contra communem omnium vſum, à quo vocum ſignificatio, cum in officio diuino non infuſionem animæ, ſed ſanctificationem ſignificare contendis*, Et numero 99. *Ex dictis ſatis conuicta manet impoſtura, qua tribuis Bellarmino ſolutionem, & ſenſum prorſus ab eius mente alienum, imo contrarium*: & 113. *In hoc & duobus ſequentibus §§. maximè velim attentum Lectorem: videbit ſimul, & mirabitur in paucis lineis rariora monſtra, quam tota Affrica multis ſeculis tulerit: videbis nouas, & hactenus inauditas vocum ſignificationes, rerum naturas, & proprietates inuerſas; & conuerſas. Videbis rem, qua vnico inſtanti peragitur, & durat ad multa extendi; videbis Conceptionem ſanctam, qua dum exiſtit, ſancta non eſt, poſtquam deſiit exiſtere ſancta eſt, ſed ne vana iactare videamur ad rem veniamus*: & 136. *Non eſt omittendum quod nouis te vetibus implicas. Aſſeris quamuis idem ſit ſanctum & Immaculatum non ſequi; per hoc inſtans Conceptio dicitur ſancta: ergo dici poteſt Immaculata. In his verbis manifeſtam inuolui contradictionem nemo non videt. Si enim idem eſt ſanctum & Immaculatum, fieri non poteſt vt Conceptio, qua eſt ſancta, non ſit etiam Immaculata; corruat tota ars ſyllogiſtica, &*

vana

vera sint principia illa lumine naturali notissima, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; & quidquid dicitur de prædicato; dicitur de subiecto; his enim innititur, hic syllogismus; quidquid est sanctum est Immaculatum, sed Conceptio per hoc instans est sancta, ergo per hoc instans est Immaculata. Maiorem propositionem supponis, minorem concedis; i nunc & nega consequentiam syllogismi in Dario, tertio videlicet modo primæ figuræ, videberis à pueris, qui primis labiis summulas degustarunt: atque his similia habes Lector in hoc & primis auctoribus compluta merito notata & animaduersa in Anonymis, quæ ne fastidium tibi inducant vltra non progredimur prosequi, cum hæc dicta sufficiant vt aperte in omni Ecclesia pateat fundamenta istiusmodi sententiæ omnino ad euidentiam, vt falsa demonstrari, omni prorsus specie probabilitatis destituta, & quoquo versus ab auctoribus dissipata, eradicata, & validissimis scilicet argumentorum, & auctoritatum tunsione minutim vsque ad puluerem & cineres redacta; quod similiter patebit in aliis eorum fundamentis, de quibus id dices optime Lector, quod de hoc certo etiam dixisse putamus.

§. XIII.

Ex viuæ vocis oraculo & mandato exequutioni mandato sanctissimi Domini nostri Alexand. VII. Pontificis Maximi de titulo Immaculatæ Conceptionis typis exprimendo, demonstratur nullitas mutationis sensus in nomine Conceptionis post Gregorium XV.

1. VT penitus argumento trigesimo hæc mutatio sensus in nomine Conceptionis eradicetur à mente fidelium præter sensum, iudicium & mandatum Innocentij X. afferendum est vltimo viuæ vocis oraculum, & exequutio mandati sanctissimi Domini Alexandri VII. qui titulum Immaculatæ Conceptionis non est reliqua Ecclesia solum, sed Romæ à sui ipsius mandato, voluit typis exprimi, & in iudicio contradictorio agnosci Summum Pontificem ex proprio sensu ita decreuisse, & mandauisse, vt exequutioni mandaretur facti historia hæc refertur. Assumpto primo in Pontificatum sanctissimo Domino adhuc in Conclaui morantì & ad Eminentissimis Cardinalibus adorato Pater Nicolaus Zucchi è Societate Iesu, qui à Confessionibus fuit in conclaui ad osculum pedis admissus, inter alia commendauit illi euulgationem & gloriam Immaculatæ Conceptionis; cui ita annuit sanctissimus Pontifex, vt eis gratias reddiderit de eiusmodi grata recordatione debiti circa Virginem soluendi, & omnino rei suffragaturum promisit. Mandauit igitur typis dari eiusmodi titulum in signum, quod contra sensum aduersantium Ecclesia Romana colat expressissimè Conceptionem Immaculatam sanctissimæ Virginis, seu ab omni macula peccati expertem, & liberam ab originali pro quocumque signo infusionis animæ eius. Vt autem quam primum auctoritate & viuæ vocis oraculo Pontificio in tam contradicente iudicio titulus hic Conceptioni Deiparæ donaretur, ne is simplex & nudus promeretur in typis, Pater Martinus de Esparsa Lector Thologiæ per plures annos celebris in Collegio Romano Societatis Iesu, breui discursu ostendit Immaculatam Dei genitricis Conceptionem: & titulum ab aduersantibus Romæ glorioßissimæ Conceptioni oppugnatum, præfecit grandibus characteribus, atque initio & fine discursus grandiusculis aliis litteris replicauit. Typis dandus erat ex placito sanctissimi Domini nostri Alexandri; nec propterea Magister sacri Palatij subscribere voluit more solito imprimendo libello, sed si ita præciperet Summus Pontifex respondit sua id suprema auctoritate mandante imprimi faceret, eius subscriptione minimè petita: at Sapientissimus & diuino Spiritu afflatus totius Ecclesiæ Magister in suo mandato imprimi libellum voluit, & subscriptionem eiusdem Magistri sacri Palatij nouo alio mandato præcepit, & cum ea Romæ & per vniuersam Ecclesiam euulgandum libellum censuit, vt ostenderet non solum summum Pastorem in contradictorio iudicio omni animi sensu pronunciare Deiparam in sua Conceptione Immaculatam, & prorsus Immaculatam eius Conceptionem; sed vniuersam Ecclesiam eodem sensu, eodemque titulo decorare eam debere & acclamare lætissimè, ita vt in hac acclamatione non iam priuata sed publica, non peculiari, sed vnanimi vniuersalis Ecclesiæ, Magister sacri Palatij, & qua Minister Summi Pontificis, & qua membrum viuum corporis Ecclesiæ, in eumdem sensum cum sapientissima matre prodiret submittens proprium & fallacissimum iudicium tum illi Summi Pontificis, tum alij quasi totius Ecclesia, si tota non sit, illa, cui desunt pauciſſimi, & digito commonstrati viri, iique in eadem Ecclesia communis nominis, nec comparandi penitus cum reliquis innumeris Ecclesiæ Patribus, qui sunt Episcopi & aliis Doctissimis viris, in quibus Ecclesiæ sapientia residet plenissimè.

2. Notandum itidem hic est quod hic libellus Pontificia auctoritate impressioni & euulgationi per vniuersum mandatus, ita Immaculatam Deiparæ Conceptionem enucleat, & probat congruentissimè, vt eam etiam

etiam à communi proximo debito peccati originalis liberet, nec Dei genitricem in pacto, quod inter Deum & Adamum Theologi autumant interceſſiſſe, includit quoad originalis contractionem. Quare cum titulo ſuo antiquiſſimo decorata prodiit auctoritate magna Pontificis Summi Immaculata Conceptio, & rurſum eiuſmodi confirmatione ea illi additur, quæ probabilitas itidem approbatur modi defendendi Immaculatam Conceptionem cum debito ſcilicet remoto contrahendi originale in Beatiſſima Virgine, ſed ſine proxima debitrice potentia; quod & ſi in præſenti non curamus penitus perſuadere: ſatis ſit nobis ad oſtendendum quantum Eccleſia Dei remota ſit à ſenſu, quo Deiparens maculetur à peccato originis in re contracto, quæ ſinit, & facto vel non reprobat vel approbat probabilitatem ſententiæ abiicientis ab illa debitum omne proximum contrahendi dictum peccatum originis, quę omnia vt pateant, inferendus videtur hic, & regiſtrandus, vt iacet, libellus qui breui papyri noſtræ folio comprehenditur, licet in ampliori fuerit impreſſus eſt autem ſequens.

IMMACVLATA CONCEPTIO
B. MARIÆ
VIRGINIS
DEDVCTA EX ORIGINE
PECCATI ORIGINALIS

PER

R. P. MARTINVM DE ESPARSA ARTIEDA *Soc.* IESV.

3. *DEVS fecit hominem rectum* vt habetur 10. Ecclesiastis 30. quare sicut faciendo hominem remouit eum à nihilo, cui suberat ex sua natura impotens esse à se, solumque à se potens non esse: ita hominem faciendo rectum, remouit eumdem ab inclinatione, & decliuitate naturali, seu conueniente sibi ex se: à qua proinde librari non poterat viribus suis, nec erigi in rectitudinem perfectam. Rectum porro dicitur inferius respectu superiorum, quando est propinquissimum supremo absque, vlla inclinatione, seu decliuitate ad ea, quæ sunt infra ipsum, aut ad latus, ita vt in nulla parte loci, cui insistit, possit obtinere maiorem propinquitatem ad supremum, & maiorem exclusionem inclinationis deorsum, aut ad latus. Dedit igitur Deus primo homini perfectam subordinationem rationis superioris ad ipsum Deum, nec non appetitus inferioris ad rationem superiorem. Hoc enim pacto, & non aliter potest homo obtinere summam propinquitatem ad summum, & supremum bonum cum exclusione omnis inclinationis, & decliuitatis ad ea, quæ sunt infra hominem, aut extra lineam rectam respectu Dei ob quam rationem prædictum testimonium vsurpatur frequenter ab Augustino in hoc sensu, præsertim *in libris aduersus Iulianum*, maximè vero *lib. 6. cap. 5. & 7.*

Istiusmodi rectitudo collata est Adæ primo & principaliter per gratiam, & charitatem vt docent D Thomas 1. *p. qu.* 95. *artic.* 1. & alij communiter; quia sola charitas perfectè subordinat Deo voluntatem humanam, ad quam deinde pertinet, vt reliquas omnes vires animi, & corporis imperio suo dirigat ac ordinet ad Deum, nulla permissa inclinatione ipsi contraria ad res inferiores. Habitus autem charitatis postulat ex sua natura, vt non conferatur subiecto compoti rationis, nisi dependenter ab eius consensu, & dispositione morali: vti docent communiter Theologi cum D. Tho. 1. *qu.* 113. *art.* 3. 5. & de veritate *q.* 28. *a.* 3. & 4. Iam vero primo homine in hunc modum donato gratia, ac charitate, ac proinde eleuato ad consortium diuinæ naturæ, atque admisso ad imperfectam amicitiam cum Deo, congruum in primis fuit, vt filiis eius, atque nepotibus fieret copia perueniendi ad eumdem dignitatis & gratiæ gradum: tum ne Pater iam intimè ac ac perfectè amicus Dei, & adhuc innocens contristaretur voluntate antecedenti diuina promissis filiis ineptis ad imitandum mores, modumque agendi paternos; & cum quibus ne loqui quidem posset de rebus, quæ forent dulcissima præ cæte-

tis,eædemque vtiliſſima ac decentiſſima colloquiorũ materia,nempe à de myſteriis ſupernaturalibus, & quos vtcumque diligenter educaret, ac doceret ad degenerandum potius dirigeret,quam ad retinendum generis decus,tum ne cum paribus in natura, abſque vlla inæqualitatis cauſa ex parte ipſorum, vſque adeo inæqualiter ageretur, quoad ea,quæ ex natura rei æqualiter eſſent omnibus,& ſingulis conferibilia. Congruum vero minimè fuiſſet, vt eadem gratia conferretur poſteris non præeunte formaliter, vel æqualiter ſimili conſenſu libero, & diſpoſitione ex parte ipſorum ad illam ſuſcipiendam; tum ob eamdem exigentiam intrinſecam gratiæ reſpectu omnium, tum ne Deus eſſet indulgentior in filios, quam in patrem, cum potius pater præeminere deberet quoad gratioſa, vtpote oneratus aliunde cura filiorum, & indigens pro ipſorum bono eorumdem veneratione, quæ naturaliter eſt erga præeminentem, quoad ea, quæ maximè æſtimantur.

Congruum deinde fuit vt libera facultas eius coſenſûs ac diſpoſitionis neceſſariæ pro ſanctificatione poſterorum committeretur arbitrio, & electioni Adæ. Certè hoc erat valdè deſiderabile reſpectu poſterorum, qui communi prouidentiæ, & cauſſarum ſecundarum occurſibus connaturaliter euenturis relinquendi erant. Quia Adam prætuiam animi, & corporis diſpoſitionem habuit immediatè ex opere & magiſterio Dei, cuius perfecta ſunt opera; poſteri vero communi prouidentiæ relinquendi habuiſſent eamdem prætuiam præparationem animi, & corporis mediantibus cauſis ſecundis, quibus multiplici ex capite conuenit eſſe defectuoſis in opere ſuo. Maior igitur ſpes affulgebat proſperi euentus, ſi cauſa communis poſterorum ſimul cum propria & perſonali committeretur ſolius primis hominis arbitrio, ac liberæ electioni, ac proinde vt ita fieret, fuit optabilius, ac beneficentius reſpectu eorumdem poſterorum. Nec fieri potuit, vt idipſum non optaret etiam Adam ob naturalem affectum paternum transformatiuum patris in filios, & præoccupantem eorum deſideria. Neque vero votum erat irrationabile vt quoad initium ſubſtantiale vitæ ſpiritualis, Pater vſque adeo ſpiritualiter perfectus ſubſtitueretur filiis non vſque adeo futuris idoneis, qui per ſeipſos, propriaque electione illud ducerent, ſibique prouiderent, imo manſuris per aliquot annos abſque vſu rationis, nempè pro tempore infantiæ, ideoque manſuris interim abſque donis ſupernaturalibus, & abſque pignore, ac ſemine vitæ æternæ, ſi non ſubueniretur diſpoſitione ad id neceſſaria, concepta per voluntatem paternam. Pater igitur miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui ea etiam præparat creaturis ſuis, quæ in cor hominis non aſcendunt non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoadmodum, benigne prætuenit vota poſterorum, & deſiderio primi hominis iam amici ſui amicabiliter annuit, voluitque vt eius electio haberetur pro electione propria poſterorum quoad transfuſionem, vel iacturam iuſtitię originalis, atque hoc pacto beneficium illud ſpecialis optimæ præparationis quoad animam & corpus, quæ præiuit in primo homine ampliauit quoad fieri potuit ad poſteros futuros inferiores quoad eamdem animi, & corporis præparationem prætuiam.

Nihil tale factum eſt, aut oportuit, vt fieret reſpectu Angelorum, quia Angeli tam inferiores, quam ſuperiores omnes immediatè creati à Deo habuerunt itidem immediatè ab eodem ſolo totam prætuiam prę̨parationem ad primam electionem, ex qua penderet conſecutio, aut iactura primæ gratiæ, atque ideo omnes obtinuere eam præparationem proportionaliter æqualem. Cæteris autem paribus omnino congruit, vt vnuſquiſque ſibi adſit in cauſa propria, nec patiatur ſine compenſatione iacturam propriæ libertatis, quatenus transfuſæ in libertatem alterius, atque dependentiam ab aliena voluntate; maximè quoad ſuum ſummum bonum.

Ratione longè maiori eximi debuere à voluntate Adæ, & à communicatione: ac contingentia electionis eius Chriſtus Dominus, & Chriſti Domini digna Mater; quia Chriſtus Dominus conceptus eſt ſuperueniente Spiritu S. & obumbrãte virtute altiſſimi: vt habetur ex 1. *Luc.* 35. & *Omnipotens ſempiterne Deus glorioſæ Virginis Mariæ corpus & animam, vt dignum filij ipſius Dei habitaculum*

eſſici

effici mereretur ſpiritu ſancto cooperante præparauit, vt dicit Eccleſia in quadam ſua oratione. Vnde vterque habuit immediatè à Deo augmentum proportionale ſpecialis diſpoſitionis quoad animam & corpus vltra exigentiam, & vim actiuam cauſarum ſecundarum naturaliter occurrentium, atque ideó in vtroque defuit ratio, ob quam expoſitum eſt oportuiſſe, vt cæterorum hominum voluntates in voluntatem primi hominis transfunderentur, eiuſque electioni ſubiacerent. Immo adfuit ratio contraria, quia vt nihil dicatur de Chriſto Domino, cuius exemptio à voluntate, & peccato Adæ eſt certa ex fide (& multiplici ratione Theologica redditur indubitabilis, Beata Virgo accepit maiorem incomparabiliter gratiam, quam Adam. Fuit enim gratia plena, vt habetur Lucæ 1.28. cuius nihil ſimile legitur de Adam. Oportuit vero vt ita præemineret Beata Virgo; quia cum finem vltimum habuerit communem cum ipſo, habuit præterea finem proximum particularem incomparabiliter nobiliorem, vt gigneret hominem Deum, cum Adam deberet gignere puros homines. Sapientia autem diuina præparat media cum iuſta proportione ad vnumquemque finem. Igitur beatæ Virgini collata eſt gratia incomparabiliter maior, quam Adæ, & conſequenter ob eamdem rationem proportionis medij ad finem, collata eſt eidem præparatio animi & corporis incomparabiliter melior ad voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Abſurdum autem fuiſſet ſubiicere voluntatem melius præparatam voluntati remiſſiùs præparatæ, & creare periculum in voluntate aliena, quale nullum adeſſet in propria. Eadem igitur benigniſſimæ beneficentiæ ratione, qua voluntates cæterorum congruenter transfuſæ ſunt in voluntatem Adæ eximi indidem debuere, & exemptæ de facto ſunt voluntas Chriſti, & voluntas Beatæ Virginis.

Quapropter vniuerſale illud S. Pauli ad Rom. 12. *In quo omnes peccauerunt.* accipiendum eſt de omnibus inferioris conditionis quoad dona gratiæ, quam fuerit Adam ante peccatum. Quia peccare vnum in alio præſupponit vnum in alio præcontineri non ſolum ſecundum corpulentam ſubſtantiam, aut etiam ſecundum ſeminalem rationem, quod eſt commune cuiuis homini reſpectu ſui patris, ſed præterea, idque maximè ſecundum poteſtatem liberam ac moralem vitandi, & committendi peccati. Hæc porro Præcontinentia requirit ſaltem ex natura rei maiorem in eodem genere, certè non minorem perfectionem præcontinentis, quam præcontenti, ne dissonè, ac violenter concludatur, & quaſi comprimatur quod maius eſt intra id quod minus eſt ſecundum eandem rationem, ſecundum quam illud excedit, & hoc exceditur; apparuit autem non ſolum Chriſtum Dominum, ſed etiam beatam Virginem debuiſſe longè præeminere Adæ quoad perfectionem potentiæ liberæ ac moralis; ergo non ſolum voluntas Chriſti, ſed neque voluntas beatæ Virginis præcontenta fuit in voluntate Adæ quoad contractionem peccati originalis. Ergo neuter intelligendus eſt inter eos omnes, qui peccauerunt in Adam, quia neuter intelligitur præcontentus moraliter in eodem. Eadem eſt ratio, & ſimilis intelligentia circa alias eiuſmodi locutiones formæ vniuerſalis.

Accedit Beatam Virginem non ſolum nullum vnquam commiſiſſe peccatum aut lethale aut veniale, quod eſt certum ex fide, verum etiam præditam fuiſſe neceſſitate, vt minimum morali ſemper honeſtè operandi, & nunquam peccandi, atque ideo præuentam fuiſſe ante omnes, & ſingulos ſuos actus liberos vberioribus diuinæ gratiæ auxiliis, quam quæ collata fuere Adæ in ſtatu innocentiæ, in quo videlicet relicta illi eſt poteſtas moralis peccandi etiam lethaliter, vti de facto peccauit, ac demum adſtitiſſe ſemper eidem beatæ Virgini ſingularem Dei prouidentiam ac protectionem ratione cuius redderetur immunis ab omni peccato perſonali atque ab omni periculo proximo peccandi. Quæ omnia ſupponuntur vt certa ex communi Theologorum conſenſu, vti obſeruant Suarez, Vaſquez & alij iuxta doctrinam D. Thomæ *qu.* 24. *de veritate art.* 9. Quodnam autem prouidentiæ, & iuſtæ, ac rationabilis conſequentiæ genus fuiſſet, vt voluntas vberioribus auxiliis gratiæ præuenienda ſubiiceretur voluntati præuentæ minori gratia; vtque fluctuaret in negotio ſaluis æternæ, & exponeretur periculo naufragij per dependen-

tiam à voluntate aliena, quæ ductu suo, atque arbitrio præmuniendo specialissimis gratiæ subsidiis salua certissimè & incolumis futura esset? Profecto quantum benignitatis, & paternæ misericordiæ emicuit iuxta dicta in transfusione cæterarum voluntatum in voluntatem Adæ, tantumdem immitis, nec sibi satis cohærentis prouidentiæ opus fuisset, si Deus ex vna parte statuisset tanta ac tali gratiæ prærogatiua singulari præuenire, ac præmunire voluntatem beatæ Virginis ante omnes & singulos suos actus liberos; simulque ex parte altera exposuisset eandem beatam Virginem periculo contrahendi peccati per transfusionem voluntatis eius in voluntatem Adæ, atque sublime ædificium gratiæ, quod erexisset in beata Virgine per immanentem atque inhærentem intrinsecè cumulum donorum supernaturalium subruisset, ac frustrauisset per extrinsecam subordinationem voluntatis vsque adeo valide præmunitæ respectu voluntatis labilis & expositæ periculo ruinæ, quam de facto subiit. Quæ cum sint planè incredibilia, credendum minimè est beatam Virginem subiacuisse voluntati, & arbitrio Adæ quoad sortem amittendæ, aut obtinendæ iustitiæ originalis, & contrahendi re ipsa, aut non contrahendi peccati originalis.

Verum quia omnia dona gratiæ, in quorum specialem cumulum congestum in beatam Virginem reuocata est exemptio à peccato originali, præcesserunt ex meritis Christi Domini; processit vtique ab eisdem eadem beatæ Virginis exemptio, atque ideo ex iisdem Redemptoris meritis obtinuit beata Virgo redemptionem præseruatiuam à peccato originali, quatenus te ipsa contrahendo, cum peccatum Adæ quantum est ex se, habuerit sufficientem vim demeritoriam vt beata Virgo non minus, quàm cæteri descendentes ab ipso per seminalem originem conciperetur, & nasceretur in peccato originali, vtque careret originali iustitia in pœnam eiusdem peccati Adæ, inque eiusdem sufficientia, quantum est ex se ad inquinandam beatam Virginem, sicut cæteros; & denominante extrinsecè beatam Virginem debitricem incurrendi de facto peccatum originale, & carendi iustitia originali in pœnam peccati consistit debitum beatæ Virginis vt ea gratia careret, idque peccatum contraheret reipsa. Vnde cum Christus Dominus meritis suis restiterit virtuti illi demeritoriæ peccati Adæ, atque effecerit, ne virulenta eius vis serperet reipsa, atque afficeret in se intrinsecè beatam Virginem, ipse iisdem suis meritis redemit redemptione præseruatiua eandem beatam Virginem iam debitricem totius mali incurrendi, ne de facto illud incurreret, neque re ipsa conciperetur cum peccato originali. Quare totum eiusdem beatæ Virginis priuilegium speciale redundat in laudem gratiæ Christi, nec tollit quominus sanctissimam suam Matrem verè ac propriè redemerit redemptione glorioſiore, quam quæ cæteris mortalibus communis est. Cumulat itaque non euacuat gloriam Redemptoris gloria Conceptionis immaculatæ.

4. Hic autem aduertendum est primò, omnes coniecturas, rationes, & discursus expositos ab istis anonymis de nomine Conceptionis habente post Gregorium XV. nouum sensum in Ecclesia Dei, penitus hoc mandato Pontificio cecidisse, & irritos factos, & viuæ vocis oraculo sanctissimi Alexandri VII. nullos demonstratos; discursus autem dico illos anonymorum inanes, quod Gregorius abstinuit ab addendo prædicato immaculati Virginis beatiss. Conceptioni, vt eam in dicta ipsorum indifferentia ad primum, & secundum instans animationis seruaret, quodve hoc confirmarit, & expresserit, quando noluit, nullum sententiæ maculanti Conceptionem istam præiudicium fieri; & rursus inanes ostendit nouo hoc eodem mandato discursus, quod Vrbanus VIII. in eundem finem abstinuit ab hoc titulo dando eidem Conceptioni, quia nohuerit pugnantia Gregorio asserere, & his similia, quæ omnia concidunt: cum facto ipso in ipsamet Vrbe Romæ præceperit summus Pontifex regnans titulum immaculati tribui expressione Conceptioni Deiparentis modo dicto. Constet præterea vt quid firmum, & firmissimum remansisse ex eodem mandato, quod nulla prorsus est hæc mutatio sensus in nomine Conceptionis post Gregorium XV. non enim est dicendum nisi valde temerè, quod sanctissimus Alexander reintegrauit in primum sensum nomen Conceptionis, quem illi abstulerat Gregor. XV. quasi summi Pontifices, quæ pertinent ad doctrinam Ecclesiæ

varient, & vnus ex Pontificibus re maturè considerata, & valde discussa per annos, tradat vnam doctrinam, & alius posterior ipso primam reuocet, & aliam tradat; & in hac re certo ab Vniuersa Europa scitur, quod in exagitatione huius controuersiæ res statuta est penes doctrinam antiquam, & quia doctrina de Conceptionis nomine etiam post Gregorium ostenderit nullam nomen hoc passum fuisse mutationem ex ipso Gregorio. Patet autem Alexandrum sanctissimum Pontificem ostendisse nullam mutationem sensus in hoc nomine fuisse post Gregorium, quia per aduersarios censebatur, & diuulgabatur, & per libellos diuulgatum fuit; quod quia post Gregorium nomen Conceptionis erat indifferens ad primam & secundam animationem Virginis, non erat propterea decorandum adiectiuo, & prædicato immaculati, nec dicenda præsertim in titulis Conceptio immaculata Deiparæ; contra vero Pontifex voluit immaculatam dici eius Conceptionem, eamque in Librorum titulis immaculatam inscribi, & Typis imprimi, & sic ostendit Conceptionem non stare pro indifferenti ad primam, & secundam animationem Deiparentis, sed merè pro prima animatione, super quam cadit negatio maculæ originalis, quæ non contrahitur nisi in prima animatione, seu pro primo instanti infusionis animæ.

5. Concidunt tertiò ex hoc mandato somnia conficta ab aduersariis, quod non assertiuè, sed recitatiuè hic titulus sit tributus Conceptioni sanctæ à summis Pontificibus; nam Alexander VIII. in hoc dando titulo immaculatæ Conceptioni sequutus est exempla suorum prædecessorum, qui eo decorauerant eandem Conceptionem maximè assertiuè (licet non definiendo rem de fide) prædicato immaculati.

6. Liquet item quartò manifestè sanctam Romanam Ecclesiam cuius sensum declarauit in hoc mandato sapientissimus Pontifex, colere, & coluisse Conceptionem Virginis sine originali peccato, sine vlla macula pro quocumque tempore suæ animationis, & maximè pro primo instanti infusionis animæ suæ, quando præcisè contrahitur originale, quodque non contrahitur vnquam, si in illo instanti non contrahitur.

7. Tandem hìc vt quid apertum manere debet, quod etiamsi Bullam super hac re non ediderit summus Pontifex in confirmando titulum immaculati sanctæ Dei Genitricis Conceptioni; nihilominus viuæ vocis hoc oraculum & mandatum ipsius in his circumstantiis & publicitate rei notæ per vniuersam Europam, & successiuè per vniuersam Ecclesiam in vniuerso terrarum Orbe, ad quam diffusa est fama, & notitia huius mandati, meo iudicio habet vim Bullæ, non quidem definientis de fide Conceptionem Beatæ Virginis esse immaculatam, sed asserentis, & prædicantis immunitatem maculæ ab originali pro primo instanti infusionis animæ sanctissimæ Matris, ac proinde Conceptionem sumentis pro primo instanti infusionis animæ eius in corpore sanctissimo: & ratio est manifesta, quia si verbo potest summus Pontifex definire de fide aliquam veritatem, ita vt si eius viuæ vocis oraculum innotescat sufficienter vniuersæ Ecclesiæ res illa de fide ab ipso merè ore tenus definita, obliget fideles ad eam de fide credendam vt est manifestum. Ita pariter si viuæ vocis oraculo sufficienter omnibus innotescente patet eum asseruisse non priuatim, sed publico mandato, quod sit dandus titulus immaculati Conceptioni Deiparæ, æquiualet hoc mandatum assertioni Pontificiæ per Bullam expressæ.

8. Antecedens ex eo patet, quia Bulla nihil aliud addit isti viuæ vocis oraculo Pontificio, quantum ad vim Pontificiam declaratiuam veritatum Ecclesiæ, nisi euulgationem oraculi Pontificij per affixionem Scripturæ in valuis Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ. Ergo si tale quid fieret per aliquid æquiualens, videlicet si summus Pontifex in publico Theatro Romano, vel in eisdem dictis locis rem aliquam definiret de fide ore tenus, & eiusmodi definitio innotesceret per vniuersam Ecclesiam, quis dubitare potest, quod ea veritas eo tunc esset de fide? Id quod patet ex Canonizatione Sanctorum, quando etiamsi Bulla non edatur sancti sunt in omni Ecclesia adorandi, & secundum sensum complurium Doctorum de fide

censendi

censendi tales, atque hoc nonnisi quia Canonizatio eorum fit publica oris prolatione in Basilica sancti Petri; quomodocumque ergo sumus Pontifex verbo definiret rem de fide, atque hæc talis eius definitio esset publica vniuersitate Ecclesiæ more humano, censenda ea esset verissima fidei definitio. Idem ergo à pari dicendum est de assertione Pontificia, quod habeat eandem vim, & robur, si cum Bulla exprimatur, vel ore tenus cum publicitate, & innotescentia dicta. In casu autem nostro habetur hæc magna, & summa publicitas huius mandati Pontificis, quia euulgatum est per vniuersum Orbem magis, quàm solent euulgari cæteræ Bullæ, vtpote quod erat de re expetita ab omnibus, & quæ enunciata afferret cunctis summam lætitiam; præterea hoc mandatum fuit exequutioni mandatum per impressionem recitati libelli, cuius exemplaria euulgata sunt Romæ, & per vniuersam Europam, in qua sunt viui testes, mandati, & sensus Pontificij: quare nullo modo dubitandum est, quod eiusmodi mandatum sapientissimi & sanctissimi Domini nostri Alexandri VII. certo certius confirmat citra definitionem de fide, immaculatam B. Mariæ Virginis Conceptionem, & omnino reiicit, disperdit, & ab Ecclesia amandat sensum horum anonymorum, quod in Ecclesia Dei post Gregor. XV. nomen Conceptionis stet pro prima infusione animæ Virginis, & tempore sequenti, quod erat à nobis demonstrandum, nec vlterius videtur probationibus obruendum, quas ideo in longum protulimus, vt res hæc firma ita sit, vt insanire videatur, qui vellet eam amplius in controuersiam coniicere.

Finis Opusculi secundi.

INDEX.

INDEX
OPVSCVLI SECVNDI

De acceptione nominis Conceptionis post tempora S. Thomæ.

Et deinceps,

Proœmium Opusculi & introductio ad eius disputationes.

DISPVTATIO SEXTA.

Prolegomena operis; prima vero Opusculi præsentis.

DE Mutatione significationis in nomine Conceptionis Deipara, deputata ad significandum primum & solum instans animationis, seu primam animationem Virginis, à tempore Scoti inclusiuè vsque ad præsens. pag 5

DIVISIO PRIMA.

An à tempore Scoti inclusiuè nomen Conceptionis cœperit significare statum primæ animationis Deiparæ, & an congruè id actum sit? ibid.

DIVISIO II.

Subditur Catalogus Auctorum qui post sanctum Thomam vsque ad Sixtum nomen Conceptionis Deiparæ transfudere ad primam animationem Virginis, primumque instans infusionis animæ eius in corpore. 8

DIVISIO III.

Ostenditur sanctam Ecclesiam Catholicam post Scotum, Sixti IV. temporibus inclusiuè, nomen Conceptionis Deiparæ accepisse communiter pro Conceptione naturæ Virginis. 10

DIVISIO IV.

Euidenter demonstratur, quod à tempore, quo Conceptionis nomen extensum est ad significandam primam infusionem animæ Virginis in corpus, non inclusserit tempus sequens ad instans indiuisibile, quo peracta est. 11

DISPVTATO SEPTIMA.

Prolegomena Operis, secunda vero Opusculi huius.

DE nomine Conceptionis à Sixto IV. & deinceps vsque ad Pium V. perseuerante pro significatione primæ animationis Deiparæ. 14.

DIVISIO I.

Proponitur quæstio, & rationes dubitandi pro noua mutatione significationis nominis à tempore Sixti IV importante scilicet nec ne morulam temporis post instans animationis Virginis, & concluditur pars negatiua. ibid.

DIVISIO II.

Ex recitatione Auctorum, qui immediate post Sixtum IV. scripsere de Conceptione Virginis sanctissimæ vsque ad Pium V. aperitur eius tempore nomen Conceptionis eius stetisse in significato vsurpato à tempore Scoti vniuersaliter pro primo, & mero instanti animationis suæ. 17

DISPVTATIO OCTAVA.

Prolegomena operis, tertia Opusculi.

DE nomine Conceptionis sanctissimæ Virginis à tempore Pij V. & deinceps, vsque ad Gregorium XV. an importauerit morulam post instans primæ animationis. 20

DIVISIO I.

Quæritur an tempore Pij V. facta sit mutatio significationis nominis Conceptionis Deiparæ, quasi id cœperit significare morulam temporis

cum

cum instanti animationis eius, & concluditur pars negatiua. ibid.

DISPVTATIO IX.
Prolegomena Operis, quarta Opusculi.

DE nomine Conceptionis Deiparæ perseuerante pro significatione prima animationis Deiparentis Mariæ etiam à tempore Gregorij XV. vsque ad præsens tempus. 26

DIVISIO I.

Proponitur sententia quæ vult nomen Conceptionis, tempore Gregorij XV. mutauisse sensum priorem stantem pro primo instanti animationis Virginis, & illum extendit ad tempus sequens; eiusque fundamenta recensentur. ibid.

DIVISIO II.

Ostenduntur fundamenta sententiæ dicentis nomen Conceptionis mutasse sensum tempore Gregorij XV. omnino nulla & prorsus inania; & primò, primum quod Conceptio immaculata si celebratur, debet esse indubitatæ fidei, apud omnes fideles. 29

§. II.

Perspicuum & apertum sit nullam vim habere pro mutatione sensus nominis Conceptionis post Gregorium XV. fundamentum secundum aduersantium sumptum, ex eo quod in Decreto de nomine Conceptionis vsurpando in celebritate Virginis, dicatur nullum præiudicium fieri oppositæ sententiæ admittenti maculam in Conceptione Virginis. 33

§. III.

Demonstratur nullum tertium fundamentum quo probatur mutatio sensus in nomine Conceptionis post Gregorium XV. quia Vrbanus VIII. noluit in aliquibus Bullis apponi titulum immaculati eidem nomini Conceptionis. 34

DIVISIO III.

Absolutè & positiuè demonstratur à Gregorio XV. nullam factam mutationem significationis in nomine Conceptionis, ipsumque stitisse in prima prima animationis Dei Genitricis intelligentia. 37

§. II.

Aliis efficacissimis rationibus concluditur, & stabilitur Gregor. XV. in suo Decreto nomine Conceptionis non significari voluisse, nisi primam animationem Virginis, & nulla ratione statum includentem illam & præterea tempus sequens. 43

§. III.

Adduntur aliæ plures rationes desumptæ ex natura rei, quod post Gregor. XV. nomen Conceptionis Virginis non potuerit mutare sensum, & significare tempus prima & secunda animationis Deiparæ. 47

§. IV.

Eadem immutatio sensus in nomine Conceptionis Deiparentis probatur vlterius ex iis, quæ decretis in sua prima Extraua. Graue nimis. *Sixtus IV. volens errore notandos, qui dicerent Ecclesiam Rom. celebrare solam Concept. spiritualem, seu sanctificationem Virginis.* 51

§. V.

Perspicuum sit non habere locum ad infringendam hanc damnationem Sixti de sola sanctificatione Deiparæ celebrata ab Ecclesia Romana in festo Conceptionis eius, effugium ex eo sumptũ quod eiusmodi extraua. non sit genuina, sed suppositia. 54

§. VI.

Firmatur, vt genuina prima Extraua. Sixti IV. Graue nimis *ex auctoritate Doctorum, & maximè quia eam confirmauit Concilium Tridentinum.* 57

§. VII.

Prosequimur ostendere Gregor. XV. non mutauisse in suo Decreto significatum primum nominis Conceptionis, tum ex variis vsurpationibus eiusdem nominis in hoc ipso decreto, tum aliis Epistolis à se missis. 59

§. VIII.

Ad euidentiam vlterius demonstratur Gregorium XV. sine vlla extensione ad significandum tempus post primam animationem Deiparæ, iussisse vsurpationem nominis Conceptionis, ex eo quod pro causali huius decreti adduxerit, quod sancta Romana Ecclesia Conceptionem sanctissimæ Virginis instituerit celebrandam. 61

§. IX.

Eadem immutatio sensus in nomine Concept. post Gregor. XV. demonstratur ex vniuersali intelligentia totius Ecclesiæ de tali immutatione. 64

§. X.

Adducitur Catalogus Doctorum, qui scripsere de controuersia Concept. Virginis à Gregorio XV. vsque ad præsens tempus, & inueniuntur indubitanter loquuti de solo primo instanti animationis Virginis, & non nisi de tali signo nomen Conceptionis vsurpauisse. 66

§. XI.

Expenduntur & reiiciuntur aliquæ responsiones, quæ possent excogitari ad infirmandum argumentum desumptum ex vniuersali sensu Ecclesiæ non cognoscente mutationem sensus in nomine Conceptionis post Gregor. XV. 68

§. XII.

Ex viua vocis oraculo & mandato à sanctiss. D. Innocentio X. in iudicio contradictorio de seruando titulo immaculatæ sanctiss. Dei Genitricis Conceptioni eius, demonstrantur mera somnia anonymorum fuisse supradictam mutationem sensus in nomine Conceptionis ad significandum scilicet post Gregor. XV. primum instans infusionis animæ Deiparæ cum tempore vel instanti proximo sequenti, in quo celebratur sanctitas Virginis Sanctissimæ. 70

§. XIII.

Ex viua vocis oraculo, & mandato exequutioni mandato sanctissimi Domini nostri Alexandri VII. Pontificis Maximi de titulo immaculatæ Conceptionis typis exprimendo, demonstratur iterum nullitas mutationis sensus in nomine Conceptionis post Gregor. XV. 75

APPENDICIS INSERTÆ
AD
OPVSCVLVM SECVNDVM
PROEMIVM.

OPORTVIT inferere ad hoc opuſculum ſecundum, immediatè præcedens typis iam commiſſum, licet non adhuc pervulgatum, hanc appendicem propter Bullam Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri VII. editam in fauorem ſententiæ aſſerentis Animam Beatiſſimæ Virginis fuiſſe in 1.° inſtanti ſuæ creationis, & infuſionis in corpus ab originali peccato præſeruatam, nam etſi eam non definierit de fide, nihilominus multa definiit concernentia, & ferè inferentia Immaculatum Virginis Conceptum, de quibus nos egimus latè in hoc opuſculo ſecundo; quare tum ad demonſtrandum gradum certitudinis Immaculatæ Conceptionis ex certitudine horum ad ſe annexorum auctum in exceſſu, & valdè cumulatum, tum etiam vt quæ in hoc opuſculo diximus appareant quanta cum veritate dicta ſint, vt iam approbationem, & certitudinem Pontificiam ſibi vendicauerint, neceſſe fuit hanc inferere Appendicem; quod commodè potuit fieri ex eo, quia ea ſub iiſdem numerationibus paginarum poteſt ſequi, ſi velit, ſub quibus opuſculum ſecundum eſt datum, cum vnum quodque ex his noſtris opuſculis ſuos proprios numeros ſeparatos ab aliis ſibi ſeruat.

Vt autem clarè pateant hìc acta eſſe, & agi quæ diximus; confirmationes Apoſtolicas variàs hîc primò recenſebimus annexorum Immaculatæ Conceptionis, quibus ea aſſurgere in excelſo gradu certitudinis videbitur; & deindè quæſtiones interſeremus varias, in quibus expendetur minutiſſimè qualis ſit hic gradus, & preſertim ſi de fide, vel ſecundum fidem. Ex qu oapparet quãtum valere poſſit hæc Appendix ad gloriam amplificandam Immaculatæ Conceptionis; & ſi in ſe non definitæ à ſancta Sede Apoſtolica, glorificatæ tamen in ſuis annexis adductis, vel ad certitudinem fidei, vel ſecundum fidem, vel ad quamdam firmitatem, quæ controuerſias complures, noſtræ materiæ, aduerſariorum certè proteruiâ adiunctas, penitùs extinguit. Mihi certè viſus eſt, & maximè videtur Sanctiſſimus Alexander in hac re id egiſſe, quod ſolent agere præſtantiſſimi Duces Exercituum, qui caſum optantes alicuius magni Caſtri, vel Turris expugnandæ; ad conſequendum eius caſum infallibiliter, prius amota propugnacula ei proxima, eamque circumuenientia & ſepientia penitùs proſternere

ſternere & deſolare contendunt, vt facili negotio, ipſa quæ in iis ferè nitebatur, vnico ictu deiiciatur, & concidat. Sic Sapientiſſimus Pontifex videns noſtros aduerſarios ſuæ turritæ ſententiæ, & vt ipſi aiunt, quaſi arci fortiſſimæ, propugnacula circumædificaſſe, videlicet quod Eccleſia Romana celebret Conceptionem Virginis vt aliam à ſui prima ſanctificatione, ſcilicet quæcumque fuerit hæc ſanctificatio nec determinatè ſub ſenſu Immaculatæ, & immunis ſeu præſeruatæ ab originali, & quod huic ſenſui determinato, nec ipſa, nec ſummi Pontifices fauêre, quodve recentior ſit hic cultus in Eccleſia, quod non pius, vel minus pius, quod non in eius confirmationem Religioſus vllus Ordo ſit inſtitutus, ſicuti nec Confraternitates erectæ, aut indulgentiæ ipſis conceſſæ, & his ſimilibus aſſerti & apud ipſos firmatis tamquam turrilus præmunientibus ſtabiliuiſſe ſententiam ſuam, & quod putabant, & enunciabant audaciſſimè, ipſam ſanctam Eccleſiam, vti hiſce ſenſibus ad eamdem ſententiam fulciendam, & in ſua probabilitate roborandam & retinendam, ſicuti dixit primus Anonymus eorum nomine §. 3. [Inſenſibiliter eò deueniret negotium vt vniuerſa Eccleſia præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem præſeruationis tamquam certam, & ab Eccleſia definitam. Cogitur ergo ipſa Eccleſia vti huiuſmodi cautelis ad ſuſtinendam opinionem adeò in Sacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum conſenſu firmatam] Et §. 10. 2. Anonymus. [Summorum Pontificum decreta ad vtriuſque ſentētiæ probabilitatem ſeruandam peculiariter directa adhæſerunt.] De ſua Pontificia prouidentia tantis erroribus extirpandis intendit, hæc malè & peſſimè compoſita propugnacula ſententiæ maculantis Deiparam in ſui conceptione cum ſumma eiuſdem Dei Matris gloria, & Vniuerſæ Eccleſiæ excelſis lætitiis, hoc ſacro diplomate vſque à fundamentis eradicauit dum contra hæc aduerſariorum figmenta pronunciauit, & Eccleſiam Romanam, & Catholicam in ſenſu Immaculatæ Conceptionem Virginis ſemper celebrauiſſe, & celebrare, huicque ſenſui fauere & fauiſſe, tum eam, tum omnes alios præcedentes Pontifices: Officium Nugarolicum ab eadem Eccleſia Romana compoſitum, & valde complura alia his ſimilia pro certis ſtatuendo, vel de fide, vel ſecundum fidem: quo facillimam, & apertiſſimam, breuiſſimamque viam ſtrauit, & aperuit ad perditiſſimam eiectionem ſenſûs oppoſiti: & nobis, & Doctoribus omnibus reliquit vnus hæc omnia aduertendi, ponderandi, controuertendi, & probandi, quàm certa ſtatuta ſint à ſapiente Pontifice, qui ſi in hac Bulla non definiit de fide Immaculatam fuiſſe Conceptionem Virginis, non propterea dicendus eſt, quod vel de fide, vel ſecundum fidem certum non ſtatuit aliqua quæ annexa ſunt huic materiæ: qualia ſunt prædicta, & controuertenda inferius ſpecialiter: ex quorum certitudine mirum in modum apparebit quanta certitudo maior aduenerit Immaculatæ, ex hoc diplomate, & quàm facile ea de fide poterit breui definiri, annuente ſanctiſſimo Pontifice, qui dum ſtatuit, & declarauit Romanam, & Vniuerſalem Eccleſiam Conceptionem Immaculatam in ſenſu Immaculatæ celebrauiſſe, & celebrare: quis non videt, quod dum ſuſtineri non poteſt quod errori poſſit ſubeſſe ſenſus vniuerſalis in quo ea celebrat (id quod probabitur alio loco, neque enim hac occaſione diplomatis, conſequentias ab eo deducendas licet notare & probare, cum is non ſit eorum locus & cōmodius & aptè fiet alibi fortiter) & iam conſtet hîc eam Officium ordinauiſſe, in

quo

quo ſemper repetitur; & plauditur Immaculatæ Conceptioni in ſacris ſolennitatibus eius: nec non eidem conſtet complura grandis ponderis hic egiſſe ſanctam Romanam Eccleſiam cum ſuo Paſtore, qui eſt Doctor Eccleſiæ vniuerſalis, ad confirmationem eiuſdem Immaculatæ; valdè magna certitudine exereuerit per hoc ſacrum diploma Conceptionis Virginis emaculatio. Quæ omnia vt pateant, hæc appẽdix à nobis additur, in qua lector attendet quæ modò promittimus declaranda & comprobanda.

Vt autem ad intentum perueniamus vt diximus, primò per modum ſimplicis aſſertionis, & declarationis adducendo per §. verba ipſa Pontificis; in hac Bulla confirmationes Apoſtolicas certitudinis Immaculatæ Conceptionis ſubdemus; & deinde varias quæſtiones in vniuerſum decem ſubdemus, quæ in lance ſtateræ perpendent has confirmationes quantæ ſint, & quanti ponderis, vt initio earum videbitur, & ibi recenſebuntur quæ ſunt ipſo initio; quæque valdè multa complectentur capita ſub eis controuertẽda minutiſſimè, & fusè: Quaſque optamus, quam maximè ab Auctoribus qui poſt nos ſcribent, vel modo ſcribunt, itidem controuerti, & firmari, ſi firmandis eis videbitur noſter ſenſus de eis. Nos enim eum cum compluribus viris doctis contulimus, & cõmuniter attenſis efficacibus rationibus quibus illum probamus, in nullo inuenimus eos diſſentientes, imò vehementes plaudere tantam certitudinem aduenisſe Immaculatæ Conceptioni Deiparæ. Quare ſi ceteri Doctores in hac ipſa re vrgebunt: mirum quantum aduerſus depreſſus, & magis magiſque depreſſus, manebit, & in nihilum euaneſcet, ſicuti vniuerſa exoptat Eccleſia, & ſummi Paſtores moras non nectent ad ſacrum eundem Conceptum de fide definiendum, vt maximoperè ſperari debet, cum ipſorum etiam aduerſariorum conſenſu, qui ſæpe audiuntur (cum magna lætitia amantium Virginem) aſſererere, vtinam quam primùm Summus Pontifex rem definiat, & lis hæc interminata, penitùs concidat; nec poſſunt delirare, quod ſi res definienda ſit, definiri poſſit pro eorum ſenſu, quo declaretur Eccleſiam in hoc cultu, & ſenſu errauiſſe, vt certo certius eſt omni fideli, nec dum cuiuis Theologo, qui vel à limine Theologicas ſalutauerit ſcientias.

CONFIRMATIONES PONtificiæ certitudinis Immaculatæ Conceptionis Deiparæ per nuperrimam Bullam SS. Dom. N. Alexandri VII. editam 8. Decemb. 1662.

1. QVoniam SS. Dominus Noster Alexander VII. in hac recenti Bulla nuper edita, mirum in modum fauit & confirmauit sensum omnium ferè Catholicorum, qui habetur de Virgine Dei Genitrice Maria concepta sine peccato originali in instanti primo suæ animationis, & infusionis animæ eius in corpus; itavt per eiuscemodi Bullam summoperè creuerit certitudo huius sensus, qui tantum de fide decisus non dicitur, & de reliquo ad omnem Theologicam certitudinem peruenerit; quæ omnem aliam formidinem expellat: indè est vt ad hoc vt tam aperta, & manifesta veritas obnubilationem aliquam non patiatur, operæ pretium videatur esse, vt ea distinctè, & signanter omnibus perspicua fiat, qui fortè non aduertant, quid importent peculiares aliquæ Declarationes Pontificiæ in ea contentæ, quas diù optatas, & expetitas; tandem à Sancta Sede prodisse maximè gaudere debet vniuersa Ecclesia, & in nostra Italia omnes prius cæteris gaudemus, qui prius Bullæ eiusmodi promulgationem accepimus. Quamobrem vt benè hæ Declarationes percipi possint, oportet rectè perpendere, quibus aduersariorum falsis inuentis respondeant, & malè eorumdem pronuntiata reiiciant; quæ cum non sint cuique obuia, & omnibus patentia, aliqui, qui Sacram hanc Bullam legent, fortasse vim verborum eius non rectè callebunt, & quantum certitudinis Pontifex Immaculatæ Conceptioni Dei Genitricis hac Bulla sit impertitus, non omninò aduertent; vnde necessum est has Confirmationes Immaculati Conceptûs notare, & euulgare, vt quantum fauorem præstiterit Bulla hæc sententiæ asserenti animam B. Dei Genitricis, vt pote in primo suæ animationis instanti ab originali immuni vbique constet, & Populi, & Ecclesiæ vniuersæ de eo erudiantur, & gratias agant Deo maximas de hac tam magna adaucta certitudine Immaculatæ Virginis Conceptioni, & pro tanto Pontifice Maximo Diuinam Maiestatem exorent, vt eum innumeris suæ gratiæ donis ditet in hac vita, & in æterna futura.

2. Præterea hoc ipsum agere oportet, quia susurratum audimus, nec dubitari potest, quod in dies hic susurrus in clamorem sit, sicut alias contigit, proditurus, nisi fortiter comprimatur, & ab ipso summo Pastore ferreis eius vinculis, ora eum exprimentia, occludantur; videlicet is, qui circumfertur ab aliquibus ex prius aduersantibus Immunitati Dei Matris ab originali, quod per eiuscemodi Bullam nihil dicatur, aut dictum fuerit, quod per priores Bullas ab antecedentibus Pontificibus non fuerit traditum, atque adeo quod per eam nihil noui præstitum sit à Sanctissimo D. N. Alexandro VII. quod præstitum ante non fuerat; vnde volent hinc inferri nihil plus firmitatis, & certitudinis adauctum sit purissimo conceptui; quare ea omnia stare dicent; quæ quibusdam libellis sacræ Inquisitioni Generali porrectis pluribus ab hinc annis, nec non etiam aliis eodem ipso tempore circumlatis contineri videntur, quod quàm absonum & temerarium, erroneumque sit, nisi etiam hæreticum, in explicatione Bullæ, quam subdimus, perspicuum erit, & elucebit magis in Quæstionibus variis, quæ discutientur, & resoluentur continuo, elucidata prius veritate huius Bullaris Constitutionis.

3. Congruentissimum est has annotationes dignissimæ huius Bullæ in lucem prodere, vt quantæ gratiæ ab vniuersis Ecclesiis, Romanæ Ecclesiæ referri, eiusque Pastori pro tot dignissimis declarationibus, & Decretis Pontificiis debeant:

omnibus

omnibus constet, & referantur quàm maximæ, & referendas esse iure maximas Regi nostro Catholico Philippo constet.

4. Vt clara memoria vigeat apud posteros qui pro confirmationibus hisce consequendis diutius institit apud Sanctam Sedem Apostolicam Romanam, videlicet Ludouicus Episcopus Placentinus ex parte, & simul cum vniuersis Regnis Hispaniarum; id quod cetera Regna vniuersæ Reip. Christianæ, & Catholicæ summopere & vehementer excitet, & impellat ad exorandam sanctam hanc Sedem, vt postremam manum tandem imponat huic Immaculatæ Conceptionis negotio; eamque de fide certam decernat, & tradat vniuerso populo, & Ecclesiæ Christi.

5. Si ceteræ Bullæ de hac materia agentes ab Auctoribus sunt diligentissimè perpensæ, vt in fauorem Immaculatæ Conceptionis editæ, & centies earum declarationes, & ponderationes exhibitæ, quidni & congruentius hæ huius Bullæ præstandæ, quæ penitùs de Immaculato Conceptu fere triumphum, licet non postremum agere videntur; & absolutè conclamant, iterantque nec non sæpe reiterant, fauorem ipsi præstitum ab Ecclesia Romana, nec non vniuersali, & à summo Pontifice Alexandro VII. æternæ memoriæ dignissimo propter hanc nobilissimam Bullam, quæ meo iudicio, & (vti probabo) penitùs ab omni probabilitate eiicit, ni fallor, sententiam maculantem Virginis Conceptum in prima sui animatione, eique priuationem sanctificantis gratiæ intrudentem immeritissimè, ad minus contra fere vniuersalem sensum Ecclesiæ. Quare nullo capite obstante, cunctisque pro nostro proposito capitibus concurrentibus, applaudentibusque doctis viris, ceterisque quibuscumque; explicationem integram huius Bullæ huiusce sapientiæ plenæ aggredimur: cui quæstiones, & resolutiones quæstionum annectimus, precamurque Beatissimam Matrem, vt nobis assistat, & pro eius honore, & gloria, eaque filij sui quam maxima, quæ exinde ei prouenire videt cuncta Ecclesiæ sapientia: pugnantes nos illuminet, roboret, atque penitus expugnare aduersarios præstet, vt tandem os occludentes maculationi Virginis, eam semper & in conceptu maxime Immaculatam, nobiscum prædicent.

6. Vt autem propositum rectè & plenè peragamus, visum est nobis Bullam vniuersam in partes veluti diuidere, & eas sensim, & pedetentim explicare, & minutissimè earum verba perpendere, & quid maximè tradant; (Nulla tamen ratione eam glossando, cum interpretatione non indigeat vlla, præ sua magna & præclara claritate, & aperta rerum omnium declaratione;) cuique dicto aduersariorum respondeant, enucleare; id quod agemus, incipientes ab ipso titulo Bullæ, cuius verba recitabimus fidelissimè, in tot veluti paragraphos distribuendo, nec moram aliam nectimus, & verba tituli primùm ponimus, eiusque explicationem subdimus, omnia in Paragraphos diuidendo.

TITVLVS BVLLÆ SS. DOM. N. ALEXANDRI VII. editæ 8. Decembr. 1661.

Sanctissimi Domini Nostri Diuina Prouidentia Papa VII. Innouatio Constitutionum, & Decretorum in fauorem sententiæ, asserentis Animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione, à peccato originali præseruatam fuisse, editorum.

1. IN hoc titulo plura veniunt notanda; & primò quod hæc Bulla sit maximè innouatiua aliarum præcedentium Pontificiarum Bullarum, seu Constitutionum, & Decretorum aliorum à præcedentibus Pontificibus editorum. Vndè declarandum est quid afferat innouatio Bullarum, & Constitutionum Pontificiarum, seu Decretorum antiquorum eorumdem antecedentium Pontificum; & an per hoc, quod vna Bulla sit innouatiua

antiquarum, merè ea importet, quæ importauêre aliæ præcedentes Bullæ, vel aliquid aliud præſtet.

2. Videndum quid intelligatur nomine Conſtitutionum, & nomine Decretorum Pontificiorum; & hoc loco quænam Conſtitutiones, & Decreta veniant innouata.

3. Animaduertendum cui ſententiæ fauere dicatur in hoc titulo ſummus Pontifex, & quid certitudinis per hæc verba accreſcat Immaculato Deiparæ Conceptui.

CONFIRMATIO PRIMA certitudinis Immaculatæ Conceptionis, ſumpta ex titulo Bullæ declarantis fauorem Pontificum erga ſenſum eius.

1 VOAD primum ergo, noto quod hæc Bulla ſit maximè innouatiua antiquarum Bullarum de hac materia: nam ex eo quod principaliter dicitur, & nominatur in titulo innouatio earum, vti apparet in Bulla, quæ ſic primò appellatur, cum hoc non ſoleat inueniri communiter in Bullis, dum in hac inuenitur, oſtendere vult Pontifex, quod ea ſit maximè innouatiua cæterarum Bullarum antiquarum, quæ ſingulariter inſignitur hoc titulo, & nullum ei aliud nomen imparitur, niſi innouationis earum.

2. Atque hoc vult ſignificare Pontifex, quod maxime in hac Bulla ſequatur ipſe ſenſum, quem habuêre Pontifices in ſuis antiquioribus Bullis, & quod is ſenſus, qui de Conceptione Virginis exprimitur in ſua Bulla ſit idem, qui fuit ceterorum præcedentium Pontificum, quod ex eo ab ipſo animaduertitur, vt appareat firmitas, quæ ſeruata ſit expreſſè in hoc ſenſu à Romanis Pontificibus per ſæcula; & rurſum notet in eo, quod ſentiunt, ſemper conuenire, & firma profiteri ſemel amplexata eoſdem Romanos; quo ipſe infirmet, & reiiciat ſenſum qui proprio eius, & Prædeceſſorum ſuorum opponitur; necnon ſuauiter, & fortiter pungat duritiem filiorum aliquorum Eccleſiæ, qui nihilominus contra ſentiunt, quia is non traditus eſt definitiuè, ſed ſolum aſſertiuè, nam prout alias ſæpè declarauimus videlicet quod vnum ſcibile in Eccleſia duobus modis habetur, definitiuè, vel aſſertiuè, quorum vtrumque importat magnam certitudinem, ſed illam fidei ſolum in illo, quæ in oppoſito enunciato inducat hæreſim, & eſt definitiuus, non ſolum aſſertiuus.

3. Conſurgit autem hîc dubitatio, quâ quæritur, quid importet quædam Bulla, vel Conſtitutio Pontificia, quæ innouat aliquid traditum ab alia Bulla: nam non videtur aliquid aliud agere, quod non egerit prior; vti ſolet euenire; nam quantum eſt ex vi nominis, poteſt ſignificare quod non agat, niſi illud, quod egit prior; quare ex hoc ſolum acto, videtur ſuperflua, nam non videtur habere maius pondus hæc Bulla. Secundò aſſertiua vnius veritatis, vel ſecundò mãdans aliquid eo, quæ idipſum aſſeruerit, vel mandauerit prius. Sed reſpondendum, & ſentiendum eſt, quod Bulla innouans, quod præcedens continuerit, non ex eo eſt ſuperflua, quia id ipſum aſſerat, & mandet: quia hac noua ſua aſſertione & mandato iteratis oſtendit, quanti Põtifex æſtimet, & velit imprimi in mentibus fidelũ eiuſmodi ſenſum; & exequutionem eorum, quæ mandat, nec ſuperfluè æſtimatur iterare Bullas Pontifex ex hac intentione, vt patet; ſic Principes ſæculares ſolent innouare, & promulgare ſuas leges ipſiſſimas, & Domini Inquiſitores, & Epiſcopi renouant ſua ipſiſſima Edicta. Innouantur 2. item Bullæ Pontificiæ, nec propterea notam ſuperfluitatis incurrunt; imo ſæpe cum neceſſitate innouantur ad habendum effectum, quem fortaſſe non ſunt conſequutæ, vel quia ſurreptionis vitio laborare creditæ ſint; vel quia ex malitia acceptatæ non fuerint; aut quia ignoratæ; vel quia licet acceptatæ fuerint, in deſuetudinem decurſu temporis deuenêre, & rectè innouantur abſque vlla ſuperfluitatis nota, vt priſtinum vigorem in Bullis, imperata reſumant, & ad obſeruantiam vrgeant. Innouantur etiam 3. Bullæ propter aliquos rebelles Conſtitutionibus Pontificiis, vt comprimantur, & minuantur; nec aliis ſuis partibus accreſcant, qui forte prætendent ex deſuetudine, vel ex alio capite eas non inducere obſeruationis obligationem; ſic Sixtianam de Conceptione Virginis extrauagantem innouauit Alexander VI. ex hoc capite, necnon in ſimilibus alij egêre Pontifices. Innouantur itidem Bullæ 4. quia ſæpè priores malè interpretantur, & innouantur cum peculiaribus Declarationibus eiicientibus interpretationes abſurdas, & tamen poſteriores Bullæ, quamquam addant eiuſmodi Declarationes, vt innouantes abſolutè priores haſce Bullas, emulgantur, & nonniſi innouare prius editas dicuntur. Quintò item Innouatiuæ, ſeu innouare aliquod prius decretum dicuntur aliquæ Conſtitutiones, quia aliquod prius mandatum iterum renouant, & innouant, & præterea aliquid aliud decernunt, & præcipiunt, vel etiam nouum aliquid ſentiendum ſtatuunt. Etenim in Bullis hæc duo præſtantur, vel ſcilicet declarare, & tradere aliquid, quod ſentiendum ſit à fidelibus, vel aliquid mandare, & præcipere faciendum ab iiſdem fidelibus. Vndè Bullæ innouatiuæ, & quæ innouare aliquid dicuntur, præter id quod renouant, prius traditum, vt hoc vel illo modo ſentiendum ſit, vel exequutioni mandandum: ſæpiſſimè aliquid aliud addunt ſentiendum, vel exequendum prius non traditum determinatè ſentiendum, vel exequutioni mandandum, & licet hac ex parte propriè non ſint innouatiuæ, neque innouantes, non propterea quia nomen, & titulum merè innouandi præſe ferunt, non ſunt intelligendæ aliquid aliud tradere, ſentiendum, vel exequendum, quod prius determinato ſenſui, vel peculiari præcepto fuerit traditum in aliqua priori Bulla, cum frequentiſſimè hæ Bullæ innouantes præter id quod

innouant,

innouant, plura alia per modum assertionis, & mandati proferunt, & præcipiunt iudicandum, & exequendum, & sic propriè videntur dici innouatiuæ quia nouum quid afferunt ex ethimologia apud Latinos. Sic Iulius III. Bullam edidit confirmantem institutum Societatis IESV prius antea confirmatum à Paulo III. per duas antecedentes Bullas, & aliqua alia addidit præter eiusmodi confirmationem cum maiori declaratione, & nouis gratiis ei concessis, vt videre licet in eius Bulla, cui titulus [Exposcit debitum Pastoralis officii.] Similiter Gregorius aliam edidit Bullam in confirmationem instituti eiusdem Societatis IESV, & alia addidit, cum Bulla dicatur confirmatio instituti, vbi præsertim declarauit veros Religiosos esse, emittentes in Societate post biennium vota simplicia Castitatis, paupertatis, & obedientiæ: edidit deinde in Bulla [Ascendente Domino] nouam Instituti confirmationem, & plura addidit pro Societate. Et tandem Paulus V. confirmauit idem Institutum toties confirmatum, & noua confirmatio ea fuit Instituti, & innouatio priorum Decretorum in alijs Bullis, nec propterea non sunt additæ aliquæ aliæ declarationes, & nouæ gratiæ concessæ eidem Societati: id quod patet in hac materia, in qua Pontifices innouarunt Bullas præcedentium., & in hisce innouationibus plura addiderunt, vt Alexander sextus. qui innouauit Bullam Sixti IV. Puis V. qui innouauit eamdē cum Paulo V. & Greg. XV. qui addidère semper aliquid aliud. Quod vltimum peculiariter aduerto ad soluendum id quod obijciunt, & inepte dicunt aduersarij, qui volunt, quod quia hæc Bulla est, & dicitur in titulo innouatio priorum in fauorem, & circa assertionem B. Virginis immunis ab originali, nihil aliud præstiterit, vel præstet in Ecclesia, nisi quod præstitère Bullæ Pontificiæ antecedentes. Vndè aio quod hæc Bulla innouat sensa, statuta antecedentium de hac materia, & plura alia; item declarat signato modo tenenda, & sentienda ab Ecclesia, nec non etiam alia exequenda, quæ prius declarata, & præcepta non erant, saltem eodem modo; cuius rei signum esse potest manifestum, quia qui legerit præsentem Bullam, & eam conferat cum alijs de Conceptione Virginis promulgatis in prioribus annis, vel sæculis; aduertet nullam fere habere similem periodum, & longe diuersa tradi, & addi, quæ tradita & posita non fuère in prioribus Bullis. Cum contra tertia Bulla Sixtiana quæ innouauit, quod præceperat Sixtus IV. in 2. Bulla sequente ad illam, quæ incipit [Præexcelsa] fere ijsdem verbis traditur, sub quibus exierat 2. sub titulo eodem [Graue nimis,] vt videre potes apud Cismontanam familiam in Regestro pag. 106. & 109. Id quod sufficit propter id. quod primò notauimus in hoc 6. Nam paulò post hoc apertius patebit in hac ipsa Declaratione præsentis §. & latiùs in ceteris successiuè declarandis.

4. Quo ad secundum, hîc notatum ad discernendum quid importet constitutio, & Decretum, seu nomen constitutionum & Decretorum. Dico quod constitutio dicitur à statuendo, & decretum à decernendo, quia aliquid in ea statuitur, vel decernitur à Pontificibus, & tum constitutio, tum decretum potest concernere ad id, quod sentiendum, vel obseruandum, & exequutioni mandandum sit; cum hac differentia, quod Bullæ Pontificiæ soleant absolutè, & communissimè vocari Constitutiones, non verò decreta; & Constitutiones videntur se habere respectu decretorum sicuti includens, & inclusum. Nam Constitutio sæpè includit decreta, & continere dicitur decreta; at Pontificia Decreta neque solent communiter nominari Constitutiones, neque includere Constitutiones; & decreta nominantur hæc, vel illa, quæ decernuntur sæpe plura in vna constitutione, vel Bulla. Differentia alia inter Constitutiones & Decreta aduerti potest in eo, quod quæ à Sacra Congregatione Generali Romana decernuntur facto verbo ad Pontificem, benè decreta, vel si vnum sit, decretum dicitur in suo Titulo, cùm quæ ex se ipso Pontifex decernit, & in ijs immediatè ipse loquitur, non Congregatio referens ipsius sensum, in Constitutione continentur, & talia statuta Constitutiones dicuntur. Sic quæ statuta sunt in Congregatione Generali Romana de Celebratione Missarum, traduntur vt à Pontifice approbata, & non quæ ipse ea ex se præcipiat, & mandet, dicuntur decreta, vel decretum de Celebratione Missarū. Contra. quia Clemens VIII. ex se ipso prohibuit Religiosis largitionem munerum; statutum tale ipsius in Constitutionum numero recensetur. In re autem nostra circa Immaculatam Conceptionem prodiêre ab Ecclesia Romana tum Constitutiones, tum Decreta Pontificia. Et quidem extrauagans Prima [Cum præexcelsa] Sixti IV. & alia Iulij II. [Dum Præclara] & secundo eiusdem, in qua confirmauit Ordinem Religiosum sub titulo Cōceptionis Virginis, quæ incipit [Ad statum prosperum] & tres Leonis Decimi cum alia Adriani Sexti, & Sixti V. incipiente [Ineffabilia] & noua Pauli V. quæ incipit Regis Pacifici] Constitutiones fuêre; & in his Constitutionibus cum plura fuerint statuta eiusmodi; quæ statuta in eis inueniuntur, decreta dici possunt Pontificia; absolutè verò in hac materia dico numerantur decreta, quæ prodiêre à Sancta Sede; vnum in Congregatione Generali habitum sub Paulo V. fer. 5. die 21. Augusti 1617. & aliud sub Greg. XV. feria 3. die 24. Maij anno 1622. ab eadem Congregatione; quæ vtraque incipiunt, [Sanctissimus Dominus noster.] Quæ omnia habes in Regestro Cismontanæ familiæ à columna 46. & deinceps & cunctas has Constitutiones & decreta innouare hîc intendit Pontifex, vtpote quæ in fauorem Immaculatæ Conceptionis sunt edita, provt ipse Pontifex ea citat in Bulla, & in quantum pro Immaculata Conceptione faciunt, provt dicitur in hoc titulo, & Bulla per totum.

5. Quoad tertium notandum, aduertendum est primò quod in hisce dictis constitutionibus, & decretis Pontificiis aliqua continentur, quæ per priores Pontifices non fuêre tradita? Imò negata Immaculatæ Conceptioni. Vnde ante Pium & Paulum V. quisque poterat siue priuatim, siue publicè concedere contra Immaculatam, peccatum originale Virgini: quod posterius deinde fuit ab istis Pontificibus magis

&

& magis ablatum oppoſitæ ſententiæ, in fauorem Immaculatæ: Et deinde notandum quod hic Alexander VII. dum confirmat has Bullas, provt fauore proſecuti ſunt Immaculatam dictam Conceptionem, & feſtum eius; non eas confirmat, in quantum oppoſitæ ſententiæ aliquid dederint, & libertatem opinandi, & pronunciandi in alterutram partem abſolutè, tum quia hoc ablatum ei fuit per Gregorij XV. Decretum, tum quia Alexander VII. non confirmauit eiuſmodi Bullas, niſi in quantum fauent, & expreſsè in fauorem Immaculati Conceptûs. Quare ſi quæ ibi continentur, quæ poſitis poſterioribus Bullis, & hac vltima ſua, non vergunt in fauorem Conceptionis Immaculatæ, nec cohærent, cum adiunctis huius Bullæ, non ſunt cenſenda innouata hîc, & confirmata.

6. Quare aduerti debet non confirmari hîc, quæ habuit Sixtus IV. in ſuis extrauagantibus [graue nimis;] quaſi verò æqua lance; vel non, valde de magis inclinata ad Immaculatam Conceptionem, vt dicit vnus quidam Libellator infra citandus, pronuntiauerit, & diſcernere noluerit inter maiorem certitudinem Immaculatæ, & incertitudinem Maculatæ Conceptionis. Nam etſi malè & falsò pronuntiauerit hic aduerſans Immaculatæ de ſenſu Sixti; adhuc non propterea Alexander in hanc deficientiam, ſi quæ fuit, fauoris verſus Immaculatam innouauit, vel confirmauit; nam ipſe merè, quæ in fauorem eius à ſuis prædeceſſoribus prodierant, innouare profeſſus eſt, vt patet ex titulo, & progreſſu Bullæ. In qua in omnibus propendet impensè ad Immaculatæ ſenſum, & contrario neque opinabilitatem permittit poſitiuè, ſicuti aliqui ex Pontificibus antecedentibus. Vnde non eſt cenſendus eam in aliquo approbare, vt probabimus infra. Id quod habuit aliquo modo Pius V. in ſua Bulla, dum dat libertam facultatem cuique opinandi in alterutram partem, amplectendo quod magis pium, vel magis probabile ſibi videatur. Nec illud, quod in fauorem oppoſitæ ſententiæ, & minorem noſtræ de Immaculata Paulus V. & Gregorius XV. decreuêre, qui nullum præiudicium voluêre intelligi factum ſententiæ Maculanti Virginem extra ea, quæ à ſe facta fuêre, cum quodcumque ferè præiudicium illi fecerit Pontifex Noſter Alexander VII. citra illud damnationis de fide; nec eam reliquerit in numero probabilium, cum merè de ea decreuerit non eſſe notandam hæreſis peccati mortalis, & impietatis, quod vt videbimus, datum eſt hæreticis ſententiis ante definitionem Conciliorum: Et de reliquo ſententiam Immaculatæ decreuit eſſe Eccleſiæ Romanæ, & ſecundum illam celebrari hoc feſtum in vniuerſa Eccleſia, eique fauiſſe Pontifices ſuos prædeceſſores, ipſumque ei fauere, ſpecialiter innouans ad hunc effectum fauoris exprimendum antecedentes Bullas, & prohibens non ſolum exprimi voce contrariam, ſed etiam ei vtcumque adhæreſcere contra ſenſum Immaculati Conceptûs tentatæ diſputationis, vel dubietatis circa ipſam: quæ omnia in titulo hoc annuuntur fieri in Bulla, propter quæ ipſa intitulatur Innouatio dictarum Conſtitutionum, & Decretorum Pontificiorum.

7. Ex quibus patet manifeſtè quod diximus inueſtigandum, ad quam ſententiam fauore proſequendam oſtendatur propendi, & deſtinari hanc Bullam. Videlicet quod ex hoc titulo pateat eam totam eſſe deſtinatam & in fauorem Immaculati Conceptûs; nam eſſe deſtinatam ad fauorem ſenſus, quod anima Beatæ Virginis in ſui creatione & infuſione ad corpus fuerit præſeruata ab originali: vnde ex hoc dicatur Innouatio Conſtitutionum, & Decretorum præcedentium in eius fauorem: manifeſtè declarat eam fuiſſe deſtinatam in fauorem Immaculati Conceptûs Deiparæ, quoniam ſignum creationis, & infuſionis eius in corpus, non eſt niſi ſignum Conceptionis eius naturalis, quæ conſiſtit in Conceptione naturæ Virginis, & eius humanitatis, quæ habetur tunc, quando habetur creatio & infuſio animæ ipſius in corpore; quo maximè creſcit certitudo Immaculati Conceptûs & primum per hunc titulum funditùs eiicitur intentum aduerſariorum, qui paucis ab hinc annis quæſiuerunt extorquere à ſancta Sede Apoſtolica, vt vitaret, & prohibitioni imprimendi, vel ſculpendi, aut ſcribendi Titulum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ ſubſcriberet; ad quem finem ſurreptitia Decreta Generalis Inquiſitionis Romanæ propoſuêre, vt huic ſubſcriptioni obſecundationem Pontificiam conſequerentur: quæ decreta vt ſurreptitia demonſtrata ſunt latiſſimè per Ciſmontanam Familiam Franciſcanam, & Calderonium Magiſtrum Infantis Regis Hiſpaniarum. Hoc enim titulo Bullæ tantundem dicitur, ac ſi diceretur Innouatio Conſtitutionum in fauorem ſenſus, vel ſententiæ Immaculati Conceptûs, ac proinde in hoc titulo habetur expreſſa confirmatio Pontificia dictæ Immaculatæ Conceptionis; & omninò titulus Immaculatæ Conceptionis non eiectus, ſed in fronte, & titulo Bullæ Pontificiæ ſublime erectus, & auctoritate Apoſtolica firmatus; ita vt qui illum improbaret, Pontificiæ determinationi derraheret, & expreſsè contradiceret, & in ſenſum temerarium, & erroneum, ſi non hæreticum, incideret, vt in infra patebit latiùs in Diſputationibus.

8. Quo patet deinde augmentum certitudinis in aſſertione de Immaculato Conceptu; cum is in titulo Bullæ Pontificiæ ſit expreſſus, & declaratus, vt ſcopus eius confirmationis, omni alia tergiuerſatione ſublata, quæ tempore præterito exquiſita, & intruſa fuerat ad eludendum, & fruſtrandum quod is fuerit ab Auctoritate Pontificia protectus, & amplexatus; quique erecta fronte inter numerum Pontificiorum ſenſuum poteſt, & debet procedere, reiecto ſuo oppoſito, nec tali dignatione promerito, immo a tali dignatione reiecto, & eiuſmodi fauore, & confirmatione priuato; nam is qui ab aduerſariis curatus eſt vt ſimiliter huiuſmodi fauore blateraretur protectus, vel in eiuſmodi fauorem quæreretur intrudi in præſenti aperta declaratione, & amplexatione ſui contrarij à tali protectione, ſi non in actu ſignato, certè in actu clariſſimè exercito declaratus eſt alienus, & omninò proiectus in iudicio certè contradictorio; in quo pro eo multiplicibus aduerſariorum inſtantiis, & declamationibus pugnatum, & proclamatum eſt futiliter, & inutiliter, ac etiam inaniter per aliquot annos, & certè in hoc titulo Bullæ ſenſus

Immacu-

Immaculatæ Conceptionis visus est, & videtur à Romano Pontifice veluti coronatus, & sublime positus exponi oculis fidelium reuerendus, qui non expectauit hunc ei honorem deferre in Bullæ progressu, sed peculiari decore voluit Bullæ extra communem morem titulum præfigere, vt in eo nobilissimus sensus non expectata vlteriori Constitutionis suæ lectione, locus sibi vendicaret sublimem, in quo appareret veluti Corona refulgens, triumphumque agens de tot aduersantium ictibus, telis, arietationibus, machinisque innumeris.

9. Exquiret tandem fortè hîc aliquis quantum certitudinis accreuerit Immaculato Conceptui ex hoc Titulo, sed tantitas, & excessus eius est mensuranda, ex mensura, qua metiemur ex vniuersa Bulla hanc, vel illam ei certitudinem prouenisse; ex ea enim deduci poterit quanta ei prouenerit ex titulo, quæ similis est illi, quæ ex tota Bulla ei prouenit. Hoc autem maximè apparebit ex Bullæ explicatione, & multo magis ex disputationibus sequentibus. Sed certo certius esse debet, quod quæ habet in hoc titulo Pontifex sufficiunt ad demonstrandum quid sentiat, & senserint in hac re tum Alexander VII. vt Pontifex, & sui Prædecessores, Conciliumque Trid. & tantum accreuisse, & accreuisse certitudinis Immaculato Conceptui, quantum accrescit vni veritati Theologicæ per expressam assertionem Pontificiam, quæ illi adueniat, quæ errori subiacere non potest in iis, quæ ad doctrinam, & cultum Ecclesiasticum pertinent, licet talis veritas ab illo non definiatur de fide, & expressè profiteatur à se nolle definiri vt de fide tenendam, iuxta ea, quæ latè scripsimus in 2. Opusculo.

---

§. I.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, & viribus longè impares, D. O. M. voluntate & prouidentia gerimus, in id anxiè nos tenet intentos, & vigilantes; vt scandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate, necesse est vt veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, vtque exorta quàm celerrimè, & quàm diligentissimè amoueantur, nam ijs, per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præsens afferunt labendi periculum; quorum nos pro nostro Pastoralis Officij debito, & damnum summoperè dolemus, & discrimine assiduè vrimur.

1. IN hoc initio sui Diplomatis Pontifex primò profitetur sollicitudinem, quam habet omnium Ecclesiarum; nec non 2. eam notat Dei prouidentia, & voluntate gerere; eamque 3. notat eam esse suis viribus & meritis superiorem, quia scilicet eam non meritus sit sibi imponi; & addit sapienti humilitate ex modestia Pontificia quantum est ex se, vires non habere sufficientes ad gerendum hoc munus, & pondus sollicitudinis tantæ. Quartò aduertit hanc sollicitudinem ipsum facere anxium, intentum, vigilantemque ad scandala vitanda, ne eueniant, & saltem panciſſima eueniant, cum de cetero necessarium sit, ex dicto scilicet Saluatoris, vt eueniant. Et rursum vt iam exorta quàm citissimè, & omni adhibita diligentia tollantur, & emendentur: Quo quintò tradit scandalizantibus afferre eiusmodi scandala ruinam animæ, & corporis, & scandalizatis proximam in eiusmodi ruinam cadendi occasionem, & periculum. Sextò denique refert, quod prout requirit debitum sui Pastoralis muneris, ipse maximè doleat de damno animarum scandalizantium, & indesinenter, ac vehementer angi, atque sollicitum esse de discrimine & periculo scandalum patientium, vel quod illud perpeti possunt; quibus ostendit veluti remoto, & dispositiuo sermone, quod circa sensum Virginis in Conceptione scandala oborta sint, cum ruina scandalizantium, & periculo scandalizatorum, quæ sine causâ huius Bullæ, & constitutionis, & nouorum decretorum Pontificiorum, atque adeo insinuare contendit ex sensu contrario sensui, quem habet, cuique fauent, & cuius fautores fuêre summi Pontifices de Deipara scilicet, & Immaculatè Concepta, prouenisse eiusmodi scandala, & ruinæ scandalizantium, & scandalizatorum, & sic reprobat illam maximè, licet tacitè; quo vehementissimè sententiam maculantem sacram Conceptionem Virginis carpit, & improbabilitatis arguit; dum eam tantorum malorum esse scaturiginem significat; vt clariùs ostendit paulò post, vbi videndum qua ratione hæc grauis nota ei prouenial; & ostendendum quomodo ex hoc inferatur, illam ex Pontificio sensu abiici, & reprobari, non quidem vt hæreticam, & peccati mortalis exteriùs insigniendam, sed certè vt contrariam sensui Ecclesiarum, & præsertim Romanæ, & omninò, vt improbabilem tenendam: Quod modò non declaramus, vt vnicuique congruæ declarationi suus tribuatur proprius, & aptior locus; & eius significatio hîc tantum annuatur, quemadmodum merè per huius §. verba significatur, & annuitur.

§. II.

Sanè vetus eſt Chriſti fidelium erga eius Beatiſſ. Matrem Virginem Mariam pietas ſentientium eius animã in primo inſtanti Creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratiâ & Priuilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti eius filij humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſeruatam immunem, atque in hoc ſenſu eius Conceptionis feſtiuitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; creuitque horum numerus, atque huiuſmodi cultus poſt editas à Fæl. Rec. Sixto Pont. IV. Prædeceſſore noſtro in eius commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Trid. innouauit, atque obſeruari mandauit.

1 POſtquam more præfandi loquutus eſt Põtifex in antecedente §. In hoc 2 proſequitur intentum, veluti incipiens à narratiua ſenſus, & cultûs fidelium circa Immaculatam Conceptionem; & aſſerit, certioréſque facit fideles, quod antiqua fuerat pietas reſidens in corde eorum, qua piè inclinauerunt in ſenſum, qui æſtimaret, & abſolutè iudicaret reiecto contrario animam B. Viginis in primo inſtanti, in quo creata fuit, & in quo infuſa fuit in corpus ſuum ex ſpeciali gratia, & priuilegio Dei fuiſſe præſeruatam, expertem à macula peccati orginalis, & in hoc ſenſu dicto eos coluiſſe, & celebrauiſſe feſtiuitatem Conceptionis ritu ſolemni. Tertiò item addit, quod intuitu meritorum Chriſti hæc gratia fuit Virgini collata. Secundò ait, quod horum fidelium numerus, & iſtiuſmodi cultus ſecundum hunc ſenſum creuerit poſt Conſtitutiones Sixti IV. in eius commendationem, quas 4. dicit à Tridentino innouatas, & obſeruationi mandatas fuiſſe.

2. In quibus aſſertis animaduertenda eſt, 5. hæc, quæ ſit pietas fidelium, colentium Immaculatam Conceptionem. Sextò ſignanter videndũ ſub quo ſigno exiſtentiæ animæ Virginis ea æſtimata ſit à fidelibus in hac eorum pietate cultûs ab originali immunis. Septimò explicandum eſt, quæ gratia & priuilegium interceſſerit in hac præſeruatione ab originali.

CONFIRMATIO SECVNDA Certitudinis eiuſdem Immaculati Conceptûs ex vetere ſenſu fidelium erga eum declarato à Pontifice Alexandro VII.

1 INcipiendo ergo à primo, ſciendum eſt, vt vidimus in primo Opuſculo latiùs, antiquiſſimam eſſe pietatem fideliũ, & Doctorum virorum ſentientium animam Beatiſſimæ Virginis fuiſſe immunem à culpa originali, eamque ſecundum hunc ſenſum colentium. Et præterquam quod in Anglia poſt milleſimum annum à Chriſto nato cenſeri debet hæc Immaculata Conceptio recepta à Rege Angliæ, & Lantfranco, & Anſelmo Archiepiſcopis Cantuariæ. Pietas eiuſmodi ſenſus, & cultus, comprobatur prius in Aquileia, exercita à Germano Fratre Vngariæ Rege, illius Ciuitatis Epiſcopo, quod creditur euenisſe ab anno 840. ad annum nongenteſimum, cum Caroli Reges Galli ante Anſelmum, quo nunc tempore ſcitur fuiſſe hic Epiſcopus intra ſexaginta annos ab 840. ad 900. regnauerint, prout videri poteſt apud Salazarium c. 35. q. 5. n. 34. quæ hiſtoriæ conſtãt ex Officio Nugarolico ordinato ab Eccleſia Romana, in quo traduntur, & approbantur, & ad eas omninò reſpexiſſe æſtimandus eſt Dominus noſter Alexander VII. in hac Bulla.

2. Præterea antiquiorem fuiſſe hanc pietatem fidelium in eiuſmodi ſenſu, & cultu poteſt conſtare ex Græca Eccleſia, vt vidimus in eodem Opuſc. primo, & præſertim ex eo quod celebratur à tempore Sancti Sabbæ Sactarum Mœnæorum Collectoris, & Ritualis Græci auctoris, prout notatur à Neribergh de perpetuo obiecto feſti Conceptionis c. 2. & notatur à Simone Vuangerkio, qui tranſtulit in Latinum ex Græco Officium Conceptionis Virginis, & air. Agnoſcit hoc officium S. Sabbas, qui ante mille ducentos annos floruit in Rituali ſuo Hieroſolymitano, & conſtat Græcos celebrauiſſe antiquitùs Conceptioné Virginis paſſiuam ſub nomine Conceptionis actiuæ B. Annæ Chriſti Auiæ, quod non negant Aduerſarij, & ſtultè dicunt Græcam Eccleſiã celebrauiſſe merè Conceptionem Virgnis, licet cum originali inuolutã, prout ſcilicet merè in mundũ prodiit futura Sancta, & Mater Dei, non verò vt actu pro eo ſigno Sancta; nam expreſsè eius ſanctitatem actualem in Mœnæis prædicat S. Sabbas vt videbimus cum de ſenſu Patrum latè diſſeremus deuenientes ad hunc ſanctum Patrem. Id quod confirmatur ex dictis Andreæ Cretenſis, qui floruit anno quingenteſimo; & apertius in Canone Eccleſiaſtico eandem immunitatem Virginis ab omni peccato prædicat. Pro quibus legi poteſt Heriberg citatus, & Velaſquez de Concept. Virginis lib. 4. diſſer. 14. ad n. 1. & alij. Nec in hac veritate comprobanda de celebratione Eccleſiæ Græcæ de immaculata Conceptione hîc immoror, ne actum agam, & huc auocẽ alia, quæ ad abſolutã materiã de ea pertinent, & clõger extra locũ, ſolũ noto in hac re veterẽ fuiſſe hunc ſenſũ ex dicto eiuſmodi Pelagij, qui originale à poſteris Adę, nõ vniuerſaliter trahi oſtẽdebat; quia cõtra pietatẽ eſſe aſſerebat Virgini eiuſmodi peccatũ impingere, vt refert S. Aug. lib. de

natura

natura & gratia c. 3. provt fusè demonstramus ipsum de originali maximè loquutum esse, non de actuali peccato cum istud parum curaret negari non posse in hominibus, sed originale solum exquireret negari ab Ecclesia in posteris Adæ. Quibus omnibus patet rectè antiquissimâ fuisse pietatem fidelium de sensu Immaculatæ Conceptionis, & eius celebritatis, eamque maximè haustam satis rationabiliter colligitur ex Apostolica traditione in Achaia à S. Andrea Apostolo, & in Hispania à S. Iacobo cum Achaiæ Diaconi, & Presbyteri peculiarem sensum retulerint fuisse S. Andreæ, quod Virgo fuerit terræ comparata, antequam fuerit maledicta, & ex plurib. monumentis recte persuadetur eamdem veritatem persuasisse, & tradidisse Hispanis S. Iacobum, vt aliàs ostendimus in nostra Trutina, & signanter in eius opusc. 1. & in eodem sensu Patrum luculentissime trademus; ita vt meritò hac de re dubitandum non sit, accedente præsertim nunc sensu Pontificio, qui licet non declarauit ex quo tempore initium sumpserit pietas huius sensûs, & cultûs; dum eam absolute priscam nominet, & fecerit controuersiam de hoc puncto agi inter Theologos, quorum aliqui vellent in Ecclesia eam esse recentem; alij verò eam antiquam prædicarent, & de huius puncti controuersia disserant, & libros integros scribant provt videri potest in Patris Neriberg. & Salazar. latè loco supra citato æstimandum est Pontificem adhærere sensui affirmanti pietatem huius sensus, & cultus non esse recentem, videlicet à D. Bernardo ad nostra tempora, sicuti concedunt Aduersarij, sed per plura Sæcula antecedentia; Imo significari credendum est quod hæc pietas in Ecclesia non defuerit vnquam, & fideles communiter etiam tempore Apostolorum, & sequentibus, semper æstimauerint peccatum originale omnino à Virgine alienum fuisse, & licet communitas fidelium non semper de hoc puncto cogitauerit, dum cogitauerit tamen semper in antiquis huic emaculationi Conceptionis Deiparæ assenserit, nec in alium sensum oppositum abierit, & ab hac pietate fuerit aueria; licet aliquibus temporibus posteriorib. vt sæpè contigit in aliquibus tempore definiris, in Ecclesia de fide, aliqui plures de re dubitauerint, & certe ex hoc credendum est, spiritu sancto dirigente SS. D. Alexandrum hanc pietatem fidelium veterem, & antiquam signanter nominasse, ne aduersarij eam ob hinc auderent recentem affirmare contra sensum Pontificium optimè fundatum in veridicis historiis, & traditionibus, quas recte nosse, & tenere credendus est summus Pontifex in scriniolo pectoris sui provt Doctores solét asserere.

3. Neque dicas SS. Dominum nostrum veterem hanc pietatem nominasse, quia incæpit paulo ante Sixtum IV. vnde subdit magis creuisse post Constitutionem Sixti IV. nam potissimum notauit hoc augmentum, vt pote legitime inuectum ex auctoritate summi Magistri in Ecclesia, & rursum, quia (attenta controuersia sæculis antecedentibus ante ipsum orta, videlicet per alia duo sæcula, præsertim in Gallia, & Italia, quæ in aliis Regionibus locum non scitur habuisse, sed celebratam fuisse sacram Conceptionẽ constat, præsertim in Ecclesia Græca) notabilissimè sensum oppositum expulit fortiter à Communitate fidelium. Vndè post Sixtum IV. nullus sanctus Canonizatus, vel Beatificatus ab Ecclesia scitur ab hac pietate alienus fuisse, & Immaculatam Conceptionem non coluisse; & is, qui die sacro Innocentum Beatificatus fuit in fine anni antecedentis, dum hæc scribo 8. febr. anno 1662. videlicet B. Franciscus sales Episcopus Gebenẽsis magnus fuit cultor sacræ Conceptionis Deiparæ, & sodalitatem sub nomine Immaculatæ instituit Anicij, consecratusque est Episcopus 8. Decembr. & ex hac celebritate vsurpata narratur in protectionem Virginis venisse peculiarem. Ipsa Virgo ei dicitur id manifestauisse, teste Marracio in Fundatoribus Marianis c. 43. fol. 325. provt refert Regestum authenticum Cilimonstanæ Familiæ pag. 594.

4. Aduerti hîc debet, quod sub hac narratiua à Pontifice asseritur, & declaratur, quod hæc pietas fidelium constet inualuisse apud fideles antiquo tempore; itavt si quis hoc negaret, temerariè & erronèe id certe negaret; nam vt Pontifex ipse hoc asserit docendo in hac re Ecclesiam, vt inferius ostendetur, de hoc ipso doceri voluêre Ecclesiæ Hispaniarum, & earum nomine Episcopus Placentinus hoc ipsum declarari ab eo petiit, & in hac re æstimare, quod errauerit Pontifex, temerè, & erroneè diceretur, provt in Quæstionibus ostendemus.

5. Sciendum etiam hic est, quod in hoc §. declarat, & docet itidem Pontifex Ecclesiam pietatem hanc constituisse in duobus. Primò scilicet in sensu determinato, & extra omnem disiunctionem, quod Virgo in primo instanti physico & indiuisibili creationis suæ animæ, qui fuit ille ipse infusionis suæ in corpus, fuerit præseruata immunis à peccati originalis macula, itavt eam numquam incurrerit. Et 2. quod in hoc sensu, non verò in alio quouis distorto, & diuerso ab hoc celebrauisse festiuitatem eius Conceptûs contra aliquos, qui vt infrà ostendetur; conati sunt defendere in alio sensu celebrandam fuisse Conceptionem Virginis, provt inferiùs latè videbitur, & perpendetur in quæstionibus subtiliter. Vbi item animaduertere etiam licet, quod in hoc eodem §. dum hanc narratiuam adhibet, & declarat, quod diximus; hoc ipsum ita narrat, vt tamquam bene gestum id statuat, & confirmet. Nam ipsum laudat, vt pietatem certè notabilem atque laudabilem, & verè non falsè sentientem; & præterea hunc ipsum sensum approbat, dum illum vt bene habitum manet in sua narratiua; & perconsequens ex hoc etiam ipso, si quis eum vituperaret, erronèe propter hæc sola verba narratiuæ id ageret. Id quod iterum ostenditur ex eo, quod narratur hic cultus etiam vsurpatur à fidelibus secundum hunc sensum & in actu exercito approbatur à Pontifice: Quarter in his verbis dictus sensus absolute approbari à Pontifice aduertitur; & notandum est pro iis, quæ dicentur in quæstionibus, vt non necesse sit in eis hoc ipsum perpendere, & satis sit ad has explicationes Lectorem reiicere; atque hæc pro Declaratione §. primi huius nobilissimæ Bullæ de Conceptione Dei Genitricis sine macula.

6. In §. eodem est 2. notandum, quod hæc Immunitas Virginis ab originali modo declarata, decernitur ita amplexata & donata Virgini à fidelibus, vt simul declaretur fideles agnouisse hanc gratiam ipsi concessam ex

ſpeciali Dei gratia, & priuilegio, & præterea non ex quacumque gratia & priuilegio quomodocumque habito; ſed omninò obtento intuitu meritorum Chriſti. Et 3. intelligi debet hunc ipſum ſenſum modo dicto non ſolum referri merè habitum à fidelibus, ſed referri vt bene habitum, atque adeo approbatur item hic à Pontifice, dum non ſolum approbatur abſolutè, ſed dum approbatur iteratò vt habitũ ex ſpeciali, & propria gratia Chriſti. Quartò, item hîc nota quod non tantumdem eſt dici hanc gratiam conceſſam Virgini ex meritis Chriſti, provt aliqui volunt ſimiles conceſſas Angelis ex eius meritis, ſed eam eſſe conceſſam Deiparæ ex meritis Chriſti ſub ratione Redemptoris humani generis, atque adeo hanc gratiam, eſſe gratiam Redemptionis; de quo fuſè nos agimus in quarto Opuſculo, cum de Redemptione Deiparæ; nec valet hîc vlteriorem circa hanc rem moram agere.

7. Hanc pietatem & cultum magis creuiſſe in numero colentium narrat Pontifex, poſt ſcilicet cõmendatitias Conſtitutiones diuinæ huius Conceptionis, editas à Sixto IV. quo vult annuere, dum huiuſmodi cultum creuiſſe dicit, certè de cultu ſupradicto loquitur ſecundum priorem explicatum ſenſum, non ſub alio, & ſic quartò eumdem ſenſum approbat, quem ibidem quinta approbatione confirmat, dum in eius commendationem, & approbationem exijſſe refert, & declarat Conſtitutiones Sixti IV. videlicet illa [*Præexcelſa*,] & aliæ [*Grauenimis*,] provt de eis ſtatuimus Opuſc. noſtro. 2. Trutinæ de Certitudine Immaculatæ Conceptionis. Hæ autem Conſtitutiones quanti valeant ad hanc approbationem, quantumq; certitudinis afferant huic ſenſui ex eo licet attendere quod prima [Præexcelſa] ſtatuit & decreuit bene celebrari ſecundum hunc ſenſum Sacram Dei Matris Conceptionem, & dignè offerri in eius gratiarum actionem Deo Sactificium Miſſæ, & rectè, & dignè ordinatum eius ſacrum Officium iuxta præſcriptionẽ Leonardi de Nuegarolis, quo quanta approbatio ei data ſit ſimilis illi, quæ datur certitudini Sanctitatis Sanctorum in conceſſione Miſſæ patet. Quia maxima eis datur, ex eo quod in eorum honorem ſacrificium Miſſæ conceditur offerri à Sacerdotibus Eccleſiæ; nam niſi certa eſſet eorum Sanctitas, Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini in eorum gloriam malè offerretur. Quo conſtat, quod dum Sixtus IV. conceſſit per peculiarem Conſtitutionem poſſe in gratiarum actionem pro Immaculata Conceptione offerri idem Sacrificium, pluſquam certam eam reliquit, & reddidit, & nonniſi valde certum ſenſum de tali eius emaculatione. Id quod maximè elucet ex eo, quod in hac re laborauerunt prius Pontifices antecedentes Sixto, & compluribus conſultationibus, & diſputationibus certitudinem eiuſmodi emaculationis Deiparæ examinauerunt, & pro ea tandem pronunciarunt, provt refertur de Alex. V. Piſis an. 1411. qui approbauit diſcuſſione magna ibidem facta ſententiam Immaculati Conceptûs Virgini; nec non de Innocentio VII. circa ann. 1403. Qui recantare fecit Palinodiam Petro Monteſino Pariſijs cum approbatione ſententiæ emaculantis Virginem, cum prius ipſe eam reprobauerit contra ſtatuta Academiæ Pariſienſis, cuius ſenſum ipſe ſequi tenebatur: & magis hæc veritas eluxit in ſequentibus Pontificibus, qui ante Sixtum IV. in Iudicio contradictorio fuerunt, & conceſſerunt ſaltem viuæ vocis Oraculo Celebrationem Conceptionis Sanctæ in Eccleſia Romana, & de facto Bachonius refert peculiarem celebritatem huius feſti vſurpatam tempore ſuo coram Pontifice, & Emin. Cardinalibus. Floruit autem ipſe, & Sixtus IV. in ſua Bulla [*præexcelſa.*] Notat item Eccleſiam Romanam ante ſuam Conſtitutionem celebraſſe feſtiuitatem Sacræ Conceptionis, & vſui traditam ordinationem Officij eiuſdem aduertit ex ſuo mandato.

8. In hac autem re maximam vim fecit Bulla prima Sixti IV. quæ eſt in Corpore Iuris, quæ auctoritate Apoſtolica inſtituit peculiarem ordinationem Miſſæ, & Officij huius Sacræ Solemnitatis, prius aduocatis Romam Doctoribus Theologis Regularibus, & Sæcularibus Clericis, qui inueniebantur eo tempore in Italia: quo conuentu facto oſtendit Sixtus quàm maturo, & prudenti conſilio & ſumma indagine veritatis, ſufficiente itidem ad aliquam controuerſiam decidendam de fide, (nam multo minorem conuentum ex ſola Roma, & Vicinia fortè congregatum collegit Innocentius X. quando quinque propoſitiones de fide tenendas definiuit contra Iamſeniſtas) proceſſerit ad celebritatem Sacræ Conceptionis Deiparæ, vt immunis ab originali, & ſecundum ſenſum antiquitùs & recenter vehementiſſimè examinatum. In quo examine, & ipſe Pontifex præſentialiter interfuit, & magna laude proſequutus eſt Reuerendiſſimum. P. Franciſcum Inſuper, Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum; cui dixit [Tu es verus Sampſon,] quia ſcilicet in eo Conuentu vicit omnes aduerſarios Immaculatæ Conceptionis, provt teſtatum eſt apud Ciſmontanam Familiam in Armament. Seraph. initio 2. Articuli pag. 56. Chron. Minor. ex Ioanettino to. 2. l. 22. cap. 57. pag. 361. & ſcripſit Marcus Oliſſiponenſ. 3. p. lib. 6. cap. 66. Soſa in Epiſt. pro orat. de Cõncep. Procuratores Hiſpani in ſua itidem ad Regem Catholicum. Torres lib. 4. de Concep. cap. 7. pag. 327. & Ludouicus Caruaiali in reſp. ad primam obiection. contra ſuam Declamationem, vbi concluſit. [Summus Pontifex poſt tot velitationes vltro citroq; factas, Officium Immaculatæ Conceptionis omnibus Eccleſijs tradidit recitandum.] Quod certè ſimul cum Miſſa fuit ordinatum, & peculiari oratione in eadem Miſſa vſurpanda. Hæc autem Bulla Sixti inſerta eſt in Iure Canonico, inter communes de Reliquijs & Veneratione Sanctorum, & omninò æſtimanda eſt, quod cum aggregato antecedente iam ponderato, ità confirmauerit ſenſum Immaculatæ Conceptionis, vt eum omnino etiam certum reddiderit, aque ita vt ei ſubeſſe falſum non poſſit. Nam ſi in eo ſic confirmato à Pontifice ſubeſſe poſſit falſum; ſimiles determinationes & confirmationes Pontificiæ poſſent includere, & pati errorem; & ſic in ſtatuendis, quæ ad mores pertinent, poſſet errare Pontifex, contra id quod communiter

ſolent

solent Doctores asserere, & in asserto hoc conuenire, & inductione ostendi potest, quod non possit assignari simile quid, in quo sic statuto ab aliquo Pontifice inuentus fuerit vnquam error, quod potest vsque ad internecionem prostratos relinquere Aduersarios, qui pessimè dicerent, si singularem errorem non abhorrerentur concedere in casu nostro summo Pontifici in approbando hoc sensu de Immaculata Conceptione concernente ad mores, seu cultum sacrum; in quo statuendo nunquam de reliquo errauerit summus Pontifex vllus; quod magis vrgebit: ex eo quod tot sequentes Pontifices, idem & fortius egêre in posterioribus Bullis simul cum Tridentino Concilio, quod argumentum eo altius vulnus infligit, & duritiem Aduersariorũ hac in re summoperè veluti infamat, quia contra sic confirmatum sensum à summis Pontificibus, & vniuersali Concilio inuehi non erubescunt propter amorem propriæ sententiæ, toties ab eis reiectæ, quoties oppositus sensus reiteratis vicibus est ab iisdem amplexatus, & fideles impulsi ad eum amplectendum, licet non vi definitoria, sed doctrinali, & assertoria, falsitatis etiam nescia. Vrget autem argumenti huius vis in præsenti magis, quando summus Pontifex declarauit expresse se fauere non solum pietati, sed sensui de Immaculato Conceptu, itavt tergiuersationi non sit locus, quin hic Pontificius fauor, ad sensum dictum se extenderit; & rursum quod tot antecedentes Pontifices eumdem illi fauorem præstiterint; eumque confirmatum Pontificia auctoritate reliquerint. Pensent quæso nostri Aduersarij, & in vna lance pondus auctoritatis, & rationum accumulent, quod suæ sententiæ prouenit cum ipso præstito à tot Pontificibus, & videant quo æqua & rationabilis libra inclinare est dicenda; audebunt fortè dicere plus ipsos sciuisse in Ecclesia discipulos, quàm vniuersalis Ecclesiæ Magistros; an forte dicent tot supremos Ecclesiasticos Præsules ignorasse vim auctoritatum, & rationum ab ipsis adductarum; & si omnis ratio, omnis æquus discursus, omne sani intellectûs dictamen censet, longe inferiorem esse discipulatum sui ipsorum comparatum cum Magisterio tam sapienti primorum Præceptorum Ecclesiæ; agnoscant tandem nimis audacter in hac re modo se habere, qui velint discipuli esse supra Magistrum contra definitionem, & Declarationem Euangelicam Christi Domini nostri.

9. Hîc est valde pensandum, quod habet Pontifex postquam declarauit Sixtum IV. approbauisse cultum Immaculatæ Conceptionis, & sensum circa illam, vt emaculatam ab originali, videlicet quod ipsum cultum, & sensum traditum approbauerit Concilium Tridentinum; dum ait Tridentinum innouasse Constitutiones Sixti IV. atque adeo dederit huic sensui pondus illud, quod solent dare Concilia suis dictis assertiuis, non definitiuis, quæ vt falsitatis capacia si quis dixerit, videtur maximè errare, licet, ea definita non sint. Quo constet hunc sensum, dicendum esse Concilij Tridentini sensum; de quo latiùs in quæstionibus.

Declaratur quæ sit hæc pietas fidelium in hoc cultûs sensu.

10. QVintò hîc examinandum, quæ pietas fidelium sit signata hîc à Pontifice. Vnde sententia Immaculatæ Conceptionis nominata est pia, ad excludendum pium, quod agnoscunt Aduersarij in ea quam piam dicunt, ad excludendam eam à sincera veritate, sicuti solet sæpè vsurpari hoc nomen pij in sententiis Theologicis, non multum certis fundamentis vtentibus, quales solent illæ, quæ tribuunt ipsi etiam Deiparæ visionem Beatificam in primo instanti creationis animæ suæ, augmentum duplex intensionis in quolibet actu supernaturali libero, quem in vita elicuerit, & primæ eius gratiæ intensionem maiorem ea, quam habent, & habituri sunt simul omnes Sancti, & spiritus cælestes: qualis etiam illa sententia, quæ vult maiorem esse numerum adultorum prædestinatorum in Catholicis, quàm reproborum; & illa alia, quod animæ purgantium in igne Purgatorij per mortem Christi liberatæ sunt omnes, & Deum viderint, quod idem euenerit in die Assumptionis Dei Matris, & sic de similibus sententiis, quæ licet satis probabiles sunt, nec oppositæ probabiliores, cum pro neutra sint rationes efficaces, & in talibus conueniens sit pietati inclinare potius in honorem Virginis, vel in dando misericordiæ Dei abundantes effectus gratiæ, quàm oppositum; sic Aduersarij nostram sententiam dicunt piam, quia cum dicant ex vtraque parte in hac controuersia sint suæ rationes, ea quæ originale tollit à Virgine, nomen piæ sibi assumit, quia dum æquè hic, & contrarius sensus haberi possit, pietas causa sit inclinandi in sensum, auertentem tantum malum à Dei Genitrice. Alij autem ex Aduersariis ex electione, quam dat Pius V. opinandi de Conceptione Virginis, vel quod magis pium, vel quod magis probabile sit, ausi sunt dicere Pontificem in his verbis significasse sententiam Immaculati Conceptûs esse magis piam, contrariam autem ipsi magis probabilem, quia scilicet voluêre, quod magis probabile sub disiunctione positum à magis pio, indicauerit sub magis pio non includi, & per consequens magis probabile non posse esse ex vi dicti Pij V. & cùm diceretur sensus de Immaculata Conceptione magis pius, ex hoc ipso in hac disiunctione à se excluderet maiorem probabilitatem, & pro hoc dicto citatur à Cismontana Familia Guillelmus Estius tom. 3. in 3 dist. 3. §. 3. pag. 12. Editionis Parisien. an. 1616. quem ait [scribere ausum esse Pium V. indicasse alteram sententiam,] eam scilicet, quæ gloriosam Virginem à peccato originali liberat (, magis piam videri) alteram verò (nimirum quæ Beatæ Virgini peccatum originale tribuit) magis probabilem.]

11. Sed quoad Pij Quinti dictum attinet, non contradistinxit ipse magis probabilem sententiam à sententia magis pia, quasi verò magis probabilis non fuerit magis pia, & magis pia, non sit magis probabilis, sed magis piam intellexit, quæ stante æquâ probabilitate redoleret maiorem pietatem; vel

quæ etiam maiorem probabilitatem haberet, & iudicans ex maiori pietate, stante ratione sufficienti, moueretur ad eam amplectendam, nam dum quis Theologus maiorem probabilitatem agnosceret in vna sententia, non deberet eam postponere magis piæ contra veritatem ex ipso affectu catholicæ pietatis in verum potius, quàm in pium, non ita verum inclinantis; quare nulla ratione magis pium hîc contradistinguitur à magis probabili, itavt permittat magis pium dici illum sensum, qui in comparatione cum opposito, oppositus, omnibus pensatis, sit magis probabilis, & sensus magis pius minus probabilis; quibus adde quod sensus, & sententia magis pia debet intelligi hîc concessa amplecti, posito quod eam amplexa sit Ecclesia absq; eo quod discutiatur, & notetur sua maior probabilitas ab amplectente præsertim Idiota; & sententia magis probabilis æstimanda est hîc dici illa, quæ talis iudicaretur ab homine docto, qui solitus esset discernere inter minus, & magis probabile; & ex hac maiori probabilitate, quam attenderet in alterutra, moueretur ad vnam determinatam ex his amplectendam secundum maiorem vel minorem pietatem opinionis, nullo modo attendens quem modum eligendi hanc vel illam opinionem permittit Pontifex, & committit vniuscuiusq; fidelis arbitrio, speculatiuè loquendo, non verò practicè præsertim in vsu cultus circa Sacram Conceptionem, nam in eo omnino erat etiam tempore Pij colenda Virgo, vt Immaculata in sui Conceptione, & errabant colentes eam in publico cultu cum sensu opposito Immaculatæ Conceptioni, vt probandum est in quæstionibus infra ponendis. Id quod bene notauit Cismontana Familia in suo Armamentario pag. 292. Super priorem supplicem libellum in discussione §. 1. num. 49. dicens. [Verba autem illa provt magis pium, vel magis probabile iudicauerit, non indicant absolutam probabilitatem opinionis, sed tantum aliqualem respectum eorum, qui ei adhæserint, quam explicationem esse communem Doctorum patet ex dictis art. 2. n. 172. 211. 212. & 214. nec alia nisi cum manifesta textûs violentia adhiberi potest. Illud enim verbum, iudicauerit, ad opinantem perspicuè pertinet, non ad opinionem in se.] Vbi notatur quod per hæc verba conceditur assensus Sententiæ Maculanti Conceptionem Virginis, si ea appareat alicui magis probabilis, quamuis verè non sit. Nec ex hoc datur ei locus vt magis piam secundum sacram pietatem possit ipse ex placito Pontificis relinquere si vt talem eam agnosceret; nam magis pia ex hoc ipso si magis pia est, debet esse vel magis probabilis, vel saltem æque probabilis cum opposita omnibus pensatis attenta pietate Theologica, seu pietate coniuncta cum supernaturali, vel Theologica Scientia.

12. Quibus notatis æstimandum est hîc primò, quod pietas erga Virginem, de qua loquutus est Pontifex hoc initio Bullæ dicat piam affectionem considerandis considerandis quæ inclinet intellectum ad sentiendum de Virgine dignius, quod omnibus recte pensatis de ea sentiri potest in similitudinem habitûs piæ affectionis, & piæ ipsius affectionis, quam agnoscunt Theologi in fide Theologica & intellectiua, quæ est de obiectis supernaturalibus, ex defectu cuius sæpè homines euidentiam moralem habentes de fidei obiectis, illis tamen discredunt; nam in ijs obiectis, quæ physicam euidentiam non habent, non potest ex se ipso ferri intellectus, vel saltem multum iuuat, & confert ad hoc, vt ad hunc vel illum determinatum assensum feratur, Si voluntas illum inclinet; id quod certissimum est in actibus intellectûs supernaturalibus, qualis est iste sensus & iudicij de Immaculata Conceptione, quod prouenit ex fide magnæ excellentiæ Deiparæ, cui omnia priuilegia sibi congrua debent censeri data: 2°. hic sciendum est, quod pietas hæc notata à Pontifice in fidelibus erga Virginem sit virtus, quæ feratur in eam æstimatam in Conceptione Immaculatam; & vt sic eam colens, & venerans; & consistit in hoc, quod inclinet fideles ad cultum conuenientem Virgini, qui consistit in duobus. Primò. in sentiendo altè & dignè de excellentia & perfectione eius, & in actibus reuerentiæ, & venerationis debitæ illi propter talem excellentiam. Vbi sciendum est, quod quamquam pietas propriè sit specialis virtus, vt respicit parentes nostros, qui fuêre principium nostri, vt statuit, & declarat S. Tho. 2. 2. qu. 101. art. 3. in corp. nihilominus, vt ad 2. inquit S. Doctor. [Quæ sunt creaturarum per quamdam superexcellentiam, & causalitatem referuntur in Deum, vt Dionysius dicit in lib. de diuinis Nominibus cap. 1. Vnde per excellentiam pietas cultus Dei nominatur. Sicut & Deus per excellentiam dicitur Pater noster.] Et sic cultus Dei, & recognitio, & veneratio suæ excellentiæ, quæ propriè est Religionis actus, dicitur pietas; & quemadmodum quia pietas est erga parentes; & consanguinei sunt vnum quid cum parentibus, & pietas item versatur circa consanguineos, vt aduertit S. Tho. ar. 1. in corp. eiusdem quæstionis dicens. [In cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum, quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eisdem parentibus processerunt, & ideò ad hoc pietas principaliter se extendit.] Ita cum pietas, vt dictum est, Deo attribuatur, cum Sancti sint quid à Deo prouenientes, & cum Deo coniunctum, pietas, quæ respicere dicitur Deum modo dicto, respicit etiam Sanctos: inclinans ad eos colendos, & recognoscendam eorum excellentiam, eamque venerandam provt habet S. Tho. qu. 121. ar. 1. ad corp. inquiens. [Ad 3. dicendum, quod sicut per pietatem, quæ est virtus exhibet homo officium & cultum non solum Patri carnali, sed omnibus sanguine iunctis, secundum quod pertinent ad Patrem, ita & pietas secundum quod est donum, non solum exhibet cultum, & officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, in quantum pertinent ad Deum, & propter hoc ad ipsam pertinet honorare Sanctos &c.] Et addit, quod licet in patria non habeat locum actus pietatis, qui concernit ad subueniendum [habebit tamen locum præcipuus actus eius, qui est reuereri Deum affectu filiali quod præcipuè tunc erit secundum illud Sapien. 6. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. erit etiam mutua honoratio Sancto-

tum

rum ad inuicem.] Quo patet manifestè, quod pietas, quæ laudatur in hominibus fidelibus hîc à Pontifice, non sit quædam quasi imprudens, & irrationabilis persuasio, quod B. Virgo fuit originali immunis; sed valdè prudens, & conueniens voluntas satisfaciendi debito colendi Virginem vt Immaculatam, atque adeo voluntas talis, quæ sequatur ad prudentẽ, & rationabilem persuasionem, prudénsque iudicium, quod hîc cultus sit Virgini debitus: cum pietas ex S. Thoma qu. cit. 101. ar. 3. sit virtus potestatiua iustitiæ, ex eo quod respiciat debitum alteri; nam in corpore scribit S. Thomas, [Cum ad rationem iustitiæ pertineat, quod debitum alij reddat, vbi inuenitur specialis ratio debiti alicui personæ ibi est specialis virtus.] Et deinde explicat quod sit hoc debitum pietatis, & de eo circa Virginem colendam, vt Immaculatam in sui Conceptione expressè loquitur Sixtus IV. in Bulla. [Cum Præexcelsa] dũ ait. [Dignum quin potius debitum reputamus vniuersos Christi fideles, vt omnipotenti Deo, cuius prouidentia eiusmodi Virginis humilitatem respiciens ab æterno, pro reconcilianda suo auctori humana natura lapsu primi hominis, æternæ morti obnoxia, eam sui Vnigeniti habitaculum Sancti-Spiritus præparatione constituit; ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui resumeret, & Immaculata Virgo post partum nihilominus remaneret: de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant.] Quibus perspicuum fit, quod pietas fidelium in hoc cultu ab Ecclesia non agnoscitur, nisi vt respiciens rem debitam Virgini, neque vt aliquid supererogationis ex quadam propensione colendi Virginem omnimodè: sed ex motiuo debiti inuenti in hac eius veneratione & cultu, propter excellentiam veræ emaculationis inuentæ, & recognitæ in sua Conceptione, quod est, quod notamus importari, & significari in veteri pietate fidelium hîc notata à SS. Domino Papa Alex. VII.

Declaratur sensus huius Pietatis.

13 SExtò iam videat hanc Bullam relegens pro quo signo existentiæ animæ Virginis hîc signetur piè culta eius Conceptio à fidelibus, vsque ab antiquo tempore; id quod valebit pro reiiciendo prauo sensu eorum, qui putauerunt Ecclesiam Romanam, & vniuersalem non colere Conceptionem Dei Parentis pro primo signo creationis, & existentiæ animæ eius, sed vel pro eo, vel pro tempore sequenti determinato, & breuissimo, vel etiam indeterminato, prout toto Opusc. 2. ostendimus Aduersarios voluisse, & testatos fuisse per duos libellos reiectos à Cismontana Familia, & Calderonio, & deinde à Velasquez, & Christophoro Vega, & aliis. Nam expressè hîc notatur, quod hæc emaculatio Virginis ab originali, & ab eo præseruatio, fuerit venerata à fidelibus non disiunctiuè pro primo instanti creationis animæ eius, aut tempore sequenti; sed determinatè pro primo instanti, ita vt non sit locus tergiuersationi vlli in hac re: cum expressè dicatur hîc à Pontifice veterem pietatem fidelium fuisse cultum Virginis veneratæ vt immunis pro primo instanti, non pro secundo, neque pro tempore sequenti ad tale primum instans; & licet hîc in istis verbis præcisis fortè non definiatur, neque decernatur pro tali instanti Ecclesiam celebrauisse, & celebrare immunitatem, & præseruationem Deiparæ ab originali, ita vt Aduersarij hîc prosternantur; prosternuntur tamen inferiùs, dum ipsa hæc pietas, & sensus fidelium dicitur amplexatus, & receptus, & vsurpatus ab Ecclesia Romana, eumque amplexos fuisse Pontifices, & amplecti, & confirmare ipsum Alexandrum in ordine ad celebrationem Ecclesiæ Romanæ: vndè modo definitiuo tradit quod Ecclesia secundum hæc solum celebrat: licet non definiat, quod ità tenendum sit de fide, id quod pensandum rectè est, vt benè percipiatur, quid hæc dignissima Bulla operata sit, magnopere operetur penitus occludens ora Aduersariis, ne amplius audeant erronèe falsa effutiri, etiam expressè declarata à Pontificè cum errore reiicere, & distorquere. Quod autem ipsi cultum hunc Dei Genitricis conceptæ sine originali agnouerint ab Ecclesia non vsurpatum præcisè pro primo instanti pateat ex primo libello supplici oblato Congregationi Sanctæ & Generali Romanæ Inquisitionis per totum, vbi semper dicitur Ecclesiam celebrare Conceptionem Virginis, non vt Immaculatam, sed ab hoc præscindentem; vndè notatur, quod ante Greg. XV. nomen Conceptionis stabat pro Immaculata, sed tunc Fratres Prædicatores celebrabant sub nomine sanctificationis, & quando coacti sunt celebrare sub nomine Conceptionis, cum de reliquo permitterentur celebrare sub sensu Maculatæ Conceptionis, notauêre, quod nomen Conceptionis factum sit indifferens ad celebrandam Conceptionem Immaculatam, aut maculatam, & perconsequens Ecclesiam non celebrauisse post Greg. XV. sub sensu Virginis ab originali præseruatæ. Legatur totus integer libellus, quem Opusc. præced. registrauimus, & notetur quod primò dicitur ad hoc explicandum videlicet [Ante Gregorium apud multos idem valuit vsus huius nominis Conceptio, quod Conceptio Immaculata; vndè Fratres Prædicatores vtebantur nomine sanctificationis.] Quare expressè ostenditur, quod ipsi celebrabant non sub sensu Virginis Immaculatæ in Conceptione, sed sanctificatæ sub 2. non sub primo instanti. Addunt 2. ibidem Aduersarij, quod fautores Immaculatæ Conceptionis institerunt, vt adderetur nomen Immaculatæ nomini Conceptionis, & quod remuerit hoc Vrbanus VIII. hoc agere. Vndè intulerunt Ecclesiam non celebrare Immaculatam Conceptionem. Verba libelli sunt, [Curarunt iidem apud Vrbanum VIII. vt declararet Festũ celebrari non pro Conceptione quomodolibet accepta, sed pro Cõceptione Immaculata; quod cõstantissimè renuit Vrbanus asserẽs, quod neq; recedere à vestigiis Prædecessorũ debebat; qui vtráque opinionẽ in sua probabilitate reliquerãt, nec affirmare poterat Gregorij opposita, & inter se repugnantia protulisse.] In quibus perspicuè apparet Aduersarios sensisse, quod Ecclesia & Pontifex Vrbanus senserit non celebratam ab Ecclesia Conceptionem Immaculatam, seu præseruationem Virginis ab originali pro primo instanti creationis

nis

nis animæ suæ: quare secundò confirmant in his dictis, quod nos notamus eos voluisse. Id quod patet tertiò quia subdunt hoc ipsum dum dicunt §. 2. libelli [Post Gregorium curatum est quod nullo modo adderetur titulus Immaculatæ Conceptioni, sed Virgini, itavt nec recitatiuè hic titulus ipsi Conceptioni annecteretur.] Et expressè §. 4. [Curandum magis est quàm antea, vt hoc nomen maneat in sua indifferentia, & non vsurpetur vt antea pro Conceptione Immaculata, ne intelligatur Ecclesiam velle, quod omnes sub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.] Hoc ipsum repetitur centiès in libello 2. & expressè §. 23. [Nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam.] Quo nihil clarius pro nostra annotatione. Et de Bellarmini sensu, quem approbat, refertur ab Aduersariis, quod confirmat nostrum dictum. [Bellarminus ait primarium cultum in hac celebritate esse primam Gratiam Virgini collatam abstrahendo à tempore vel instanti quo collata fuerit. Quod hausit ex D Tho. docente celebrari Officium in ratione sanctificationis eius factæ in vtero Matris.] Et subdit Libellator [Non instituuntur ab Ecclesia festiuitates iuxta has, vel illas, quæ falli possunt opiniones; Sanctitas ergo dubia, & in opinione posita non proponitur colenda; primò enim & per se respicitur obiectum cultûs, secundariò verò populorum pietas.] Vbi patet aduersantes Immaculatæ Conceptioni nolle eam coli ab Ecclesia Romana, & ab vniuersali, sed meram sanctificationem sub disiunctione habitam à Dei Parente vel in primo, vel in secundo alio instanti sequente ad creationem animæ Virginis, quod ipsum 15. §. eiusdem Libellatoris manifestissimè iterum apponitur, nam subiungitur. [Quare necessariò dicendum est, sanctitatem Conceptionis Virginis, quæ colitur in Ecclesia Catholica, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, non esse illam, quam in primo instanti ponunt, nec illam, quæ ab aliis ponitur in secundo instanti, quia vtrumque dubium, & opinabile, & à parte rei aliter se habere potest: Sed est illa sanctitas pro illo instanti, quo verè fuit Sancta.] Quod dictum penitùs euellit, & vt erroneum relinquit hæc Bulla, vt infra patebit ex oppositio professo & asserto absolutissimè à Grandi hoc Pontifice. Quare videant Aduersarij si hæc Bulla penitùs euertit eorum dicta, & hoc præcipuum, in quo se refugiebant, dum ipsi dicebantur sentire contra id, quod sentit Ecclesia. Non ergo ampliùs ex ore prodeat eis verbum, quod hæc Bulla nihil noui attulerit, & nihil inde creuit certitudinis Immaculatæ Conceptioni, & quicquid audacter protulerint Sacræ Generali Inquisitioni de sensu cultûs Conceptionis B. Virginis in Ecclesia seruati per præsentem Bullam, erroneè iam dictum apparebit, & certè in præsenti vt erroneum dici constet, cum sit contra expressam Declarationem Pontificis.

14. Id quod vt iterum, iterùmque pateat, legatur in hoc eodem Libellatore decantata frequenter explicatio sensus, qui amplectitur ab Ecclesia in cultu Sacræ Conceptionis; nam §. 26. sequitur inquiens. [Ex his corruit argumentum à verbis Responsorij desumptum. Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem, facta vi, quod idem sit Sanctum, & Immaculatum, vt inferatur Ecclesiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quia celebrat eam sanctam. Vox Sancta in sensu ab Ecclesia intento tam primum, quàm secundum instans complectitur. Siue vt abstrahit à primo vel à secundo, & cum sit terminus positiuus, sufficit vt in altero instanti verificetur.] Nam cum hîc replicetur ab Aduersantibus Ecclesiam celebrare Conceptionem Sanctam non pro primo instanti determinatè, & Pontifex pro instanti creationis animæ Virginis; quod primum esse cultum dicat à fidelibus, & in eo agnitam Sanctitatem Virginis, semper ostenditur, & Aduersarios in hoc dicto penitus ferè vsque ad internecionem deiici, & omninò esse, & assignari præcipuum quid noui & magni afferat hæc Bulla, dum non possit amplius dici Ecclesiam non colere pro primo instanti creationis animæ Virginis eius sanctitatem; quod confirmatur, quia §. sequenti repetitur itidem. [Vox sancta neutri opinioni est alligatata, & verè conuenit Conceptioni Virginis pro eo instanti, pro quo fuit Sancta.] Quo volant Aduersarij reiterato Sanctitatem non tribui ab Ecclesia Virgini pro instanti creationis animæ eius, sed instanti præscindenti ab eo & alio dicto, & hoc ipsum ostendunt, dum addunt ibidem. [Vox Immaculata cuius vsum petunt, (ideſt nos, qui Conceptionem Immaculatam colimus, & sentimus sine macula) non se habet indifferenter ad vtrumque instans, sicut vox Sancta, ideo ante controuersiæ definitionem ab illa voce abstinendum, vel certè non est positiua Ecclesiæ probatione promenda.] Vbi nec celebrandam Conceptionem sub sensu Immaculatæ, nec item dicendam Immaculatam saltem in titulis prohibendum dicitur ab Aduersariis: vt ostendatur apertè eos voluisse celebritatem Sacræ Conceptionis vsurpatam ab Ecclesia, ab eis dici non sub sensu Immaculatæ, & præseruatæ Virginis ab originali, quod per hanc Bullam reiicitur apertissimè.

15. Sed dices, Pontifex hîc in sua assertione tantum à fidelibus vult Virginem coli secundum sensum volentem animam eius pro instanti creationis & infusionis in corpus sanctam; Non tamen dici nisi in narratiua pro primo, atque adeo posse intelligi à fidelibus cultam vt Sanctam pro secundo instanti. At erronea & temeraria est hæc responsio, quia creatio animæ non habet duo instantia, neque item infusio in corpus habet duo instantia, sed merè vnum indiuisibile, vt loquuntur omnes Theologi. Quare non potest hoc dictum Pontificis interpretari pro primo, vel secundo instanti disiunctiuè, cum non sit nisi vnum signabile in hoc casu & acceptione. Præterea non potest intelligi dictam cultam Sanctitatem Virginis pro secundo instanti creationis animæ eius saltem disiunctiuè connecti cum primo; quia Pontifex non loquitur de Sanctitate culta à fidelibus pro creatione animæ Virginis, & instanti talis creationis & infusionis in corpus. Sed sermonem habet de præseruatione à macula originali, quæ præseruatio non potest habere locum respectu habito disiunctiuè ad secundum instans, in quo daretur Sanctitas; nam vt sic

suppone

supponeretur sanctitas non tradita, vel præuisa in primo instanti: cum præseruatio ab originali respectum habeat ad primum instans, & vt sic requirit sanctitatem animæ Virginis; nam si in eo non supponeretur positiuè sanctitas, non posset ea intelligi præseruata ab originali, cum hæc præseruatio saltem concomitanter eius sanctitatem requirat. Verbum item immunem, seruatam Deiparam ab originali, ostendit nunquam originale in ea fuisse. Atque adeo Pontifex non potest hic intelligi præcidisse à sanctitate colligata, vel pro primo, vel pro secundo instanti sequente ad creationem, sed omninò pro illa collata in primo decreuisse fideles coluisse Virginē vt Sanctā. Monstrum item esset hic tradere creationi, & infusioni animæ in corpus præcisionem ad primum & secundum instans; nam si ea daretur in tali creatione, posset simile duplex instans agnosci in omnibus instantaneis, quod est omninò chymericum, & non sine errore, & magna temeritate agnosci posset in organizatione Corporis Christi, & creatione animæ eius, quod nemo Catholicus admittet, vt perspicuum est: atque hæc circa 6. notatum in hoc 2. §. Bullæ. Et tandem quia cum in narratiua expressè tradiderit Pontifex præseruationem Virginis pro primo instanti cultam fuisse à fidelibus; & hanc cultum secundum hunc sensum ipse confirmauerit, & super eum innouauerit Bullas priorum Pontificum expressissimè præseruationem declarantes, & decreuerit colendam pro primo tali instanti intellectam in anima Deiparæ, nullus est tergiuersationi locus Aduersariis, vt patet legenti Bullam; vbi fideles vult manutenere in sua possessione, & reprehendit detorpatores eius, & rursum pietati eorum secundum dictum sensum explicitè obsecundat; & non repetit pro primo instanti, quia vult agnoscere, & notare, quod creatio, & infusio animæ in corpus, non sit vnum instans agnoscit. Et tandem quia cum signanter dicat Pontifex colendam Virginem iuxta sententiam eam agnoscentem Immaculatam, cum ea cognoscat illam expressissimè pro primo instanti creationis eius animæ sanctam, pro eodem eam & ipse asserit sanctificatam.

16. Septimò hi notatur explicanda tradenda gratiæ & priuilegis, quod signatur interesse hic in hac præseruatione Virginis ab originali, vbi agnoscitur primo, quod lex communis gratiæ non asserre potuit, neque attulit Virgini Sanctissimæ hanc præseruationem ab originali, & multo minus eam sibi tributam ex aliqua conditione naturali, & 2. dicitur signanter hanc præseruationem sibi obuenisse ex gratia speciali, & rursum ex priuilegio speciali; vbi licet gratia specialis idem possit importare ac priuilegium speciale, magis ea exprimitur, dum nominatur priuilegium, quo notetur gratiam hanc specialem esse de iis gratiis, quæ sunt omninò extra ordinem specierum communium gratiæ, & numerandam esse inter priuilegiales gratias, quæ talem ordinem superant, & dispensationem diuinam requirunt: vbi rectè notantur gratiæ speciales, quæ sunt intra ordinem seruatum a lege gratiæ, qualis est immunitas ab omni morali, & prædestinatio Sanctorum; aliæ autem sunt extra ordinem legis gratiæ, vt sanctificatio in vtero, & aliæ sunt supra ordinem gratiæ, qualis est exemptio à venialibus, & maximè hæc ab originali, quæ certo certiùs nemini competit Sanctorum, sed soli Virgini, cui soli in hac re dispensatum est.

§. III.

Aucta rursus & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam, post erecta hoc nomine approbantibus Summis Pontificibus Religiosum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem Indulgentias, ità vt accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, iam fere omnes Catholici eam complectantur.

1 IN hoc §. narrat Pontifex auctā in intensione, & propagatam in extensione pietatem, & cultum iam dictum erga Deiparam post tria, quæ Summi Pontifices egēre in fauorem huius pietatis, & cultūs, cum sensu scilicet dicto: videlicet fundationem Ordinis Religiosi, institutionem Confraternitatum, & concessionem Indulgentiarum; & tandem notat, quod hæc sententia accessu sensus celebriorum Academiam amplexata sit, & complectatur ab omnibus fere Catholicis. In quo §. maximè aduertit Pontifex, quod ex approbatione Religiosi Ordinis, erectione Confraternitatum, & concessione Indulgentiarum emanata à Summis Pontificibus, euenerit, quod hæc sententia animam Virginis ab originali eximens in prima sui creatione ad id modo peruenerit, vt esset vniuersalis omnium Catholicorum; quo ostendit ipsos Pontifices in confirmationem, & approbationem dictæ sententiæ non in merum augmentum deuotionis erga Deiparam erexisse Religionem, Confraternitates, & Indulgentias, quod constat ex eo, quod ait, pietatem, & cultum notatum ex his tribus auctum in intensione, & in extensione ex vi horum trium à Pontificibus emanatorum; & cum ex superioribus pietas, & cultus notatus fuerit explicatus ille, qui secundum sensum notatæ sententiæ prodierit, perspicuum est, quod hîc dicantur Pontifices in confirmationem, & approbationem eiusdem sententiæ tria dicta operatos esse. Quod secundò ostenditur ex eo quod Dominus Alexander dicat, ex approbatione Religionis, & Confraternitatum, & Indulgentiarum concessione factis sub hoc nomine, auctam pietatem dictam, & cultum: vbi dum dicitur, quod hoc augmentum prouenerit, ex Ordine concessione dictis, prout factæ sunt hoc nomine; datur intelligi signanter quod causa huius augmenti fuerint erectio, & concessio facta in confirmationem sententiæ, replicatæ de sensu Immaculatæ Conceptionis; nam non post habere alium sensum erectio hoc nomine facta, quia scilicet Religiosus Ordo

institutus fuit ad profitendam Immaculatam Conceptionem, quemadmodum & Fraternitates, nec non & Indulgentiæ concessæ; id quod patet, quia in sui erectione Religio & Confraternitates & Indulgentiæ dicuntur concessæ in fauorem sentientium Conceptionem Immaculatam, vt mox ostendetur, & sub hoc verbo signantur, & nominantur traditæ; quod ostendit verè ex hoc capitè, & ad talem professionem Immaculatæ Conceptionis sentiendam, confirmandam, & exterius verbo significandam, dici erectam Religionem, Confraternitates, & concessas Indulgentias, quod tandem 3. patet expressius, quia pietas hæc dicitur aucta in tantum vt hanc sententiam complectantur omnes fere Catholici. Quare ostenditur perspicuè, quod notata pietas dicatur, aucta ex eo quod augmentum tale habuerit, in quantum hunc sensum, & sententiam profitebatur, & ea vt sic incrementum agnouerit ex approbatione & concessione notatis: certè non nisi in confirmationem eiusdem sensus emanatis: nam si non emanassent in fauorem dicti sensus, non posset dilatatio dicti sensus agnosci, vt caussata ab operatis eiusmodi à Summis Pontificibus. Cum ergo hæc dilatatio sententiæ emaculantis Virginem in suo Conceptu, dicatur caussata ex his operatis à Pontificibus; manifestè constat concessam erectionem Religionis Confraternitatum. & emanationem Indulgentiarum in fauorem sensus imbibiti in pietate fidelium, qui agnoscit Deiparam in suo Conceptu sine macula.

CONFIRMATIO TERTIA CERtitudinis Immaculatæ ex approbatione Religiosi Ordinis, & Confraternitatum.

1. QVare firmum remanet ex hoc §. quod Religiosus Ordo institutus in honorē Immaculatæ Conceptionis à Iulio II. fuerit à Pontificibus institutus, & approbatus & confirmatus in approbationem & Confirmationem sensus, & professionis habitæ à Religiosis de Virgine, vt immaculatè concepta; vnde hic damnātur ij, qui ex institutione talis Ordinis dicūt non confirmatum fuisse sensum de Immaculata, sed merū affectum voluntatis piè colentium Deiparam in hac sententia, non verò sententiā ipsam: quod autem Aduersarij semper senserint hanc Institutionem & confirmationem Ordinis dicti non cecidisse in confirmationem dicti sensus: patet ex omnibus eorum auctoribus, & nuperrimè ex eorum manuscriptis recentissimis, nam 2. Libellator impugnatus à Cismontana Familia, & aliis §. 31. ait. [Subditur approbatio voti quorumdam Monialium sub titulo Immaculatæ Conceptionis. Sed idem respondemus, approbationem scilicet ad volentium pietatem referri, non ad Titulum, quem Pontificum diplomata continent recitatiuè tantum, non verò dispositiuè. Nec inconuenit approbari Religionem particularem, quæ erga piam, & probabilem opinionem deuotionem gerat; non enim aliquod falsum approbatur, dum pius modus viuendi; non modus opinandi approbatur.] Quare in approbatione Religiosi Ordinis de Immaculata Conceptione censuēre nuperrimè Aduersarij non approbasse Pontificem sensum eius emaculationis, vt patet dum volunt per hasce approbationes non approbari sententias, sed modi pium viuendi. Id quod 3. Libellator itidem sentit, dum habet in obiectis contra suum sensum. [In scenam producunt Indulgentias à Summis Pontificibus concessas Conceptioni Immaculatæ, Confraternitates sub titulo Immaculatæ Conceptionis institutas, Monasteria erecta, Ecclesias consecratas.] Vbi negat hæc omnia Instituta in approbationem sensus Immaculati Conceptus, vt paulò post referemus.

CONFIRMATIO QVARTA eiusdem Certitudinis ex Indulgentiis concessis Immaculatæ.

1. VOpateat 2. quod concessio Indulgentiarum facta à Pontificibus attribuatur ab Aduersarijs non sensui Immaculatæ Conceptionis, sed alijs à se imaginatis & intrusis ad has confirmationes dictæ sententiæ expellendas, quās modò Pontifex ratas habet, eorumque deordinatum sensum confringit. Audiamus in hac re Libellatores Nam Libellator 2. in §. 28. apud Cismontanam sic habet. [Indulgentiarum Concessiones obiiciunt, non secus ac si illæ controuersiam dirimerent: argumentum decantatum, cui occurrit Guillelmus Estius Doctor Duacensis dicens Indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati.] Et latius 3. Libellator ostendere conatur quod Indulgentiæ non sint à Pontificibus concessæ sensui Immaculatæ, sed longè diuersis, qui verè viderentur in multis valde audaciter loqui, & compescenda fuerant eiusmodi dicta, quæ satis sua Declaratione & Bulla in præsenti abolenda demonstrat sanctissimus Alexander; recitemus eius verba certè temerè prolata, post enim superiùs allata ait. [Quis igitur (clamat, ipsis) tam deploratæ erit impudentiæ, & contra summorum Pontificum placita, populorum pietatem, Ecclesiarum ritum refragi, & titulum hunc concedere, abnuat collaudare? Cranbm sæpius recoctam, sæpius à nostris depulsam, rursum ad nauseam nobis exponunt, vnde parum ad illam subsistere nobis est opus, indicato tamen ex quibus eam non bene olere subodorare potuerunt.] Quæ verba applicat Libellator obiectioni contra Aduersarios & contra se factam de Indulgentiis concessis in fauorem Immaculatæ Conceptionis, quam nauseam sibi & suis afferre notat, non quia abominabilem doctrinam & Ecclesiæ ingratam forte attulerit, sed sibi, & suis, qui ex hac declaratione, & assertione Pontificis animaduertuntur, corrupto laborasse stomacho, & intelligentia sana defecisse, dum contra ipsorum sensum decreuit, & notauit hic summus

Summus Pontifex Indulgentias eiusmodi fuisse concessas in fauorem Immaculatæ Conceptionis: si viueret certè Libellator, hæc verba, vt dignus Catholicus retractaret, & agnosceret obiectionem, hinc contra ipsos factam reprobati à Pontifice, & suam morderet linguam, & labia, quæ talia protulisset, & aduerteret se infirmo, & non bene olente stomacho laborare, non vomitum prouocare, doctrinam dulcissimi succi spiritalis & supernaturalis plenam; sed ad Libellatorem redeamus, qui sequitur, inquiens. [Primum est incumbere ipsis onus probandi veritatem consimilium Indulgentiarum, quod non facilè ipsi præstabunt. At difficulter pro nostra modestia adducimur ad ipsas coarguendas mendacij & falsitatis; certum tamen est à pluribus illas esse concessas Officio Nogarolæ, vel post illud, quod Officium Oraculo subreptitio Pij V. cõfirmatum esse sæpius validis rationibus confecimus.] Vbi liquet in tantum negare Aduersarios colligi fauorem erga Immaculatam Conceptionem deductum ex Indulgẽtijs concessis à Summis Pontificibus, vt negent has Indulgentias concessas, & contendunt nos posse arguere falsitatis & mendacij in eis affirmandis Quo quid audacius, quid falsius, quid magis temerarium? & ad hanc temeritatem coarguendam sufficiat auctoritas præsens Pontificia, quæ rem declarat certissimam esse dum ipse pro certo tradit Indulgentias concessas in fauorem sensus Immaculatæ Coceptionis: quare non est necesse vt aliqua alia probatio adhibeatur ad hanc earum existentiam comprobandam, & mirum sit qua ratione potuerit hic doctus alioqui vir, tantum hallucinari vt non agnouerit harum Indulgentiarum concessionem, & existentiam in Bulla Sixti IV [Cum Præexcelsa] In illa Innoc. VIII. [Inter innumera.] In alia Iulij. II. [Dum præclara.] In 3. Leonis X. quæ incipit. [Supra gregem Dominicum.] In 4. eiusdem Leonis. [Pia Christi fidelium.] In quinta Adriani VI. [Romanus Pontifex.] in 6. Sixti IV. [Ineffabilia.] Et in 7. Pauli V. [Ad augmentum.] Et alijs, quibus apertissimè concedantur Indulgentiæ colentibus Immaculatam Conceptionem, & mirum sit hominem hunc alioqui doctum, eas in dubium reuocasse, & eos, qui illas adducunt, mendacij & falsitatis arguere se posse dictitasse, Sed iam conuictus relinquendus est in hac re, & confusus, qui tale quid contra expressas concessiones tot Pontificum ausus sit asseruisse, dum expressè iridem SS. Alexander eius dictum repellit, & temerarium fuisse declarat.

2. Nec in his dictis persistit hic Libellator, prosequitur deinde inquiens. [Sed libentissimè indulgeamus esse Indulgentias omnes, quas venditari cum Papa videmus. Nil tamen solidum pro sua sententia colligere se posse dispicient, si obseruabunt, quod prius notabam duplex scilicet obiectum talium Indulgentiarum, principale aliud, alterum verò secundarium, quod Schola vocaret formale, & materiale. Obiectum formale Indulgentiarum est aliquid fide certum, quod est Sanctitas Conceptionis Virginis; obiectum verò minus principale, siue secundarium & materiale, est circumstantia temporis, scilicet primi, vt ipsi credunt; secundi verò instantis vt nos credimus, illud est fide certum, hoc autem piè creditum. Illud est obiectum terminatiuum Indulgentiarum, hoc verò motiuum populorum ad quærendas scilicet, & postulandas Indulgentias, & pariter Summorum Pontificum ad illas concedendas. Non inficiabimur ergo concessas esse Indulgentias Immaculatæ Couceptioni B. Virginis: In cœno tamen semper hærebunt, si inde se colligere posse existimauerint ab Ecclesia Catholica approbatam fuisse, & de fide certam illorum opinionem, licet vt piè creditam, permissam, & concessam nos non diffiteamur, & viri docti, qui res trutinant, non affectus, cumulatissimè probabunt, quod dicimus; licet enim obiectum motiuum populorum ad illas postulandas, & Summorum Pontificum ad illas concedendas fuerit pia credulitas; obiectum terminatiuum veritas, & validitatis Indulgentiarum fuit Conceptionis Sanctitas, sancta & indubitabili fide pro certo asserta, non temporis circumstantia piè & probabiliter existimata; nisi tamen aliquis desipere voluerit, vt indulgentias ad aliquod dubium & incertum terminari posse nobis persuadere velit. Quod si rem hanc inspicere velimus sub oculis nostris ponere licebit ingentem esse multitudinem Imaginum B. Virginis à Luca, vt referunt, depictarum: quibus dum summa deuotionis obsequia pietatis officia, cultus argumenta à Catholicis exhibentur, à Summis Pontificibus varijs Indulgentijs sunt donatæ ac consecratæ: quis verò sanæ mentis inde conficiet, ab Ecclesia siue vt mitius loquar, approbatum D. Lucam illas Imagines depinxisse, cum apud eruditissimos id dubium sit, & incertum, & maximus Annalium Parens Baronius, non infirmis rationibus id falsum esse clarissimè probauerit.] In quo 6. quot ferè verba, tot errores, vel maledicta præscribenda sunt; vndè non miretur lector, si paulò morosius excedam munus Paraphrastici, & induam illud Apologi contra tam manifestas falsitates, & conuicia veritatis nec primò sancto suo morsu & graui argutione, & damnatione careat dictum, quod Indulgentiæ simul cum Papa venditentur in Ecclesia, vox enim ista redolet modum loquendi Lutheri; qui ex hoc capite fictæ venditationis, reprobauit veritatem Indulgentiarum; redolet conuitia, & errorem Petri Suauis Indulgentias carpentis; rectè animaduerto non in sensu horum loquutum esse hunc doctum virum, quisquis ille fuerit. Innominatus enim est; voluit fortasse solum dicere Indulgentias aliquas vulgari falsas ad pecuniam lucrandam; Sed doctum & Catholicum virum dedecuit hunc errorem aliquorum paucorum infarcinare, & fautores Immaculatæ Conceptionis cum hisce indignis viris consortij similis erroris notare; pessimè etiam videtur notatum in hac Indulgentiarum falsa, & suppositia enulgatione Papæ venditationem intercedere, quasi verò in Ecclesia Catholica Summi Pontificis Maiestas in tantum abeat contemptum, & vituperium vẽditationis. Atque hæc dicta sint, vt modus in enũciando magnæ temeritatis arguatur, & animaduersione contra eum non facta, veluti permissus æstimari posset; deueniendo item ad doctrinã, Anonymus iste obiectũ Indulgentia-

rum primarium vnum, alterum secundarium, quasi verò non possit obiectum primarium esse itemque minus principale; cum Theologi velint Christum Dominum esse obiectum primarium fidei supernaturalis infusæ, licet minus principale; quod notandum fuit vt videatur, in quantum qui semel à veritate vult aberrare, iterum nolens aberrat, & sæpe sæpius aberrare cognoscitur. Notatur item obiectum hoc primarium in Scholis vocari formale. Secundarium verò materiale, quasi vero secundarium obiectum nullum detur formale, quod est falsum, nam multæ virtutes, multæque scientiæ complura respiciunt obiecta secundaria eaq; formalia, non mere materialia; & Charitas habet pro obiecto formali primario Deum, & secundario proximum. Metaphysica scientia habet secundum plures Deum vt obiectum formale primarium, & Angelos vt obiectum etiam formale secundarium. Physica habet pro obiecto formali primario corpus naturale, & de eo aliquid demonstrat; nec non etiam materiam & formam substantialem, vt obiectum secundarium, & sic de similibus innumeris materia respicit vt obiectum formale primarium formas substantiales, & accidentia, vt obiectum formale secundarium. Quare nec rectè loqui constat hunc Doctorem in istis suis doctrinis, quæ applicatæ nostræ materiæ, errare cum toto cœlo demonstrant; nam his suppositis subdit, quod obiectum formale Indulgentiarum per ipsum dictum item primarium sit sanctitas Virginis in communi, & obiectum secundarium seu materiale Sanctitas Virginis in vno vel altero instanti sibi concessa, seu cum hac vel illa circumstantia temporis; & rursum primum de fide certum, 2. piè creditum; & tandem addit primum esse obiectum terminatiuum Indulgentiarum, 2. verò motiuum populorum ad illas postulandas, & obtinendas, & item Pontificis ad illas concedendas & dandas, & vltimò concludit non inficiari indulgentias esse concessas Immaculatæ Conceptioni, sed vt concessæ & permissæ, non vt approbatæ ab Ecclesia. In quibus nemo non videt quot & quanta ineptè infarcinet apertè falsa, dicendo primum quod non respiciatur principaliter ab Indulgentiis datis à Pontifice Immaculatæ Conceptioni, nisi sanctitas eiusdem Virginis. Vnde sequeretur, quod etiam si Virgo non fuisset immaculatè concepta, hæ Indulgentiæ datæ fuissent, quod perperam diceretur, vt patet. 2. hoc tale obiectum primarium, & sanctitas Virginis vt sic, dicit esse obiectum terminatiuum Indulgentiarum, quasi verò eæ ordinatæ sint ad honorandam sanctitatem Virginis, vt sic, & non ad eam honorandam, vt immaculatè conceptam, & hoc quod asserit, perperam asserit, & falsò: nam fideles (vt Pontifex declarat) eius emaculationem ab omni peccato intendunt honorare, & celebrare, & sic hæc ipsa sanctitas extra maculam originalis dicenda est obiectum terminatiuum tum populorum, tum Pontificum, qui eam voluerunt, & mandarunt celebrari. Quare iam apparet, quanta infarcinat falsa, quanta ineptè, cum ad quid post explicationem primarij, & secundarij obiecti immiscet istud terminatiuum, & motiuum obiectum, cum illud ipsum in populis, & Pontificibus fuerit terminatiuum, & motiuum: nam ita sanctitas Virginis extra maculam fuit, & est terminus Indulgentiarum, vt etiam ipsa præ sua excellentia mouerit fideles ad eas celebrationi ipsius annectendas, & Pontifices ad eas communicandas, & hoc maximè ita esse declarauit hic Pontifex ad totalem explosionem contrarij huius dicti in Ecclesia, qui vt speramus, amplius non repullulabit modò inustus nota erronei, si non hæretici dicti, vt infra videbimus; ex quo constat quàm necessarium fuerit hoc declarauisse summum Pontificem, & quàm apertè ex hac declaratione Pontificia error hic aboleatur. Nec 3. quod habet de sanctitate Virginis dubiè emaculata ab originali, quæ non possit esse obiectum terminatiuum Indulgentiarum: & 4. quod Indulgentiarum concessio non approbat. Conceptionem sine macula, quia similiter approbaret ex hoc capite concessas Indulgentias Imaginibus sancti Lucæ, quod verè eæ à sancto Luca fuerint depictæ, quicquam obstat præsenti Declarationi Pontificiæ, nam sanctitas ab originali emaculata Virginis certa semper fuit moraliter, nec Indulgentiæ ab vllo Catholico, ne dicam Pontifice, somniatæ sunt concessæ à Pontifice in confirmationem, quod fuerint S. Lucæ; sicut hîc declaratur concessas fuisse piæ huic sententiæ proyt de hac re vidimus, quando egimus de Indulgentiis concessis Virgini in Ecclesia Messinensi.

CONFIRMATIO QVINTA HVIVS Certitudinis dictæ ex sensu omnium fere Catholicorum.

1. DEclarat tandem hîc vltimò summus Pontifex hanc veritatem amplexam esse à plerisque celebrioribus Academiis, nec non præterea ab omnibus fere Catholicis, & primum non alia ostensione liquet, quàm enumeratione eiusmodi Academiarum celebertimarum, sic in Hispalensi Academia scitur, teste D. Petro Guertero Bustamante Notario Apostolico, & à secretis Clausstri Insignioris eius Vniuersitatis apud Cismontanam Familiam p. 323. Iuramentum ab omnibus Laurea donandis Doctoratûs in hac forma exprimi ex immemorabili tempore videlicet. [Similiter iuro, & promitto me perpetuò dictum, & defensurum sacratissimam Dei Genitricem Mariam numquam peccatum originale habuisse, sed ab instanti suæ Conceptionis ab illo immunem, ac proinde semper Immaculatam, & purissimam extitisse.] Simili modo hoc ipsum professa est, & profitetur Academia Complutensis sequenti iuramento. (Quoniam gloriosissima Virgo Maria Mater Dei Augustissima, teste Sacro-sancta Ecclesia his, qui elucidant ipsam, (hoc est ipsius sanctitatem eximiam, & gratias prope diuinas in lucem proferunt) vitam æternam pollicetur. Florentissima Complutensis Academia, & eiusdem loci Ecclesia sancta ad grauissimam illam quæstionem, quæ de illius Conceptione, sanctificationisque exordio est, Patrum monumentis diligenter inspectis, perspectisque maturâ consideratione Theologiæ monumentis; amplam admodum occasio-

occasionem nacta elucidandi eius gloriam, doctrinam, quæ disserit glorioſiſſimam Virginem Mariam Dei Matrem præueniente, & operante diuini muneris gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab initio originali culpa, ſanctámque, & Immaculatam, tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſcripturæ hactenus ſemper ſumma conſenſione defendit, & propugnauit. Sed quo fœlicius tandem eiuſdem ſanctiſſimæ Mariæ gloriam in lucem proferat, reſque ſit illuſtriùs oculis omnium teſtata; eandem veram ſententiam tenendam, & amplectandam poſt hac ſub Sacroſancta iuramenti Religione tactis Euangeliis, promittit, recipit, ſpondet.] In idem ſubſcripſit Academia Salmaticenſis in hæc verba. [Nos itaque totius noſtræ almæ Vniuerſitatis nomine, ac vice, Deo Optimo Maximo, tibíque ſanctiſſimæ, glorioſiſſimęque Virgini Matię Matri eius votum facimus, & ſanctè promittimus, ac iuramus te, quam ſemper beatam, ſempérque benedictam, & Immaculatam vno omnes ore prædicamus, ſanctam quoque à tuo primo Conceptionis inſtanti, ac per IESV CHRISTI tui Deique filij Vnigeniti merita ab æternitate præuiſa; diuina te ſic gratia præſeruante ab originali peccato immunem fuiſſe conſtanter tum publicè, cum priuatim aſſerturos, defenſuros, prædicaturos, & nullo vnquam tempore, vel latum vnguem ab ea ſententia receſſuros; quo verò certiore, ac diuturniore hæc noſtra voluntas ſucceſſu confirmetur, æternùm valituro edicto ſtatuimus, ac volumus; & nullus vnquam ſiue Doctoratûs & Magiſterij, ſiue Licentiæ aut Bachalaureatûs gradum, vel titulum in eximia hac noſtra Academia promoueatur, vel admittatur; niſi qui huic noſtro voto eadem mentis ſententia, factóque ſuffragabitur; & ſemper tam publicè, quàm priuatim ſuffragaturum ſeſe iuramento adſtrinxerit; hoc pariter omnes vouemus, ſpondemus, iurámus, ſic nos Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.]

2. Simile iuramentum ſcribitur ex antiquo tempore vſurpari ab Academia Pariſienſi, quæ teſte Salazario in ſæculo 15. initio notatur ex Scoto hauſiſſe Doctrinam Immaculatæ Conceptionis: vndè in Officio Conceptionis confirmato à Sixto IV. & compoſito à Bernardino de Buſtos prima die, lect. 4. dicitur. [Intemeratam Matris ſuæ Conceptionem Saluator noſter innumeris frequenter propalauit indiciis, quodam enim tempore Religioſi quidam, in tantam Conceptionis altercationem proruperunt, vt Ordinis Minorum Fratres Hæreticos nuncuparent; quia Dei Genitricem ſine originali macula conceptam ſuis in prædicationibus proteſtantur. Ea de re Apoſtolico iuſſu in Pariſienſi ſtudio publica Diſputatio peracta eſt: ad quam dicti accuſatores cum innumeris pœnè Ordinis eorum Doctoribus conuenêre. Dominus verò noſter Ieſus Chriſtus ad protegendam dilectæ Matris dignitatem Scotum Ordinis Minorum Doctorẽ eximium ad Ciuitatem illam protinus deſtinauit, qui Aduerſariorum fundamentis, argumentiſque omnibus inconuincibili ſermone confutatis; Ita Conceptionis Dominæ innocentiam clariſſimè comprobauit, quod omnes illi Fratres ſublimitatem eius plurimum admirati, obmutescentes in diſputando defecêre. Quapropter opinio Minorum à Pariſienſi ſtudio illicò approbatur; Scotus verò Doctor ſubtilis propter hoc appellatus, victor ad altiſſima veræ Sophiæ ſtudia remeauit: illi autem tam multi accuſatores à pauciſſimis ſuperati obſtupeſcentes receſſêre.]

3. Et hinc eadem Academia ſanciuit ne quis oppoſitam Immaculatæ Conceptioni ſententiam legere poſſet, teſte Bachonio in 3. d. 3. q. 4. ar. 3. & paulò temporis interſtitio introductum iuramentum dictum, vt notat Salazarius ex Paulo Veneto de pura Concept. & ex Bernard. de Buſtos ſer. 8. & Eucato in Elucid. Virg. par. 2. Occaſionem huius iuramenti firmati in hac Academia tradit Trithemius in ſuo Chronico anno 497. citatus à Ciſmontana Familia in ſuo Regeſtu pag. 467. in hæc verba. [Hoc anno quidam Doctor Pariſius fuit Ord. Pr. nomine Ioannes Veri, homo temerarius, & præſumptuoſus, qui in die Conceptionis B. ſemper Virg. Dei Genitricis, (vt moſ eſt illorum hominũ) in Oppido quodam Deppe Rothomagenſis Diœceſis publicè in ambone prædicauit Beatiſſimam Virginem Mariam purgatam ab originali macula, & non præſeruatam. Ex qua prædicatione ſcandalum grande in populo fuit exortum, quia omnes fermè die (præter paucos Prædicatores, credunt, ſentiunt, & prædicant Dei Genitricem omni laude digniſſimam, originali nunquam ſubiacuiſſe peccato, ſed præſeruatam ſemper. Vndè citatus ad Vniuerſitatem Pariſienſem propoſitiones ſuas erroneas, & falſas 15. die menſis Septembris publicè reuocare, & abiurare compulſus fuit cum iuramento, quod nunquam aliter de Conceptione B. MARIÆ ſemper Virg. ſentire, credere, aut prædicare velit, quàm præfata Vniuerſitas determinauit; ſequenti autem die hoc eſt 17. menſis Septembris congregati ſunt, apud Sanctum Martinum in Ciuitate Pariſienſi LXXXII. S. Theologiæ Profeſſores Viri doctiſſimi, & omnes in eadem Vniuerſitate de rigore promoti in præſentia totius Vniuerſitatis vno ore, vnáque ſententiâ ſtatuerunt, & determinauerunt, quod nemo deinceps pra fatæ Vniuerſitati adſcribatur, niſi ſi huius determinaçionis (quod videlicet B. Virgo Dei Genitrix Maria ſemper ab originali macula fuerit immunis, & præſeruata) aſſertorem, ſtrenuúmque propugnatorem pro viribus futurum confirmet iuramento. Ipſi etiam antea iurauerunt, ſicut in ſtatuto continetur; ſed omni tempore huic veritati puriſſimæ Conceptionis Marianæ firmiter adhæſerunt. Mirum nobis videtur, quod tantis viribus ſe nonnulli opponere audent.] Huc vſque Thritemius.

4. Habes item apud eamdem Ciſmontanam Familiam in citato Regeſtu pag. 343. iuramentum Vniuerſitatis Cæſarauguſtanæ, & pag. 346. illud Academiæ Granatenſis, & 348. Regalis Collegij Granatenſis. Rurſum pag. 322. Iuramentum Vniuerſitatis Hiſpalenſis à tempore immemorabili, & pag. 353. Simile inſignis Collegij maioris S. Ildephonſi Complutenſis. pag. 357. illud Vniuerſitatis Toletanæ anno 1608. pag. 359. Aliud Vniuerſitatis de Bæza, & pag. 328. Ab Vniuerſitate Oſſunæ, &

à Compostellana. 340. & pag. 372. Aliud Vallisolitanæ. pag. 384. Simile 1618. Barchinonensis. pag. 387. anno 1619. Aliud Vniuersitatis de Ognate, & anno 1619. Item illud Vniuersitatis Limensis in Indiis exaratum ab eadem Cisnontana pag. 391. Et rursum apud eamdem aliud Vniuersitatis Ouetensis ab immemorabili. pag. 455. Nec non illud Vniuersitatis Seguntinæ anno 1643. notatum pag. 456. Præterea videndum est illud Vniuersitatis Colonensis relatum à Trithemio anno 1499. Quod refert citata Cisnontana pag. 468. Et Moguntinæ anno 1501. Similiter relatum à Trithemio provt habet dicta Familia pag. 464 Vbi notatur quod eiusdem sensus fuit Academia Oxonienſis, opera Scoti, provt refert Eucarus in Eluc. Mar. 2. pag. fol. 64. §. nec non & Pater Daza in opere pro Immaculata fol. 38. eiusdem sensus. p. 470. Et deinde recensentur pro eadem fuisse, & esse Academia Tolosana Bononiensis, Cantabrigiensis, & Louanienſis. Et in nostra Sicilia Mamertina & Panormitana, quæ suos Laureatos iurare facit.

5. Quo patet cùm numerus, tum excellentia Academiarum celebertimarum, quæ huic sententiæ de Immaculata Conceptione subscripsêre, & ostenditur hinc manifestè vniuersam sapientiam Ecclesiæ ei adhæsisse, cui certè omnes ferè Catholici adhæsêre, cum item liqueat similia iuramenta edidisse Ciuitates magnas, & celebriores in quibusvis Regnis, vt de Senatu Matritense refertur à Cisnontana. pag. 323. Simile edictum, nec non à Ciuitate Oscæ anno 1450. à Granatensi 1618. & anno eodem à Toletano, & ab Archiepiscopo & Capitulo Hispalensi, nec non à Ciuitate Vallisoletana. Regno item Neapolitano à Palentina Vrbe, à Cæsarauguſtana, à Regno Nauarræ 1619. & 1620. à Statu Ecclesiastico & sæculari Ciuitatis de Albarrancin, à Communitate Agreda, à Ciuitate de Alfaro, & de Estella, & anno 1621. à Procuratoribus Ciuitatum omnium Regnorum Castellæ, Communitate de Cerbera, à Ciuitate Segouiensi: & anno 1625. à Ciuitate Murciæ, & 1630. à Ciuitate Acurana & 1643. à Ciuitate Burgensi, & Ciuitate Ouetensi, & aliis in solis Hispaniis. Nam certum est simile Iuramentum, & votum emisisse alias Ciuitates ampliſſimas in aliis Regionibus, quæ notatæ non sunt; testari ego possum de Neapolitana Ciuitate, quæ tempore horrendæ suæ pestis votum vouit B. Deiparæ Conceptæ sine macula, se defensuram eius emaculationem à culpa originali, nec non Panormitana, quæ anno 1624. ante Neapolitanam simile votum emisit; & D. Rosalia apparens post paucos menses ab emisso voto cuidam Panormitano Ciui, mediatrice Deipara testata est, se impetrauisse liberationem eius à peste, quæ penitùs cessauit die 15. Iulij quando Diuæ huius per vniuersam Ciuitatem processionaliter corpus in Arca argentea magnificentissimè extructa delatum est. Votum autem Vrbis in sequenti forma emissum est, videlicet. [Ad tuæ Maiestatis pedes ô Cœli, terræque Regina prouoluti. Nos Cardinalis Ioannettinus Doria, Archiep. Panorm. Capitulum & Clerus Metropol. Ecclesiæ Panorm. & Nos Senatus Populusque Panor. SS. Domini Nostri D. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. de tuæ gloriæ amplificatione bene meriti, eiusque præcedecessorum Romanorum Pontificum ac sacrorum Conciliorum Tridentini præsertim, probatissimorumque Patrum, vniuerso fere populo Christiano plaudente vestigiis inhærente in hoc tibi sacro Templo, in hac nobis læta & fausta solennitate, permerita filij tui, te iam ab ipso sine peccato originali præuisam, & præseruatam confitemur, testamurque Deum, & filium tuum, nos hanc sententiam de tua ab originali præseruatione nostro iamdudum insita pectoris, Deo inspirante constantissimè ad vltimum vitæ spiritum retenturos, atque à nostris quantum in nobis fuerit, teneri, ac doceri, Deo adiuuante curaturos; & insuper Conceptionis tuæ sacratissimum diem festiuitate solenni, ac illius peruigilium Ecclesiastico ieiunio celebraturos. Ita vouemus, ita spondemus, ità iuramus. Sic nos Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euang.] Quam assertionē votum & Iuramentum ad pedes SS. Domini Nostri D. Vrbani Papæ VIII. mittimus, vt hæc omnia Apostolicâ Benedictione promouere dignetur. Tu ergo felix ô summe felix Beatissima Virgo, quæ in æternitate ab ipso Deo electa fuisti, & præseruata, SS. D.N. Vrbanum VIII. diuturnitate fælicissimæ pacis amplifica, Catholicum Regem nostrum Philippum tuæ sine peccato Conceptioni constanter ad dictum omnibus bonis accumula, & ineffabili pietatis tuæ largissimo dono diutius conserua, vniuersæ Reip. Christianæ perpetuam pacem ac tranquillitatem elargire, & vt filius tuus nobis omnibus, & huic Populo animorum pietatem, corporumque incolumitatem concedat; & ab hac Ciuitate ac toto Siciliæ Regno mortalitatis & pestilentiæ flagellum auertat, impetrare digneris pïssima Mater.

6. Post hæc Cantor prima Dignitas Ecclesiæ Missalem Librum ad Illustriss. Dominū pertulit, qui stans sine mitra suo Capituli & Cleri Cathedralis Ecclesiæ nomine conceptis verbis in hunc modum iurauit. [Sic voueo, sic iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.] Sacrum deinde librum in parua mensa super puluinari serico explicatum scitè in pauimento ante medium altaris collocant Administri.

7. Tum venerabundus ac supplex accessit Senatus & genibus positis Capitaneus, Prætor, Conscripti in eadem verba vouêre, postremò Syndicus nomine Vniuersitatis & Populi. Quoniam verò idem Em. Dominus Cardinalis Doria Philippi IV. Catholici Regis in hoc Siciliæ Regno summo cum Imperio vices gerebat, id ipsum eo etiam nomine vouit, iuraueritque cum Magistratibus ac sacro eiusdem Consilio Regni die 8. Septemb. Virgini natæ sacro in hunc modum.

8. Ex varijs item relationibus constat hæc eadem vota, & iuramenta vtique vsurpata in tota Europa in Ciuitatibus Catholicis; itavt certissimum sit ferè omnes Catholicos huic adhærere sententiæ, & vix posse numerari extra familiam vnam in tota Ecclesia Catholica plures homines in quocumque Regno, qui contra sentiant & in ipsa eadem notata Familia plures itidem sciuntur omnibus temporibus adhæsisse, & modo fortiter persistere contra sensum suorum sociorum in defendenda sententia Ecclesiæ, & Summorum Pontificum;

quo

quo licet animaduertere, quod nulla scitur sententia in Ecclesia sic controuersa, & exagitata, quæ tantam vniuersitatem fidelium consequuta fuerit pro vno determinato sensu propugnatricem acerrimam tam breui tempore. Nam illa Assumptionis Virginis per plura sæcula non habuit tantam pro affirmatiua parte propugnationem; & tempore Caietani certitudinem, quam modò habet, venata non fuerat, si ipsi credamus in Opusc. de Concept. cap 1. Aliæ item multæ quæstiones exortæ, vt illa de Sanguine Christi in triduo dimisso nec ne à verbo; illa alia de habitibus infusis concedendis, necne infantibus baptizatis; nec non illa de gratia, quæ redderet hominem sanctum, esset necne aliquod positiuum in anima, ante decisionem non habuerunt tantam propugnationem à tanta vniuersitate fidelium; & in Concilio Trid. inter complures ex Patribus in aliquibus controuersijs, quæ inter Catholicos versabantur, paulò ante decisionem fuit sæpè magna altercatio, & Concilij decisio illam terminare potuit, quales fuêre illæ duæ de matrimonio clandestino irritationi subdito, & de certitudine infallibili negata cognitioni alicui in fidelibus, quod essent Deo grati, præcisa reuelatione quam egregius Doctor Catharinus cum alijs exagitauit grandi contentione, prout testatur in sua historia Emin. Pallauicinus.

9. Vbi notandum quod SS. Alexander quamquam dixerit Immaculatam Conceptionem amplecti omnes ferè fideles, ita vt notarit, non omnes omninò esse in hoc sensu, non propterea negauit vniuersam Ecclesiam amplecti hanc sensum, quia etsi mathematicè & arithmeticè omnes fideles non concurrant in vno sensu, & aliqui pauci respectiuè ad numerum fidelium Ecclesiæ repugnent; non propterea fit, quin verè dici possit Ecclesiam vniuersam conuenire in sensu, qui negatus à tam paucis respectiuè ad sui multitudinem. In qua re maximè attendi possunt meo iudicio, qui in Sancta Vrbe Romæ tenent oppositam sententiam; Si enim ij essent valdè multi præsertim ex Clero Romano, non posset formari argumentum maximum ex hac parte; at si in eo grandi Clero in numero & qualitate virorum in Ecclesia Primatum, & cui vniuersè non potest conuenire defectibilitas in fide, valde pauci sententia de maculata Conceptione amplecterentur extra Familiam Fratrum Præd. (& cum in ea ibidem vix numerari possent ducenti Fratres, quorum maior numerus est vel Laicorum, vel Iuniorum, vel Sacerdotum, qui in doctrina parum profecerint; & fortè vix inuenientur viginti vel triginta viri dignæ litteraturæ, qui maculatam sentirent Conceptionem) respectu tantæ multitudinis Prælatorum, & Patrum, necnon aliorum virorum Doctorum Ecclesiasticorum Sæcularium, & tot tantarumque Familiarum Religiosarum quarum vnaquæque plures habet celebres in doctrina, certè pauci valdè & ita pauci essent indigitandi contrarium sentientes, vt non essent in hac comparatione numerandi, quod ad oculum ostenditur saltem Ecclesiam Romanam vniuersam hanc amplecti sententiam. Ita hoc ipsum debet dici à potiori de vniuersa Catholica, quæ conflatur ex omnibus alijs Ecclesijs, cum præsertim plures Ecclesiæ nullum habeant contrasentientem. In ijs enim nullus sæpe inuenietur è tali Familia, qui in ijs degat, vt in Indijs, in Anglia, & partibus Hæreticorum innumeris patet. Necnon in varijs mundi Catholici à nobis remotis partibus, in quibus hac doctrina maximè voluit imbui fideles idiotas Clemens VII. Pontifex Max. Quemadmodum & quoscumque alios fideles idiotas totius Reip. Chr. nam in Instructione, quam Cardinali Roberto Bellarmino componendam tradidit ad docendum res fidei idiotas, quámve ipse approbauit, sic dicitur per modum Dialogi. [Discipulus, quid significat, Gratia plena? Magister, Gratia Dei tres potissimum effectus in anima operatur. Primus est, quod peccata deleat.] Et deinde. [Quantum ad primum effectum attinet Beata Virgo nullius peccati macula nec originalis, aut actualis, vel mortalis, aut venialis infecta fuit.] Quo patet admodum rectè dici Vniuersam Ecclesiam in hoc sensu conuenire, quo dici potest velle totam Immaculatam Conceptionem in Virgine.

---

§. IIII.

Et quia ex occasione cõtrariæ assertionis in Concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nẽpe eadẽ B. Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissentiones; fel. Rec. Paulus Papa V. etiam prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publicè doceri, & prædicari; quam prohibitionem pia mem. Greg. XV. similiter prædecessor noster ad priuata etiam colloquia extendit, mandans insuper in fauorem eiusdem sententiæ, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicunque debeant.

SEquitur in hoc §. Pontifex suam narrationem de progressu, & serie sententiæ de Immaculata Conceptione, de cuius oppositione per sententiam contrariam, & ex occasione contrariæ in actibus publicis propalatæ narrat, exorta in populo Christiano scandala, seu ruinas animarum, iurgia, ideſt contentiones iniuriosas, & plenas conuiciis, & dissensiones, seu auersiones animorum, & harum auersionum internarum externæ propalationis. Vndè

aut

ait Paulum V. vetuisse huius sententiæ contrariæ Immaculato Conceptui publicam propalationem, & 2. annuit vetitos sermones priuatos affirmatiuæ sententiæ à Greg. XIII. & tandem 3. præceptum Gregorianum notat de vsurpando in diuinis solum nomen Conceptionis, prohibens illud sanctificationis, & similia.

CONFIRMATIO SEXTA eiusdem certitudinis desumpta ex scandalis exortis ex sensu oppositæ sententiæ tempore Pauli V. & Gregorij. XV.

1. IN qua re primò declarat Pontifex summus hæc mala prouenisse ex occasione sententiæ affirmatiuæ, non verò negantis originale de Virgine: quo notat, quod quando prædicabatur publicè Virginem immaculatè Conceptam, non exortum fuerit vllum scandalum, scilicet cum culpa, nam si fuisset, notauisset, & dixisset ex ea scandalum, vel malum aliquod exortum, in quo conformauit se SS. Dom. Alexander cæteris Pontificibus, qui nunquam sententiæ neganti originale Virgini tribuerunt hæc scandala culpabilia; & quæ notam aliquam ipsi inurerent, vt videri potest in Bullis omnibus de hac materia agentibus Sixti IV. Alex. VI. & Pauli V. & Gregor. XV. Notauit autem hîc 2. Pontifex positiuè, quod ex occasione sententiæ affirmatiuæ hæc mala prouenerint in populo Christi. Id quod priùs asseruit primò Sixtus IV. in prima sua Extrauag. [Grauè nimis,] vbi scandala, quæ enumerat in Ecclesia Dei exorta tribuit affirmãtibus Virginem in originali conceptam, & sic in prima ait. [Sanè sicut accepimus, nonnulli diuersorum Ordinum Professores ad prædicandam verbum Dei in diuersis Ciuitatibus & locis Lombardiæ deputati, & non ignari, quod sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis gloriosæ Mariæ Conceptione festum celebrat, & speciale, & proprium Officium ordinauit; in eorum prædicationibus ad populum publicè, hactenus affirmare non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant astante populi multitudine, omnes illos, qui tenent, & affirmant eandem gloriosam Dei Genitricem Virginem Mariam absque macula originalis peccati fuisse conceptam, hæreticos esse &c.] Et de iis ita affirmantibus subdit. [Ex quorum prædicationibus, & assertionibus non lenia scandala in partibus illis in mentibus fidelium sunt exorta; & maiora exoriri formidantur in dies.] Et in extrau. 2. inserta in corpore Iuris hoc ipsum repetit dicens. [Nonnulli vt accepimus, diuersorum Ordinum prædicatores ad populum publicè per diuersas Ciuitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidiè prædicare non cessant omnes illos,] & reliqua, quæ in superiori Bulla annexa sunt his verbis: mortaliter peccata, vel esse hæreticos eiusdem Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes &c.] & deinde ait. [Ex quorum assertionibus &c.] quæ supra recitauimus. Quo patet scandala hæc attributa esse à Sixto IV. in vtraque Bulla, affirmantibus Virginem conceptam in originali, non verò eam eximentibus à tali peccato. Sic Alex. VI. affirmatiuam sententiam amplectentibus de macula originali infligenda Virgini scandala imponit, dum ait. [Non nulli diuersorum Ordinum Religiosi &c. quidam verum, alij verò reliquum affirmare non erubescant, ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur & scandala non modica generantur.] Sic Paulus V. in Bulla Regis Pacifici, similiter protulit. [Ex quorum assertionibus & prædicationibus non lenia scandala in mentibus fidelium exorta erant.] Loquens de scandalis tempore Sixti, & de tempore suo subdit. [Nonnulli interminatis quæstionibus nimis intenti dissensionem huiusmodi iamprídem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant, & rixæ non sine Dei offensa, & scandalo plurimorum exortæ sunt.] Et in alia Bulla SS. Dominus noster habita in Generali Inquisitione dicitur. [Nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ &c. oriantur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, dissensiones.] Et tandem hoc ipsum habetur ex Greg. XV. an. 1622. in Generali Inquisitione id ipsum sequentibus verbis. [Hoc suo præsenti decreto ex eisdem causis cuitandi scandala, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt; & vt accepit, in aliquibus Regionibus iam orta sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ.] Ex quibus ad euidentiam patet tot scandala semper fuisse reiteratò tributa sententiæ affirmanti originale in Dei Parente, quæ nota magna est ad hanc sententiam improbandam vt falsam; nihil enim tale vnquam in aliqua sententia contigit, quæ omnino falsa non fuerit inuenta. Quo Pontificio asserto damnatur assertio Aduersariorum, qui occasionem scandalorum in sensum de Immaculata conuertunt. Sic vltimus Scriptor in disputatione sua vnica habet.

2. Quare hîc secundò notandum, quod dicta sententia affirmatiua referatur hic à summo Pontifice prohibita in Conuentibus publicis à Paulo V. necnon in Conuentibus etiam & Collegiis, & scriptis priuatis à Greg. XV. quod item nulli sententiæ non falsæ contigisse scitur in Ecclesia Dei, & de quo signo improbabilitatis eius alàs agendum, cùm de eius magna falsitate disseremus.

CONFIRMATIO SEPTIMA eiusdem positi ex mandato vsurpandi solius nominis Conceptionis in Missa, & Officio: declarato, quod prodierit in fauorem Immaculatæ.

1. NOTAT tertiò Pontifex, à Gregor. XV. prohibitum aliud nomen ab illo Conceptionis, & illud præscriptum à Greg. in Missæ Sacrificio; & addit hîc

hanc

hanc prohibitionem factam, & mandatam prodiisse in fauorem sententiæ emaculantis Conceptionem Virginis ab originali, & ad illam scilicet præstandam, & significandum Virginem ab originali præseruatam, quod Pontifex addidit ad prosternendos Aduersarios, eorúmque inuentum; quo censuêre hoc mandatum ad hunc finem, & ad hanc protestationem non prodiisse, sed ad seruandam in æqua probabilitate in hac re affirmatiuam, & negatiuam sententiam; & ad hoc vt sub hoc nomine Conceptionis possit intelligi culta sanctificatio Virginis, etiam pro secundo instanti suæ animationis. Id quod expresè tradidêre Aduersarij in Libellatore primo loquente ex ore ipsorum omnium in hæc verba §. primo. [Contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eumdem Gregorium, vt præciperet omnibus, quod in celebratione solemnitatis non alio, quàm Conceptionis nomine vterentur, quod Pontifex, vt cultus esset magis vniformis, concessit, innuens nomen Conceptionis de se indifferens ad vtramque sententiam.] Quare SS. Alexander dum declarat hoc factum esse in fauorem sententiæ de Immaculato Conceptu, expresè fregit eorum audaciam, qui voluêre oppositum, & dixêre nomen Conceptionis celebratæ stetisse pro sensu etiam dante originale Virgini, & ad illum significandum impositum, quasi verò Conceptio ex Gregorio significare incæperit animationem tum primam, tum secundam Deiparæ; in qua secunda esset sanctitas; & sic sub hac disiunctione Sanctitatis eius in vna, vel altera, celebraretur. Patet item Aduersarios mandatum Gregorianum de vsu nominis Conceptionis pro se, & non in fauorem sententiæ affirmantis originale de Deipara interpretatos fuisse ex 2. Libellatore §. 11. sequentibus verbis. [Dum Aduersarij sub Greg. XV. summo conatu partis affirmantis præiudicium exquirunt, decretum prodiit, vtramque sententiam in sua probabilitate confirmans; cuius vigore Fratres Prædicatores nomine Conceptionis sanctificationem intelligunt, Aduersarij præseruationem.] Quare ostendunt se voluisse mandatum non exiisse in fauorem sensus de Immaculata, quem sensum Aduersariorum Pontifex abiicit, eique contradicit, & declarat oppositum sentiendum in illis verbis. [Mandans insuper in fauorem eiusdem sententiæ, vt in Missæ Sacrificio, ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quàm priuatim non alio, quàm Conceptionis nomine, vti quicumque debeant.] Quo dicto confirmauit SS. Pontifex quæ circa hoc punctum scripsêre Doctissimi viri, qui efficacissimè, ostenderunt contra Aduersarios, merè pro, & in fauorem sententiæ de Immaculata Gregorium, nomen Conceptionis statuisse vsurpandum in cultu Conceptionis Deiparæ, & ô quantum ipsi nunc gauderent, si viderent rem declaratã à Pontifice, quemadmodum ipsi declarauerant, & probauerãt latissimè omni energia, putantes, & aduersantes rem esse claram, & euidentem in sensu Gregorij, qui isti nostræ, & non alteri sententiæ voluit fauere, & ipsi putauit se satisfeciisse. Vndè gratiarum actionem libenter suscepit Hispalensium, & professus est satisfeciisse Regi Catholico in mandato vsurpationis dicti nominis; atque hi Doctores maximè fuêre Calderonius, Cismontana Familia, Velasquez, Vega, & Neribergh, de perpetuo obiecto Festi Conceptionis, c. 23. & 25. qui admodũ rectè confutat dictũ Libellatoris secũdi modo citatum, qui dixit nomine Conceptionis intelligi Sanctificationem in Decreto Gregoriano, nam inferretur ex hoc, quod quando in Officio diuino dicitur. [Hodie concepta est Beata Virgo Maria ex progenie Dauid.] Et quando dicitur. [Conceptio Glorioſæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ ex Tribu Iuda, ortæ ex Tribu Dauid.] Sensus esset, hodie est sanctificata Virgo Maria ex progenie Dauid, quasi verò Sanctificationem à Dauid traxisset, & rursum ex semine Abrahæ, & ortu ex Dauid, quæ essent stultissima dicta.

2. Vndè pateat ad euidentiam quod Bulla hæc sanctissimi Alexandri sit adæquatè conformatiua omnium eorum, quæ circa hæc & similia puncta tradidimus toto Opusc. 2. in quibus cum nostris Commilitonibus pugnauimus ad ostendendum quàm falsò, & temerariè Aduersarij interpretati sint verba & Decreta Pontificum, & per hanc Bullam omnia nostra dicta & sociorum nostrorum remanent confirmata in Contradictorio Iudicio, in quo ipsi Aduersarij auditi sunt, & in omnibus hisce dictis per hanc Bullam sunt correcti, & damnati in propositionibus suis; pro qua re legendi sunt complures Auctores tum nostrorum, tum Aduersariorum, qui contradictoria in hac re adducebant, & Summus Pontifex pro fauentibus Immaculato Conceptui perspicuè hîc apparet pronũciasse. Sic legi potest apud Caietanum, & Libellatorem tertium, & alios communiter, quod voluerint sententiam de Immaculata, provt eam signat de prima animatione Virginis in Sanctitate esse recentiorem, & tempore S. Thomæ ab ipso Caietano inopinabilem dictam. Contra quam disseruêre Cisinontana Familia, & Calderonius nouissimè, & antiquiores nostri ante ipsos; & pro nostris pronuntiauit in hac Bulla Pontifex. Idipsum dico de Religioso Ordine, & Confraternitatibus confirmatis in confirmationem Immaculatæ; de Indulgentiis, de quibus perpetua fuit pugna nostrorum asserentium, & proclamantium ea concessa in fauorem & Confirmationem sensus de Immaculata, cum contra disceptarint nostri Aduersarij, quemadmodum, & ipsi volebant scandala orta in Ecclesia ex isto negatiuo sensu, propugnatores verò pro Immaculata, nonnisi ipsorum sensui id tribuebant ex sensu Pontificũ, & de his, & similibus litem terminauit, & diremit SS. Alexander, qui vtens terminis nostrorum Commilitonum, & provt ipsi loquebãtur loquutus, ostendit apertè se eorum dicta, & sensa confirmare, & damnare voluisse: saltem vt erronea, nedum temeraria; nam vt temeraria ferè proclamabantur ab Auctoribus ante Pontificis declarationem.

§. V.

Nihilominus pro vt venerabiles fratres Episcopi ferè omnes Hispaniarū cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinuatione Charissimi in Christo filij Philippi eorumdem Hispaniarum Regis Catholici qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem Ven. Fratrem Ludouicum Episcopum Placentinum per quem etiam delata nobis fuerunt ad nos supplicationes eorumdem Regnorum Hispaniarum, pergunt aliqui cōtrariæ illius opinionis assertores tū priuatim tum publicè præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & fauorē à Romanis Pontificibus cultui, & festo secundum illam præstitum ita interpretari, vt frustrentur; Imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui iuxta illam B. Virgini exhibito fauere negant, pios Christi fideles è sua pacifica possessione deturbare conando. Vnde offensiones, & scandala, & lurgia, quibus obuiare voluerunt Paulus V. & Greg. XV. nostri Prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem aduersantium maiora his incommoda in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, eiusque Regna, nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

1. NArratiuam adhuc sequitur Summ. Pontifex de oppositione facta sententiæ à Pontificibus laudatæ, & protectæ de Immaculata Conceptione; quamquam tot iteratis, & auctis fauoribus amplexatam à fidelibus; & aduertit quod hæc protectio Summorum Pontificum, & singularis eius præelectio supra oppositam cum mandato silentij sententiæ maculantis Conceptionem Deiparæ nullo modo egere, quin à compluribus approbata de reliquo à Summis Magistris, non curaretur reijci, etsi potuisset infra oppositam deijci, & penitus obliterari. Quamobrem refert aliquos in Vniuersis Hispanijs inuehi contra sententiam de Immaculata pluribus modis primò eam impugnando. 2. eam vellicando, seu pungendo. 3. fauorem illi, & approbationem habitam à Summis Pontificibus quærendo vt euanescat, & in nihilum abeat, eumque frustrentur. 4. negant absolutè Ecclesiam Romanam ei fauere & 5. conantur à possessione eorum exturbare, quæ in fauorem huiusce sensus licita sunt fidelibus, & rursum æstimare iustè, & sanctè soliti sunt; & hinc narrat 6. perdurare ea scandala, iurgia, quibus obuiare voluit Paulus V. & Gregorius XV. & 7. timeri adhuc maiora incommoda in posterum prouidet, quorum omnium, 8°. testes adhibet omnes ferè Episcopos Hispaniarum cum suis Capitulis, nec non etiam relata & supplicata Regnorum Hispaniæ ad se delata per Episcopum Placentinum ex Aragoniæ Regno, & præterea 10. testificationem eorumdem factam per Dominum nostrum Philippum IV. Regem Catholicum. 11. Item subdit instantes supplicationes sibi factas, vt his malis opportunum remedium tribuatur, tum à Regnis Hispaniæ, tum ab Ecclesijs, & Capitulis, tum etiam à Rege nostro Philippo IV. quem scribit ad se misisse Oratorem Venerabilem Ludouicum Episcopum Placentinum, quæ omnia hîc ponderanda sunt, vt appareat quantum ex his eluceat veritas sententiæ Immaculatæ Conceptionis sic oppugnatæ, & tam validè defensæ ab Ecclesijs, & Summis Pontificibus.

Digressio, in qua notatur summa duricies Aduersariorum in submittendo propria iudicia assertionibus, & sensibus Summorum Pontificum.

2. ANtequam autem hæc declarentur, notanda hîc videtur magna & ferè summa durities aduersantium, cum alia, ni fallor, ingenti obscuritate eorum intellectus, qui non aduertunt magnam hanc sui duritiem, & ita obnubilantur animo, vt eius deformitatem non abominentur, nec item agnoscant in hac sua sententia affirmante maculam in Conceptione Virginis Sanctissimæ per duo sæcula lapsos fuisse semper in nouos, & peculiares errores, quos corrigere oportuit, & numquam contra veram sententiam nisos, & oblatrantes non egisse, quin ea verior & certior redderetur, itavt ex hoc capite desiderari queat, cum semper magis & magis ab ipsis oppugnari, vt tandem ad definitionis portum, & metam perueniat.

3. Reuoluant quæso dilectissimi, & docti viri vniuersos Ecclesiæ annales, lectione percurrant cunctas Theologorum Controuersias, & animaduertant, si quæ sententia fuerit in omni discussione de ea facta, semper in Ecclesiæ Tribunalibus, sicuti hæc reiecta magis, & magis fuerit opposita perpetuò cum victoria remanente, quæ num, vt ista non fuerit post aliqua examina eam reijcientia à suis etiam

propugna

propugnatoribus derelicta, & pluries victrici cedens, & famulata deinde ad oppositæ certitudinem ex sui deiectione confirmandam? Non hîc afferam hæreticas sententias, quæ vna vel altera discussione fuêre proscriptæ Catholicis continuò triumphantibus, sed memorabor Theologicas olim dubias controuersias, in quibus si semel, aut bis visi sunt, Vniuersitas Doctorum, vel Summi Pontifices, aut Ecclesia inclinasse in aliquam partem, alia derelicta. Hæc continuò visa est ab omnibus derelinqui primâ amplexatâ. Ea sententia quæ infantibus pueris dabat habitus virtutum supernaturalium infusarum, vt magis probabilis ab Ecclesia & in Concilio Viennensi declarata fuit, & vniuersa dein Doctorum Catholicorum turba eam libenter amplexa est. Itavt In Concilio Trid. sine vlla magna difficultate definitioni tradita sit, & antiquius illa non rebaptizandorum eorum, qui baptizabantur ab Hæreticis à Cornelio Papa amplexata, licet sine definitione fuerit protecta, statim est à septuaginta Episcopis, qui eam oppugnabant, recepta: nec ab ipso Cypriano vlterius defensa; olim item Franciscana Familia magno ardore contendit sanguinem Christi in Triduo dimissum fuisse à Verbo Diuino, & pro hoc sensu pugnauit maximè Sixtus IV. in Minoribus cõstitutus ex parte eiusdem Familiæ apud Pium II. ita vt Pius Bullam ediderit, qua prohibuerit censurari hanc, vel oppositam sententiam; & tamen etiamsi nulla de hac Controuersia prolata decisio sit à Sancta Sede Apostolica post hanc Bullam, vt bene aduertit Arriaga.

4. Nec Concilium Tridentinum quicquam expressè tradiderit, quo hæc sententia infringeretur, nihilominus videmus, quod eam Franciscana Familia videns Doctores Ecclesiæ, & fideles in contrariam inclinare, non curarit ampliùs defendere, & conformauit se sensui communiori vnanimi, vel ferè vnanimi Ecclesiæ, quod certè egit sanctè, prudenter, sapienter, & more sanctorum Patrum, qui si aliquid senserunt contra communem subsequentem sensum, non defierunt hoc cognoscentes acquiescere à se alieno sensui, qui esset Ecclesiæ, vt de Cypriano debet constare, & de Eutichete narratur in lectionibus S. Gregorij in Breuiario Romano, & videmus apertè in retractationibus S. Augustini. In hac autem controuersia animaduertant quoties sucumbere ipsis oportuerit, qui primò hæresis Immaculatam infamabant, & Scoto pro ea propugnante in Parisiana Academia, primâ inter cæteras Europæ, imò totius Ecclesiæ, ab omni errore ita fuit vindicata, vt eam vnanimiter amplecterentur omnes Doctores Parisienses, aduersantium contrariâ explosâ. Pisis iterum ad incudem prospiciatur reconcessa ab Alexandro V. Summo Pontifici, & ab eodem approbata aduertatur, aduersantibus suis oppugnationibus irritis & contrariâ reiectâ. Iterum 3. in examen adducta à doctioribus viris in Italia degentibus & Romam aduocatis reportetur in mentem, & agnoscatur peculiari Pontificio diplomate confirmata, sua ipsorum sententia non acceptata, & iterum reiecta anno V. Quartò hæc ipsa aduersantium opinio iterum ab eodem Pontifice Sixto malè loquens contra Immaculatam fulminata fiet notis erroris, & omnis falsitatis insignibus prosternata anno 1481.

5. Iterum 5. ab eodem anno 1483. nouo diplomate, eoque vniuersali, si non in se damnata, in suis consequentiis denuo, vt erroneis declarata, & in se ipsa damnationi, vsque ad tempus, quo fuerit de hac re decisum dilata; nam Sixtus in hoc 3. suo diplomate scripsit. Simili pœnæ & censuræ subiicientes vos, qui ausi fuerint contrariam opinionem tenentes V. gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum id nondum sit à Romana Ecclesia, vel Apostolica Sede decisum, quam decisionem damnationis non annuit inquam, nec ipse nec alius Pontifex dubiè futuram de sententia Immaculatæ, sed solum de contraria opinione forte futuram; quam item opinionem variis Bullis item reiecit, scilicet illa, quæ incipit. [Inter præcipuas.] Alia quæ incipit. [Ineffabilia an. 1476.] Illa tertia alia. [Duo attenta 1477.] & illa 4. [Libenter ad ea, 1480.] dum varias concedit in his Indulgentias in confirmationem sensûs Immaculatæ Conceptionis extra illam vndecim mille annorum, quam concedit recitantibus orationem, quæ incipit. [Aue Sanctissima] quam recitat Cisimontana in Reg. Col. 548. 6. approbata in honorem Immaculatæ, & non maculatæ Conceptionis Religione ab Innocẽtio VIII. fuit iterum atque iterum, & de nouo hic item sensus Maculatæ in obliuionem proiectus, itavt non nisi oppositus in Ecclesia, & Ecclesiastico nomine nominaretur, quod peractum esse constat anno 1489. Et Septimò quia iterũ erigere caput quærebant tempore Ecclesiæ turbulento, Alexandro VI. regnante, hæc aduersantium sententia nouo fuit eius diplomate depressa, & humi retenta anno 1500.

6. 8. Nouam depressionem passa est hæc sententia, dum Iulius II. specialiter in honorem expressè Immaculatæ Conceptionis exaratam formulam professionis Religiosæ approbauit, & maculatam consequenter reiecit, anno 1511. & dum anno 1510. In idem varias Indulgentias concessit in Bulla. [Dum præclara.] & alia. [Ad statum prosperum.] an 1511. & 1510. Domui Lauretanæ, quia ibidem Virgo concepta creditur.

7. 9. Eamdem depressionem habuit hæc sententia innouatam à Leone X. anno 1517. & 1518. dum is vt immaculatam tradidit denuo Conceptionem Virginis, & Officium Nugatolicum confirmauit, in quo sæpissime immaculata Virgo decantatur; idque non prætermitti mandauit in partibus Hispaniæ etiam tempore Interdicti, cum repetita concessione Indulgentiarum id, quod cum titulo Immaculatæ Conceptionis denuò iterauit circa Moniales subiectioni Fratrum Minorum ex illa Cistercienſium traditas; & præterea quia concessit in aliis Bullis plusquam duodecim varias Indulgentias habentibus, vel deferentibus varias Imagines Conceptionis Deiparæ, vel recitantibus aliquas orationes, vel audientibus eius Missam.

8. 10. Similem hæc opinio ab Ecclesia explosionem consequuta videtur ex Bulla Adriani VI. qui Confraternitatem Toletanam sub nomine Immaculatæ Conceptionis Virginis institutam confirmauit, & magnis Indulgentiis cumula

cumulauit, & vbique inſtitui ſimiles conceſſit, provt legere quis poteſt in Regeſtu Ciſmontanæ pag. 144. & in obſeruatione Bullæ eiuſdem Pontificis pag. 153. necnon in aliquibus conceſſionibus eidem Confraternitati factis à Cardinali de Saluiatis Legato à Latere Clem. VII. qui teſtatur eam inſtitutam ſub nomine Immaculatæ Conceptionis provt ibidem legitur, pag. 158.

9. Vndecimò, nemo non videt exploſam hanc ſententiam à Clemente VII. qui conceſſit item varias Indulgentias recitantibus Officium Nugarolicum & illud Quignonij à Paulo V. qui ſimiles conceſſit quinquies in eumdem honorem Immaculatæ. A Iulio III. qui confirmauit cuncta conceſſa Monialibus Immaculatæ, & à Paulo, qui in idem varia diplomata edidit teſte Vuadingo orat. 8. fol. 221. & à Pio IV. teſte Gonzaga 3. par. Chron. in Prouincia S. Iacobi Conuentu 32.

10. 12°. Certè maximè exploſa fuit à Pio V. dum edidit Bullam 1568. per quam mandauit ab Vniuerſa Eccleſia coli Immaculatam & ſanctam Conceptionem, ac Officium eius in Breuiarium Romanum recludi præcepit.

11. 13°. Perſpicuum eſt, quam eiectionem perpeſſa ſit eadem opinio, dum per Tridentinum Concilium confirmata ſunt ſtatuta de hac re in Bullis Sixti IV. & declaratum ipſum non acquieſcere vllo modò incluſioni Virginis in iis, quæ decreuerat de originali, & de Scripturis expoſuerat, provt Aduerſaria hæc opinio inſtabat, ſempérque inſtitit, nec deſinit audacter inſtare, quo proſternauit eius dicta, quæ ſemper tentarunt ſtatuta, & doctrinam in hac materia Pontificiam tradere, vti exaratam non abſoluto ſenſu Pontificio, ſed ſolo permiſſiuo, & complexiuo vtramque ſententiam.

12. 14°. Repercuſſa & proſternata fuit hæc ſententia à Greg. XIII. qui vinæ vouis oraculo atteſtato à Guillelmo Sirleto tituli ſancti Laurentij in Paniſperna S. Rom. Eccl. Preſbytero Card. conceſſit licentiam dicendi Officium Nugarolicum Fratribus Minoribus poſt Reformationem Breuiarij Romani factam à Pio V. anteceſſore, & pluſquam ſex Indulgentias conceſſit in Confirmatione Immaculatæ.

13. 15°. Item proiectu huius dictæ ſententiæ apparet in Sixto V. qui idem Officium Nugarolicum conceſſit poſſe recitari per totam Octauam Conceptionis B. Virginis à Fratribus Minoribus, & Monialibus eiuſdem Ordinis, cum in hoc Officio centies repetatur Immaculata Conceptio Virginis, ac proinde amandetur ab Eccleſia maculata, & præterea in Bulla. [De ſalute gregis.] in alia [Expoſitum nobis,] & illa [Ineffabile] plures Indulgentias conceſſit in confirmationem eiuſdem ſenſus.

14. 16°. Nec reliquit Clemens VIII. reiicere ſententiam maculantem Virginem, dum approbauit inſtructionem puerorum fidelium de Immaculata, & Indulgentiam plenariam indulſit viſitantibus Eccleſiam Immaculatæ.

15. 17°. Eamdem & maiorem expulſionem ſententiæ de Maculata Conceptione ab vniuerſa Eccleſia Paulus V. meditatus eſt, & exequutus, dum eam à Conuentibus publicis omninò remouit ſub pœna Excommunicationis.

16. 18°. Multò maiorem amandationem eiuſdem ſententiæ inuenit, & exequutioni tradidit Greg. XV. dum eam nec priuata voce, aut verbo, & ſcripto enunciari penitùs prohibuit ſub eadem cenſura, & verbum meræ ſanctificationis in celebritate Conceptionis vndequaque amouit; quæ expulſio non ſcitur vnquam exequuta in ſententiam vllam, quæ à viris Catholicis amplexa ſit.

17. 19°. Suam expulſionem itidem ter habuit ab Vrbano VIII. triplici conceſſione Indulgentiarum, & inſtitutione Ordinis Militaris ſub inuocatione Sanctæ Conceptione Deiparæ, cuius Militiæ habitum miſit Eliſabethæ Reginæ Hiſpaniarum; & ſi publicam non habuit ab Innocentio X. ſcimus eum meditatum fuiſſe declarationem cuiuſdam decreti, quod prodierit ſubrepticiè à Sacra Congregatione de abolendo titulo Immaculatæ Conceptionis, de quo varias collationes habuit cum Theologis de re ante ipſum diſputantibus; vnde ſtatim SS. Dominus noſter Alexander VII. iuſſit Magiſtro Sacri Palatij renitenti, vt vidimus in Opuſc. 2. præmiſſo, vt titulum Immaculatæ concederet Romæ imprimi, ſicuti impreſſum fuit anno 1655. cum diſcurſu Theologico P. Martini de Eſperza Artieda Soc. Iesv.

18. 20°. Tandem ſumma eſt expulſio huius ſententiæ facta per SS. D. N. Alex. VII. qui expreſſiſſimè declarauit tum ſe, tum Summos Pontifices antecedentes fauiſſe, & fauere, & ſe velle fauere ſententiæ de Immaculata Conceptione, & ſecundum eam celebratum fuiſſe, & celebrari Feſtum eius in Eccleſia Vniuerſa ſolemne, & in eius confirmationem Religioſum Ordinem, variaſque Confraternitates inſtitutas, & ſecundum eam rectè inſtitutum Officium Nugarolicum, & rurſum non debere eam in diſputationem, vel dubitationem reuocari, nec contra eam, neque remotiſſimè loqui, aut ſcribi, nec prætendi fruſtrari hos fauores; qui omnes eius fauores ſunt expulſiones contrariæ ſententiæ declaratæ, vt non memorandæ, & abolendæ ab Eccleſia, & ſolum vindicatæ à mera exteriori damnatione hæreſis mortalis peccati, & impietatis non quidem ab aliquo ſigno probabilitatis in ea cognitæ, ſed ex iuſtis cauſis habitis à ſancta Sede Apoſtolica. Vndè quamquam ceteri Pontifices expreſsè declarauerint ſe nolle ei præiudicium vllum, niſi in iis, quæ à ſe diſpoſita fuerint; ſanctiſſimus hic Dominus hoc præiudicium non curauit ei factum, & ab hac clauſula vſurpata à Paulo V. & Greg. XV. omninò abſtinuit; nec dubitauit non piam declarare relinquere ſententiam dictam oppoſitam Immaculatæ; cum eidem Immaculatæ fauentem piam declarauerit; quod in Concilio Tridentino tractatum fuerat, nec tamen admiſſum eo tempore.

***

Hortatio aduersantibus facta, vt tandem sensui Pontificum in sensu Immaculatæ Conceptionis acquiescant.

18. Vibus animaduersis, animaduertant Aduersarij suam, vti videtur duritiem cordis, qui tot placitis, & reiteratis sensibus, & summis propensionibus ferè triginta Summorum Pontificum, in idem semper venientium, nolunt acquiescere, & sua ipsorum sensa submittere; viri de reliquo, qui solent amplificare, quanti habeat summi ponderis, sensus vnius etiam Summi Pontificis, vt ei soli cesserit sæpè innumera multitudo Præsulum, Principum, & populorum, & ipsi tam pauci, nec in Ecclesia eiusmodi generis, vt votum vllum decisiuum sortiantur; in hac re per sæcula semper tot Summis Pontificibus resistere non sint veriti: hac vnâ solâ voce se defendentes, quod ij non definitiuè, sed solum assertiuè Immaculatæ fauerint. Legant quod ipsimet in tertio Libellarore scribũt, exêplificantes, & amplificantes soli sensui Hormisdæ cessisse Patres omnes Orientales, ipsumque Imperatorem Iustinum, atque hoc animaduertisse & laudasse magnoperè Emin. Baronium Ecclesiasticorum Annalium diligentissimum, & veracissimum reuolutorem: audiantur ipsissima Libellatotis verba, quæ sunt sequentia. [Inita igitur pace inter Ecclesiam Oriẽtalem & Occidentalem pro Sedis Apostolicæ Legato, ardentissimæ, efficacissimæque preces Hormisdæ, qui tunc regebat Ecclesiam humiliter oblatæ nedum à Populo, Patribus Concilij Constantinop. ac totius Orientis; verùm etiam ab ipso Iustino, vt permitterentur in Diptychis remanere nomina Episcoporum, quæ iam in ipsis restituta fuerant, exigere id Populorum pietatem, Religionis zelum, Hæreticorum odium, & gratam in Orthodoxos Episcopos memoriam, Ecclesias Ponthi, & Asiæ, totiúsque fermè Orientis; & nullis minis, aut persuasionibus induci posse, vt nomina Episcoporum è tabulis expungant. Vnde maximum Schisma in Ecclesia conflandum, meritò tamen posse, securè verò, & rationabiliter concedi, quod potius à Patribus fuerat sancitum, ab Imperatore petitum, & à toto Oriente expostulatum. Renuit tamen tandem Gloriosissimus Pontifex, constantissimeque recusauit postulata concedere; ratus indignum Ecclesiæ Immaculatæ communioni restitui, qui Acatis hæresi, & schismate polluti communione iam antea commaculati fuerant. Vnde datis litteris ad Imperatorem, & alios, minimè concedi posse multis argumentis demonstrauit, quod talium communione vniuersa simul inficeretur Ecclesia, & populos illos cogendos esse ad remedia salutaria.]

19. Quodnam autem iudicium in hac re magnus Ecclesiasticorum Annalium parens Baronius pietate insignis, prudentiâ præexcellens, in Ecclesiasticis ad miraculum eruditus, quid de Populo, Clero, ac Patribus iudicauerit? quid de Imperatore censuerit? quid de Hormisda existimauerit? Vt Eminentissimi Cardinales habeant, vnde res præsentes qua trutinâ illas expendant, & quam Regulam noua hæc exigant, hîc fideliter transcribam, & nihil penitus de meo attexam. Anno igitur 518. instantiam, & multitudinem precantium considerans hæc ait n. 33. [Est profectò magna admiratione dignum, quod tantæ Ciuitates, tam frequens Populus, vnà cum Monachis, atque, Clericis, tanta instantia petijssent, & congregati in Synodis siue Constantinopoli siue in Syria, & vbique, locorum in Oriente Orthodoxi Episcopi stabilissent in vnam, eamdemque sententiam conspirãtibus omnibus Oriẽtalibus Orthodoxis Episcopis, consentiente præsertim Imperatore, cum vnus tantum dissentire inuenitur Romanus Episcopus, omnia mox labefactata sua sponte, nullo negotio corruêre. Vnius itaque duntaxat facultate fuit Hormisdæ Romani Pontificis, vt quæ ab omnibus approbata essent, irrita prorsus redderentur; qui potuit easdem ad ea omnia abroganda, atque penitus delenda compellere, eluxit plane, vt ea in re quantus esset in Ecclesia moderanda rigor Apostolicæ Sedis.' Hæc ille. Quid verò de Iustino penes quem summa auctoritas erat totius Imperij, censeat, audiamus.

20. [Qui licet ex fidei Catholicæ ardore sit iure laudandus, dum tamen plus quàm par est homini laico à se proposita, ex sua ipsius sententia optat sibi cuncta quàm celerrimè à Romano Pontifice definiri, parat sibi inscius ad lapsum foueam, in quam miseram vitam negligens ad vitæ finem, dum sine consilio currit, præceps demum incurrit Religio, dum licentius currat.

21. Nec igitur primum hîc tibi consideranda proponimus lector, vt primos gressus inspicias, quibus pedetentim itur ad mortem, cum V. G. quis nouitati aditum facilem parans à vetustate recedit. Immemor enim sui propositi Iustinus, cum aduersus Monachos Scythas ad Hormisdam Pontificem scribens, nihil nouitati concedendum esse, fuerat, vt vidimus, contristatus mutatus sententia, nouum quippiam cupit auctoritate tamen Apostolicæ Sedis inferri. Sit Principibus omnibus in ore, cordeque, Prophetæ Principis illa sententia, Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine. Ne vel pedem vnum à linea recta quouis prætextu deflectant, sed iugiter (quod monet Propheta) de semitis antiquis interrogẽt, & intelligãt se Dei esse subditos Sacerdotibus. Hæc ille.] Et rursus addit Anonymus.

22. [Quibus verò verbis Baronius anno 525. n. 5. afferat, admireturque constantiam doctissimi Pontificis. Audi. Sed in memoriam reuoca quanta fuerat ista exposita diligentia, atque licentia, quotque litteris eiusdem clarissimis inculcata, tot arietibus Romani Pontificis tentata constantia, vt impossibile potuisset videri non flecti; & cuncta perentibus non indulgere. Hæc inquam omnia tibi sunt memoriâ recolenda, quo ea, quæ dicenda erunt, cum fueris assecutus, magis magisque, mireris [Et paulò inferius n. 26.] Exemplũ tamen ab Hormisda est potius traditũ Pontificibus, quod acceptũ ipse à maioribus, reliquit

integrè cuſtoditũ, non ob gratiã Imperatorum vel Regum, quantumlibet importunè petentiũ, non precibus quorumlibet magnorum Antiſtitum, vel ex Synodo ad id præſtolandum vrgentium, non cuiuſuis dignæ cauſæ prætextu, quo magnarum etiam Prouinciarum reſtitutionem fieri pollicentur, debere Romanos Epiſcopos, quibus curæ eſt cuſtodire depoſitum Chriſtianæ Reip. ac Religionis, vel minimum quid deflecti; cum à maioribus accepta fides, vel læditur, vel in ſuſpicionem adducitur, vel tradita non ſeruatur; aut illabata ſemper exiſtens Communio catholica cuſtodita polluitur. Stet igitur contra Principes Petri Sacerdotale robur immotum, cui & portæ inferi promiſſione Domini prævalere non poſſunt.

23. Finio monens Aduerſarios conſultiſſimè nos omnes in hac materia acturos, ſi attente audierimus Paulum clamantem ad Tinot. 2. 14. Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt; niſi ad ſubuerſionem audientium: & profundiſſimam illam Maximam Auguſtini, lib. 2. contra Creſconium Grammaticum, quamuis huius rei certum de ſcripturis Canonicis non proferat exemplum, earumdem tamen ſcripturæ etiam in hac re à nobis tenetur veritas; cum hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas; vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis; eamdem Eccleſiam de illa conſoltet, quam ſine vlla ambiguitate Sacra Scriptura demonſtrat.] Hæc Libellator.

24. Quæ certè non ſinent non laudare Aduerſarij omnes immaculatæ Conceptionis, & eiuſcemodi dictis non ſubſcribere. Si ergo vni tantum Pontificis non in cauſſa dogmatum, & in vna mera permiſſione memoriæ Epiſcoporum Catholicorum, licet in aliquo deficientium ſtandum fuit, & meritò ab vniuerſo Oriente, ipſoque Concilio Conſtantienſi ad aſſertionem & ſenſum, & non definitionem fidei Hormiſdæ Summi Pontificis, & congruum, debitumque fuit cedere, & obſecundare eiuſmodi ſenſui vnius Pontificis; vertant ad ſe, vt ita dicam, fabulam Aduerſarij à ſe ipſis compoſitam, & videant, quanto conuenientiori, potiori, æquiore, & pluſquam debito iure ipſi deberent tandem cedere, ſenſui, iudicio, conſilio, declarationi, aſſertioni, ſuaſioni, allectioni, hortationi, impulſui, & replicatis horum omnium vicibus non vnius Pontificis, ſed innumerorum poſt tot auditos eorum diſcurſus ſemper poſthabitos, & eiectos poſt tot contraria machinamenta tentata & irrita reddita, poſt tot annorum & ſæculorum curricula emenſa ſine fructu, & ſpe alicuius in Eccleſia acceptationis, & tolerationis non indignabundæ. Videant quæſo, ſi hæc duritie cordis non eſt, quænam eſt? Videant precamur eos propter honorem Virginis, ſi vnquam claſſis aliqua Theologorum ita vnquam obſtiterit vni, vel alteri Pontifici aliter ſuadenti, & inclinanti in Theologicis, quæ magnæ duritiei non ſit incuſata? Imo videant ſi vnquam hoc monſtrum, & Hydra in Eccleſia natum fuerit, & alitum ſit, ne dicam tot annos perdurari, vt Catholici viri replicatis ſenſibus, & aſſertionibus aliquorum Pontificum non ſolum noluerint cedere, ſed quantum potuerint eorum dicta, & decreta declinare, tergiuerſare malè interpretari, irrita reddere, fruſtrari, negare edita in ſui dedectionem; & modo ſi expreſſis declarationibus, ſenſibus, & aſſertionibus SS. Domini Noſtri Alex. VII. oſtenſis etiam propriis aliorum Pontificum, nolint obſecundare, quod immane monſtrum, & nuſquam viſum, auditum, aut coagmentatum in Eccleſia Dei vbique ſeruari indigitabitur in alumnis alioqui glorioſæ & ſacræ Familiæ. Manet modò ex hoc illuſtri Diplomate Pontificio omnes Pontifices à nata controuerſia pro immaculata ſtetiſſe, & cum iis vniuerſam Eccleſiam in eam inclinaſſe, ſolos alumnos vnius Familiæ Deo deditæ peruulgabitur nouiſſe, & modo adhuc nolle dictis, & ſenſibus Pontificiis inclinare, ſuo ſenſui ſolos velle adhærere, nolle ſubmittere tantæ ſapientiæ ceruices, nolle tantæ auctoritati ſuccumbere, ſolos repugnare velle tam puræ, tam piæ, tam ſolidæ doctrinæ. Deus bone! quid exempli hinc ſument idiotæ fideles, quid alij docti viri, quid ſæculi Principes, ſi ſua ſenſa minus in fide tuta, quamquam non apertè damnabilia amplectantur, & à ſummo Paſtore ad tutiora, & magis pia eo congruentius ſentienda velint induci? Oportebit ſemper ſummos Paſtores vti in docendo Populo Chriſtiano fulminibus cenſuraturum, anathematizatione ſententiarum, definitione dogmatum? Nec pueri ferula ſemper in erratis percutiuntur, ſatis eſt eos ſæpè meris monitis corrigi, hortari, præmiolis allici, vt propinatam doctrinam hauriant. In hac vna, & cum hac vna ſancta Familia deueniendum eſt ad anathemata, ad deciſionem tremendam, ad definitionem irreuocabilem, eaſque requirere, ſi Religioſi viri aliqui cum Summo Pontifice ſentire debeant, & cum reliqua Eccleſia vniuerſa quid in hac re Hæretici dictitabunt, blaterabunt, blaſphæmabunt centuplicata Pontificia ſenſa à viris ipſis Catholicis, doctis, renui amplecti, & niſi os ipſis magnis pœnis occludatur contradici, minus probabilia adiudicari, minus vera probari, Scripturæ ſacræ dici minus congrua, & ſanctis Patribus minimè conſentanea. Si hæc durities cordis non eſt, quænam certè explicari poteſt eſſe, vel æſtimari talis? non de illa duritie ego hîc loquor, quæ peccati mortalis inficit corda; abſit enim hanc impingere piis viris maculam. Imo nec de ea loquor, quæ ex parte ſubiectorum reos facit, ſic dureſcentes culpæ venialis, ſed eam hîc noto duritiem cordis, quæ ſolet attendi ex parte obiecti, & quam ex genere ſuo tota Chriſtiana Reſp. nominat indubitanter duritiem animi inflexibilis ad ſenſa Maiorum. Vtinam in hæc, & ſimilia plura aduertentes animo, tandem aliquando pij, & docti viri, reſipiſcere velint, & ſanctâ, ac cæleſti generoſitate intellectus ſuos doctos alioqui, & eruditos Summorum Pontificum ſenſibus inclinent cum tripudio & lætitia vniuerſalis Eccleſiæ quæ non eſt credenda velle triumphare de eorum doctrina, & ingeniis, quod abſit ab omni pio ſenſu fidelium, ne dicam ſanctorum, & doctorum virorum, ſed quæ vnitatem ſpiritus in vinculo pacis exoptat in ſuis, quæritque ſemper vt vno ore honorificetur Deus in omnibus, & vt idem ſentiamus, idem ſapiamus nos ex Apoſtolicis monitis.

25. Quod

25. Quod autem hæc magis sunt optanda, à Deo expostulanda, & à SS. Virginis impetratione donanda, pergamus nos in declaratione verborum bene meretissimi de Ecclesia Pontificis dolentis, de hac duritie aduersantium, quos primo in hoc §. arguit de impugnatione priuata, & publica sententiæ Immaculatæ contra vetita Pontificia sub censura reseruata Papæ, atque hoc delictum sibi constare notat ex relatione Venerabilium Episcoporum Hispaniæ cum suis Capitulis, ex insinuatione Regis Catholici, ex attestatione in supplicationibus Regnorum item Hispanorum, & ex viua voce Venerab. Ludouici Episcopi Placentini cum titulo Oratoris eiusdem Regis Catholici; quem ad se missum refert Pontifex ad hanc relationem præstandam, & ad remedium tanto malo impetrandum; quique item missus est ad hauriendam veram, & sinceram doctrinam de sensu, in quo Catholica, & vniuersalis Ecclesia celebraret, & celebret festum Conceptionis Virginis, quod hic maximè est notandum, vt aduertatur Pontificem hîc tradere doctrinam, qua imbuendi sunt fideles in tota Ecclesia Catholica, quæ erroris capax esse nullatenus potest; cuique non nisi ex eius permissione contrasentire non nefas esse possit. Constat autem ad hanc doctrinam hauriendam missum hunc Præsulem ad SS. Alexandrum VII. ex litteris peruulgatissimis Româ missis ex relationibus Doctorum Virorum, qui inde venerunt, & retulerunt ex ore ipsius ad hanc instantiam prosequendam se missum, & aduentasse, nec velle recedere, donec hanc declarationem, & doctrinam hauriret à Sancta Sede Apostolica; hoc ipsum testatum habemus ex litteris post Bullam hanc nuperrimam Româ missis, & relatione virorum fide dignorum, huc appulsorum, & maximè liquet ex iis, quæ vniuersæ Societati Iesu scripsit admodum Reu. Pater noster Vicarius Generalis eius perpetuus; qui rem optatissimam hac Bulla habitam circa Immaculatam Conceptionem, & longo tempore experitam, & expectatam fatetur, quam hanc esse neminem latuit Romæ degentem. Eius verba vniuersæ Societati scripta registranda hîc sunt, tum ad hoc ipsum probandum, tum etiam vt appareat in hac re Societatem Iesu non attendere, neque vnquam attendisse ad victoriam de ingeniis venandam, sed vere ad glorificandam Deiparam, eiusque filium sanctissimum Redemptorem nostrum, & ipsius Deiparæ, quam nobilissimo genere redemptionis redemerit, & à potestate Diaboli præseruauerit. Epistola dignissimi Patris in hæc verba exarata est, quæ sequuntur directaque fuit ad Prouincias Societatis, vt eam communicarent o mnibus de eadem Societate. Videlicet. [A Patre Procuratore Generali V.R. mittetur Constitutio edita à sanctitate Domini Nostri Papæ Alex. VII. de Immaculata Conceptione SS. Virginis; cuius sicuti omnes de Societate occasionem sument agendi ex corde gratias, & laudes diuinæ Maiestati propter inspirationem præstitam Vicario suo, quod res tam diuturno tempore & tantum exoptata, & expectata à maiore orbis parte, manifestata tandem maneat, & declarata. Sic viuidissimè omnibus Nostris cõmendo, vt memores sint modestiæ, quam semper professa est, & profitetur Societas Iesu; & caueant ab omni insultatione, & quolibet, quod possit offendere eos, qui contrariæ opinioni adhærent (atque hoc me premit maximè) & attente legant, & obseruent id, quod sua Sanctitas seuerè prohibet, ne damnetur hæresis, vel peccati mortalis alia opinio, & V.R. euulget præsentem toti suæ Prouinciæ, nec obliuiscatur mei in suis sanctis Sacrificiis, & orationibus. Romæ die 14. Decembris 1662.] Quæ de verbo ad verbum ex Italico sermone in Latium translata est.

26. Ex quo patet certissimum esse Aduersarios ante hanc Bullam prætendisse Ecclesiam Dei in celebratione Conceptionis Dei Genitricis non determinatè celebrasse in sensu immaculatæ, sed immaculatæ, & maculatæ, quamuis monstruosissimo dicto, quale esset, quod celebret Apparitionem S. Michaelis, Inuentionem S. Stephani, Conuersionem S. Augustini, siue diuinas & veras, siue apprehensas, & falsas.

LATE OSTENDITVR CONTRA vetita Pauli V. & Greg. XIII. solitos esse impugnare, & vellicare sententiam de Immaculata.

27. His animaduersis descendendo ad peculiaria, quæ contra Immaculatam Conceptionem scribit Pontifex, Aduersarij vsque modo vsurparint, refert eos, tum publicè, tum priuatim illam impugnasse in Regnis Hispaniarum in quibus frequentissimè hoc accidit, cum in illis Regnis de hac sit sermo frequentissimus, & desiderium publicum ardens hanc rem habendi de fide definitam, quod dolet forte Aduersariis vehementer, qui in hac re si causa caderent, viderentur, (quod certe nullatenus eueniret) è gradu doctrinæ, in quo in Ecclesia Dei eminent, magnopere deciderent, & S. Thomæ doctrinam in nihilum abire, quam certe interest Ecclesiæ Dei non contemptibilem reddere, quasi verò quia Ecclesiæ Dei eadem multa decidit contra Chrysostomum, Augustinum & alios magnos Patres; id circo ij, de ea auctoritate, quam in ea habebant, deciderint, & eos Ecclesia priori tempore, vt errori minime subiectos existimarit vnquam, quod vt bene notauit ipse sanctus Doctor de nullo Patre tale quid ipsa vnquam sentit, nec sentire potest.

28. Iam solitos fuisse Aduersarios Immaculatæ Conceptionis eamdem impugnare liquet non solum ex Hispania, sed in nostra Italia, in qua vt aliàs dixi, scripta sunt perlonga contra eam exarata, quorum ego scriptionem apud me seruo, & quæ hîc sæpè cito, & reiicio, & præter casus, qui in nostra Sicilia obtigerunt, vt notauimus in antecedentibus memini publicam eiusdem impugnationem, eamque conuitiosam in quadam numerosa Ciuitate huius Regni, in qua cum ex occasione sermonis de Conceptione Virginis multa de Immaculatæ laude inseruisset ex Scoto, pius Concionator neminem

lædens,

lædens, èſuggeſtu alius qui contra ſentiebat, conuitijs pro Immaculata loquutum impetijt vehementiſſimè, pediculoſum, illum inclamãs, & Scotum floccifaciens & contumelijs onerans, & ad punctum Conceptionis Sanctæ deſcendens, impudentiſſimè & coram multo populo vt potè qui in celebri templo concionabatur, argumentis licet inanibus & nullius momenti Immaculatam non eſſe tentauit probare & perſuadere cum magno populi ſcandalo, non ſolum in ea Ciuitate ſed in vniuerſa Sicilia vbi res & factum promulgata ſunt, & cum magna indignatione in Concionatorẽ, qui contra Bullas Pontificias tantumdem exceſſerit.

29. Secundò aduertit Sanctiſſimus Dominus Aduerſarios, ſi non impugnant Immaculatam, eam ipſos vellicare, quod ſignificat eoſdem illam mordere, & vituperare, quando aliter non poſſunt; vnde bene is Sanctiſſimus Pontifex aduerſarios vocat, nam dixit, [Et ex occaſione eorumdem aduerſantium maiora his incommoda in poſterum, & prudenter meritò timentur.] Et vt verè aduerſantes Immaculatæ, vt ipſe Summus Pontifex dicit, quoquo modo in eam inuehuntur, & ſaltem verbis lacerant, & mordent, vel eam aſſerendo eſſe ſententiam mulierum, plebis, & ignauorum, vel eam notando nouitatis, cum ſit antiquiſſima, vel eam in Scripturis & Patribus expreſſam notando, vt repugnantem Scripturis, vel Patribus; vel aſſerendo contrariam ſenſui Doctorum antiquorum, vel promotam ad captandas auras populorum, vel ad quæſtum conſequendum, & pietatem venditandam, vel eam dictitando in antiquitate inopinabilem, & ad ſummum à valdè paucis receptam, vel ſaltem primò defenſam à viris nullius, aut paruæ doctrinæ, vel vt in gloriam Chriſto Domino, vel vt decus veri Redemptoris adimens ipſi; quæ omnia quàm falſiſſimè, impudentiſſimè, & temeratiè dicta ſint, & dicantur, intolerabili & pœnis coërcenda falſitate, nemini non liquet, & ex noſtris Opuſculis ad ſummam euidentiam demonſtratur, nec modò circa hoc eſt aliquid addendum; ſed ſolum pendendum eſt, quomodo hæc omnia temeratiè in poſterum dici, & anathematibus ſubiici, & vt falſa demonſtrari non ſolum vt illicita; quia non merè prohibita ſunt propter ſcandalum, quod poſſunt fidelibus afferre, ſed quia impetunt, & notant alicuius maculæ ſententiam iam approbatam, receptam ab Eccleſia vniuerſa, & confirmatam à Summis Pontificibus, contraria exploſa: vnde hæ vellicationes non ſolum vt iniurioſæ ſunt deteſtandæ, ſed vt temeratiæ in materia doctrinæ; quemadmodum enim Sixtus IV. & alij Pontifices erronea in materia doctrinæ, & ab omni veritate aliena declarauerunt dicta illa, quod peccatum mortale eſſet, tenere Virginem in conceptu emaculatam; quia Eccleſia Romana de ea feſtum celebrat. Ita dum hîc expreſſe Summus Pontifex declarat ſecundum hunc ſenſum ipſam hoc feſtum celebrare, hoc ipſo vt erronea declarat maledicta & vniuerſa iniurioſa huic ſenſui ab Eccleſia acceptato, & à Summis Pontificibus honore proſequuto, & cui omnes ſe fauere mille modis declarauerunt, provt in quæſtionibus ſequentibus latius trademus.

30. Quanta autem cum veritate hæc in præſens, & ſuperius narrata de impugnatione Immaculatæ, eiuſque grandi vellicatione euenerint, liquet ex tot dignis teſtimonijs ex Hiſpania; certè eorum etiam vniuerſa fere Eccleſia teſtis eſt, quæ vbique licet paucos aliquos agnoſcit, & audit linguæ morſibus impetere ſententiam de Immaculata. Primò expreſſè eam impugnando tum publicè & priuatim, & Sicilia noſtra id teſtari poteſt; in qua paucis ab hinc annis Concionator quidam è ſuggeſtu in præcipua Ciuitate contra veritatẽ Sacræ Cõceptionis auſus eſt arguere, itavt turbæ ſint in ea excitatæ, & res delata apud Reuerendiſſimum, & Excellentiſſimum Fratrem Martinum Cardineſ. qui eo tempore vices Prorẽgis gerebat, & Clauum Regni tenebat, qui nonniſi zelum iuſtum, aduerſus Detractores & Impugnatores Immaculati Conceptûs exercitum laudare potuit; & Sacri Inquiſitores in delinquentem animaduertere volentes, eum Panormum aduocarunt, vbi fugam præripuit, dubius luendi pœnas impugnationis illicitæ, & à Summis Pontificibus prohibitæ; qui item Neapolim appellens, & vocatus à Pontificio Nuncio, ſibi veritus, ne ibidem in laqueum incideret, Neapoli ſimiliter aufugit, & Bononiæ concionandi munus exquirens, ab Archiepiſcopo Bononienſi agnitus vt transfuga, Sacræ Inquiſitionis è Roſtro Bononienſi prohibitus eſt; qui Siciliæ non veritus eſt libellum relinquere plenum conuitioſis argutionibus ignibus potius deputandum, quàm hîc tranſcribendum, tum quia non tam argumenta licet futiliſſima congeſſit, quàm conuitia & ſtulta deliramenta; tum etiam quia eorum recitationes Chriſtianas aures nimium maleſonantibus propoſitionibus offenderẽt; nec multum diſſimilia euenîſſe ſcitur alijs in Ciuitatibus; etenim ſicuti verbo vel ſcripto Immaculatam Conceptionem aliqui aduerſantes non ſiuerunt impetere, ita & proborum acclamationibus & lapidationibus iuſtas pœnas luere non ſunt prohibiti. Quid ſi dicamus è Romano pœnu dictitatum in Sicilia ſimile Primatis Viri ſcriptum prodijſſe, quo Aduerſarij vterentur veluti promptuario ad arma tollenda contra Conceptum Sanctiſſimum? certè illud vndecumque prodierit, nobis legere, & tranſcribere non eſt veritum, & apud nos conſeruare tranſcriptum. quo perſpicuè oſtenditur quàm vniuerſale ſit hoc malum, quamque meritò notet Summus Pontifex ſententiam Immaculatæ ſolere à ſuis aduerſarijs contra Pontificia mandata impugnari, impetique inſolenter; id quod ſi quis velit ad amuſſim cognoſcere, in Opuſculis noſtris cognoſcet perſpicuè, vbi impugnationes Immaculatæ Conceptionis proprijs verbis Auctoris recitabimus, & in Opuſc. 4. patebit in argumento redemptionis propriæ, quæ per ipſum non competeret Virgini, ſi ab originali immunis fuiſſet; nec non in allo deſumpto à Baptiſmo, quem Deipara ſuſcepit vel à Chriſto Domino, vel à Sancto Petro, aut ſancto Ioanne, nec non in aliis deſumptis ab auctoritate Patrum.

31. Secundò dicitur in hoc §. Aduerſarios contra mandatum Pontificium vellicaſſe ſententiam Immaculatæ Conceptionis, quod in Manuſcripto prohibito hîc in Sicilia à ſacris Quæſitoribus, vt modo notauimus, maximè pater.

patet; quod Ingeniosus vir de verbo ad verbum cordata apologia refutauit. Præterea hæc aperta vellicatio sententiæ de Immaculata Conceptione perspicua est in quodam alio Libellatore, quem sæpè in nostra Trutina citamus, cuius libellus destinatus legitur Sacræ Congregationi Romanæ, sed impressus non est; at à Primate viro inter Aduersarios regimen exercente, refertur compositus. Recitentur quæso quæ de sensu Immaculatæ Conceptionis, & sensu Pontificio scribat, & quanta cum eius vellicatione, dum decreti cuiusdam conuenientiam, & necessitatem suadere conatur, ita enim habet. [Quis autem non videat titulum hunc Immaculatæ Conceptionis lac non esse, sed solidissimum cibum, quod pij viri nonnisi fastidiosè degustare, docti vix deglutire, prudentes ægrè concoquere possunt: dixeris potius illud in fel hominum malignitate mutatum, non credas cum auctorum dissensionem sapiat, amarulentiam quæstionum oleat, fœculenta sectarum sordescat, ingentique catholicæ pacis iactura, bonorum scandalo, Hæreticorum irrisione lites generat, dissensiones alat, charitatem extinguat, & ad doctrinam fidei nutriendam, ad deuotionem Virginis alendam nec minimum conducat.] Quot verba, tot errores, tot conuitia, tot punctura, tot vulnera, nedum metæ vellicationes Immaculati Conceptûs. Sed non adhuc finis harum vellicationum seu potius impropetiorum, & ferè impiarum declamationum contra sanctissimam emaculationem Deiparæ.

32. Pergit hic Auctor referre conditiones lactis à fidelibus sugendi in Ecclesia Catholica, & de isto Immaculatæ Conceptionis verè ex Decreto Pontificio in libello Bellarmini, Laponibus, & Indianis propinando inquissimè ait. [Prima fidelium rudimenta quæ sunt lac debent esse rationabilia, hoc est vt exponit Caietanus, rationi conformia, non indifferentia, non vana, sed vtilia in doctrinâ Christianorum proficua, & salutaria.] Quasi verò laudare Virginem in titulis librorum in primis aspectibus Ecclesiarum, in quolibet celebri loco vanum sit, inutilis laus, eaque irrationabilis. Vndè subdit. [Quam verò (amabo) vtilitatem reportabunt fideles, si huiusmodi Titulus Immaculatæ, cuius neque significationem norunt, nec verbi etymon callent, Conceptioni adnectatur.] Quasi verò inutiles sunt, vanique tituli gloriæ, quos dat Propheta Christo, & fideles, dum in frontibus librorum, vel machinarum in eius honorem erectarum, de eo scribunt. Admirabilis Deus, fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis; & si hi illustres, & Christo dignissimi, cur non dignus, & valdè illustris est titulus Conceptionis Immaculatæ tributus Virgini? Certè videntur cæcutire, qui hoc non vident, & quod suâ cæcitate non vident; putant eadem cæteros omnes laborare, nec tam apertam huius tituli gloriam non agnoscere, quæ cum illa Immaculati Christi Conceptûs associatur. Nec vellicationes nostræ sententiæ, quæ est Ecclesiæ, hîc desinunt in hoc Libellatore dum titulus eius à Summis Pontificibus continuò amplexatus, & vulgatus in Ecclesiâ vniuersâ, ad magna mala directus describitur; sic prosequitur Libellator. [Num titulus idem Immaculatæ lac sit sine dolo, omnis malitiæ expers ad solum, sincerumque profectum paratum, procuratum? non ad conflandam Dominicanis inuidiam, non ad eliminandam è Scholis D. Thomæ doctrinam, non ad captandam populorum auram, ad vanam gloriam aucupandam subdolâ mente designatum; præsertim quoniam vt experimento didicimus ipsorum Concionatorum, qui ad quæstiones huiusmodi proponendas facilius erumpere solent, maior numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes, quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu ad tumultus, & simultates concitant, quos tumultuantes, atque dissentientes componere, sedareque potius oportebat.]

33. In quibus videtur quantis vellicatur Titulus Immaculatæ Conceptionis, ac proindè ipsa euulgata Immaculata Conceptio, quæ in sui euulgatione primò vellicatur dirigta ad excitandam inuidiam dignissimæ Religionis Dominicanæ. Secundò exsibilatur intenta ad prosternendam D. Thomæ doctrinam. Tertiò carpitur ad popularem auram venandam quæsita. Quartò ad vanæ gloriæ aucupandum augmentum vituperatur expetita. 5.ª quæ à maiore numero ignauorum hominum refricata concluditur. 6. quæ ab indiscretâ deuotione quæsitâ colidescribitur. 7. quæ loquacitatis affectu tractari depingitur. 8. quæ ad ostentationem propriam dilatandam assumpta signatur; & 9. quæ ad rixas contentionesque: & tumultuationes adaugendas vsurpata refricatur iniquissimè. Quasi verò non iustè, non doctè, non respectâ diuinâ gloriâ, non vanâ proiectâ, non à maiore numero doctorum virorum, qui de hac materiâ loquuntur, scribunt, agunt, concionantur, in priuatis sermonibus differunt, quis potest ambigere? Et quâ ratione vnquam dici potest propugnatores Immaculatæ Conceptionis Dominicanæ Familiæ inuidiam velle conflare cum tantâ inhonoratione Virginis, cuius excelsæ prærogatiuæ euulgatione velint vel ad eius dilectos filios, & sub eius pallio coopertos à fidelibus flocci pendendos? In hac re non tam sanctæ Familiæ iniurias irrogarent, quàm Virgini, eiusque; inhonoratores potius essent blasphemi, quàm Patrum Dominicanorum insectatores; & quâ ratione item arbitrari quis potest titulum, & Immaculatam Conceptionem nominandam, & exscribendâ, vel sculpendam in frontibus, triuiis, in libris ad detorpandam S. Thomæ doctrinam; qui pro Immaculata scripsisse multis in locis tam seriò proclamatur à nostris Doctoribus, & nuperrimè à tot doctis viris, præsertim è Societate nostra nunquam, & nusquam ei contradixisse acerrimè contenditur, vti fit à Christoforo Vega, Velasquez, & Heribergh. nec non & aliis Franciscanæ Familiæ? Et quo certè modo, cui in mentem venit ad auram popularem captandam Immaculatam Conceptionem populis tradi, quæ ab ipsis videtur in ore, in corde, in scriptis, in picturis, in sculpturis, in thalamis, in portis, in aulis, in circulis, & in colloquiis semper haberi, & plenis buccis prædicari talem. Quæ si in nostris non abundè laudatur, non amplissimè decoratur dignissimo elogio, non super astra sustollatur, non admirabilis, & superexcelsa prædicatur,

Concionatores frigidè pios, conciones pœnè habendas deuotionis expertes facit; Prædicatores inscitiæ, prædicationes iguauas euulgat, nec ipsos Illustrissimos Oratores posse rei materiam summâ sui ipsorum eloquentiâ exæquare ab omnibus æstimatur; & inculcatur in dicendo, in scribendo. Et in quacumque propalatione iudicij, & vndè, Deus bone, ad vanitatem mundanæ gloriæ adipiscendam Immaculatam prædicari ab omnibus Deiparentis Conceptionem, fingitur; quæ ab innumeris & Vrbibus & Regnis vsque ad mortem propugnanda promittitur, & vouetur: quæ proprio sanguine scripta iuratur profundenda vita debere à compluribus defendi, quem admodum in vitâ Angelici adolescentis Ioannis Berckmans è Societate Iesu narratur de ipso. Quave veritatis larua composita dici potest, maiorem numerum Concionatorum de hac materiâ differentium materiæ difficultatem ignorare; nec quæ loquuntur, vel affirmant intelligere; cum in præsenti ipsæ etiam mulieres piæ audiantur feliciter repetere, aliquasque etiam sine errore scripto exarare. Quæ in ea, nec peruia sunt, & obiecta ipsa rectè solui etiam ab idiotis fidelibus, tanta huius rei scientia creuit in Ecclesia? & siquidem Pius V. Pontifex Max. olim hanc accusauerit ex aliquâ paruâ parte in Concionatoribus ignauiam, valdè arroganter, & temerariè hæc ignauia extenditur ad eorum maiorem numerum, necnon vltradicta Pontificis ad propriæ vocis ignorationem, impudentissimè, & falsissimè doctis viris imputatam extenditur in præsentiarum, quando eius dicta nostris hisce temporibus constat non congruere, nec esse vllomodo vsurpanda. Indiscretæ etiam deuotionis zelum velle accusare in immaculati Conceptûs amplificatione, non solum est vellicare, sed hianti ore mordere; dum à Sixto IV. Pontifice Max. non solùm conueniens, sed debitè decreta sit: loquacitatem autem nominare doctissimos super hac mirâ Conceptione discursus, vt primò facit Libellator, præter vellicationem videtur addere non solum momicum morsum, sed iniuriosam. Glorioſa itidem Conceptionis purissimæ decora in conspectu Populorum expansa, vanæ ostentationis propriæ nomine appellare, quid est, nisi solidissima metalla vocitare aërea, & aquea elementa? & plena corpora æstimare pro vacuis vmbris & imaginariis spatiis? Et tandem quàm vafri, & insolentis ingenij est, rectè acta peruertere, & discordiarum, rixarum, & tumultuum causas sententiæ Immaculatæ Conceptionis tribuere; quas Summi Pontifices nunquam emaculantibus, sed eam maculantibus frequentissimè tradidêre? Aduerte hîc lector, si ad euidentiam vellicationes hæ piæ nostræ & Ecclesiæ sententiæ liquent, dum ipsæ liquent in hoc citato libello sanctæ Generali Inquisitioni porrigendo, & fortè porrecto: sic enim inscribitur, vt apud me illum habeo exaratum, & aliàs notaui, videlicet. [Libellus pro Decreto sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis anno 1644. 20. Ianuar. de Titulo Immaculatæ, non addendo Conceptioni B. Virginis Mariæ. Refertur Decretum, ponderatur eius qualitas, Aduersariorum Glossæ confutantur.] In quo non sat sunt quæ vsque modo relatæ vellicationes fuêre, sed aliæ subduntur, & per totum conspersæ leguntur non tantum vellicationes, sed ferè famosi libelli propriæ enunciationes, quas hîc prætermittere non videtur, vt pateat in vniuersa Ecclesia, ad quantam hic sensus inclinet, & procedat maiorem audaciam, impudentiam, petulantiam, infamatricémque loquacitatem, & indefinentes ferè omnis pietatis blasphæmias. Tacerem certè, quæ recitare pudet, sed quoniam Sacræ Paginæ nos docent respondere stulto secundum stultitiam suam, & resistendum omninò est impudentissimis dictis, quid hic Libellator subdat in hoc ipsum argumentum non præteribo. Sic enim annectit suprà positis. [Tamquam Coronidem his aduecto & est. Sapientissimè illo Decreto coërceri licentiam in hac materiâ opinandi, præcludi viam ad noua, & irrationabilia in posterum petenda. Neminem enim latet, quàm effrænis fuerit petulantia, quàm temeraria audacia quorumdam, quibus ingenitum est id quod notauit Paulus in Athenienſibus, ad nihil aliud vacare, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui, in extendendenda opinione hac immaculatæ Virginis Conceptionis, eáque augenda, & amplificanda; neque enim contenti fuerunt B. Virginem immaculatam à peccato originali asserere, sed etiam à debito peccati originalis tam proximo, vt aiunt, quàm remoto eximere studuerunt; & quod omnem credulitatem superat, repagulis Theologiæ perruptis, limitibus sanctorum Patrum confractis, ausi sunt omnium admiratione, summâ audaciâ defendere ne dum B. Virginem à peccato immunem fuisse, sed etiam eius parentes ab omni labe peccati exemptos, in tantum excrescit insana libido euulgandi noua. Omitto quæ in concionibus hoc furore perciti ad captandam populorum auram venditabant, quàm frigidis allegoriis laudabant, quâ violentiâ Scripturas in sententiam contrariam detorquebant, quibus conuitiis in sensum alienum traducebant. An non compescendus igitur iste debacchantium furor? Qui simulato feruoris in B. Virginem prætextu, Ecclesiam depopulabantur? An non sedanda ista lues, quæ fideles inficiebat? Opus certè erat freno, igne, antidoto, quæ hoc Decreto supra omnium spem & vota optimè perfecta esse optimi gaudent; Quam verò optimè consultum sit eorum insatiabili libidini, noua semper in hoc argumento petendi sanctam Sedem fatigando armis Principum precibus Ecclesiæ pacem perturbando, qui præterita attentè considerabit, ac futura, quæ moliuntur, non supinè inspiciet, pro comperto habebit. Conquerebantur primò quod Sedem Apostolicam malè audire sententiam suam apud populos nõtari hæresis maculâ, tamquam fidei perduelles haberi; quibus permotus Sixtus IV. euulgauit Bullam *Grauemimùm*, quâ seuerissimè cautum est, ne sententia de immaculata Conceptione vllâ hæresis notâ inureretur. Sic etiam non quieuit tamen animus, sed maiores spes concepta designat fines, ac maiora postulata, & tandem pro voto recepta; nam ad sedendas turbas, quæ summo studio maximâ arte excitabantur, latum est Decretum à Paulo V. quo sententia de peccato originali B. Virginis iussa est ab actibus publicis exulare, & in abditos penatum recessus se recipere; quod Decretum vtinam tantâ moderatione ab illis, quantâ reuerentiâ à nobis esset exceptum. Neque

que tamen vel sic exsaturata desideria, completa eorum vota: sed maiora postulata, quæ pro voto eis contigerunt, cum sub Greg. XV. severissimè cautum est, nec etiam in actibus privatis liceret de illâ opinione quoquo modo tractare, & quo pro insigniori triumpho ab illis est habitum, nomen sanctificationis ipsis perosum, ab Ecclesiæ cultu est ablegatum, ac ipsius loco nomen Conceptionis esse subrogatum. Mirum est quantâ lætitiâ, quo plausu illud Decretum fuerit receptum? Populis prædicatum? Quæ lætiæ signa, quæ gaudij argumenta dederint? Et quid omnibus plaudendum erat, si super ipso pacificè frui, simulque pacem Ecclesiæ relinquere voluissent, aut potuissent.

34. Verùm cùm sancta Romana & Vniuersalis Inquisitio vestigiis Greg. XV. insistens, nouis emergentibus caussis ipsius decretum latum de vsu Nominis Conceptionis ad quamcumque materiam nouo hoc Decreto extendisset; statuens quod quando agitur de tribuendo titulo dictæ Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nullo modo permittatur &c. Decretum illud Gregorij, quod antèà deosculari fuerant, adorauerant, & tamquam basim & fundamentum Decreti Inquisitionis, statim fastidiunt, nauseant, auersantur, vociferantur suam caussam iugulare, prodere, contra eam ab omni falsitatis maculâ, ab omni improbabilitatis næuo immaculare, & Conceptionis nomen, quod tamquam proprium vindicabant, Iuris communis facere, vnoque ictu, nedum sanctificationis nomen, quod suscipiebant, transuerberare. En igitur nouæ Principum instantiæ, ardentes Magnatum preces, libelli supplices, vt Decretum Sacræ Congregationis aboleatur, titulus Immaculatæ restituatur, & totum id, quod priùs summa auctoritate à Greg. XV. stabilitum fuerat, euertatur; vbi quod magis mirandum sit; haud facile distinxeris an Sedis Apostolicæ inexitabilis clementia, an deplorata horum inquietudo: Sed dicent nil tibi cum Decreto Gregorij, quod factum tectumque volunt tantum à Sede Apostolica postulare, vt in communibus & profanis sermonibus sibi liceat titulum Immaculatæ Conceptioni addere; nefas omninò ducere illud diuinis in Officiis aliquo modo vsurpare, aut sacris vsibus Conceptioni attexere. Verùm cui tantum torpescit mens, lippiunt oculi, vt non videant subdolas, & inueteratas artes, quibus mundum deludere sibi persuadent, quasi scilicet etiam pueri nesciant ingenitum esse illis morem ex vno ad aliud petendo gradum facere, & ex concessis ansam sumere ad sublimiora petenda; & si semel illis concedatur titulum Immaculatæ in profanis ac communibus Conceptioni adolere, statim ne dum in gratiis, verùm etiam de iure, aut debito, aut ad diuina officia extendatur postulaturus. Neque ab re erit ad istud suadendum insigne illud factum referre, quod sub Pio IV. in simili argumento contigisse ferunt; summis precibus instanter petebant & Galli, & Bohemi Communionem sub vtraque specie; obtendebant pietatem populorum, vrgebant vtilitatem Ecclesiæ, cui insignis numerus acquirebatur populorum, si postulata concederentur. Res agitata est in Consistorio, vbi cum suum votum proferret Cardinalis Rodulphus Pius Carpensis; hoc consilium dedisse scribitur. In materia Religionis, petitiones concessas non esse finem petendi, sed principium & gradum ad maiora postulanda, ac per hoc consultissimum esse primæ viriliter obniti, ne muliebriter aliis succumbere cogantur. Scio diuersam esse materiam Calicis, & Conceptionis, tamen consilia esse eadem, vel similia non dubito; cùm verissimum sit illud Ciceronis. *Superstitione qui est imbutus, quietum esse numquam potest.*]

35. In quibus quæ non magnæ infamiæ, quæ iniuriæ non insanæ, quæ non horribiles blasphæmiæ, & execrationes non leguntur fautorum Immaculati Conceptûs, quæ consequenter sententiæ vniuersæ Ecclesiæ impinguntur? Atque hæc congeri & fæculentarum propositionum coronis appellatur à Libellatore hoc pessimè, nedum malè intrusa; sed aptè respondens fœtori, & horrori præcedentium; eliminatione enim primò tituli immaculati Conceptûs notauit præclusam licentiam in hac materiâ opinandi, & noua & irrationabilia in posterum petendi. Quasi verò quæ solent opinari in hac materiâ licentiosa sint & in præceps ruentia, & postulata facta in Conceptionis puræ confirmationem irrationabilia, & mõstruosa sint æstimanda, & ab insanâ libidine euulgandi noua, suggesta? At in quantis hic errat, infamat, execratur nobilissimam sententiam quæ semper sapientissimè processit in suis propugnationibus & propugnatoribus doctis, quorum sensus & si frequenter ad sacra tribunalia fuerit delatus; & erroris accusatus, semper ab omni censurâ immunis euasit, & si quidem aliquis fortè nullius digni nominis, vel doctrinâ celebris Doctor irrupit in aliquem minus probabilem, vel falsum sensum, numquid propterea is infecisse credendus est communem, & fere vnanimem innumerorum doctissimorum virorum sententiam semper rectis gressibus procedentem? Esto quis improbabiliter, & falsò negauerit debitum originalis peccati, tùm proximum, cùm remotum; num forte is sensus dici vnquam potest amplexatus à multis, qui frequentissimi sunt in primo concedendo, & in admittendo remoto omnes conueniant: Nec vnus aut alter, qui sic ineptiat, accusare potest vniuersam Ecclesiæ sapientiam pro Immaculatâ rectissimè pronunciantem? Et quàm immeritò Libellator, quod aliqui fortè dixerunt cum quodam magno addito, ipse eis impingit more Hæreticorum dimidiando; Sunt equidem aliqui, qui debitum remorum & proximum originalis alienauêre à Virgine, sed remotissimum, seu magis remotum omninò ab eâ non ademêre, eámque verè redemptam omninò fassi sunt; Quod asserere quis poterit censurâ notare? Et tamen de sic enunciante effrænis petulentia, & temeraria audacia proclamata est ignauissimè, & verâ temeritate, non falsò imposita, & petulentiâ, audaciáque à veritate ritè damnatis, non merè verbo falsificante confictis.

36. Execrabiliter item imponit Libellator hic nostro sensui de Immaculato Conceptu, suisque fautoribus, insanâ quasi actis libidine euulgandi noua, erupisse in aliud dictum enorme, quod Parentes Virginis voluerint ab omni labe peccati exemptos, quod certè dictum ab iisdem fautoribus communissimè, & argumentis pluribus solet esse reiectum, si de labe actu-

alium peccatorum ſit ſermo ; quaſi ſcilicet aliqui ſancti ab omnibus actualibus immunes fuerint, cum hinc inferant cum Auguſtino, Virginem immunem fuiſſe ab originali; quia fuit venialibus & actualibus expers ; nec item hic ſenſus cenſurari vlla ratione poteſt, cum Concilium Tridentinum ſpeciale Priuilegium in hac re interuenire poſſe non abneget ; & multi Patres hoc admisêre expreſsè in Ioanne Baptiſta, vt videbimus in Opuſc. de ſenſu Patrum, venientes ad ſenſum Auguſtini. Si verò eiuſmodi pronunciatum à parentibus Virginis, originale etiam extirpet, quantâ cum infamiâ tribuitur noſtræ ſententiæ, vel noſtris Auctoribus, qui temeritatis hunc ſenſum ſolent arguere ; nec apud Auctores nominatur aliquis, quem in tot peruolutis viderim, qui ità ſenſiſſe aduertatur. Etſi apud Bernardinum de Buſtos citatum à Morales ſuper S. Matthæum in Prolegomenis, quidam ſtetiſſe pro hoc placito notetur, certè innominatus ibi eſt, quinam is fuerit, & eiuſmodi pronunciatum ibidem vt temerarium à Morales reiicitur. Si autem veniamus ad ea, quæ de Concionatoribus noſtris ſententiam de Immaculatâ tractantibus dicit hic audaciſſimus vir, quos furore percitos aſſeuerat, & ſuos ſermones venditantes, frigidas allegorias vſurpantes, violenter Scripturas detorquentes, & in alienum ſenſum eas traducentes, quæ multo potiori iure de ſuis dicenda eſſent, quid nobis hîc addendum eſt, niſi eum omnia ſuſdeque peruertere, ſummam pietatem ferè impiè furorem nominare, benè compoſitum allegoricum ſermonem ineptâ & iniquâ frigiditatis accuſatione polluere ; rectam applicationem Scripturarum ab Eccleſia in hac re vſurpatiſſimam, & in Sacro-Sancto Miſſæ Sacrificio interpoſitam de diuinâ etiam Sapientiâ ad Virginem in conceptu benê traductam detorſionis falſiſſimæ inſimulare.

37. Quidve reſpondebitur æquâ & benè contra compoſitâ reſponſione, comparato piæ deuotionis affectu furori debacchantium ruinæ depopulanti, infatiabili libidini, peſti infectiuæ, ignique committendæ? Quid his verbis eſt reſpondendum à Catholico viro, niſi dubitare, an hæc omnia ſuppoſita ſunt ab aliquo à rectâ fide apoſtatante, quàm ea concedere prolata à viro doctrinæ, & phraſis Catholicæ ; nam hi modi loquendi non niſi apud Hæreticos legi ſolent, nec inueniri ſoliti ſunt in penu Catholica, dum de controuerſiis agitur inter Catholicos viros : ſi errauero, libenter correctionem tulero ; ſi benè morigeratum virum in Catholica fide inueniam, ſic ſermocinaſſe de ſentientibus cum communi ſenſu Eccleſiæ, ſi vitâ viueret hic Auctor hac visâ noſtrâ animaduerſione, æſtimandum certè eſſet, quod labia, linguámque ſuam acriter moderet, & cum ſanguine expueret malè conceptum ſermonem, & ſenſum in his verbis ferè impiè propalatum.

38. Quanta item non ſolum vellicatio, ſed iniqua imputatio traditur ab hoc Libellatore, quaſi ſuorum nomine ſanctam Conceptionem amplexantibus, quos querulos retulit, quod tempore Sixti IV. pia ſententia notaretur hæreſi apud populos, ipſóſque eius fautores fidei perduelles peruulgari ; vt hac ſcilicet via periculoſæ ſuæ deiectionis in qua inueniretur, aliquid noui impetrarent à Sanctâ Sede Apoſtolicâ in fauorem Immaculatæ Conceptionis. Quo vult ſignificare falſiſſimè eo tempore noſtros Commilitones viſos fuiſſe cauſâ cadere, cum hoc ipſo tempore certè rationabiliùs ante Extrauagantem *Graue nimis*, in Eccleſia ipſi noſtri Aduerſarij potuiſſent erroris notari, & notati fuêre de facto, licet cum repugnantiâ Pontificiæ voluntatis, qui contra ſenſum amplexatum ab Eccleſia in ſacro-ſancto Miſſæ Sacrificio, & diuinis Officiis, inuehebantur ; nam quemadmodum rectè in ſuſpicionem hæreſis, vel hæreſim etiam incidere rectè æſtimatur is, qui Sanctum Canonizatum ad inferna detruſum, vel extra Dei gratiam conſtitueret ; quis non videat, quod dum Eccleſia ſimiliter celebrauerit Virginem in primo inſtanti ſuæ animationis ſanctam fuiſſe, & cum gratiâ eius animam creatam ſaltem probabiliter poterat (aliâ declaratione non factâ ab eadem Eccleſiâ) ſententia, quæ Virginem pro eo ſigno extra Dei gratiam collocabat, ſuſpectam hæreſis, vel pro hæreticâ nominari. Quam cenſuram etſi prohibuerit Pontifex non illam vt erroneam in ſenſu dogmatico declarauit, ſicuti vt erroneam damnauit eam in hoc tali ſenſu, quæ impacta fuerat ſententiæ de Immaculatâ : Vndè eo primo tempore Sixti ante primam *Graue nimis*, res ſtabat potius pro ſententia negante, quàm pro affirmante, & plus defenſa fuit à notâ ſcilicet erroris, vel mortalis peccati per primam. *Graue nimis*, ſententia affirmans, quàm negans; nam negans ſtabat in ſuo proprio iure, & videbatur veluti Canonizata per Bullam *Cum præexcelſa*, in quâ auctoritate Apoſtolica decretum fuerat, quod fuiſſet conueniens & debitum reddere gratias Deo pro immaculatâ Conceptione, & benè in honorem & confirmationem eius offerri, & oblatum eſſe in Dei Eccleſia Sacro-ſanctum Miſſæ Sacrificium (quo ſolo decreto à Pontificibus ſoliti ſunt ſancti Canonizari) nec non ſolemne in eumdem eius honorem inſtitutum ſacrum Officium. Quâ confirmatione ; & aliâ quacumque ſimili ſemper caruit, & caret ſententia negans in Virgine maculam pro ſui Conceptione. Ex quo perſpicuum manet falſiſſimè ante Bullam Sixti IV. Extrauag. primam *Graue nimis* eam laboraſſe dubitatione rationabilis cenſuræ, cùm fuerit potiùs cenſura ei ab Aduerſarij inuſta, ſtuporí fuit, & ſummæ moleſtiæ Pontifici, qui eam ità declarauit erroneam, vt ſimul etiam oſtenderet ante ſuam declarationem, vt talem eam fuiſſe cenſendam. Quare videat Libellator ſi fauentes Immaculatæ Conceptioni dubitauerint vnquam tempore Sixti poſt Conſtitutionem *Cum præexcelſa*, alicuius damnationis, vel apud ſanctam Sedem Apoſtolicam, vel etiam apud doctos viros, nec non apud idiotas ipſos, cum ſimplicium fidelium pietas creuiſſe dicitur erga immaculatam Conceptionem tempore Sixti, vt initio Conſtitutionis præſentis aduertitur, §. 2.

39. Quàm malè item impudenter, ac vehementer accuſat hic Libellator curam Commilitonum noſtrorum in quærendo ſemper certiorationem maiorem immaculatæ à Summis Pontificibus, ac ſi nobis obiiceret, & accuſaret de grandi ac de inſatiabili ciborum ingluuie nunquam exſatiata, & per Conſtitutionem Pauli V.

in

inextincta ; cum hæc inexplebilis fames & sitis quærendi , & postulandi semper maiorem gradum certitudinis in hoc diuino mysterio , sit summè laudabilis , & diuinitùs indita in piorum fidelium pectoribus , necnon Primatibus Ecclesiæ cura hæc summè amplexanda , quam magnoperè laudauêre Summi Pontifices & præsertim Gregorius XV. qui Regi Catholico petenti definitionem Immaculatæ Conceptionis scripsit. [O curam Catholico Rege dignam, & Christi Vicario gratissimam.] Obmutescant ergo , qui magnam hanc curam infaustæ nouitatis auctricem arguunt , & fami veluti caninæ comparant ; nam hæc dicta redolere videntur potius doctrinam ab Ecclesia extraneam , quàm Catholici pectoris deuotum affectum & sensum. Vehementer erubescant , & pudore magno suffisi ora , capitaque submittant , qui subdolas , & inueteratas artes , modum hunc semper expostulandi noua pro Conceptione Sanctæ Deiparæ appellant ? desinant cum maximo rubore vituperare affectum , effectumque petendi vt in diuinis Officiis immaculata repetatur Virginis Conceptio. Quemadmodum in approbato à Sancta Sede Officio Nugarolico , & nuper à sanctitate Alexandri VII. repetitur frequenter. Pro nullo habeatur ad rem nostram dictum Cardinalis Rodulphi Pij Carpensis , & confirmatio allata ex eius verbis ad probandas hasce dignissimas petitiones , non esse acceptandas in materiâ Conceptionis sanctæ. Pro impertinentissimo æstimetur item allatum dictum Ciceronis , quo voluit. [Superstitione qui est imbutus, quietus esse numquam potest:] Ac si superstitionis incusentur, qui pro Immaculata contendunt , & maiores fauores expostulant, nam hac ratione superstitionis accusabuntur in præsenti Hispaniarum Præsules , Cleri , & Capitula Episcoporum , ipsa integra Regna , & Catholicus Rex Philippus IV. memoriâ eternâ dignus , qui præsentem declarationem pro immaculatâ summis instantiis expostulauêre, & consequuti sunt cum magnâ pietatis laude à SS. Domino nostro Alex. VII. qui profitetur in hoc diplomate ad eorum instantiam diploma hoc nobilissimum pro ea edidisse. Nec enim hæc omnia specialius perstringere , & fortiter arguere licet , quia valdè morosum esset hoc negotium , & satis sit adnotare Aduersariorum morem esse optima quæque pietatis gesta in hac materiâ, & pro Immaculata facientia , vellicare, mordere , impetere , & omni conatu deiicere ; quod est id , quod hoc loco SS. Pater vehementer accusat , & operæ pretium fuit hîc ostendere quantâ cum ratione , & omnimodâ veritate ipsi constiterit , & omnibus tam doctis, quàm indoctis viris constet , & licet ex hoc libello vltimo attendere , euidentissimè constare. Nam si hæ tantæ vellicationes , morsus , & infames sententiæ de immaculatâ , vsurpatæ sunt in libello S. Rom. Generali Inquisitione , nec eos puduit ante tantum conspectum sic audâcter proferri , quod credendum est in reliquo Christiano orbe factitatum , quantumque contra immaculatam vellicarum & infamatum? Nec mihi quis obiiciat , quod hæc, quæ recitata à me hîc sunt, erant sanctiùs recitanda potius, quàm typis propalâda & carpenda; sic enim scribendo in eos morsus, videor incidere , quos arguo , & dum maledicta veluti maledictis reiicio , in foueam recido , in quam aduersarios decidisse vitupero; & rursum hæc opera donari mihi potest liuori alicui inuidiæ , vel indignationis , aut vindictæ. Quasi verò hac recitatione suorum dictorum , velim alioqui doctis & piis viris odium , & indignationem aliorum, & ipsius Ecclesiæ comparare. At absit à me , & omni nostro Commilitone tantum nefas , tantum scelus ; absit etiam primos motus harum passionum admittere in cordibus nostris , & sic Immaculatam Conceptionem immaculato corde tractandam , & omni modestiæ forma propalandam , propugnandam , & confirmandam ; accedentibus præsertim optimi nostri Moderatoris monitis , de ea in hac re omni ratione seruandâ maculato animo , & nequitiæ alicuius fædatis hisce vestigiis velle prosequi. Quæ enim recitata sunt , oportuit referre , vt quàm vera essent dicta Pontificis optimi apertè constarent. Et præterea, vt coercerentur quàm maximè similia , & qui ea logeret, aduerteret, ea esse potius infamantiû libellorum propria, quàm piorum Scriptorum; néve iis aliquam quis adhiberet fidem , vel tantillum ex talibus dictis commoueretur (quod est præcipuum huiusce redargutionis intentum) ad dubitationem aliquam admittendum in sensu Immaculati Conceptûs , quem videret à Primatibus doctæ Familiæ viris ità discerpi , diuelli , & vndique dilacerari. Oportuit item doctrinam parum in Theologicis benè olentem , & omninò eliminandam à fidelibus sensu notare , obiurgare, & penitùs reiicere pro obligatione Scriptoris sinceram veritatem sectantis ; cum præsertim ea modò innotescat apertè repugnans Decretis Summi Pontificis in præsentiarum regnantis ; nec non illis Superiorum Pontificum , & vniuersali sensui totius Ecclesiæ. Quæ reprobari in his postulatis per hæc dicta videtur , quando ipsa vniuersa in ea videatur vniuersè inclinare, & summè propendere : Sed non quia hæc scripsimus , propterea in præcitatum Doctorem inuehi voluisse aliquo modo videri volumus , quem putamus & doctum , & pium virum fuisse , nec erga nos , & Societatem nostram malè affectum , vel cum quo aliqua , vel leuis simultas intercesserit , aut quem verè minus sanæ doctrinæ notare voluerimus ; existimantes quod si quæ protulerit minus rectè Theologicè dicta , ea non effuderit quia ità senserit , sed quia in ea ex nimio suæ opinionis zelo , veluti manuductus fuerit, & ex quadam feruidâ inaduertentiâ protulerit ; aut quia cum humanum quid hoc sit , ità iudicauerit , nec attenderit , quod tempus futurum esset , quo auctoritate , & sensu Pontificio eius dicta futura fuissent penitùs reiecta , & falsitatis insimulanda , & conuincenda , imò etiam prohibenda , ne possent per fideles legi , & scripta retineri ; ea enim & similia expressa sunt per hoc diploma sub pœnâ excommunicationis vetita , dicente SS. Alexandro. [At libros , in quibus præfata sententia , festum , seu cultus secundum illam in dubium reuocatur, aut contra ea , quomodocumque vt supra aliquid scribitur , aut legitur , seu loquutiones , conciones , tractatus , disputationes contra eadem continentur , post Paulum V. supra laudatum decretum edita, aut inposterum quomodocumque edenda prohibemus sub pœnis , & censuris in Indice librorum

prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque vllâ aliâ declaratione pro expreſsè prohibitis haberi volumus, & mandamus.] Quare ſimiliter remanet etiam prohibita Diſputatio vnica ſub ſequenti titulo. [An B. Virgo à peccato originali per gratiam à Deo præſeruata, an verò cum eodem peccato concepta exiterit.] Tum quia impugnatur in eâ immaculata Conceptio, tum quia ea maximè vellicatur, dum ipſi attribuuntur ſenſus aliqui diſtorti, vel à nemine dicti, vel ſi ab aliquo amplexati communiter viri nullius nominis; vel ſi ab aliquo alicuius nominis docto viro, malè declarati; vel ſi benè declarati, certè communiter reiecti, & nulla ratione admiſſi à propugnatoribus immaculatæ Conceptionis. In quo apparet differentia opinantium contra immaculatam Conceptionem, & pugnantium pro ea, quod iſti in ſuâ propugnatione nunquam plures & docti in aliquem errorem incidiſſe notari poſſunt, ſed valdè pauci, & ferè vnus aut alter idiota: vel quod contra vſuuenit in impugnatoribus immaculatæ, quorum plures, & primates inciderunt in damnabilia, & quæ damnantur vt temeraria ab Auctoribus, & prioribus temporibus in aliqua multa, quæ damnationem habuêre Pontificiam, & eorum libri prohibiti ſunt à S. Sede Apoſtolica vt conſtat de illo Bandeli, & ſimilium.

40. Et quia genus hoc vellicationis, quo tribuitur ſententiæ de immaculata Conceptione communiter receptæ, non eſt peruium, & in hac re agnoſcendum cum ei imputetur, quod ipſa non aſſerit, animaduertamus illud in diſputatione citatâ Primatis vnius de Aduerſariis, qui ſic habet, loquens de ſentientibus pro immaculata, poſtquam eius argumenta propoſuerit. [Pro explicatione huius Diſputationis obſeruandum eſt primò, ab Aſſertoribus immaculatæ Conceptionis B. Virginis, & antiquioribus & præſentibus temporibus intolerabiles falſitates, & errores plurimos plubicatos fuiſſe, ideſt olim illud legimus publicatum apparuiſſe Angelum Ioachimo, eique, dixiſſe, *Noli timere accipere Annam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Secundò alij dixerunt ex oſculo tantum Ioachim, & Annæ B. Virginem fuiſſe conceptam, quibus plura his temporibus ſunt ab illis addita. Tertiò, alij vt Pineda Ieſuita Hiſpali publicauerunt B. Virginem ne dum peccatum originale non habuiſſe, ſed nec debitum illud contrahendi. Quartò, alij vt quidam Franciſcanus Maioricæ B. Virginem minimè per Chriſtum fuiſſe redemptam dixerunt, & Chriſtum Dominum caput Virginis non fuiſſe. Quintò, alij affirmant, vt idem Pineda Hiſpali, eſſe verum martyrem, qui pro Immaculata Conceptione moreretur. Sextò, alij vt quidam Oſſunæ in Hiſpania ſententiam de Conceptione ſine peccato originali, eſſe de fide, quia iàm conſenſus Populi illam de fide fecit ſine alia Eccleſiæ auctoritate. Septimò alij vt Granado Ieſuita Hiſpali in prælationibus dicunt, de fide eſſe talem opinionem propter quoſdam libros plumbeos, ſeu laminas vocatas; & in monte de Valparaigo Granatæ repertas, in quibus dicebatur id fuiſſe ab Apoſtolis deffinitum in quodam Hieroſolymitano Concilio; quæ tamen laminæ erroribus contra fidem plenæ ſunt, teſtatus eſt quidam Archiepiſcopus de Monte Libano Ordinis Præd. qui inſcriptionem earum ſtatuentem affirmauit, In Nomine SS. Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Prophetæ Mahumetis. Octauò, alij vt Procurator Generalis S. Franciſci Romæ prædicarunt Apoſtolicam traditionem in Hiſpania eſſe ſententiam de Immaculata Conceptione ab Apoſtolo Iacobo in ea prædicatam, vt Indolaminis ex S. Iacobo tribuit, ſed quod traditio non ſit Apoſtolica, Conſtitutiones Sixti IV. Pij V. & Pauli V. quæ vtramque vt probabilem poſſe defendi ſtatuunt, apertiſſimè demonſtrant. Nonò alij, vt quidam Hiſpali, inter concionandum populo pronunciauerunt mortem effectum peccati originalis non eſſe. Decimò, alij Summorum Pontificum Conſtitutiones in hac materia editas per falſificationem Papales appellarunt. Vndecimò alij Hiſpali, & Toleti dixerunt, quod qui firmiter non crediderint immaculatam fuiſſe Conceptionem pro illo primo inſtanti, ſaluari non poteſt. Duodecimò, alij Valliſoleti & Hiſpali dixerunt, quòd recitantibus Roſarium, & non tenentibus talem ſententiam, nihil talis recitatio prodeſt. Decimotertiò, alij nedum Virginem, ſed etiam Ioſeph & omnes de domo eius peccatum originale non contraxiſſe. Decimoquartò, alij dixerunt quòd quando Deus creauit mundum ex limo terræ, quandam illius partículam incontaminátam reſeruauit, ex qua per continuam generationem per genitores SS. Virginis vſque ad ipſam protenderunt. Decimoquintò, alij Valliſoleti, & Matriti dixerunt, quod illud Gen. Tertio *Et replenit carnem pro ea*, intelligitur de quadam puriſſima Carne, ex qua Beatiſſima Virgo fuerit generata. Decimoſexto, alij Toleti dixerunt, quod recitantes *Aue Maria*, & non tenentes eius Conceptionem ſine originali peccato, extortè dicunt illud *Aue*. 17. alij dixerunt, quod ſi B. Virgo peccatum originale contraxit, illud etiam Chriſtus Dominus contraxiſſet. 18. alius Matriti in die Conceptionis 1616. Pedroſa nomine, coram Catholico Rege auſus fuit prædicare quod ſi SS. Virgo originale habuit peccatum, Chriſtus Dominus eius filius non potuerit mundum redimere. Decimononò Hiſpali vt Conſtitutiones Apoſtolicas de hac materia loquentes è medio tollerent, dixerunt aſſenſum fidei eſſentialiter non reduci in Eccleſiam etiam tamquam in proponentem, ſiue tanquam in conditionem ſine qua non. Quas omnes hæreſes, ſiue errores reſpectiuè prætextu Conceptionis ſine originali peccato publicarunt huius ſententiæ aſſertores, vt omnem totius veræ doctrinæ euerterent diſciplinam.]

41. Graniter item vellicat hanc ſententiam de immaculata hic Doctor, dum attribuit docto viro Patri Petro Morales, voluiſſe S. Ioſeph ab originali immunem his verbis. [Alius nempe Pater Morales ex Societate Ieſu, etiam Ióſeph ſine peccato originali conceptum aſſerit; prius idem de Iſaac Pelagiani dixerum, vt conſtat ex S. Auguſtino lib. 2. de nupt. & concup. c. 10. & 11.] Et plura alia refert ſparſim in tota Diſputatione quæ vel hic, vel ille minus probabiliter, & fortè etiam cenſuranda quis dixerit, quaſi propria noſtri ſenſûs, quæ communiſſimè reiecta ſunt à noſtris Commilitonibus, ex quibus nullo modo vera ſententia

debet

debet aliquid detrimenti capere, vel vellicari; quia etiam veritates fidei aliquando à doctis viris, fundamentis probantur ineptis, & falsis, ac etiam censurandis: nam mirum non est, quod cum frumento in fœlicis lolij granum immisceatur, & cum floribus aliqua spina concurrat, nec à lolio, aut spina aliqua improbari potest meritò copiosum frumentum, & florum multitudo, & varietas. At in hac ipsa re magna vellicatio piæ sententiæ aduertitur in hoc Auctore, quia prima duo dicta de Conceptione Virginis à Spiritu Sancto, vel ex osculo sacrorum coniugum, quæ nostris Commilitonibus attribuit, cum viderit ab eis non minus quàm ab ipso & suis censurari solita, vt propria ipsorum enumerat, eisque probro vult tribuere immeritissimè. Tertium verò dictum quasi valdè absurdum, quod imputat Pinedæ de debito originalis negato Virgini, non erat ab ipso notâ aliquâ inurendum, cum sit à doctissimis viris item negatum; cum sermo sit de proximo, nec propterea aliquod remotum non concessum. Circa Quartum deberet hic Doctor testem adhibere fide dignum relationis de sensu Patris vnius Franciscani, qui ne diceret Virginem redemptam, negauit Christum fuisse Caput Virginis: nam hæ relationes sæpè rei veritatem in tantum alterant, vt eam penitùs peruertant; & fortè doctus hic vir Christum noluit caput Virginis ad eam redimendam, vt à maculâ contractâ expiandam, quod si merè voluisset, malè erroris accusaretur ab hoc Anonymo. Quoad Quintum lippire videntur ei oculi, qui non viderit rectè martyrem dicendum illum, qui nollet relinquere sententiam ab Ecclesia amplexatam, & amplecti oppositam, & ob virtutem pietatis & obsequentiæ erga Catholicam Ecclesiam moreretur. Et si qui in Sexto sensum Immaculatæ dixerunt de fide, non intelligendi sunt id voluisse completè & proximè de fide esse, sed dispositiuè, & remotè; quod quàm probabile sit, in Disputationibus ostendemus; sed non propterea, vt ibi videbimus, hanc veritatem assensu fidei credendum quis dixisse credendus est; quasi verò Infideles & Hæretici sint, qui sic non credant, aut etiam discredant. Et circa Septimum, falsum est, imò falsissimum, attribuere huic sensui certitudinem fidei ex laminis inuentis in Monte Granatensi; nam nunquam de fide censuit Pineda, neque per somnium esse credendum eiusmodi laminis; & omni falsitate refertum est addere, quod in illis laminis tradi Baptismum in Nomine Diuinarum Personarum & Mahometis, teste Dignissimo & Sapientissimo Viro, qui eas de Arabico in Latinum transtulit, & mihi rescripsit in eis nullum errorem in fide inuentum fuisse.

43. Quoad Octauum nonnisi distortè intellectum est, quod Procurator Generalis S. Francisci Romæ prædicauit de traditione Apostolica in Hispania circa hanc veritatem; nam doctus hic vir non potuit velle, nisi quod in Hispania traditio, quæ est circa Immaculatam ab Apostolo Iacobo dicitur tracta, sicuti & complures in aliis Vrbibus ab Apostolo aliquo creduntur habitæ; quæ tamen non propterea obligant ad certitudinem fidei, cùm non sint ab Ecclesiâ vniversâ Catholicâ receptæ vt Apostolicæ; sic in Indiâ multæ inuentæ sunt traditiones tractæ à S. Apostolo Thoma, quæ non propterea rem de fide credendam præstabant vniuersæ Ecclesiæ; immò neque habitantibus in illis regionibus; plura enim requiruntur vt traditiones perueniant ad certitudinem Apostolicarum traditionum. Nec Nonum quicquam erroris includit benè traditum & perceptum; nam verissimum est, quod in aliquibus subiectis mors possit non esse effectus peccati originalis, in iis scilicet, qui illo ex priuilegio immunes essent, & in Virgine non fuisse effectum originalis omninò voluit Pius V. & Gregor. XIII. qui damnauerunt in Michaele Baio saltem vt temerariam propositionem contradictoriam eius. Decimum quod obiicitur non video quid absurdi contineat, fortè non bene rescriptum est; nam quis neget Extrauagantes Sixti IV. & reliquas Constitutiones Pontificias esse Papales, & statuta Papalia obligantia ad sentiendum id quod debeat sentiri si illud præscribunt. Vndecimum cum item benè erat interpretandum quod scilicet olim si vt dicitur, ab (Apostolo Iacobo de fide tradita fuit Immaculata Conceptio) qui eam negasset eo tempore, saluari non poterat; quod nemo negabit.

44. Nec Duodecimum credibile est fuisse nedum à doctis viris, sed nec ab idiotâ Ecclesiastico dictum Hispali, & Vallisoleti cultis Vrbibus non prodesse ad vitam æternam Rosarij recitationem sine sensu immaculatæ Conceptionis; id quod credi facile potest fuisse pronunciatum, est, quod eis qui malitiosè & cum actiuâ caussâ scandali immaculatam impugnant à recitatione Rosarij fructum vitæ æternæ non capiunt, quod verissimum est. Nec Decimum-tertium relatum potest habere credibilitatem vllam apud viros cordatos, quod aliquis in hæc apertè falsa deueniat, quod scilicet quasi S. Ioseph & omnes de eius Domo non contraxerint originale, cum de eius Domo Euangelistæ narrent peccatores enasisse, & valde iniquos Reges, & si qui hoc senserint, vel fuit hic sensus Nebulonum vel hæresi infectorum. Et illud Decimumquartum & Decimumquintum de particula limi, vel carnis destinatæ ad compositionem corporis Virginis non erant nominanda, vt pote Iudeorum figmenta antiquissima. Et Decimumsextum si qui dixerint, id fundauerunt in dictis multorum Patrum, qui in verbis Salutationis Euangelicæ factæ Virgini eius immunitatem ab originali contentam tradidère, & nonnulli ex verbo *Ane* eam sine *Ve* originali. Nec Decimumseptimum rectè intellectum non habet suam acutè speculabilem veritatem benè defensam, & explicatam à Neribergh, Velasquez, Vega, & aliis ab Anselmo confirmantibus: nam non est dicendum per huiusmodi propositionem intendi, quod Christus peccatum originale contraxisset, de eo formaliter sumpto, sermone habito; sed de eo quo ad aliquem effectum indignitatis in eo descendentis, ex quod à matre oriretur originali maculâ, & sic peccatum originale contrahere diceretur non in se, sed in suo effectu; quemadmodum Salazar. & alij auctoritatem de Virgine ab originali liberatâ interpretantur de eo quoad effectum, prout legi potest apud ipsum Tomo de Concept. debet intelligi sano modo;

modo ; vel quod Christus non potuit redimere mundum cum tanta congruitate ; vel quod si non exemisset Virginem, videretur quod ideò non eam exemisset, quia congruè hoc præstare non posset ; & si non posset hoc congruè præstare circa Virginem, neque congruè posset præstare circa reliquos omnes, & circa mundum ; vel aliquo simili modo credendum est Prædicatorem eiusmodi dictum amplificatione quadam concionatoriâ asseruisse, quæ vel malè intellecta, vel malè relata, vel peius recepta in formam longè diuersam translata est, & deportata Romam, vbi hic Anonymus degebat ; & quicquid audiuit famæ incrementis, scripto tradidit parum meditatè, & sine testatore ; cum præsertim dictum vnius, dici solet dictum nullius, præsertim ad infamandam, vel vellicandam sententiam immaculatæ Conceptionis. Nec Decimum-nonum dictum quicquam affert aptum ad denigrandam veritatem immaculatæ Conceptionis ; & ignauè videtur adduci ad aliquam absurditatem ex sequela sui imputandam immaculatæ ; nam iuxta rectam Theologiam verissimum est, quod propositio Ecclesiæ in ordine ad res credendas de fide, à fidelibus non requiritur essentialiter, sed est sola conditio sine qua non ; & ità docent Doctiores Theologi, & patet in fide ante Ecclesiæ fundationem, & de fide Abrahami eiusdem rationis cum nostrâ, necnon de eâ ceterorum antiquorum Patrum, & ipsius Adami & Euæ ; & patet in casu, in quo edoceretur ab Angelo de rebus fidei, vel per reuelationem particularem fit de iis conuictus, & credat, vt contigit multis. In quibus apertè patet non interuenire propositionem Ecclesiæ, & tamen exercitam fuisse fidem supernaturalem eiusdem rationis cum nostrâ ; de quo videri potest Suar. de fide disp.... sect...

43. Quod autem dicit hic Anonymus de peccato originali negato Sancto Ioseph à Patre Morales, conuincit illum de manifestissimâ falsitate, eúmque facit suspectum, & valdè suspectum in hisce relatis vt falsis, quia Pater Morales perspicuæ temeritatis arguit sententiam à se prius propositam de quodam Theologo citato à Bernardino de Bustos, quem minimè nominat quis fuerit ; quo ostendit Anonymus citans Patrem Morales pro immunitate ab originali, tradita Sancto Ioseph, vel non legisse totum eius discursum, vel si legerit, non comprehendisse perspicuum eius sensum ; vel eum finxisse in tali docto, & piissimo, viro, quæ omnia cum faciunt suspectissimæ fidei ; quod vt pateat registro hîc ipsissima eius verba censurantia pronunciatum de immunitate S. Ioseph ab originali, quæ sunt sequentia. Pater Morales in cap. 1. Matthei lib. 3. trat. 2. de Iosephi Sanctificatione à n. 6. vsque ad num. 12. sic refert. [Prima est extrema quod scilicet S. Ioseph non solum fuit sanctificatus & liberatus à peccato Originali existens in vtero materno, sed quod etiam fuerit ab eo præseruatus, antequam caderet, quemadmodum de B. Virgine Sponsâ suâ intactâ in præcedenti resolutum reliquimus : ità tenuit deuotus quidam ipsius S. Ioseph quem tacito nomine refert. Frat. Bernard. à Busto in Mariali 4. p. ser. 12. 2. p. fol. 156. col. 3. in fine, & col. 4.

Cuius Auctoris innominati sententiam, nec approbat nec reprobat Bustus eam referens, sed tantum concludit loco citato fol. 56. col. 4. prope finem, dicens : vtrum autem Ioseph ab originali macula præseruatus fuerit, ipse Deus nouit, qui talem sibi in Patrem putatiuum ; & gubernatorem humanitatis suæ & purissimæ coniugis super omnes mundi homines elegit.

Sed certè huius innominati Auctoris sententia, & cuiuslibet alterius cum eo consentientis, neque admitti neque defendi tutò potest, maximè post determinationem Concilij Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali in hæc verba statuentis : declarat tamen in hoc sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem ; & sic pugnare videtur cũ regulâ generali in diuinâ Scripturâ contenta, per vnum hominẽ peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors ; ità & in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccauerunt. De quo in tract. præced. n. 9. diximus ; etiam cum grauissima totius Ecclesiæ auctoritas in Concil. Trident. contenta, determinat solam Virginem velle in decreto de peccato Originali comprehendere : vbi apertè omnes alios & quoscumque voluisse comprehendere satis ostendit. Pugnare etiam videtur cum ratione, est enim longè maior & sublimis in præseruatione B. Virginis à peccato Originali, quàm in B. Ioseph ; quia ex B. Virgine æternum Verbum humanam carnem erat assumpturum prout assumpsit, & sic hæc Virginis præseruatio ad honorem Christi Domini pertinuit, vt in tract. præcedent. n. 34. 35. 36. latiùs vidimus ; non sic autem in B. Ioseph qui à B. Virgine, & per eam quamplurima dona à Deo communicata habebat & recipiebat ; vt in tract. 13. 1. 3. dicemus ; similes enim erant, non æquales : de sola námque B. Virgine dicitur. Quod sicut in comparatione Matris Dei nulla inuenitur perfecta creatura quamvis virtutibus eximia comprobetur : vnus est enim Pater in Cœlo, vna forma virtutum Maria, vt ex S. August. diximus in tract. p. n. 6. lib. 2. præcedentis.] In quibus cœcus est qui non agnoscat Patrem Moralem negare & censurare sensum eximentem originale à S. Ioseph.

A SANCTISSIMO ALEXANDRO VII. hic aduertitur Aduersarios voluisse semper frustrari fauores Summorum Pontificum.

46 DICITVR Tertiò hîc Aduersarios putæ conceptionis fauorem præstitum à Summis Pontificibus ità interpretari, vt nullum demonstrent, eúmque frustrentur. Id quod patet in duobus Libellatoribus dictis ; & Primò in primo, qui voluit Greg. XV. mandasse in festo Conceptionis non vsurpandum nomen sanctificationis, nec vllum aliud, sed solùm Conceptionis, ad ostendendum, quod secundum sensum immaculatæ in Conceptione Virginis celebrabatur festum,

quod

quod ipse negat, & ait. [Vt cultus esset magis vniformis.] Et addit. [Innuens nomen Conceptionis esse indifferens ad vtramque sententiam.] Et rursum addit vanè dicens, quod Sixtus IV. in Bulla *Cum Præexcelsa*, & Extrauagantibus, non fauet sententiæ de immaculata Conceptione, sed solùm voluit eam non damnari, vndè habet. [Vndè Sixtus IV. Pontifex vbi damnat impugnantes recitatores Officij Leonardi de Nugarolis, nihil de titulo ab Auctore impositò sollicitus fuit, vt illa sententia non damnaretur, nec Officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur: cui deindè cætera Summorum Pontificum decreta ad vtriusque probabilitatem sententiæ seruandam peculiariter directa adhæserunt.] Quibus verbis expressè habet nihil peculiare edidisse Pontifices circa maiorem approbationem sensûs immaculati Conceptûs; quod dictum in præsenti reprobat Pontifex.

47. Negat item ad hoc propositum Secundus Libellator Officium Nugarolis fuisse à Sixto ità approbatum in fauorem immaculatæ, vt ei profit, & ait. [Ex quo patet, quod præcipuum Aduersariorum argumentum desumptum ex concessione Officij Nugarolis, factâ à Sixto IV. tantum abest, quòd vrgeat post Greg. XV. quod imò hisce temporibus Officium illud non videtur amplius recitandum, quia expressè alio vtitur, quàm Conceptionis nomine.] Quod tamen hîc approbatur à Pontifice.

48. Præterea primus Libellator quando Pontifices titulum immaculatæ dederunt Conceptioni, illud recitatiuè non assertiuè ait illi esse tributum, quod ipse habet §. 3. Secundus verò Libellator repetit §. 32. & reprobatur ab Alexandro Sanctissimo. Indulgentias item, Confraternitates institutas, Religionem approbatam in fauorem sententiæ de Immaculata negant Aduersarij: Quare apertè patet, & eos frustrari velle hos fauores, & ex hac Declaratione Pontificiâ elucet hæc omnia præstitisse Pontifices in fauorem sententiæ de immaculata, quod latiùs, & fortiùs patebit infrà in Quæstionibus.

49. Vbi addas non solùm Aduersarios fauorem Pontificum præstitum immaculatæ Conceptioni negasse, sed illum à Paulo V. præstitum suæ sententiæ maculanti Virginem affirmasse, teste Salazario in sua Præfatione ad Philippum IV. Regem nostrum §. 13. vbi refert. [Et quod grauius feras, illud seriò affirmare ausi sunt Sanctitatem tuam hoc nouo Decreto, non tam piæ, quàm suæ adfauisse doctrinæ; nam quoties inquiunt, adhibitâ deliberatione retardatur, & moratur ea, quæ tanto ab omnibus studio expetitur, piæ sententiæ definitio, oppositæ doctrinæ grauia momenta tacitè demonstrantur.] Et paulò est. [Sed aliquid etiam importunius, & nisi fallimur, contra tuam, Beatissime Pater, mentem Aduersarij excogitarunt, scilicet neque Sixtum IV. nec Alexandrum VI. nec Pium V. litteris suis tantum opinioni suæ tribuisse olim, quantum hodie per nouam Constitutionem à te tributum esse volunt.] Quæ omnia euertit hæc Pontificis Declaratio.

50. Dicitur hîc Quartò, Aduersarios negare Ecclesiam Romanam fauere huic sententiæ, & cultui exhibito Virgini secundum ipsam. Vndè primus Libellator tamquam absurdum notat mandatum Ecclesiæ celebrandi Conceptionem immaculatam, vt patet in fine §. 1. & Secundus Libellator apertè repetit Ecclesiam non celebrare secundum hunc sensum scilicet §. 27. vbi inquit. [Nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam; hoc enim adhuc est indefinitum, atque adeò dubitationi subiectum; qui aliter dixerint, videant quomodò Hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.] Vndè carpit eos, qui sentirent Ecclesiam huic sensui adhærere; quem sensum confirmat tertius Libellator in his, quæ suprà retulimus.

51. Quintò notatur hîc aduersarios magnâ iniuriâ velle fideles deturbare è sua pacifica possessione circa ea, quæ in hac materia vsurpauerunt; quo notat Pontifex intentum Aduersariorum annis præteritis exsibilatum, quo contendebant non permittendum esse titulum immaculatæ Conceptionis, cumque prohibendum in libris, in triuiis, in Imaginibus, & similibus, prova patet in duobus Libellatoribus dictis, qui toti sunt in hac re, necnon in alio tertio cuius titulus est sequens. [Libellus pro Decreto S. Romanæ Vniuersalis inquisitionis anno 1644. 20. Ianuarij, de Titulo immaculatæ non addendo Conceptioni Beatæ Virginis Mariæ.] Et additur deindè [Refertur Decretum, ponderatur eius qualitas; Aduersariorum Glossæ confutantur.] Quod Decretum particulare fuisse constat, & subreptionis vitio notatum, & annullatum fuisse videtur ex præsenti Bulla; & priùs annullatum vidimus ex Decreto concepto ab Innocentio X. & ab Alexandro VII. Sanctissimo Domino, initio Pontificatûs viuæ vocis oraculo; quando ex eius mandato Titulus immaculatæ, ex eius præcepto contra reluctantiam Magistri Sacri Palatij impressus est Romæ. Quod autem per hæc verba talis pacifica possessio vsurpationis libere Conceptionis immaculatæ signetur, potest patere ex Cismontanâ Familiâ, & Calderonio, qui sub his terminis latè probant Conceptionem Virginis esse vulgandam, & tradendam in quibuscumque titulis, & triuiis immaculatam: cum per vniuersam Ecclesiam vsus huius tituli ab antiquo tempore fuerit perpetuatus, cum maximè in Bullis Summi Pontifices eum confirmauerint, & in Officio Conceptionis approbauerint. Significatur item hîc, quod Aduersarij contendunt, fauores nullos esse sententiæ de immaculatâ præstitos à Summis Pontificibus, & declaratur fideles esse in eorum pacificâ possessione, dum ex hoc vituperantur, quod malè quærunt oppositum, & iniustitiam ipsis inferri volunt eos de eorum pacificâ possessione deturbando.

CONFIRMATIO OCTAVA *Certitudinis Immaculati Conceptûs ex ſcandalis in Eccleſia ab oppoſitâ ſententiâ, & non ab illâ Immaculata.*

1. ADVERTITVR Sextò à Pontifice ex his iniuſtis prætenſis, & malè actis ab Aduerſariis (propter quod eos maximè improbat, & ex hoc ipſo improbat ſenſum eorum, vndè ipſi improbantur) continuaſſe & continuáre ſcandala, & iurgia, quibus conſulere voluit Paulus V. & Gregorius XV. eorúmque facit cauſam ſenſum hunc Aduerſariorum, propterea maximè improbandum; & ſi enim ſæpè in Eccleſia Dei propter aliquem bonum ſenſum, eúmque veritate plenum diſſentiones & ſcandala in Eccleſia contigerint; tamen eiuſmodi ſenſus numquam fuêre oppoſiti ſenſui Pontificum, qualis iſte eſt Aduerſariorum. Et rurſùm hæc ſcandala euenêre, propterea quod eiuſmodi ſenſus oppoſitus fuerit ſenſui Pontificum, & quia eidem reſtiterit, & eorum mandata vel non ſint exequuta, vel malè ſint interpretata; provt contigit in iſto maculante Sanctiſſimam Conceptionem, provt patet in antedictis. Proueniſſe autem hæc ſcandala & iurgia diſſenſioneſque in vniuersâ Eccleſiâ, provt patet & vidimus, & confirmari poteſt ex iis, quæ refert Salazarius in ſuâ Præfatione ad Philippum IV. quæ durare poſt Bullam Pauli commemorat.

2. Septimò hîc aduertitur item à Pontifice, meritò timeri duratura hæc ſcandala, quia ſcitur per tot ſæcula Aduerſarios ſemper noua molitos, nouáque excogitaſſe pro ſui ſenſûs defenſione. Sic Salazarius §. 12. olim ſcripſit. [Neſcio quo fato huic doctrinæ, quàm Aduerſarij noſtri conturbantur, proprium eſt; vt acceptis vulneribus conualeſcant, & poſtquam proſtrata, & humi preſſa eſt, audaciot exſurgat, & Lernæ in morem, vno exſecto capite, aliud æquali prædituin robore progerminet.] Et §. 14. Nullam ſpem eſſe dicit ante definitionem huius materiæ, quod Aduerſarij conquieſcerent, & ſic pergit. [Hæc cum audio, Princeps Clariſſime, vt dicam etiam quod ſentio, aut nullam, aut certè vix aliquam ſpem futuræ reſipiſcentiæ concipio. Noſti hoſtes in prælio ſæpius longioris, temporis inducias poſtulare, non vt arma deponant, ſed vt viribus inſtauratis, refectiſque ad bellum iterum redeant.] Et Deus præſto ſit, ne iterum repullulent ſcandala, hac etiam prodeunte Bullâ, retundente omnes Aduerſariorum machinas: nam audimus Aduerſarios ſæpè iterare nihil noui per eam confectum eſſe ab Alexandro Sanctiſſimo, quod non actum fuerit per antecedentes Pontifices; Quare ad antiqua redire videntur animo diſpoſiti certè magnâ mentis obnubilatione, quæ eorum intellectus obtenebrat, nec ſinit animaduertere quantum momenti Sanctiſſimus Pontifex in firmandâ immaculatâ Conceptione adhibuerit, & contrariam ſententiam penitùs obliuioni tradi voluerit, provt oſtendemus latè in Diſputationibus ſequentibus, cum illi tantum notam hæreſis, & peccati mortalis aſſeri, non mente tribui vetuerit, vt aliàs ponderabimus. Nec vetuerit eam temeritatis ſaltem Theologicæ arguí, quamquam temeritatem ex ſenſu Pontificio illi non attribuerit, & pro certo ei dandam viſus ſit vitaſſe, dum mortale peccatum ei tribui prohibuerit.

3. Octauò, ſapientiſſimè Pontifex prudentiſſimus horum ſcandalorum adhibet teſtes omnes ferè Epiſcopos Hiſpaniarum cum ſuis Capitulis; nam videntur non tam nota vniuerſæ Eccleſiæ, & videntur incredibilia poſt tot bullas Pontificum, adhuc ea repullulare. Quare congruentiſſimè firmat Pontifex veritatem horum ſcandalorum, quod non egêre priores Pontifices in præcedentibus Bullis; nam ea nota magis erant, nec videri poterant incredibilia.

4. Nonò, ad hæc item ſcandala certo certius firmanda non contentus eſt adhibere teſtes Epiſcopos cum ſuis Capitulis, ſed voluit afferre etiam teſtimonia Regnorum Hiſpaniæ, quæ ad ea vitanda ſibi facta fuiſſe recenſet per Epiſcopum Placentinum; nam fortè poterat dici, quod ea exaggerata fuerint ab Eccleſiaſticis ex amore immaculatæ Conceptionis, & vt relatio firmior appareret, ſupplicationes Regnorum pro eodem adhibitæ narrantur hîc à Pontifice.

5. Decimò, narrat Pontifex hanc eamdem teſtificationem ſibi factam ſignanter à Rege Catholico, qui eam vt oculatus & auritus teſtis dare poterat, & maximi item ponderis erat; nam ad eum maximè ſpectabat, & intererat veritatem facti probè ſcire, & de eâ Pontificem monere ad mala vitanda ſuorum Regnorum, & zelare pro bono Eccleſiæ, quemadmodum zelati ſemper fuêre alij pij, & Catholici Reges, & Imperatores Chriſtiani in ſimilibus, provt notat Salazarius loco citato.

CONFIRMATIO NONA EIVSDEM *Certitudinis ex inſtantiis factis ad habendum eius augmentum, tum ab Hiſpania expreſsè, cùm à totâ Eccleſiâ tacitè.*

1. VNdecimò tandem rectè Alexander ſanctiſſimus notat inſtantiam ſuper hac re ſibi factam ad hæc ſcandala remouenda, tum ab Epiſcopis, & Capitulis, cùm à Regnis, & ab ipſo Catholico Rege, vt approbaret ſtudium omnium intercedentium pro hac re, dum ſummâ laude notati remanerent hi Eccleſiæ Præſules, & Cleri earum, & acueretur quàm maximè ſimile eorum ſtudium, ſi aliquid ſimile vrgeret vel in hac, vel in ſimili materiâ, quod animaduertendum eſt: Nam ſimiles inſtantiæ olim factæ ſunt Pontificibus, nec de iis ipſi meminerunt; meminit autem Sanctiſſimus Alexander harum inſtantiarum, quia forte vniuerſaliores fuêre, quàm vnquam

al às

aliàs apud præcedentes Pontifices. Et rursum vt ostenderet quantis rationalibus motiuis impulsus fuerit ad hanc Bullam edendam; necnon hoc ipso ostendit impulsum Spiritûs sancti ad eas adhibendas, quo ipsa certitudo immaculatæ Conceptionis augetur.

2. Atque hîc inprimis meminit instantiæ Regnorum, & maximè Philippi IV. Regis Catholici, vt obstrueret ora aduersantium carpentium piissimum Regem æterno honore dignum, propter eiusmodi ardentes supplicationes, Summo Pontifici delatas; quem scitur eos improbasse, ex eo quod apud Pontificem has partes gesserit, & gerat: cuius stultæ, ne dicam impiæ criminationis aduersus tantam eius pietatem, & sapientiam, testis est Salazarius, qui in suâ Præfatione defensionis immaculatæ Conceptionis, satè vindicat à calumniis tanti Regis propositum. Sic §. quinto refert hic Doctor Aduersarios aduersus eum criminari. [Non satis Religiosum videtur, sæcularem Principem (verba Aduersariorum hæc sunt) in Sacerdotum discordiis intercedere; habent hi suarum dissensionum arbitrum Summum Pontificem, qui eos ad pacem adhortari, & illorum cõtentionem componere ex iure debet.] Et §. 6. [Controuersia illa vtrum Virgo Deipara in peccatis humanâ solemnitate concepta fuerit necne, per fidei principia dirimenda est; quid igitur sæculari Principi quantumuis Catholico cum rebus fidei, quæ non prophanâ Maiestate, & ciuili potentiâ, sed Pontificum, & Conciliorum auctoritate decidi, ac definiri debent? Res istæ à Regibus omitti, & Sacerdotibus, Episcopis, Summoque Põtifici permitti debent. Sacerdotibus inquam, vt illa disceptent, Episcopis, vt deliberent; Pontifici denique vt omnibus accuratè perpensis, libere omninò definiat, ac decernat. Si enim integrum esset Principibus sæcularibus quomodolibet in controuersiis fidei, suam interponere, aut introducere Maiestatem, amplissima certè indè erroribus, atque hæresibus ianua referatur.] Hæc Aduersarij; & §. 9. [Sed instant Aduersarij, atque illud sibi non satis religiosum videri affirmant, Pontificem super causa fidei à Catholico Principe toties percontari, ne dicam vrgeri; quasi auctoritatis Regiæ pondus, & non magis Scripturæ sacræ momenta Pontificis nutum ad definitiones fidei faciendas permouere debeant. Addunt etiam nescio quem metum indè conceptum quia nimirum si id liceat, cum Principes quamtumuis orthodoxi aberrare possint, fiet nonnunquam vt suos errores à Summis Pontificibus confirmari procurent; ac demum subiiciunt eam controuersiam, quæ circa iustitiam originalem sanctissimæ Deiparæ hoc tempore disceptatur ancipitem esse, & totam in opinione positam, atque adeò temerè, ac perperam alterius partis definitionẽ ab ortodoxo Principe postulari asseuerant.] Ad hęc ergo confutanda & dãnanda effata, sanctissimus Pontifex sapienter & prouidè commemorat hîc cum laude & approbatione instantias sibi factas pro Immaculato Conceptu & ad earum intercessiones etiam inclinatum se sequenti §. fatetur, ad declarationem fauorum à Summis Pontificibus præstitorum sententiæ de Immaculatâ, provt mox explicabitur; quo malè notari, & haberi proclamat; quod vitio vertatur piissimo, & Catholico Regi: quòd pro submouendis scandalis definitio, & confirmatio magis expressa feratur à Summo Pontifice de Immaculato Conceptu Deiparæ, In quo sequutus est Dominus noster sui Prædecessoris Gregorij XV. exemplum; qui in Breue exarato die 4. Iunij 1622. Summoperè laudauit & vsque ad sydera extulit studium & curam Philippi itidem IV. Regnantis, in exquirenda definitione Immaculati Conceptûs, dum ei scripserit. [Charissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam Benedictionem, Catholicæ Religionis decus, & Austriacæ pietatis argumentum est Regem potentissimum, cui vtriusque Vrbis Prouinciæ amplissimæ famulantur tanto studio sanctorum laudibus, & Beatæ Virgini dignitati inseruire. Benedicimus Maiestati tuæ Charissime fili, dignámque tibi à Dominantium Domino Regiâ pietate fælicitatem precamur. Sanè tibi & populorum fidem, & hostium oppressionem polliceri haud temerè possumus, cum eius tibi Virginis patrocinium conciliare studes, quàm terribile esse vt Castrorum aciem ordinatam, diuina oracula testantur. Vix dici potest, quanto nos gaudio cumularint nuperæ litteræ Maiestatis tuæ de Immaculata Deiparæ Conceptione differentes. O curam Catholico Rege dignam, & Christi Vicario gratissimam! Ne quid tamen noui tantâ in re decernatur in præsentia, monet tum negotij magnitudo tum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplum: Spiritus sancti enim voci auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debẽmus, qui in diuinæ Sapientiæ Cathedrâ Christiano Orbi à Deo præfecti sumus. Quare cum nondum æterna Sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterij penetralia patefecerit, in Dei Romanorúmque Pontificum auctoritate debent fideles Populi conquiescere. Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maiestatis tuæ, tantúmque negotium iterum accuratiúsque pensauimus aliquod tibi Regnisque tuis solatium afferre cupientes. Tum autem valdè timuimus, ne veterator ille serpens qui boni malique scientiam propriis parentibus pollicens, maximis humanum genus miseriis cumulauit, ipsius pietatis armis abutatur ad Christianæ plebis pacem dirimendam. Quæ enim opinionum dissentio est, fieri potest animarum contentio, dum magnificum victoriæ genus plerisque videtur, vbi quid in controuersiam venit, de aliorum ingeniis triumphare. Quare dissidiorum semina extinguere cupientes, antequam asperior in istis Prouinciis pullulet zizanij prouentus, ingeniorum petulantiam, libertatémque differendi Pontificio Decreto coercendam censuimus, ex eo, & ex dilectis filiis nobilibus viris Oratoribus tuis Comite Montis Regij & Duce Alburqueque mentem nostram vberius cognoscet Maiestas tua; cum enim nobis Regiam petitionem elegantissimè exponerent, luculenter intelligere potuerunt quàm inuiti refragemur, & quàm alacriter semper gratificaturi sumus tanto Regi, quem Europæ ornamentum & Catholicæ Ecclesiæ gaudium esse arbitramur, ac Maiestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris die 4. Iunij 1622. Pontificatûs nostri anno secundo.] In quo diplo-

mate euidentiſſimè patet has inſtantias à Principibus viris etiam ſæcularibus rectè & ſecundum placitum, & eximias laudes Sedis Apoſtolicæ fieri, & per hæc vltimò tradita à SS. Alexandro meritiſſimè damnari arguitiones Aduerſariorum de hiſce inſtantiis, quaſi Sanctæ Eccleſiæ perniciosis, provt tertius Libellator malè proclamat, qui licet non ſignans peculiarem noſtrum caſum, de eo tamen loquens, inſinuare vult preces à Principibus viris in hac materiâ factas, importunas fuiſſe, duras ſollicitantes corda, turbantes, prementes: improbâtque in hac operâ interceſſiſſe petitiones mulierum, eas aſſimilans illis, quæ contra Paulum ſeditionem excitarunt; verba eius hæc ſunt. [Non refugimus, quinimò optamus Romanam Sedem omnium Principum pientiſſimam, oblatas Principum preces ſuſcipere, eorum vota obaudire, ſicuti non damnamus Religionem, & ſtudium in Principibus, qui ſancto zelo accenſi in cauſis fidei humiles, & deuotas preces offerunt, diuina oracula præſtolantes: Exigimus tamen, vt preces opportunæ ſint, non importunæ; ſobriæ, ac temperatæ, non anxiæ, & duræ; excitent, non ſollicitent, pacem foueant non turbent; nedum nimis premant, opprimant, & dum vehementer emungunt, ſanguinem eliciant. Optamus pariter vt zelus ſit iuxta Paulum, non mulierum ignibus accenſus; non à vilium plectris agitatus, vtraque enim ſemper infauſta fuêre Eccleſiæ, & magna incendia, à quibus pænè exarſit, excitarunt. Inſigne teſtimonium præter cætera, quæ ſuppetunt ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ præbent verba Act. 15. 50. *Iudæi autem concitauerunt mulieres Religioſas & honeſtas, & primos Ciuitatis, vt excitarent perſecutionem in Paulum & Barnabam.* Vbi rectè adnotauit Caietanus, arma Diaboli ſæpiùs mulieres Religioſas, & honeſtas, & primos Ciuitatis inter quos Aulici ſæpiùs, & ſub ſpecie pietatis fuiſſe Iudæis ad excitandos tumultus & perſecutiones in Eccleſia; & propterea maxima cura adhibenda ſit à Principibus in illis exaudiendis: Operæ pretium autem nobis videtur inſigni exemplo, ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ deprompto oſtendere quid opus facto ſit in ſimilibus, ne dum argumentis eneruare contendimus, Principum auctoritatem, & preces eleuare videamur.]

3. In quibus mirum certè eſt, quod reiecta & conculcata Aduerſantium dicta, ſine nouis probationibus eadem denuò ab ipſis afferantur; (qui eorum perpetuus eſt mos, qui ſemper eadem recantant, & nihil noui, vel nouis probationibus oſtenſum habent;) nam apud Salazarium in Dedicatoriâ ad Catholicum Regem Philippum III. ſatis euidenter conuincuntur, vt inſolentes accuſatores pietatis Regiæ in hac materiâ, tantum à Greg. XIII. laudatæ, vt paulò ante vidimus, & tamen hic Libellator nuperrimè redit in idem, & carpit preces, & inſtantias factas, quâsve proſequebatur ſucceſſor pietatis paternæ cum exceſſu etiam maioris digniſſimus & piiſſimus Rex noſter Philippus IV. carpit item preces, & poſtulata nobiliſſimarum mulierum, dum eas veluti ſignare intendit vt ſimiles; vel quæ poſſent eſſe ſimiles mulieribus ſeditioſis in Paulum; in quo ſtultè non vidit, vel videre noluit, quod earum pietatem in hac re maximè laudauit Gregorius XIII. provt habetur in Regeſtu pag. 278. ad vnam ex ipſis ſcribens, videlicet Margaritæ à Cruce Sanctimoniali, Regis Catholici Amitæ, ſic fatur. [Dilecta nobis in Chriſto filia, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Angelicis Choris intereſſe, & Beatorum gaudia in terris antecapere videntur illæ animæ, quæ à mortalium rerum contagione ſecretæ, ſe ipſas Beatiſſimæ Virgini deuouerunt. Eiuſmodi felicitatis compotem eſſe ſperamus nobilitatem tuam, quæ in Religioſis Clauſtris deliteſcens, animo quotidie in cæleſtem Patriam demigrare ſtudet. Cognouimus enim ex litteris tuis, & ex ſermone dilecti filij nobilis viri Comitis Montis Regij quanto ſtudio Deiparæ laudibus inſeruias; ità enim ſcribis, vt tibi gloriæ principatum adipiſci videreris, ſi diſſentientes Theologorum, Populorumque Diſputationes in vnam aliquando puriſſimæ Conceptionis ſententiam conuenirent, verùm cum ipſi Beatiſſimæ MARIÆ obedientia gratior ſit, quàm ſacrificium, ij tum eam piè ac ſapienter colunt, qui Apoſtolicæ auctoritatis legibus ſe ipſos, ſuáſque opiniones ſubiiciunt, Spiritus ſanctus accuratiſſimis precibus exoratus, nedum tanti Myſterij arcanum Eccleſiæ ſuæ patefecit. Nos autem nonniſi eo præeunte æternitatis volumen in Chriſtianæ ſapientiæ Cathedrâ legere debemus. Quare in tam graui deliberatione à Pontificum Maximorum, qui nos anteceſſerunt, ſententiâ recedendum non eſſe hoc tempore arbitramur. Obuiam quidem eamdem cenſemus peruicaci cuidam ingeniorum licentiæ, aſſiduiſque Theologorum altercationibus, ne diſcordiarum pater diſſimulatione pietatis animas decipiens, in nimiis iſtis diſputationibus aliquando triumphet. Pontificio Decreto eiuſmodi periculum propellimus. Ex eo cognoſcet Maieſtas tua quàm propenſa tibi voluntate gratificemur. Te enim paterna Charitate proſequimur, quæ è regnatrice Domo in ſacrum iſtud ſodalitium Chriſtianarum virtutum exemplar tranſtuliſti, vt Religioſas iſtas Virgines Nobilitatis tuæ imitatione ad currendas diuinorum mandatorum ſemitas acriùs incitares; his omnibus tibique cæleſtium conſolationum vbertatem precamur, atque Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris die 4. Iunij, 1622. Pontificatûs noſtri anno 2. Ioannes Ciampolus.] Sãctiſſimus etiam Vrbanus VIII. Sic ſcripſit ad Eliſabetam Reginam Catholicam. [Chariſſima in Chriſto Filia noſtrà, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quâ pietate Imperatrici Angelorum Maieſtas tua Regales imperij faces ſubmittat, iam diù famæ tibi plaudentis vox teſtatur; nuper autem Nobilis viri Ducis de Alcala declarauit Oratio. Cum autem cupias tuam erga immaculatam Deiparam illuſtri aliquo documento Religionem ſignificari, mittimus Maieſtati tuæ munitum Apoſtolicâ benedictione habitum militiæ Chriſtianæ, quæ ab eiuſdem Virginis Conceptione petiit ſacrum Equeſtris Familiæ nomen, & auſpicium. Sic quod inſigne Catholica Regina condis in corde, idem in regali pectore geſtabis. Videmus, quàm fœlix ſumere poſſit in Auſtriacis Regnis incrementum noua hæc Militia, cuius vota, & inſtituta ſaluberrimos

triumphos

triumphos promittunt Christianitati. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem die 20. Septembr. 1625. Pontificatûs nostri anno 2.]

4. In quo patet quanti placuerit Vrbano VIII. studium huius magnæ Reginæ erga immaculatam Conceptionem, & petitionis ab eâ factæ Sanctæ Sedi Apostolicæ ad obtinendam circa eam definitionem fidei; vt propterea notat Calderonius, sponte suâ motus sit, ad ei mittendum habitum militiæ Conceptionis Deiparæ. Ità enim habet cap. 5. n. 205. [Cum à Duce de Alcala didicisset Reginam summè affectam erga immaculatam Conceptionem, cuius definitionem ipsa efflagitauerat à Sede Apostolicâ, litteris, quas refert Lucas de Vuadingo in Legatione de Conceptione, Vrbanus Reginæ cupienti hanc pietatem suam aliquo documento significari, mittit habitum militiæ sacræ, vt hac ratione insigne quod condit in corde, gestet in pectore.] Ex quibus liquet apertè, quantum Sedes Apostolica gratas habuerit instantias sibi factas circa certiorationem optatam Immaculatæ Conceptionis à dignis etiam & Grandibus Mulieribus. Vt autem appareat quàm falsò & iniquè à Libellatore, & Aduersariis imputetur hîc Principibus viris, quod suis instantiis fatigauerint, pressérint, & ferè coegerint Sanctam Sedem Apostolicam ad statuta pro Immaculatâ Conceptione, adduci hîc debent eorum petitiones, vt appareant quàm modestæ, quàm supplices, quàm obedientes se ostenderint, & venerattices Sanctæ Sedis, nullo dato inditio importunitatis, & coactionis, quam intenderint immiscere erga tam sanctum, & supremum Tribunal Ecclesiæ Catholicæ, & Philippus quidem III. Catholicus Rex, ità scripsit Gregorio XIII. provt registrauit eius epistolam Cismontana in Registro, pag. 314. in hæc verba. [Beatissime Pater, Horum Hispaniæ Regnorum Reges prædecessores mei, magno colebant affectu purissimam Conceptionem Dominæ nostræ Virginis Mariæ, sed præ cæteris Rex Pater & Dominus meus, magno fauore eamdem veneratus; instillata etiam mihi à Progenitoribus peculiaris huius sacri mysterij, & sanctæ festiuitatis deuotio, quam vestræ Sanctitati propalandam duxi; humiliter deprecans, vt in fœlici tuo Pontificatu id curare digneris, vt exaltetur, & extendatur in Populo Christiano hæc pietas in Virginem; iis appositis remediis, quę sancto tuo zelo miræ eruditionis & rerum experientiæ potiùs expedire, & magis ad obsequium Dei, honorémque Domini nostri, suæque Benedictæ Genitricis conducere videbuntur. Deus sanctam tuæ Beatitudinis Personam custodiat incolumem. Datum Matriti, 10. Nouembris anno 1621. Sanctitatis vestræ deuotus admodum & humilis filius, Philippus Dei Gratiâ Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugalliæ, Nauarræ, Indiarum &c. Qui sanctos tuos pedes osculatur & manus. Rex. De mandato Domini nostri Regis. Antonius de Arastegui Secretarius.]

5. Nec non Elizabeth Regina Hispaniarum, non nisi suppliciter, & summâ deuotione, nullâ vmbrâ coactionis scripsit ad eundem Gregorium, vt habetur pag. 315. dicens. [Beatissime Pater, antiqua deuotio, quâ vniuersa nostri Dominij Regna semper prosequuta sunt Angelorum Reginam, & Dominam nostram; excitarunt in eisdem, & in me feruida desideria, vt foueatur Apostolicâ determinatione, pia & secura veritas de purâ & mundâ eiusdem Virginis Conceptione. Et quantumuis iampridem feruenter de hoc ipso institutum est, Gloriosum hoc facinus reseruatum iudicio fausto & felici vestræ Beatitudinis tempori; quæ tot signis deuotissimum se exhibuit erga Immaculatam Conceptionem. Proinde summâ securitate & confidentiâ, omni quo possum affectu, vt aliqualis ex hac parte meriti particeps fiam, humiliter obsecro vestram Beatitudinem, vt dignetur vniuersa hæc Regna consolari per vltimam determinationem in causâ adeò rationabili. Porrò si propter rei grauitatem longiori morâ opus fuerit, affectuosiùs, & supplex oro, vt vestræ Beatitudini complaceat, quod dum non peruenitur ad vltimam definitionem, non liceat nec disputando, nec altercando contrariam defendere sententiam in publico, nec in secreto. Adeò etenim aduersa est vniuersali deuotioni harum Prouinciarum, vt iam in illis euaserit scandalosa: Magnam induo confidentiam de consequendâ hac gratiâ à vestrâ Beatitudine, cuius Sanctissimam Personam Deus custodiat incolumen. Matriti 5. Nouembris 1621. Vestræ Beatitudinis humilis admodum & deuota filia D. Isabella, Dei gratiâ Regina Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Nauarræ &c. quæ Beatitudinis vestræ sanctos pedes & manus exosculatur. Regina.]

6. Cardinalis item Infans Archiepiscopus Toletanus sic scripsit. [Sanctissime Pater, adeò antiqua & recepta est in his Regnis pia deuotio erga mundam & puram Virginis Mariæ Dominæ nostræ Conceptionem, vt quicumque velit etiam per modum disputationis contrarium tueri, notorium excitet scandalum. Propterea toties, & tam instanter supplicatum est, vt vellet Sedes Apostolica infallibili suâ determinatione tollere omnem libertatem contra Immaculatam Conceptionem sentiendi: Quod verò hucvsque factum non sit, ego tribuendum puto Diuinæ voluntati, quæ ità disposuit, vt glorioſum hoc facinus felicissimo vestræ Sanctitatis Pontificatui seruaretur, quæ aliàs tot signis erga Immaculatæ Conceptionis mysterium deuotionem ostendit: eadem etiam ego commotus necnon feruidis desideriis omnium Incolarum horum Regnorum, securus & supplex oro vestram Beatitudinem, vt dignetur totaliter resoluere negotium, quod in omnium votis est, & magni censetur momenti. Si verò rei grauitas moram exegerit, deprecor, vt interim prohibeat Vestra Beatitudo defendi contrariam sententiam, tam in publico, quàm in secreto; adeò etenim aduersatur communi omnium deuotioni, vt in omnibus scandalum generet. Dominus noster Sanctissimam Personam vestræ Beatitudinis custodiat incolumem ad multos & felices annos, pro Christianæ Reip. emolumento. Matriti, 5. Nouemb. ann. 1622. Sanctissime Pater, osculatur sanctos Vestræ Beatitudinis pedes tuus humillimus filius Cardinalis Infans.]

7. Margarita etiam Austriaca Monialis sic habuit scribens eidem Gregorio. [Sanctissime Pater, mei officij & obligationis esse iudicaui, intercedentibus Rege & Regina, pro definien-

dâ B. Mariæ Virginis Conceptione, cuius decisionem distulit Deus ad vestræ Beatitudinis tempus: vt & ego humiles meas intermiscéam supplicationes, supplex ergo deprecor eo quo possum affectu, vt iam tandem determinare dignetur vestra Beatitudo pro omnium desiderio, quod in hoc sancto mysterio tenendum & credendum sit, per quod scandalorum causæ tollentur, & omnium summa & vniuersalis erit exultatio: Hoc mecum deprecantur omnes huius Religiosæ Ædis piæ Sanctimoniales, quibus, & mihi vt vestra Beatitudo suam impartiri dignetur Benedictionem humiliter obsecramus. Sanctissimæ vestræ Beatitudinis Personam ad prosperum vniuersæ Ecclesiæ regimen Deus Opt. Max. ad felices annos custodiat. Matriti 10. Nouembr. ann. 1621. Sanctissime Pater, osculatur vestræ Beatitudinis pedes, humilis & obediens filia, Soror Margarita à Cruce.]

8. In quibus omnibus instantiis factis Summis Pontificibus perspicuum est, & Sole clarius non habuisse locum, neque preces importunas, & anxias, durásque & multominus turbantes, aut opprimentes, nedum vehementer emungentes, aut sanguinem elicientes. Multoautem impertinentius, audacius, & impudentius fuit, studium & pietatem cum summâ submissione animi coniunctam in Illustribus mulieribus comparare cum Iudaizantibus illis, quæ referuntur in Actis Apostolicis, quæ neque fide verâ pollebant, & Christo Domino conuitiabantur, in eumque blasphemias eructabant. Quamobrem ex laudibus & placitis Summorum Pontificum, & præsertim SS.D. N. Alexandri VII. circa has instantias liqueat, pessimè & contra omne ius eas vituperari, & ex hac Bullâ maximas reportare laudes & encomia, Catholici, & pij sensûs proprias. Hæ autem instantiæ sic piæ, sic continuatæ, sic multiplicatæ, sic sollicitæ, sic etiam ardentes & vniuersales tum Regnorum Hispaniæ, eius Præsulum, Capitulorum, & Populorum, & similes, quæ ex toto orbe Christiano huic mysterio emaculationis Virginis plaudente fieri, Romam deferuntur summo Pontifici, efficaciter ostendunt certitudinem Immaculatæ Conceptionis, quæ semper augetur, & nunquam decrescit, nec in eodem statu permanet, quin incrementa suscipiat. Nam cum nihil nisi diuinum quid sapiant, & nonnisi Spiritus Sancti instinctum, quemadmodum in Bullis Canonizationum hæ instantiæ certè plurimum valent ad certiorandam Ecclesiam de tanto mysterio: Et sicuti iis positis ad Canonizandos Sanctos semper proueniatur, ità dum eæ maximæ, & multo maiores quàm illæ in Canonizationibus Sanctorum vsurpatæ hîc intercedant, & intercessisse scimus. Ex hoc capite item maximam aduenire certitudinem huic Immaculato Virginis Conceptui æstimandum est; cum præter hæc sciatur, quod eæ sint factæ, matutâ, graui, & multiplici consultatione Doctissimorum virorum, & Sapientissimarum Academiarum, quas consuluêre Catholici Reges in replicatis Legationibus ad varios Pontifices destinatis, provt refert Salazarius in suâ Dedicatoriâ ad eumdem Catholicum Regem Philippum III.

§. VI.

Nos considerantes quod Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, & proprium super hoc Officium olim ordinauit, iuxta piam, deuotam & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. *Prædecessore nostro tunc emanauit, volentesque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundum illam exhibito (in Ecclesiâ Romanâ post ipsius cultûs institutionem numquam immutato) Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo fauere, nec non tueri pietatem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, præueniente scilicet Spiritus Sancti gratiâ, à peccato originali præseruatam; cupientesque in Christi grege vnitatem Spiritûs in vinculo pacis, sedatis offensionibus & iurgiis, amotisque scandalis conseruare; ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam nobis instantiam & preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. edita in fauorem sententiæ asserentis animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse, necnon in honorem festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus.*

IN quo §. Summus Pontifex considerat primò, quod Sancta Romana Ecclesia celebrat festum Conceptionis B. Virginis solenniter t

Et

Et secundò quod super hoc speciale Officium olim ordinauit, & hoc egit iuxta institutionem Sixti IV. qui scitur approbauisse Officium Nugarolis. Et Tertiò potest intelligi hoc de Officio Bernardini de Bustos, in quo confirmat hæc Officia. Quartò addit quod hæc omnia considerans voluit, & vult huic pietati, deuotioni, festo, & cultui fauere; in quo ostendit, se velle obsecundare, & fauere pietati secundum sensum traditum superiùs, & sic approbat sensum immaculatæ Cõceptionis. Quintò hîc subnectit hanc pietatem, deuotionem, festum, & cultum nunquam fuisse immutatum in Ecclesia Romana ab eo tempore, quo cœptus est. Sextò subdit se velle tueri, & defendere pietatem hanc, & cultum, quem explicat esse de cultu, & celebratione Virginis, vt præseruatæ à peccato originali, & speciali gratiâ Spiritus sancti. Et Septimò velle seruare in Ecclesia Dei vnitatem spiritus in vinculo pacis, sedando offensiones, scandala, & iurgia, amouendo. Vnde octauò decernit se innouare Constitutiones, & decreta edita à Summis Pontificibus prædecessoribus suis: Et Nonò declarat ea, & præsertim illa edita à Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. edita esse in fauorem sententiæ asserentis animam Virginis in sui creatione, & infusione in corpus fuisse præseruatam ab originali, & gratiâ Dei donatam: necnon Decimò declarat ea edita in fauorem cultus, & festi eiusdem Conceptionis secundum istam sententiam; quam Vndecimò insigniter non desiit nomine piæ. Et Duodecimò hæc omnia obseruari mandauit sub eisdem censuris, & pœnis in dictis Constitutionibus contentis.

CONFIRMATIO DECIMA & Vndecima certitudinis eiusdem immaculati Conceptus, ex cultu ei præstito ab Ecclesiâ Romanâ, & Officio Nugarolico ab eâ ordinato.

1. VANTVM autem ad primum, declarat Pontifex, quod tota ratio confirmandi sententiam immaculatæ Cõceptionis apud ipsum consistit primò ex eo quod celebrat sollenniter festum sanctissimæ eius Conceptionis, & illud celebrando intelligitur agnoscere, & eam colere vt immaculatam in Conceptione, nisi enim vt talem agnosceret, non posset eam vt sic colere, neque absolutè colere; id quod patet ità se habere, quia cùm inferiùs declaret Ecclesiam Romanam colere immaculatam Conceptionem, & nonnisi sub sensu immaculatæ; atque hoc totum deriuat ex hoc primario capite cultûs eius Conceptionis, manifestè ostenditur, quot tota ratio suæ præsentis declarationis notatæ, hinc principaliter ortum habet: quemadmodum ex hoc ipso capite Sixtus IV. & ceteri Pontifices semper defendere, & fauere visi sunt sensui huic, quia scilicet Ecclesia Romana celebrat hoc festum, & non potest intelligi celebrare nisi sub isto sensu; si enim in alio sensu posset celebrare non rectè ex hac celebratione inferretur hic sensus, vt accipiendus, & non notâ inurendus, prout latè vidimus in Opusculo secundò nostræ Trutinæ, ac euidentibus discursibus, prout ibi videri potest; vndè in hac re non immoramur amplius explicandâ.

2. Notatur hîc secundò, secundum caput eiusdem illationis sumi ex eo, quod eadem Romana Ecclesia ordinauit Officium iuxta institutionem emanatam à Sixto IV. cùm enim in eo expressissimè immaculata Conceptio signatur agnosci, & coli in Virgine, ad euidentiam infertur ex hoc capite, quod Romana Ecclesia agnoscit, & agnouit in Virgine immaculatam Conceptionem, & per consequens benè ex hoc ipso Pontifex innouat, decreta & Constitutiones priores Pontificum, declarans eas esse edictas in fauorem huius sensûs, & sententiæ. In quo SS. Alexander duo facit; primum damnat dictum nostrorum Aduersariorum, qui voluêre illud Officium ordinatum ex institutione Sixti IV. (quod in Extrauag. *Cum præexcelsa*, fuit illud compositum à Leonardo de Nugarolis, atque item aliud compositum à Bernardino de Bustos (per actus posteriores Pontificios fuisse reprobatum; nec sensum ibi expressum esse sensum Ecclesiæ Romanæ, quod pleno ore Libellatores ex parte Dominicanæ Familiæ professi sunt; hic Secundus Libellator scripsit §. 14 [. Ex quo patet quod præcipuum Aduersariorum argumentum desumptum à Concessione Officij Nugarolis factâ à Sixto IV. tantum ab est quod vrgeat post Gregorium XV. quod imò hisce temporibus Officium illud videtur non esse recitandum amplius, quia expressè alio vtitur, quàm Conceptionis nomine; hoc est præseruationis & immaculatæ Conceptionis; cum enim actus priores corrigantur per posteriores Gregorij XV. decreto, abrogata huiusmodi concessio videtur, & per consequens pœna, aliàs pro tempotis exigentiâ vsum dicti Officij improbantibus imposita, sit argumentum ità euincens.] Vbi audacissimus hic Libellator non absterritus est asserere quod imponè potuerit reprobari recitatio Officij Nugarolis, quia scilicet, continebat dicta ab Ecclesiâ non acceptata præsenti tempore: putauit autem hic Doctor rem hanc euincere argumento quod subdit in hunc modum. [Nomen Conceptionis, quo ex Decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtente sententiâ negante immaculatam; ergo non est nomen cui apponendum sit adiectiuum immaculatæ: ergo si dixerim Conceptio immaculata, vtor alio nomine quàm Conceptionis: Ergo si recitem Officium Nugarolis, decretum Gregorianum frango. Nec valet quod dicitur alios Summos Pontifices post Sixtum IV. atque etiam Sacrum Concilium Tridentinum, Sixti IV. Constitutiones confirmasse, (atque adeò Officium Nugarolis confirmatum à Sixto,) scopus enim confirmationis est, vt neutra opinio censuræ subdatur, non autem vt Officium Nugarolis confirmetur; & quod præcipuè attendendum est, implicat confirmationem Gregorij cadere sub his, de quibus ipse aliter expressè disponit.] Quare apertè contendit licet sine vllâ vmbrâ probabilitatis, & ferè ignauè, quod Officium dictum non sit confirmatum, & approbatum à Sixto, cum ipse ipsum maxim & laudet,

laudet, quem errorem esse ex hac nouæ confirmatione Alexandri VII. patet. Patet item hæc reprobatio Officij Nugarolici in sensu Aduersariorum ex sequentibus, nam subdit. [Semper Concilium Tridentinum nihil aliud intendit, quàm vtramque partem controuersiæ indefinitam relinquere, & contentionum occasiones resecare sub pœnis à Sixto IV. taxatis; non autem approbare voluit Officium Nugarolis.] In quibus verbis expressè Aduersarij æstimare censentur Officium Nugarolis non fuisse ab Ecclesiâ Romanâ approbatum, dum illud non esse approbatum dicitur nec à Sixto, nec à Concilio; & tamen Pontifex dum illud est caput à se assumptum ad approbandam, & fauorem præstandum Immaculatæ Conceptioni, explicitissimè censetur voluisse statuere illud ab Ecclesiâ receptũ & approbatum. Error autem Aduersariorum in hac re amplius patet, quia in Libellatore loquentes aiunt per ipsum, qui sic prosequitur §. 18 [Hoc patet euidenter, quia san.me. Pius V. dum Officium Nugarolis in Reformatione Breuiarij in Officium Natiuitatis commutauit, profitetur expressè in Constitutione *Quod à Nobis &c.* se Concilio Tridentino adhærere. Itaque recessisset potius à Concilio in huiusmodi Reformatione, si Concilium præfatum Officium confirmare voluisset.] Vndè patet Aduersarios velle Officium istud esse non confirmatum ab Ecclesiâ, quod dictum reprobat hic sanctissimus Dominus noster Alexander VII. & denique hic ipse sensus Aduersantium perpetuatus in hac reprobatione perspicuus est; nam præter dicta, addit iterum Libellator §. 19. [Additur quod expuncto à Romano Breuiario Officio prædicto, gratis euulgatum est idem Officium à Pio V. viuæ vocis oraculo Fratribus Minoribus fuisse concessum; nunquam enim huiusmodi oraculi legitimũ protulerũt, aut proferre possunt documentum; imò ex oraculi propriorum Officiorum illius Ordinis inspectione, euidenter concluditur concessionem Pij V. non includere Nugarolis Officium, sed aliquot annis à morte Pij V. transactis, prodiit priuata quædam impressio dicti Officij oraculo prædicto insignita. Ex quo colligi potest, quàm facilè pietatis prætextus impostoras pariat: Nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dum viueret, noluit Officium illud tamquam ex Apostolicæ Sedis auctoritate recitari.] Et Libellator tertius, cuius scriptum non est impressum, argumento ab hoc Officio sumpto, sic respondet. [Adæquata tamen responsio, est, Officium illud Nugarolis à Breuiario Romano iussu Pij V. expunctum, & albo diuinorum Officiorum deletum, quod non leue argumentum est Officium ipsum, & quæ ibi de Immaculata Conceptione per anxesim celebrantur, ab Ecclesiâ vniuersali minimè esse approbata, quinimò reiecta, ac proindè nullum vel probabile argumentum sumi posse. Hæc solida, & germana responsio quâ instar fulminis cum Aduersarij percussi iaceant, in omne latus tamen se vertũt, vt spiritus reuocent, & cum nihil viuidi & vegeũ spirare potuerint, lapideam fabulam attexuerunt ad demetandos simplices, libellum enim euulgauerunt hoc modo inscriptum. Propria Festorum Ordinis Fratrum Minorum ad formam Officij noui redacta, quæ SS. Dominus noster Pontifex Maximus anno Domini 1569. die 15. Maij, Pontificatûs verò sui 3. viuâ voce concessit, vt sic ordinata imprimerentur, & à Fratribus & Monialibus eiusdem Ordinis dicerentur. Hic autem in Libello oraculo Pij V. approbato, cum sit comprehensum Officium à Nugarola editum, clarissimè patere plenis buccis vociferantur idem Officium à Breuiario Romano licet expunctum, Franciscanis tamen benignissimè concessum fuisse, & in eorum Ordinarium inclusum Apostolicæ Sedis oraculo Pij V. approbatum. Sed duram laruam derego, quæso animum aduertant, vt insignem impostoram recognoscant & turpissimam audaciam ambabus manibus palpent. In Archiuio Religionis Dominicanæ duo exemplaria habentur huius libelli propriorum Festorum Ordinis Fratrum Minorum, alterum impressum anno 1554. alterum verò excussum Parisiis 1585. vtrumque insignitum eodem oraculo viuæ vocis Pij V. 1569. In primo libello minimè reperitur aliis adnumeratum Officium Nugarolæ; In secundo verò simul cum aliis etiam recensetur prædictum Officium: Ex quo euidentissimè apparet per oraculum viuæ vocis minimè concessam recitationem illius Officij, de quo tantum plaudunt, sed tantum illa, quæ in Ordinario anni 1554. impressa continentur: per fraudulentam verò, & prophanam manum multis elapsis annis, quando falsitas non tam facilè conuinci poterat, illud Nugarolæ Officium aliis superintrusum, & per summam audaciam adiectum. Huius insignis impostoræ non ignobile argumentum sumitur ex eo, quod Suarez, Vasquez, & alij, cum sibi opposuissent Officium Nugarolæ à Breuiario Romano iussu Pij V. expunctum: validissimo argumento pressi, omnem vtam tantarunt, vt illud diluerent, aut illuderent. Nequaquam tamen de tali confirmatione per oraculum Pij V. mentionem fecerunt; cum tamen ex hoc labyrintho vno hoc Ariadnæ filo facile exire potuissent. Adde vt nomen ipsum propria Festorum Ordinis est, non leuem coniecturam facere de tali subreptione: propria enim festorum, vt nomen ipsum sonat, illa tantum exprimit, quæ sacræ Religionis Franciscanæ propria sunt. Non autem communia aliis: at Officium Conceptionis, sicut & Festum, ne dum à Religione Franciscana, verùm etiam ab Ecclesiâ Romanâ celebratur; Quî ergo fieri potuit, vt illud Officium à prudentissimo simúlque piissimo Pontifice Franciscanis concederetur, quod ipsius iussu à Breuiario Romano (quo ipsi vtuntur) erat expunctum.]

3. Hæc Libellator, quæ quàm audacter, quàm temerè, quàm stultè dicta sint ab hoc Anonymo, ex hoc videatur; quod apertissimè ea omnia refellit, damnat, & pessimè dicta demonstrat sanctissimus Pontifex, qui summè laudat, & denuò confirmat hoc dignissimum Officium, dicens ex hoc ipso maximè motum esse ad declarandum expressissimè, sicuti egit in hac Bulla, sensum Ecclesiæ in hac re esse Conceptionem Deiparæ fuisse omninò Immaculatam: vndè si modò viueret hic Anonymus, quem non viuere referunt sui Commilitones, vsque ad sanguinem deberet sibi linguam

guam mordere, & dilacerare, qui tot, tantasque erroneas, & contra sensum Ecclesiæ propositiones fuderit quasi ad formam, & modum (quod vt verum dicam hîc subticio) Hæreticorum : ità eas asseueranter asseruerit, ac si veritates Catholicas, & irrefragabilis enunciaret, cum non nisi fæces falsitatis euomerit; erubescat ergo, & summo rubore suffundatur vir hic, qui dexerit Ecclesiæ Romanæ de Immaculatâ Conceptione, & similia in Officio Nugarolico pronuntiata, fuisse dicta per auxesim extra solidam veritatem; neque ea esse ab Ecclesiâ vniuersali approbata; quasi quæ Romana approbat Ecclesia, non approbet vniuersalis; & quæ itidem semel Romana approbauit, deindè reprobarit etiam in iis, quæ pertinent ad debitam diuinorum intelligentiam. Quanta & quàm horrenda & auribus Catholicis serpentinum sibilum sonantia, pronunciata sint ista, quis non videat? Quid autem dicam de iis, quæ homo iste subtexit, & irrisoriè fabulas fingit de doctissimis viris pro immaculatâ sentientibus, quasi ipsi hoc stultissimo ictu de reprobato falsissimè Officio Nugarolico iacuerint semimortui, & ad se viuificandos lapideam fabulam attexuerint ad demetandos simplices, ex hoc in amentiam ipsosmet inferens prolapsos, qui viuæ vocis oraculum Pontificium sacrilegè composuerint. Quid audacius, quid irreligiosius, quid iniuriosius, & magis sacrilegum, quàm de falsariis arguere Religiosissimos & Sanctissimos viros impostura, & turpissimæ audaciæ itidem eos impudentissimè accusare? easque impostura tam crassas, & solidâ veritate contectas vt palpabiles vtraque manu, conclamet is à quo summa veritas in summis veris mendaciis reperta signetur. Magna enim mendacia veritatem mendaciis certè non respuunt, sed amplectuntur: quæ tanta veritas mendaciis agnoscitur in hoc viuæ vocis oraculo à Patribus Franciscanis adducto, vt ambabus manibus palpandas tradatur.

4. Iam bone vir, vide quâ ratione duram hanc laruam clamitas te detegere, qui larvas componis, dum vera pro falsis annuncias? Animaduerte vndè hanc viuæ vocis oraculo concessionem Fratribus Minoribus factam ostendis nobis esse confictam? Ex eo hanc vltimam demonstrationem censes attulisse, quia in Archiuio Religionis Dominicanæ similis libellus inuenitur impressus anno 1554. & alter excussus Parisiis anno 1585. & in primo non inuenitur Nugarolicum, in secundo item, vtrumque tamen cum viuæ vocis Oraculo Pij V. & hinc infers ad euidentiam suppositiuum & fictitium esse libellum à Fratribus Minoribus proditum, nec ostendis quomodo hæc consequentia ex his assumptis possit aptè deduci; nec declarat quomodo libellus cum viuæ vocis Oraculo Pij V. anno 1554. potuerit prodire, quando Pius V. circa sexagesimum annum fuerit ad Pontificatum assumptus; sed mirum non est hos Anonymos sæpè consequentias inferre ex ineptè concludentibus præmissis, & suo arbitrio falsarios nominare veracissimos viros; per prophanam enim & fraudulentam manum earum, hic multis annis elapsis, quando falsitas deprehendi facile non possit, ait Officium dictum superintrusum, & per summam audaciam adiectum, nec veretur, nullo nisi à te ficto fundamento, hoc assirmare. Somnias enim te huius impostura grande inuenisse argumentum, ex eo quod Vasquez, & alij de hac expunctione Nugarolæ Officij sibi obiecta sermonem habentes, nihil meminerint prorsus de hoc Viuæ Vocis Oraculo; quasi verò si verè fuit hoc viuæ vocis Oraculum, Vasquez in Hispaniis degenti debuerit innotescere, & tanta euidentia ipsi liquere, vt eò debuisset tela Aduersariorum confringere; Certè ex hoc Aduersarij huius Anonymi dicto, quando aliquis Doctor aliquam auctoritatem ab hoc tempore pro se non affert, quam posset afferre, ea omninò pro nullâ habenda est, quia ab eo non assumpta; vndè vir iste has consequentias infert ineptissimas, quas vix è limine videtur Logicam salutasse.

5. Pressum item Vasquez fingit robore huius grandis, reuera ineptissimè argumenti, quod diluere ipsum quæsisse præsumit asserere, non funditùs diluisse, & rursum addit etiam merè eludere tentasse; quasi solutionis capax non esset magni roboris eiusmodi argumentum, quod vnico flatus spiramine prosterni existimandum est; cum hæc expunctio in Romano Breuiario propter diuersam formam, quam habebit à ceteris in eo repositis, non propter sinceram veritatem, quæ ipsi defuerit, habita sit; Vndè à sequentibus Pontificibus, nullo etiam ex Aduersariis contradicente, scitur admissum; nec dicendum nisi temerariè, & Hæreticorum more, quod quæ in materiâ doctrinæ vnus Pontifex reiicit, vt falsum, in supernaturalibus, in quibus docet Ecclesiam; alius deindè potest, vt verum agnoscere.

6. Quàm futilis item, quàm vana, quàm inepta, quàm falsa & impertinens est argumentatio alia ad reprobationem eiusdem Officij demonstrandam, quam desumit hic Libellator ex eo, quod in allato libello propria festa Franciscanæ Religionis dicuntur appolita, & approbata, quale non est Officium Conceptionis, quod peculiare non est huius Religionis, sed totius Ecclesiæ. Quis enim ambigat, primò festum Conceptionis etsi commune fuerit à Pio V. vsque ad nostra tempora toti Ecclesiæ; non tamen commune fuisse eidem Officium Nugarolicum, quod ab vniuersâ Ecclesiâ remotum est à Pio, & titulus libri non est de Festis propriis Religionis Franciscanæ, sed de Officiis propriis Festorum eiusdem Religionis; & nemo est ita ignorans, qui nesciat peculiarissimo modo ab antiquo tempore vt proprium sibi assumpsisse hoc Festum Religionem Franciscanam; Quare nemo non videt ineptitudinem, & insciitiam eiusmodi argumentationis.

7. Quid tandem dicam de tertiâ probatione, quæ ab eodem Libellatore affertur ad reprobandum dictum Officium desumptum ex eo quod non potuerit Pius V. concedere Patribus Franciscanis recitationem illius Officij, quam ab Ecclesia Romana & vniuersali remouerat; quæ quàm sit stulta patet apertissimè, quia varia Officia particularia, quæ per duo sæcula vsurpata non erant in Ecclesiis particularibus, remouit Sanctissimus Pius V. ab vniuersali Ecclesiâ, vt in Bulla Reformationis Breuiarij apparet; & tamen ea concessit recitanda

randa ab eiſdem Eccleſiis; & rurſum Officia particularia alia conceſſit eidem Franciſcanæ Familiæ, quæ ab Eccleſia vniuerſali vetuit recitationi tradi; nullum ergo argumentum eſt, quod Pius V. ſi Nugarolicum expulit ab Eccleſiâ, non ſit credendum quod conceſſerit Fratribus Minoribus; Imò ex eò quod ab Eccleſiâ expulit, æſtimandum eſt facilè conceſſiſſe recitandum à dictis Minoribus, ne abſurdè æſtimaretur, ſicuti abſurdiſſimè æſtimatum eſt ab Aduerſariis Immaculatæ Conceptionis, Summum Pontificem retractaſſe doctrinam, quam in eo approbauerit alius Pontifex.

8. Ex quibus iam liquet quàm impudenter, & extra omnem veritatem adiicit hic Anonymus, quod Indulgentiæ conceſſæ eiuſmodi Officio apertiſſimè videntur in cœno hærere. Nam eſto, Pius V. non ediderit eiuſmodi vocis oraculum, illud certè edidére alij Pontifices, vel aliquis ipſo poſterior Pontifex; vndè eæ in cœno hærere nulla ratione dici poſſunt, cum eo approbato, ſuum valorem non amiſerint. Et rurſum quàm ſtultè infertur, quod ex eo quod à publico cultu Eccleſiæ Nugarolicum fuerit abrasum, propterea priuatè recitari non potuerit, etſi priuatè potuit recitari, Indulgentiæ certè iſti recitationi annexæ non in cœnò dicendæ fuerunt hæſiſſe, ſed ſuum effectum ſalutarem fuiſſe ſortitæ; in quibus vehementi angutione non eſt abſoluendus hic Libellator potius infamans, quàm reuerenter ſupplicans Auguſtam, & Sacram Congregationem, dum Indulgentiis à ſancta Sede conceſſis laudabili officio tribuat cum magnâ irreuerentiâ ſacrarum rerum, & diuinarum, adhæſionem in cœno, quas debuiſſet etiam vt præteritas ſummè venerari, nec eis fictitiè, & ignauiſſimè affixionem in limoſo & fœcis pleno aggere prædicare. Quali tandem ſtomacho tolerari, vel deglutiri poſſunt hominis huius infamatorij eius libelli morſus qui fingit ex hac Nugarolici Officij approbatione à Commilitonibus noſtris in hac re vſurpata epitheta, & ea ipſe vocat per ignominiam ventoſa, & ampulloſa, quod ſcilicet velint, quod per hoc Officium ſententia de Immaculatâ ſit canonizata, proximè definibilis; nam ex hoc ſolo non dicitur ab auctoribus, proximè definibilis, nec inde ventoſa, & ampulloſa dici poteſt hæc ſententia, quæ tam graues Doctores, & ferè omnes in hoc aſſerto conuenientes habet, vt latè aliàs in proprio Opuſculo de hac re dicetur: & hoc vltimo diplomate videtur oſtenſum: dum quod non ſit definita, debuit à Summo Pontifice expreſsè notari, & ſignantiſſimis verbis; quod autem fuerit per hoc Officium canonizata, & quaſi de fide certa, quando, & à quâ communitate Auctorum ſit pronunciata reperitur? & qua ratione vt ſic proclamata poſſit referri.

9. Atque ex his, & ex nupertimâ Bullâ expergefactus hic Anonymus, videat quantum & in quantis errauerit, qui omnia hæc dicta videt modo proſternata, & falſitatis conuicta ex Oraculo Pontificio: quod iterum approbat hoc Officium Nugarolicum, quod antiquitùs approbauit Sixtus IV. & ità illud approbat, vt ex hac approbatione dandâ huic Officio ſe vehementer commorum fuiſſe ſcribit ad ea omnia declaranda, quæ in fauorē Immaculatæ Conceptionis ſummâ perſpicuitate declarauit: Attēdat iā & retractet, quę dixit, & ſi is retractare nō poſſit, quia ex hac vitą periit retractent ſui ſimiles in opinando circa hanc materiam, ſcilicet dicta in hoc Officio non eſſe ab Eccleſiâ approbata, eáque altiori voce, & tono retractēt, quod dixerat ſuo nomine Anonymus: retractent omninò ea dicta in Nugarolico per auxeſim eſſe vſurpata; pœniteat rupto pectore ex nullâ & falsà reiectione huius Officij fautores Immmaculatæ Conceptionis aſſerere inſtar fulmine percuſſos iacere; ſed potius aduertant ipſos ſemper immotos, & ſtantes fuiſſe, eorúmque ruinam expectantes, quam nunc vident, & magna ſpe prænuntiaſſe viſi ſunt antecedenti tempore. En quâ ratione contemplantur hac Bullâ vos proſternatos & potius Immaculatæ Aduerſarios, cœno hærere ſuarum ineptiarum, & futilium inuentorum: En audiant Commilitones qui clamitant. Videre Fratres, ſi nos ſumus qui nos in omne latus vertimur, vt ſpiritus renocemus, an verò repentinus fulgor Pontificij Diplomatis vos proſtrauit, qui quò voſmet vertere poſſitis prorſus neſcitis, nec habetis, quod tanto Pontifici reſpondeatis è Cathedra Patri, veluti è nube potentiſſimâ, fulminea iacula proiicientis in veſtram ſententiam, non quidem ad eam ad Inferos damnandam adhuc, ſed ad eam motu, ſenſúque omni priuandam. Attendite ſi lapideam fabulam attexerimus ad dementandos ſimplices, huius Officij Pontificiam approbationem afferentes; quando eius approbatio in præſenti ſi negatur, merè dubium maneat, ſi quis hæreticè, an tantum erroneè peccet, & Catholica frangat dogmata, qui ſic loquatur, & iudicet, provt infrà diſcutietur.

10. Nec dicas. Eſto modo, Summus Pontifex ſemper approbatum ſtatuerit remanſiſſe Officium Nugarolicum, non proindè conſtat, & malè non dicitur prius fuiſſe à Pio V. approbatum, cum nullum ſit ſufficiens documentum allatum legitimi huius viuæ vocis Oraculi; vt patuit ex allatis exemplaribus Dominicanæ Familiæ: nam ex hac approbatione ſanctiſſimi Alexandri ſatis liquet conuenientia approbationis huius Officij in genere, quæ benè potuit Pium V. doctum quidem, & verè pium non latere; & per conſequens incongruitatem reiicit, & damnat confirmationis, & approbationis ſuæ, quam Aduerſarij confingunt in antecedentibus notatis: Et rurſum cum Opuſc. ſecundo complores auctoritates adduxerimus; vndè conſtat eiuſmodi oraculum viuæ vocis probatiuū, quod ſumitur ex exemplaribus Familiæ parum inclinantis ad Franciſcanam, vel nihil; vel ferè nihil obſtat; & ſi eiuſdem libelli inueniatur exemplar vtrobique, non eſt magis authenticum, quod vna ex his Familiis approbat, vel reprobat; ſi contra ſe habeat altera; par enim in parem non poteſt maioritatem prætendere.

11. Præterea cum Dominicanæ Familiæ exemplar merè negatiuè ſe habeat, & confirmationem Pij V. circa Nugarolicum non habeat; non propterea eſt tanti ponderis, quanti eſt illud Franciſcanæ, In quo hæc confirmatio

ex viuæ vocis Oraculo habetur ; nam demi, vel non scribi vnum in aliquo libro, non infert mendacium in re graui, contra verò illud inuehit, si positiuè intrudatur aliquid non intrudendum sine rei veritate; & per consequens si Dominicano exemplari tribuatur, quod non insertum habeat Festum Cõceptionis in Festis Fratrum Minorum, non propterea esset infamandum mendaciis, quia præscindentium non est mendacium : Et quia ipsorum aliqui dubitauerunt fortè de eius approbatione à Pio V. propterea illud noluêre insertum, & imprimi fecerunt sine huiusmodi Officio. Si verò Franciscano Breuiario apud ipsos Fratres Minores conseruato, & operâ eorum excusso, Officium recensèri inuenitur Nugarolicum, vt affectum cum aliis viuæ vocis Oraculo Pij V. & verè illud eodem oraculo non fuit affectum, magni mendacij dignè accusantur, & infamantur Fratres Minores vt apertè falsarij ; quod cum sit incredibile de sanctis, & doctissimis viris, qui tantæ falsitatis possint conuinci, æstimandum omninò est, quod apud libellum à se seruatum, & excussum sincera veritas seruaretur. Ex quibus omnibus, optimè constat, nullâ vnquam reprobatione huiusmodi Officium fuisse affectum, & conformiter ad omnem veritatem hîc à SS. Alexandro VII. declaratum fuisse vt ab Ecclesiâ dignè receptum, & dignissimè recipiendum ; omni notâ sublatâ, quod aliquando fuerit à suâ veritate reiectum constante de reliquo ex peculiari Declaratione Pontificis, quod nunquam in Ecclesiâ cultus Conceptionis Virginis vsurpatus, fuerit vnquam mutatus.

12. Neque dicas insciè hoc loco SS. Alexandrum approbat Officium Nugarolicũ, sed illud Conceptionis Virginis, quod in Natiuitate eius recitatur, vel aliquod aliud. Nam cum de eo Officio sic hîc sermo, quod ordinauerit Sixtus IV. vt Sanctissimus notauit, idque non fuerit nisi Nugarolicum, vt patet ex Bulla *Cum Præexcelsa*, ad euidentiam constat, quod Nugarolicum approbatur à SS. Alexandro, & vt numquam reiectum statuitur. Tu verò Lector attende, quantâ aptâ & adæquatâ contrapositione SS. Pontifex hîc damnat, & reprobat omnia ferè Aduersariorum asserta in hac materiâ vt erroneâ dum contradictoria eorum ex Cathedrâ, & Doctor & Magister vniuersæ Ecclesiæ declarat, & statuit esse, vt ipse tradit sentienda. Nam Aduersarij Immaculatæ Conceptionis, quos hoc ipso nomine ipse insignit, voluêre & perpetuò repetière vsque ad hæc tempora sensum Immaculatæ Conceptionis fuisse recentiorum fidelium, modernorumque Doctorum ; contra SS. Pontifex ipsum tradit, vt veterem, & antiquum ipsis primis verbis narrationæ Bullaris, in quâ & narrat, & quod narrat declarat, declarans, vt certum relinquit. Voluêre iidem aduersantes Religiosum Ordinem, & Confraternitates non approbatas in confirmationem sensûs Immaculatæ. Contra verò statuit hîc dicendum Sanctissimus Pater. Indulgentias item tertiò dicunt concessas in fauorem pietatis, non sententiæ piæ, & in fauorem piæ statuit illas concessas Summus Magister: Minutæ, & ignauæ plebis, & mulierculârum, quartò esse hanc negatiuam sententiam clamitant Aduersarij, & obstruit eis os Magnus Pontifex, dum celebrio-

rum Academiarum propriam eam indigitat, & declarat. Quintò vniuersalem Ecclesiam non colere ipsi dictitabant Immaculatum Conceptum sub Immaculati sensum : Et declarat supremus Magister omnes ferè Catholicos eum esse amplexatos, & cum omnes ferè Catholicos illum esse amplexos inquit, plus dicit, quàm si dixisset vniuersam Ecclesiam ; nam Ecclesia vniuersa minus dicit aliquando, quàm omnes ferè Catholici, in aliquem enim sensum si eant in orani Ecclesiâ particulari tres, vel quatuor partes, & octo partes conueniant, nona exceptâ, in eâ vniuersa censetur consentire : dum autem dicitur in vnâ re consentire omnes ferè Catholicos, plus multo dicitur, & plusquam maior numerus fidelium in Ecclesiâ vindicatur in idem consentire. Sextò non in fauorem sensûs Immaculatæ Conceptionis dicebatur mandasse, non aliud nomen vsurpari in Missæ sacrificio, aut in diuino Officio, sed indifferenter ad comprehendendum etiam contradictorium sensum, & tamen oppositum decreuit tenendum hic dignissimus Pontifex in contrapositionem asserti eorum erronei. Septimò, scandala, dissensiones, iurgia oriri ex nostro sensu dictitabant Aduersarij, contrà ex sententiâ maculante Virginem hæc scandala & similia oriri declarat, & demonstrat Sanctissimus Pater. Octauò, non benè Catholicum Regem & sæculares Principes agere clamitabant aduersè sentientes & reprobantes instantias pro Immaculato Conceptu in Ecclesia promouendo ; contrà eos rectè agere, & dignè instare decernit Summus Ecclesiæ Iudex, & eiusmodi promotores laudat, eorúmque instantias libenter acceptare demonstrat. Nonò, acriter pugnabant Aduersarij, volentes, quod Ecclesia Romana non in sensu Immaculatæ celebrare Conceptionem Virginis : contrà statuit & declarat supremus Ecclesiæ Doctor sub tali sensu celebrare. Decimò, Officium Nugarolicum perurgebant iidem contradictores fuisse ab vniuersali Ecclesiâ reiectum, & reprobatum : contra vt approbatum tradit expressè idem SS. Pontifex. Vndecimò, Cultum Virginis in Ecclesiâ circa Conceptionem Virginis contendebant mutatum : Immutatum contrà decernit Summus Pastor. Duodecimò, Constitutiones & Decreta Pontificum interpretabantur iidem non vt edita in fauorem sensûs Immaculatæ : edita in contrarium fuisse statuit SS. Pater regnans in præsenti in fauorem sententiæ de Immaculato Conceptu. Decimo-tertiò, sententiam de Immaculatâ Conceptione non piam vocandam contenderunt olim, & nuper Aduersarij ; piam esse dicendam, & pietate donat benemeritissimus Pontifex de gloriâ Virginis ; itavt qui non piam asserat, vel hæreticè, vel erroncè pronunciare æstimandus sit, aut ad minus temeratiè, quemadmodum qui in aliis duodecim propositionibus à Pontifice patrocinatis contradixerit.

13. Tertiò, Pontifex Summus Alexander VII. hîc, dum confirmat Officium Nugarolicum, videtur itidem confirmare saltem per quamdam consequentiam Officium Bernardini de Bustos simillimum Nugarolico, & ab eodem Sixto confirmatum, quod registratur à Cismontanâ Familiâ in Regestu, pag. 70. hac præfatione. [Incipit deuotissimum Officium

Immaculatæ Conceptionis gloriosæ Virginis MARIÆ editum per Fratrem Bernardinum de Bustos Ord. Min. quod quidem Officium confirmatum est, & approbatum à SS. D. N. Sixto IV. Pont. Max. qui ad maiorem eiusdem illibatæ Virginis gloriam, omniúmque fidelium deuotionem auctoritate Apostolicâ concessit quod hoc Officium possit in Dei Ecclesiâ sicut alia diuina Officia celebrari, non solum à Fratribus & Monialibus de Ordine Beati Francisci, sed etiam à ceteris Religiosis & Clericis quibuscunque.] Et p. 5401. dicitur in eodē Regestu quod rogatus Sixtus IV. vti vellet Officium ab eodem Bernardino compositum, vt per sapientes viros examinaretur, idem ipse Pontifex Sixtus voluit illud per seipsum etiam examinare, & postquam illud examinauit, oretenus approbauit & typis dari iussit; & deindè Breue autenticum super illud edidit quod habetur apud Emman. Rodericum in Bullario sub Sixto IV. Bullâ 16. sequentis tenoris. [Dilecto Filio Bernardino de Bustis de Mediolano Ordinis Minorum de Obseruantiâ, Sixtus PP. IV. salutem & Apostolicam Benedictionem: Dilecte fili, libenter ad ea concedenda inducimur quæ deuotionis respiciunt incrementum; tuis igitur in hac parte benedictionibus inclinati, vt Officium Conceptionis B. Virginis Mariæ per te compilatum & ordinatum, tu & omnes, qui id voluerint pro deuotione suâ dicere & recitare, liberè & licitè possitis & valeatis, seu possint ac valeant, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus, non obstantibus Cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die 4. Octobris 1480. Pontificatūs nostri anno decimo.] Videtur autem hic Sanctissimus Alexander hîc confirmare hoc Officium; tum quia sinullimum Nugarolico, tum quia Nugarolicum non expressit, sed ordinatum & compositum dicit ab Ecclesiâ Romanâ: & quicquid à Pontifice Romano proditur à se examinatum & approbatum, videtur ab eadem Ecclesiâ prodire. Hoc idem dici potest de Officio Cardinalis Quinquenij confirmato à Paulo VI. die 3. Iulij 1536. provt registratur in Append. Regestus Cism. Fam. pag. 643.

14. Quartò, Summus Pontifex in hoc §. declarat se velle pietati, deuotioni, & Festo secundum talem pietatem exhibito obsecundare, vbi pro pietate intelligit illam veterem fidelium, quam initio nominauerat, quæ scilicet continuit sensum Emaculationis Virginis in conceptu; & in hoc Immaculata Conceptio maximè venerata; cognita venit vt talis, ex tali scilicet virtute ad istum sensum inclinante, & affectum deuotionis exhibente, & solemnizante, & colente Virginem sic Immaculatam; atque in hoc notat se sequi exemplum, & vestigia suorum Prædecessorum, incipiendo saltem à Sixto IV. Nam etsi non omnes edidēre Bullas pro Immaculatâ, certè omnes pro eâ, aliquid egisse constat, & eiusmodi sensus esse ostenderunt; vel si quis aliquid simile non ostenderit, dum celebrauit Conceptionem Virginis, in hoc sensu celebrasse dicendum est, dum non esset dicendus sensui suorum Prædecessorum oppositus, quod perspicuè animaduertes in Auctoribus, qui referunt, quæ egēre Pontifices in fauorem Conceptionis Immaculatæ, quos habes apud Cismontanam Familiam in Armamentario, pag. 101. & deinceps: nec non pag. 57. initio art. 2. necnon in Neriberg. latius in excpt. Concil. Trid. c. 25. & rursum in Serrano de Conceptione lib. 2. cap. 8. & Hipp. Marr. in Pontificibus Marianis, cap. 69.

15. Expressè autem hic Pontifex ostendit se velle fauere sensui Immaculatæ Conceptionis, dum expressè addit se velle tueri pietatem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem non quomodocumque, sed sub sensu Immaculatè conceptæ; videlicet explicatæ ab ipso Pontifice, vt præseruatæ à peccato originali, quod idem sonat, & in idem recidit: Quæ verba cum non sint merè narratiua, sed assertiua: sensum Pontificium expressum continent de sensu amplexato ab ipso circa Immaculatum Conceptum. Quare apparet euidenter in hac Bullâ quod Pontifex Maximus Ecclesiæ declarat sensum suum in hac re, eúmque docere intendit Ecclesiam; vt pateat hanc sententiam non esse merè Doctorum Ecclesiæ, sed sententiam Pontificiam, licet non definientem de fide, sed eam dante pro absolutâ sententiâ Pontificiâ, quámque debeant amplecti fideles, quámque etiam ipsi ferè omnes amplexi sint.

CONFIRMATIO DVODECIMA eiusdem Intenti ex cultu & sensu Ecclesiæ, de eodem nunquam immutato in celebratione Conceptionis Deiparæ.

1 VENIT item hîc animaduersum de eiusmodi sensu quod nunquam fuerit ab Ecclesia immutatus circa Immaculatum Conceptum, & semel vsurpato festo, cultu, & celebritate nunquam intermissa, semper eumdem perseuerasse constat ex variis Bullis Summorum Pontificum, & ex Officiis semper in Ecclesia de Conceptione Virginis solemniter recitatis de quo nulla potest difficultas fieri, apud omnes Auctores, & patet præsertim in Armamentario & Regestu Cismontanæ Familiæ vbi hæc Officia registrantur, provt videri potest toto art. 2. Armamentarij, & ab initio Regest. & sequentibus. Notatur autem à Pontifice cultum hunc secundum dictum sensum in Ecclesiâ Dei nunquam fuisse immutatum propter duo: primò vt ostendatur, quod nunquam fuerit interruptus, sed perpetuò continuatus, nullámque subiens mutationem post natam controuersiam de eius veritate; id quod aliter contigit in aliis cultibus, & festis sæpè intermissis in Ecclesiâ, non certè, quia aliqua Festa semel instituta, & vsurpata in Ecclesiâ Romanâ æstimata vnquam fuerint dubij obiecti de veritate & propterea prætermissa; sed merè derelicta ex aliquo accidente, vel alio respectu ad non multiplicanda tot Festa, aut ex

simili

simili aliquo Capite, & apparuit in reformatione Breuiarij facta etiam tempore Pij V. qui multa Officia & Festa resecauit, quæ variis in Ecclesiis celebrabantur; & statuit, quæ essent celebranda vel permittenda celebrari in particularibus Ecclesiis. Secundò item dicitur hîc ab Alexandro VII. hunc cultum Virginis non fuisse vnquam in Ecclesiâ Romanâ immutatum, quia Aduersarij temerè illum mutatum fuisse in suis Libellatoribus contenderunt, provt patet per totum primum libellum sæpè à nobis citatum, & in secundo libello paragraphis primis, & similiter per totum, & præcipuè §. 14. citato. num. 3. & deinceps, provt ponuntur paragraphis eisdem à Cismontanâ Familiâ, vbi per plures paragraphos dicitur Officium Nugarolis expunctum, & aliter solennisata Conceptio Virginis, seu sub alio sensu tempore Sixti, & tempore Gregorij !, provt vidimus num... atque ex hoc expunctum fuisse Officium Nugarolicum; quod quàm falsum sit, hæc ipsa Pontificia declaratio ostendit, quæ profitetur expresè in nullo mutatum hunc cultum Virginis, neque sensum eius; nam si mutatus fuisset sensus in cultu, vtique cultus esset mutatus; nam alius est cultus, quo colitur aliquid sanctum sub vno sensu, ab eo quo colitur sub alio; & sic alius est cultus Virginis vt natæ, & alius Virginis vt Christum parientis, & sic de similibus.

2. Quoad Sextum verò notatum in præsenti §. aduertitur quod Pontifex signatè velit tueri hunc cultum, & pietatem dictam colendi Virginem sub dicto, & replicato sensu eius immunitatis, & præseruationis ab originali peccato ex speciali gratiâ Spiritus sancti: Vndè confirmat, & declarat signatissimè, se vt communem Ecclesiæ Magistrum (licet non definientem) amplecti, fouere, & velle defendere hunc sensum Immaculati Conceptûs, & non aliam esse eius sententiam, & per consequens nullam aliam debere esse totius Ecclesiæ, licet non cogat quemlibet sub mortali hunc sensum deberi profiteri, vel potius nolit taliter opinantem criminari mortalis, vel hæresis, aut impietatis. Quo constat se non tueri, neque velle tueri sententiam oppositam dum eam neque nominet, & solum horridâ notâ hæresis, & peccati mortalis nolit inuri; quare errat apertè Libellator secundus qui ait. [Ecclesia Mater piam fauet intentionem vtriusque partis opinantium, & non intellectum assensus.] Nam explicitè fauet ex iudicio suorum prædecessorum Pontifex assensui intellectûs de præseruatâ ab originali Virgine: Errat secundò dum dicit de Summis Pontificibus. [A deffinitione abstinentes, & vtramque sententiam in gradu probabilitatis relinquentes.] Nam Pontifices & maximè Alexander VII. qui cum eis, idem sentire declarat, vni tantum se adhærere, eámque tueri, & fauere profitetur, non alteri contradictoriæ, cui nullum probabilitatis gradum dedit; neque dedisse ceteros constat, nihil enim tale expresêre, & solùm explicitè notauêre se eam relinquere in eo statu, in quo fuerit, exceptis aliquibus, quæ eius probabilitatem ex suis statutis infregêre magis, si ea probabilis erat antea. Errat tertiò Libellator dum vult. §. 10. quod Sixtus IV. in Extrauagantibus non adhæsit, & contuitus est hunc sensum, & dixit. [Intentum Pontificis fuit, vt illa sententia non damnaretur, nec Officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur, cui deinde cetera Pontificum decreta ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam peculiariter directa adhæserunt.] Nam oppositum declarat hîc Pontifex, vt visum est. Errat quartò dum ait de Gregorij XV. decreto. [Decretum prodiit, vtramque sententiam in suâ probabilitate confirmatis.] Nam relinquere vnam sententiam in eo statu in quo inuenitur, dum oppositæ Pontifex adhæret expresè, primam non confirmat, etiamsi eam ex iustis causis non declarat hæreticam, aut erroneam: & sic ante decisiones Conciliorum Concilia ipsa vetabant anathematizari Arrianos, alioſque Hæreticos de sententiis, verè in se ipsis hæreticis, & à Sacris Scripturis alienissimis, ipsisque aperte contrariis, & ex earum auctoritate in re proscriptis. Errat denique quintò dum ait. [Sanctitatem Conceptionis Beatæ Virginis, quæ colitur in Ecclesiâ Catholicâ, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, non esse illam, quam aliqui in primo instanti colunt.] Nam signantissimè hanc ipsam sanctitatem in primo instanti Conceptionis declarat Alexander sanctissimus coli: Quare ferè totus hic Libellus tamquam erroneus, & erroneas propositiones continens, vel saltem temerarias, si non hæreticas post declarationem hanc est censendus, vt latiùs in Disputationibus videbimus.

3. Septimò, prosequitur Pontifex hîc in explanandâ suâ voluntate seruandi vnitatem spiritûs in vinculo pacis, & propterea amouendi iurgia, offensiones, & scandala: pro vnitate autem spiritûs intelligit, vniformitatem intellectûs in vniformitate voluntatis, quæ intelligitur notata in vinculo pacis pertinentis ad concordiam voluntatum; sic vnus spiritus apud sacros Scriptores intelligitur vnitas sensûs fidelium in idipsum iudicandum.

4. Octauò, Sanctissimus Alexander profitetur primò se per modum decernentis innouare Constitutiones, & Decreta omnia Summorum Pontificum edita à suis prædecessoribus: quare primùm innouat Bullas Sixti IV. de quibus paulò post. Secundò Constitutionem Innocentij VIII. quâ approbauit institutum Religiosum sub inuocatione, & in honorem Virginis Conceptionis, Fundatrice scilicet eius petente Venerabili Virgine Beatrice eximæ sanctitatis celebri; cuius confirmationis Diploma eius precibus, è profundo maris (in quo per duos menses moratum fuit, naui illud deferente, & per longa maris spatia distante, submersâ) ad suam arcam translatum, & adhuc aquâ madefactum inuentum est, & per vniuersam Vrbem Toletanam Processionaliter delatum. Tertiò illam Alexandri, quæ confirmauit Extrauagantem secundam Sixti IV. quam aliqui videbantur ignorare; & in hunc, vel illum errorem defluere. Quartò Iulij II. concessionem Indulgentiarum ab ipso emanatam 1510. Quintò Bullam eiusdem Iulij II. quæ eam-

dem inuocationem Conceptionis B. Virginis confirmat in erecto Monaſterio dicto, & translato à regimine Ordinis Ciſtercienſis ad illud Minorum ſub peculiari Regulâ, auctoritate Apoſtolicâ confirmatâ in honorem Conceptionis Deiparæ appellatæ Immaculatæ, anno 1511. Sextò conceſſionem Indulgentiarum bis factam recitantibus Officium Nugarolicum à Leone X. anno 1508. & aliam 1520. Monaſteriis Immaculatæ Conceptionis dictis. Septimò, Bullam Adriani VI. confirmantis Confraternitates in honorem Conceptionis eiuſdem in conceſſione Indulgentiarum. Octauò conceſſionem Minoribus factam à Greg. XIII. recitandi Officia propria ad formam Romani redacta per viuæ Vocis Oraculum. Nonò ſimilem Indulgentiarum conceſſionem factam per Sixtum V. Minoribus recitantibus Officium Conceptionis per Octauam eiuſdem Feſti puriſſimæ Conceptionis nominatæ. Decimò, aliam per Paulum V. recitantibus Antiphonam & Orationem approbatam in honorem Conceptionis Virginis. Vndecimò conſtitutionem eiuſdem Pauli V. prohibentis publicum ſermonem de Conceptione maculatâ exceptis diſputationibus. Duodecimò, nouam aliam Pauli V. extendentis publicum ſermonem etiam ad diſputationes. Et Duodecimo-tertiò Gregorij XV. extendentis prohibitionem ad omnia prorſus priuata Colloquia.

5. Præterea Pontifex proteſtatur ſe præcipuè in hac re innouare, & confirmare conſtitutiones Sixti IV. videlicet omnes tres, quas ille condidit, & illas Pauli V. & Gregorij XV. cum eorum decretis, quæ in vniuerſum ſunt pariter tres. Videlicet conſtitutio vna Pauli; & Decretum Congregationis ſub illo; & aliud Decretum Congregationis ſub Gregorio XV.

6. Nonò in hoc §. Summus Pontifex innouare ſe dicit conſtitutiones & Decreta edita à Prædeceſſoribus ſuis, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. non abſolutè, ſed in fauorem ſententiæ de Immaculatâ Conceptione, quæ ſcilicet aſſerunt animam fuiſſe præſeruatam ab originale, & id facit ita vt primùm declaret ea eſſe edita in fauorem Immaculatæ Conceptionis; & ſecundò quod ea innouet in quantum ſunt in fauorem dictæ Conceptionis Immaculatæ, iudicatæ immunis ab originali, & in hoc ſenſu, cultu, & veneratione; cum ſcilicet hoc appareat eſſe intentum ſuum præcipuum, nec prorſus curet quippiã de ſententiâ oppoſitâ, de quâ ſolũ vetat aſſeri, quod ſit hæretica, vel peccaminoſa mortaliter, aut impietatis arguatur; abſtinens de reliquo ab aliis additis Pauli V. & Greg. XV. quibus ei noluêre, niſi à ſe diſpoſitis præiudicare: Nec, vt ij, dederit facultatem liberam fidelibus eam amplectendi: nam quia non notat eam aliquâ cenſurâ, & vetat eam cenſurari, propterea non eam permittit amplecti, vt in diſputationibus latiùs videbimus.

7. Decimò. Addit SS. Alexander VII. ſe innouare in fauorem cultûs, & Feſti eiuſdem Immaculatæ Conceptionis, eaſdem conſtitutiones & decreta, quæ ſcilicet peculiariter eſſent inſtituta ad honorem Virginis ſpecialem, ſcilicet ſuæ Immaculatæ Conceptionis non merè ad honorem ſanctiſſimæ Matris vt ſic; vt apertè patet; neque merè ad eius ſanctificationem in vtero glorificandam, vt contendunt Aduerſarij; nam hæc non eſſet glorificatio, & ſolemniſatio, & feſtiuitas Conceptionis Virginis, ſed ad ſummum moræ eius in vtero, de quâ nemo dicet, quod ſit obiectum huius Feſti, neque poſſet inſigniri nomine Conceptionis Deiparæ, prout latè oſtenſum eſt *Opuſc. 2. noſtræ Trutinæ.*

8. Vndecimò, Notari itidem hîc debet hanc ſententiam Immaculati Conceptûs inſignitam fuiſſe à Summo Pontifice Alexandro nomine piæ, quod optatum & propoſitum fuit tradi à nobiliſſimo Concilio Tridentino huic ſenſui, & ab eius traditione fuit contra inſtitum à paucis contra ſentientibus, ne impietatis notâ inuretur oppoſita, quam oppoſitionem abſtulit hîc Summus Pontifex prohibens ne impietatis inſignibus ea indueretur, & de reliquo nomine piæ digniſſimè inſigniuit, notans ei aduerſantes in hac re, licet non dicendos impios; attamen rectè intelligendos non pios, vt pote tenentes ſententiam non dicendam quidem impiam, ſed verè non piam, ſaltem negatiuè, cum hæc ad contra diſtinctionem oppoſitæ diceretur pia peculiariter, & ſiquidem diceretur, quod ſententia Immaculatæ Conceptionis diceretur pia, reſpectu oppoſitæ piæ quidem, ſed non ità piæ, vt quæ in eius comparatione eſſet magis pia, & illa minus pia non benè diceretur; nam eſſet, & fuiſſet vocanda, & inſignienda nomine magis piæ, quod cum non egerit SS. Pontifex, ſignum eſt, quod eam iudicauerit piam abſolutè, & oppoſitam non piã, cum præſertim is ſit interpretandus eâ ſignificatione voluiſſe accipi nomẽ pię, quę ab Auctoribus, & Doctoribus tritiſſimè accipi ſolet in Scholis, & libris, atque ſermonibus; cum ergo in his ſententia Immaculatæ ſoleat dici pia in comparatione alterius non piæ, vt ſic declamaræ, & abiectæ, ab vniuerſitate fidelium, qui ex hoc, vniuersè quod non piam putant oppoſitam ſibi ſententiam, & non potuerunt eam vmquam deglutire, & deglutiri non poſſe clamitant, vtpote cenſentes incogitabilem eſſe ſeruitutem ſub Diaboli poteſtate tribuere matri ſanctitatis, & puritatis, & Dei parenti.

9. Duodecimò hîc expreſsè & directè notatur hanc innouationem conſtitutionum dictarum factam eſſe ad inſtantiam Eccleſiarum, & Regnorum Hiſpaniæ, & præſertim Regis Catholici, quod quid importet declarauimus ſuprà §. præcedenti.

10. Decimotertiò, mandat hîc obſeruari has cõſtitutiones ſub pœnis in eiſdem conſtitutionibus contentis ſub excõmunicatione ſcilicet reſeruata Pontifici, & priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, nec non inhabilitatis ad legendum, & prædicandum, & ſimilibus.

§. VII.

§. VII.

Et insuper omnes & singulos qui præfatas Constitutiones, & Decreta ità pergunt interpretari; vt fauorem per illas dictæ sententiæ, & Festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, Festum, seu cultum in disputationem reuocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quouis prætextu etiam definibilitatis eius examinandæ, siue sacram Scripturam, siue Patres seu Doctores glossandi, vel interpretandi, denique aliquo pretextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quouis excogitabili modo disserendo ausi fuerint præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per præsentes subiicimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activâ, & passiuâ in quibuscumque electionibus eo ipso absque aliâ declaratione priuatos esse volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas incurrere absque aliâ declaratione; à quibus pœnis nonnisi à nobis ipsis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus absolui, aut super iis dispensari possit, nec non eosdem aliis pœnis nostro & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiacere volumus, prout subiicimus per præsentes, innouantes Pauli V. & Greg. XV. superiùs memoratas Constitutiones, siue Decreta.

1. PRosequitur post dicta Alexander VII. aliqua alia præcipere, & declarare, quæ vel contenta non erant in prioribus Constitutionibus, & Decretis Pontificiis; vel saltem poterat prætendi non esse contenta in illis, id quod in Bullis innouatiuis priorum, vt vidimus, solet fieri. Quare primò damnat & prohibet Interpretationes omnes factas, & faciendas, quæ sint tales, quæ frustrentur fauorem factum sententiæ de Immaculatâ, & Festo, & cultui secundum illam. Secundò vetat Disputationem circa hanc sententiam & cultum. Tertiò, item vetat contra ea sub quouis prætextu, & occasione, scripto, seu voce loqui. Nec non Quartò, concionari, tractare, disputare contra ea quicquam determinando, aut asserendo. Rursum Quintò, argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo. Sextò, quouis etiam alio modo id ipsum præstando. Septimò, hoc prohibet sub prioribus & aliis pœnis in aliis Constitutionibus, & decretis, & aliis signatis ab ipso Pontifice in particulari, quæ singula sunt specialiùs declaranda.

2. Et primò, Pontifex præter dicta statuit, & prohibet quempiam interpretari dictas omnes Constitutiones & Decreta, itavt ostendat quæ per illa dantur sententiæ, Festo, & cultui de Immaculatâ esse falsa; vel non data in fauorem eiusdem sententiæ; vtroque enim modo frustratur fauor illis præstitus; nec dici potest fauor factus huic sententiæ, si ea dicitur declarata immunis à damnatione; nam fauor vni determinatæ sententiæ præstitus cum tantâ replicatione & laude nullo modo præstitâ contrariæ, non potest intelligi ille, qui sit solius indemnitatis à damnatione; cum præsertim expresè sit taliter præstitus, & ad eiusmodi sensum impellantur fideles; atque hæc sententia sit iam sententia Pontificum non definitiuè, sed assertiuè, quamobrem censendum est per hæc verba damnari interpretationes innumeras datas ab Aduersariis eiusmodi Constitutionibus, quæ frustrantur talem fauorem; & æquè dicunt tractatam sententiam de Immaculatâ, cum illâ de maculatâ; nec non damnatæ sunt interpretationes illæ, quæ dicunt Indulgentias, approbationes Religionum, & Confraternitatum, non confirmare dictam sententiam, nec non aliæ, quæ volunt Sanctificationis Festum præceptum celebrari ab Ecclesiâ & similes: & eiusmodi interpretationes dicendæ sunt in præsenti vel erroneæ, vel apertè temerariæ, & censuris subiectæ; prout in Disputationibus latè probabimus.

3. Secundò, hîc censuris subiicit summus Pontifex eos, qui in disputationem reuocant sententiam, Festum, & cultum de Immaculata; & in disputationem reuocari diceretur eius Festum, & cultus, si in disputationem, & dubium poneretur, an hoc Festum, & cultus sit determinatè de Immaculatâ, si diceretur dubiam esse hanc sententiam; nam posito hoc dubio, ea in quæstionem veniret, & in quæstionem venire prohibetur; quod fieri non posset à Pontifice, si hæc sententia esset

dubiæ

dubiæ veritatis: quare ea hîc declaratur, vt certæ veritatis, quemadmodum & cultus, & ſolennitas eius ſecundum eamdem ſententiam, & qui diceret hunc cultum eſſe de re dubiâ, contraueniret præcepto & ſenſui Pontificio, & coërcendus eſſet hic vt contumax, & peruersè ſentiens contra ſenſum Pontificis, quod ex ſequentibus magis patet, & ex primo iam notato.

4. Tertiò notandum eſt ſub quouis prætextu prohiberi loqui, vel ſcribere contra hanc ſententiam, cultum, & feſtum, ſcilicet pronunciando vel ſcribendo contra hanc ſententiam, cultum, &c. ſiue directè, ſiue indirectè. Quare excommunicantur ij, qui dicerent vel eam ſententiam non eſſe in Eccleſia ita probabilem, ſicuti eſt probabilis oppoſita; vel item non eſſe oppoſitam magis probabilem, vel ipſam non eſſe ſufficienter certam moraliter infra certitudinem fidei: vel habere magnas difficultates, vel eas difficilè ſolubiles, aut ſcripturas, vel ſanctos Patres ei valdè opponi, aut non eſſe magis eligibilem pro alia, & quoquo modo eius amplexibilitatem diminuere; nam hæc omnia, & ſimilia ſunt loquelæ, & ſcriptiones, quæ ſunt, & dici debent oppoſitæ, & eſſe contra dictam ſententiam, quam fauore proſequuntur Summi Pontifices; atque adeò includunt determinationem, & aſſertionem ipſi oppoſitam, quæ cuiuſcumque generis hîc prohibentur ſub anathemate. Nec ſolùm hæc directa diminutiua huius ſententiæ prohibetur, ſed etiam indirecta, vt ſi quis diceret oppoſitam eſſe, vel fuiſſe tutiorem, aut poſſe tempus aduentare, quo ipſa eluceret in Eccleſia; vel quod non bene perpenſa ſint fundamenta eius; vel quod hæc oppoſita fuerit, & ſit doctiorum; vel magis recepta in antiquitate, aut quid ſimile; nam hæc omnia ſunt pronunciata, quæ ab Auctoribus iniurioſa exiſtimantur piæ, & veræ ſententiæ à Pontificibus protectæ, eique contrariæ; quæ omnia prohibet hîc Pontifex ſub anathemate. Id quod meritò facit; nam cum expreſsè declarauerit hanc eſſe ſententiam, cui fauent, & fauere Summi Pontifices voluêre, & defacto fauore proſequuti ſunt: valdè rationabiliter requirit, vt cum hac veneratione ea habeatur in ſermone, & in ſcriptis, vt nullo modo ei detractetur nec voce, nec ſcripto.

Prohibentur autem hæc ſub quouis prætextu ea dicantur, ſiue ſcripturarum, ſiue Patrum, qui in interpretatione adducerentur, quaſi oppoſitorum huiuſmodi ſententiæ. Vndè ſi quis diceret hunc vel illum Patrem oppoſitæ fuiſſe ſententiæ, & ſcripturam hanc vel illam opponi, vel dubitabilè illam facere moraliter; in excommunicationem incidit. Similiter ſi hæc ipſa diceret quis ex prætextu quæſtionis, quam excitaret, an definibile ſit, vel contra, quod Virgo fuerit immaculatè concepta, & proindè diceret non poſſe definiri hunc ſenſum de fide, quia Patres ſunt talis ſententiæ oppoſitæ, vtique in excommunicationem incideret: vndè ſi quis modò aſſereret, quod aſſerunt Libellator primus de ſententiâ ſuâ affirmante originale in Virgine. [Cogitur ergo Eccleſia vti huiuſmodi cautelis ad ſuſtinendam opinionem adeò in ſacrâ Scripturâ fundatam,] in cenſuras Sixti incideret, nam ſaltem indirectè obloqueretur contra ſententiam Immaculatæ Conceptionis, vtpote contrariam ſenſui omnium Patrum.

5. Rurſum hîc Pontifex decernit ex quocumque prætextu venerabilitas ſententiæ protectæ, & quam profitetur vt ſuam, & à ſe defenſam, malè tractetur ſcripto, vel voce, eſſe in causâ vt ſic malè dicens, & diſſerens de ea, cenſuris dictis ſubiaceat, cum explicitè hoc ſonent verba præſentis conſtitutionis eius. Nec ſolum hîc prohibentur dicta ex quolibet prætextu, qui datâ operâ intermiſcetur, & intermiſceri videtur, ſed etiam ex qualibet occaſione ea prodeant ab ore obloquentis, quod eſt magis latè patens, & oſtendit, quod ex quolibet accidenti euenerit, quod quis obloquatur contra proſequuturam ſententiam, & ſecundum ipſam Feſtum, & cultum inſtituturum hoc ipſo ſit cenſendus in excommunicationem incidere.

6. Declarat quartò Pontifex modos vtendi voce contra verita, qui ſint loqui, quod extéditur ad omnes publicas, & priuatas loquutiones, & deinde publicas enumerat ſpecialiùs, vt pote magis ſcandaloſas, atque ſpeficandas ſingulariter, & eas dicit eſſe, concionari, tractare, & diſputare: quæ actiones vocis differunt, quia concionari pertinet ad loquutiones ad populum, tractare concernit in ſermocinationibus aliis cum populo, vel etiam cum paucis, nec non etiam cum vno, quod item cum pluribus, & cum vno poteſt contingere: Quare ſi quis diſputans cum alio in aliâ materiâ decurſu diſputationis ad hanc prolaberetur, & quis contra hanc ſententiam quicquam obloquatur, in excommunicationem incidit, quod ſignum eſt magnæ eius veritatis, quæ talibus obloquutionibus ſit indigna ad ſimilitudinem obloquutionum, quæ fierent de propoſitionibus fidei, de quibus obloqui mortale eſſet, etiamſi obloquens ab eis non diſſentiat mente & fide.

7. Quintò deſcendit idem SS. Dominus ad vnum quid peculiare vſurpatum ab Aduerſariis ad mordendum, & obloquendum contra Immaculatam, quod eſt in concionibus, & idē argue in ſermonibus priuatis proponere argumenta, quæ poſſent fieri, vel quæ fiunt ab aliquibus, vel ab ipſiſmet Concionatoribus proponuntur, & concluſiones inde vel non deducere, & aliis deducendas tradere, vel ex aliorum ſenſu non ex proprio deductas referre. Quem morem vſurpaſſe ſcitur in quadam Ciuitate Siciliæ quemdam Immaculatæ Conceptioni aduerſantem Concionatorem, qui de Conceptione Virginis ſe diſſerturum euulgauit per plures antecedentes dies, & ad audiendam Concionem de hac materiâ de Roſtro quamplures poſſent aduentare inuitauit, dicēs ſe de hac re argumentorum præmiſſas, ſeu maiorem, & minorem propoſitionem tantum à ſe pronunciandas fore, concluſiones, & conſequentiam deducendas relicturum ab ipſis auditoribus, & ſic agere permiſit illo Virgo in vnâ Ciuitate, prout eo tempore ego ſciui, dum autem in aliâ idipſum vellet vſurpare, & nobiles ciues populúmque frequentem ad deſtinatam diem inuitaſſet, vt pari modo diſſereret de Virginis Conceptione, repentino morbo

correptus

correptus interiit, euulgato casu per vniuersam Prouinciam eúmque numerante quolibet inter eos, qui Conceptioni Virginis maculâ volentes impingere, meritas luere pœnas visi sunt. Hoc ipsum vsurpauit audax ille, de quo meminimus, Virginis impugnator, directè nolens asserere Virginem in originali conceptâ, ea tamen promens, quæ hoc illi deferri debere peccatũ concluderent, & sic similis farinæ audaces, & Decretorum Pontificiorum parum veneratores, si non contemptores, qui solent illud Canticorum cap. 1. thema assumere, *Nigra sum, sed formosa*; ita scilicet ei formositatem gratiæ attribuentes sanctificantis, & ei præcessisse dicentes nigredinem, tenebrásque & maculæ originalis. Ad hæc ergo maledicta remouenda cum scandalo fideliũ, præcipit hîc Pontifex neminẽ, neque in publicis colloquiis, neque in priuatis proponere argumenta contra Immaculatã, solutionem eorũdem, non addendo, quæ ea euanescere faciat, vt scilicet menti hærentia fidelium, eos impellant ad auertendũ se, vel dubitandũ de piâ & verâ sentẽtiâ fauoribus, & protectione Pontificiâ confirmatâ.

8. Nec credendum est in hac re excommunicationem vetari ab eo, qui ità afferret, & solueret argumenta, vt solutiones adderet ineffi caces ad ea euacuanda, hoc enim non esset nisi vetè insoluta ea relinquere, ac poindè in censuras incurrere. Quo patet, quod si quis argumentandi gratiâ, quæ possent contra Immaculatam Conceptionẽ facere in disputatione priuatâ ad eam benè propugnandâ afferat, in censuram vllâ ratione non incidit, nec item is, qui ea afferat, vt ostendat quàm futilia sint fundamenta, & iacula aduersantium, quæ Immaculatæ possint obiici, atque hinc eius veritas, & firmitas posset magis elucere.

9. Sextò extendit Pontifex hanc prohibitionem dicendi & scribendi contra Immaculatam ad quemlibet alium excogitabilem modũ, quo hoc præstari posset. Vndè si aliquis alius modus differendi aduertitur, qui etiâ remotè contrarietur sensui Immaculatę Conceptionis, hîc sub excõmunicatione vsurpari prohibetur. Vndè si quis dicat per hanc Bullam, in quâ fauore prosequi voluit sentẽtiam Immaculatę SS. Pontifex, nihil pro eâ pronuncians, dum tot tantáque, declarauit negata ab Aduersariis, iam ei contradiceret, & de ea certè vel multum, vel aliquid detraheret, & sic contra eam, & sibi donata effutiret; quare in pœnas præcepti vetiti incideret, & sic de similibus.

10. Septimo tandem loco Pontifex hîc notat pœnas incurrendas à dicto contradictore sensûs Immaculati Conceptûs, & primò ait incurri pœnas contentas in constitutionibus Sixti IV. Secundò subdit huiusmodi contradictorem, vel contrascriptorem pœnâ priuationis facultatis prædicandi Verbum Dei, necnon publicè legendi, seu docẽdi & interpretandi. Tertiò eum priuat voce activâ & passivâ in quacumque electione. Quartò in pœnam huius transgressionis facit inhabilem perpetuò transgressorem ad concionandum, publicè legendum, & docendum & interpretandum. Et has pœnas, Quintò vult incurri ipso facto absque vllâ aliâ requisitâ declaratione, & à talibus pœnis non vult Sextò posse, absolui, vel dispensari ab alio, quàm à Romano Pontifice. Et septimò itidem talem contradictorem subiicit aliis arbitrariis pœnis infligendis à se, & succedentibus Pontificibus, & innouat super his omnibus memoratas Constitutiones Pauli V. & Greg. XV.

§. VIII.

Ac libros in quibus præfata sententia, Festum, seu cultus secundum illam in dubium reuocantur, aut contra ea quomodocumque, vt suprà, aliquid scribitur, aut legitur, seu loquutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur post Pauli V. suprà laudatum Decretum edita, aut in posterũ quomodocumq; edenda prohibemus sub pœnis & censuris in Indice librorum prohibitorũ cõtẽtis, & ipso facto absque vllâ aliâ declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & vetamus.

1. IN hoc tandẽ §. vetat libros, & scripta quælibet siue sint narrationes, siue notationes colloquiorum priuatorũ, siue Concionũ, tractatuum disputationũ, in quibus aliquid scribitur, aut legitur contra dictâ sententiam, festũ, & cultũ, provt suprà dictũ est §. præcedenti, aut quicquid voce, aut scripto prolatum in eo vetitum est, vetatur hîc scriptioni mandatũ, dicitur remanere prohibitum cum pœnis librorũ prohibitorum. Solùm hîc notandum quod addatur expressiùs prohiberi in hoc §. non solùm scripta modo tupradicto expressè contradicentia dictæ sententiæ, Festo, & cultui, sed etiam voces scriptas, quæ merè in dubiũ reuocarent, & dubitationẽ notarent in sententiâ, Festo, & cultu Immaculatæ Conceptionis, id quod suprà in loquutione fuit interdictũ sub nomine disputationis; nam vetitũ est suprà voce vel scripto in disputationem hæc tria subiicere, & hîc expressiùs denotatur prohiberi reuocationem in dubiũ, seu dubiã quomodocúmq; scribere, siue directè, siue indirecte sententiâ, Festũ, & cultũ dictum, provt suprà annuimus, & hinc clariùs demonstrari signamus.

2. Notari hîc itidem debuit, quod non solũ hîc prohibita manent, quæ contra hanc sentẽtiam scripta sunt post Gregorium XV. qui vocem priuatã contradicentẽ huic sentẽtię, Festo, & cultui interdixit, sed etiam libros editos post Bullam Pauli V. de Conceptione Virginis hâc contradictionem continentes, ex eo quod cum scripturâ æquipolleat publico dicto, imò fortè maiorẽ publicitatẽ includat, cũ ad plures possit extendi, & sæpè sæpiùs extendatur; meritò Sũmus Põtifex hîc libros illos interdicit, qui cõtra Immaculatã prodiere, & tempore, quo publicè vetitũ fuit, ei contradicere; dum enim publicè vult illi contradicere vetitum esse à fortiori magis publica ex conditione suâ, scriptio æstimanda erat contraria menti Pontificis; ac proindè nunc rectè à SS. Alexandro prohibita.

§. IX.

Vetamus autem, Sixti IV. *Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum à Romanâ Eccleſiâ, & ab Apoſtolicâ Sede nunquam fuerit hoc deciſum, pro vt nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus, quin potius contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubiicit Sixtus* IV. *aliique Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices grauioribus aliis pœnis ſubiicimus, quas in contra facientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperiùs inſtiximus. Volentes quod contra huiuſmodi tranſgreſſores etiam Regulares cuiuſuis Ordinis, & inſtituti, etiam Societatis IESV, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas cuiuſcumque ſtatûs, Ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, vt præfertur, tam Epiſcopi & Prælati ſuperiores, aliique locorum Ordinarij, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtrictè animaduertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores procedendi & inquirendi, ac pœnis cœrcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iiſdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eóſque vt præfertur, procedere, inquirere, & punire diſtrictè præcipimus, & mandamus.*

1. IN hoc 9. §. Summus Pontifex prohibet diſtrictè ſub pœnâ excommunicationis intimatâ à Sixto IV. nec non aliis pœnis impoſitis à Summis Pontificibus præcedentibus, & rurſum grauioribus ſupra inflictis §. 7. & aliis arbitrariis; ne ſcilicet quis aſſerat contrariam opinionem amplectentes incurrere crimen hæreſis, vel peccati mortalis; vndè declarat, quod damnantes illam hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis, hiſce pœnis ſint ſubiecti. Et rurſum Secundò facultatem, & auctoritatem tribuit Epiſcopis, ſeu Superioribus Prælatis, videlicet quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus in ſuos ſubditos; & abſolutè quibuſcumque Ordinariis locorum, & tandem omnibus Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis inquirendi de his delictis, & tranſgreſſores puniendi, etiamſi ij eſſent exempti, & cuiuſcumque dignitatis ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue ſæcularis. In quo præcepto & mandato duo notanda ſunt. Primum eſt quod in has aſſertiones damnantes hæreſis, mortalis peccati & impietatis, nullam declarationem habet Pontifex de aliquâ earum ſpeculatiuâ temeritate, vel erroneitate, qualem impingere ſoliti ſunt præcedentes Pontifices contra aſſertiones damnantes ſimiliter Immaculatæ ſententiam. Vndè accuſatus de hoc ſecundo, accuſatur de re pertinente directè ad fidem, & de peccato reductiuè ad infidelitatem: accuſatus verò de primo, cenſetur accuſatus de crimine meræ inobedientiæ, & contumaciæ contra præceptum Pontificium, nec vllâ ratione de peccato ad infidelitatem pertinente, quantum eſt ex vi verborum Pontificij huius Decreti, non definitiui, neque aſſertiui doctrinaliter, ſed merè præceptiuè, vt perſpicuum eſt. Secundum quod eſt hîc notandum, & ſequitur item ex hoc primo, eſt quod hîc meta aſſertio damnans hæreſis, peccati mortalis, vel impietatis ſententiam de maculatâ Conceptione prohibetur, non prohibetur autem ſenſus interior, quod hæc ſententia ſit vno ex tribus modis damnabilis; primò quia Pontifex aſſertionem prohibet, & damnat, non verò ſenſum & iudicium de tali obiecto per modum doctrinæ; quemadmodum damnat ſenſum decernentem eſſe mortale iudicare Virginem à peccato immunem. Nam cum Pontifex erroneam dicit, & declarat eſſe propoſitionem dicentem, quid mortale, vel hæreſis ſit tenere immaculatum Conceptum, hoc ipſo declarat erroneum eſſe hunc ſenſum: nam tenere eiuſmodi doctrinam, ſignificat iudicium internum, vt patet. Quare in hoc præcepto non damnatur iudicium, quod quis haberet, quod ſententia maculans Virginem, eſſet hæretica, vel temeraria, aut quod eſſet peccatum mortale eam amplecti; nam in hac re non ſe habet Pontifex vt declarans aliquid pertinens ad id quod eſt ſentiendum interius, ſed merè, vt mandans, & præcipiens, ne hic ſenſus dictus proferatur exterius, vel etiam ſi non ſit coniunctus cum interiori adhuc proferatur: Vndè ſi quis verè æſtimaret Virginem ab originali immunem, nec peccaret qui ſic ſentiret; & tamen exterius promeret eam originali infectam, adhuc contraueniret huic præcepto Pontificio adæquatiſſimè, & in eaſdem prorsùs incideret cenſuras, & pœnas, ac ille, qui id, quod ore proferret, interiùs ſimiliter verum eſſe iudicaret. Sed aduertendum eſt, quod non propterea cenſeo, quod hoc iudicium poſſet quis admittere damnans ſententiam maculantem

culantem Virginem sine vllo peccato ; nam aliundè posset esse falsum , & peccaminosum , & eius decisio pender ex aliâ , an possit euenire quod Pontifex prohibeat vnam assertionem ore proferri , licet ea sit in se vera ; nam si ex rationabili causâ , & ad vitanda scandala potest fieri prohibitio asserendi aliquod verum , certè posset euenire , quod progressu saltem temporis , sententia maculans conceptionem Virginis, eueniret temeraria & erronea , vt notat ipse Libellator. §. 3. & tamen assertio de tali erroneitate , & temeritate esset prohibita hac prohibitione modò notatâ per modum meræ præceptionis. Quæri autem hîc posset , an sententia maculans Conceptionem Virginis possit dici , si non hæretica , nec peccaminosa mortaliter , aut impia , non posset dici sine incursione in censuras temeraria Theologicè , cum Pontifex hoc non prohibeat dici de eâ , pendet ab illâ quæstione , An sententia temeraria amplexata ab aliquo , sit peccaminosa mortaliter ; nam si talis non est , qui eam temerariam diceret , non caderet , neque committeret aliquid contra prohibitionem Pontificiam , & per consequens in censuram excommunicationis , neque in alias pœnas incideret. De quo in Quæstionibus controuertendum est infra.

2. Notandum hîc item est Episcopos , & sacros Quæsitores fidei teneri inquirere , & iudicare super transgressiones contra huiusmodi Constitutionem ; nam res est grauis , & concernit circa scandala vitanda , & cohibenda , & verbis grauiter præceptiuis mandatur , & imponitur ipsis hæc inquisitio , & punitio ; nam dicit Pontifex. [Eosque procedere, inquirere , & punire districtè præcipimus , & mandamus.] Id quod his initiis specialius est exequutioni mandandum ne malum vires acquirat , cum vox quædam prodierit in aures fidelium , quod Bulla hæc nihil noui attulerit , & ea omnia licita esse, quæ priùs vsurpari videbantur , quod dictum est falsissimum, & pœnis coërcendum.

§. X.

Non obstantibus Constitutionibus , & ordinationibus , ac quibusuis indultis , & litteris Apostolicis quibuscumque personis , quantumcumque qualificatis , & in quacumque etiam Cardinalatûs , Patriarchali , Archiepiscopali , Episcopali , & quauis aliâ dignitate & honore constitutis , etiam quod contra eos procedi , interdici , suspendi , vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis , quibus omnibus , & eorum singulis , etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis , ipsorúmque totis tenoribus specialis , specifica , individua , & expressa , ac de verbo ad Verbum , non autem per generales etiam id importantes clausulas mentio habenda , aut aliâ exquisitâ formâ obseruanda foret , tenores huiusmodi , ac si de verbo ad verbum inserti forent , præsentibus pro sufficienter expressis , & insertis habentes , harum serie specialiter , & expressè derogamus , ceteríque contrariis quibuscumque.

1. IN hoc §. derogat Summus Pontifex omnibus Priuilegiis , vel indultis , quibus ab obseruatione eorum , quæ hîc mandantur , quis posset prætendere esse exemptum, & immunem ; vel quia generaliter esset exemptus à quacumque iurisdictione extra Pontificiam ; vel quia peculiare haberet indultum , hæc signata præcepta non obseruandi : Vndè non possunt Fratres Prædicatores prætendere vti posse licitè , aut validè facultate loquendi dumtaxat inter ipsos de sententiâ maculante Conceptionem Virginis, quia licèt hoc eis indulserit Gregorius XV. per Bullam , *Eximij , & singulares fructus* , editam die 28. Iulij. an. 1622. post Decretum à se editum in Congregatione Generalis Inquisitionis 4. Iunij eiusdem anni , quo prohibita à se fuerant colloquia priuata de maculâ affirmatiuè traditâ Conceptioni Deiparæ ; nam expressè hîc derogatur omnibus indultis in oppositum : quare derogatur illis ipsis tradito eo tempore , cuius sensûs confirmatio magna est , quod exquisitus dicitur de hac re SS. Dom. noster Alexander VII. qui & expresse se derogasse huic indulto fassus est, & nullâ ratione velle illud de nouo concedere. Et si quidem Gregorius XV. illud concessit Fratribus Prædicatoribus paulò post editionem primæ Bullæ in eâ significauit id à se velle concedi ipsis ; nam in eo Decreto quando prohibuit illa priuata colloquia, addidit. [Exceptis tamen quibus à sancta Sede Apostolicâ fuerit super hoc specialiter indultum.] Id quod cum non addiderit , vllâ ratione SS. Dom. Alexander in hac Bullâ , signum est manifestum , quod noluerit eis sapientissimus Pontifex tale quid indulgere. Quo maximè ostendit quantum Ecclesiæ Dei sit in optatis contrariam sententiam de maculatâ Conceptione Virginis penitùs à se eiici , & in æternam obliuionem deiici , eiusdémque sempiternæ obliterationis esse dignissimam, dum à Summis Pontificibus iustis de causis expressâ damnatione non reiicitur , & penitùs exulare præcipitur ; de quo latiùs in Disputationibus.

§. XI.

Vt autem hæc nostra constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam, congruentius venire possint, in virtute sanctæ Obedientiæ, sub pœnâ priuationis ab ingressu Ecclesiæ in eo ipso incurrenda, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus Prædicatoribus, & aliis, quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquomodo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

1. IN hoc §. Sanctissimus Dominus primò mandat hanc suam Constitutionem peculiariter publicari in omnibus Diœcesibus, & districtibus non communi modo per affixionem ad valuas Ecclesiarum, vel compitorum, vt solet fieri in eiusmodi Bullarum publicationibus, sed viuâ voce per Concionatores, & alios, quos Ordinarij, eorumque Officiales ab eis directi iudicauerint. Quare aduertendum est signatè præcipi à Pontifice, quod Prædicatores hanc Constitutionem, & omnia quæ in eâ continentur, populis publicent, vbi sub pœnâ peccati mortalis tenentur Ordinarij, & eorum Ministri mandare exequutionem huius publicationis: nam in virtute sanctæ obedientiæ, & cum formulâ præcepti sub pœnâ mortalis expressa id præcipitur iis in hac Bullâ, & rursum sub pœnâ priuationis ab ingressu in Ecclesiam, quod ostendit vim præcepti, cuius obseruatio maximè Pontifici cordi est. Ligat autem hoc præceptum tum Ordinarios locorum, tum etiam eorum Ministros in hac re, necnon ipsos Concionatores ad publicationem huiusmodi constitutionum; ità tamen, vt præceptum directè, & primò obliget Ordinarios, & Officiales earum, & secundò ad Concionatores, qui iussi, & intimati ab illis, tenentur hanc publicationem facere sub mortali peccato, quæ publicatio debet esse eorum, quæ per modum doctrinæ, & rursum præcepti hîc traduntur à Pontifice: Quare videretur ab Ordinariis rectè fieri, si in aliqua puncta redigi facerent, quæ in hac Bulla continentur, eáque strictim traderent Concionatoribus, vt ea populis promulgarent distinctè.

§. XII.

Volumus & similiter eadem auctoritate decernimus & mandamus, quod præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum SS. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe, de more publicentur, & affigantur, quæ affixio, & publicatio ità omnes, & singulos, ad quos spectet, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent, & quod illarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillis alicuius personæ dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur si ostensæ, vel exhibitæ forent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 8. Decembris 1661. Pontificatûs nostri anno 7.

S. VGOLINVS.

1. IN hoc tandem vltimo §. ponitur clausula, quæ communiter solet apponi in omnibus Bullis, & Decretis Pontificiis, paucis hinc indè mutatis; nec aliquid peculiare decernit super dictum propositum Immaculatæ Conceptionis gloriosissimæ Virginis Deiparæ, & in ea solùm continetur mandatum affixionis in consuetis locis Vrbis Romæ, vt possit omnes obligare fideles post determinatum tempus ad sui obseruationem, prout iura, & Doctores decernunt, & notatur non aliud requiri ad hoc vt fides sit adhibenda in iudicio, vel extra transumptis huius Bullæ, quod scilicet sit Pontificia, nisi quod subscripta sint manu alicuius Notarij siue sæcularis, siue Ecclesiastici, & munita sigillo alicuius, personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ; & vt appareat hanc affixionem factam post Bullam hanc, subditur testificatio Cursoris, quâ notum facit exequutum se fuisse mandatum SS. Domini Alexandri VII. & in valuis dictis supradictas litteras affixas, & publicatas fuisse sequentibus verbis, quæ expositione, & declaratione alia non indigent, & hîc merè registrantur.

Anno

ANno milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo primo, Ind. 14. die verò N. Menſis Decembris, Pontificatûs SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri diuinâ Prouidentiâ Papæ VII. anno ſeptimo, ſupradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Baſilicarum SS. Ioannis Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt per me Andream Caſtruuium prælibati SS. D. P P. Curs.

Pro Dom. Mag. Curſ. Petrus Paulus Deſiderius Cruſ. Exequutæ Panormi die 7. Ianuarij, 15. Ind. 1662.

QVÆSTIO PRIMA.

De definitis de fide, vel ſecundum fidem certis, concernentibus ad certitudinem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ in hac Bulla Sanctiſſimi Domini Alexand. VII.

LIcet certum ſit Immaculatam Conceptionem non fuiſſe definitam de fide in hac Bullâ; nam expreſsè hoc Summus Pontifex declarat; nihilominus dum multa in eâ decernit & declarat; videtur quod aliqua ſaltem quæ certè concernunt ad Immaculatam Conceptionem, ſint ab ipſo definita de fide, quod hîc videndum; vt indè appareat quanta confirmatio certitudinis Immaculatæ proueniat. Plura autem videntur hîc diſputanda, & primò in genere videndum an decernat aliqua de fide certò tenenda in hac Bullâ & ſine vllâ ſpecie dubitationis habenda. Secundò an ſit de fide ſenſum Immaculatæ Conceptionis eſſe antiquum, & non recentiorem, vt volunt aliqui. Tertiò an ſimiliter ſit de fide Summos Pontifices, & Eccleſiam Romanam fauere huic ſententiæ, & non oppoſitæ. Quartò an definitum ſit Religioſum Ordinem fundatum in confirmationem ſenſûs Immaculatæ Conceptionis. Quintò id ipſum quæritur de Indulgentiis conceſſis ſenſui de Immaculatâ. Sextò an ſit de fide quod Officium Nugarolicum ſit approbatum ab Eccleſiâ. Septimò an ſit de fide quod ſententia de Immaculatâ Conceptione ſit probabilior oppoſitâ. Octauò id ipſum exquiritur ſi ſit pia hæc ſententia, & pia certitudine fidei. Nonò an certitudine fidei firmum ſit omnes ferè Catholicos amplecti piam iſtam ſententiam: Et decimò an ſit de fide ſcandala quæ euenêre in Eccleſiâ ex hac controuerſiâ; prouenisſe ex ſententiâ dante maculam origini Virginis in Conceptione.

DIVISIO PRIMA.

An in hac Bullâ SS. Alexandri VII. aliqua concernentia ad Immaculatam Conceptionem ſint definita de fide.

1 DVbitari poteſt quænam certitudo aduenerit aliquibus declaratis in hoc diplomate Pontificio, quæ prius ab Aduerſariis Immaculatæ Conceptionis negabantur vt vera, quæ alioqui pro certis habebantur apud Doctores cõmuniter. Quare cum ea in præſenti declarata ſint, quomodo eſſent intelligenda, rectè poteſt de omnibus, vel de aliquibus eorum diſputari, quam certitudinem ex eius declaratione ſibi vendicauerint, & an eam venata ſint quæ ſit fidei, vel ſecundum fidem; dubium autem eſſe poteſt quod ad certitudinem fidei ſi pertenerint ſeu plura, ſeu aliqua quæ hîc declarata ſunt; quia cum Summus Pontifex non profiteatur ſe definire, vel definiſſe aliquid de fide; videtur hinc inferri, quod nihil ex hîc contentis acquirierit certitudinem de fide, ex aliâ verò parte quia cũ vt abſolutiſſimè vera & indubitata tradat hîc multa, videlicet quod vetus fuerit pietas fidelium ſentire, & colere Immaculatam Conceptionem, & præterea quod Summi Pontifices approbauerunt Religioſum Ordinem Deo famulantem in ordine ad hunc cultum & ſenſum, necnon & complures confraternitates; & rurſum ad eiuſdem ſenſus confirmationem multas indulgentias conceſſerint, & plura alia hîc tradiderint ſimilia, rectè videtur poſſe exiſtimari, quod hæc omnia ſic abſolutè declarata, & tradita ad eruditionem Eccleſiæ à Summo Pontifice venata ſint certitudinem fidei; ità vt non niſi Hæreticus poſſet dubitare de harum doctrinarum veritate: nam ante hanc declarationem

nem cum plura ex his similiter dicta à Pontificibus, sed non ità clare à tergiuersantibus Aduersariis: negata solita sint vt temeraria à Doctoribus promulgari: dum iis accessit modo tam clara declaratio, videtur quod qui ea adhuc negaret non solum in temeritatem; sed hæreticam negationem incideret, id quod patet, nam ante hanc declarationem vt temerarium tradebatur à Doctoribus, si quis diceret Ecclesiam Romanam nō colere Immaculatam Conceptionem secundum sensum Immaculatæ: ac itidem, si quis assereret solam sanctificationem eius colere, & si quis reprobatum diceret esse Officium Nugarolicum. Quare cum opposita his & similia apertè declaret hic, & tradat vt indubitata Summus Pontifex, videtur iis certitudinem maiorem primâ tradere, quæ non videtur esse alia; nisi illa quæ est de fide. De qua re subdo sequentes conclusiones.

2. Prima Conclusio, ad hoc vt vna veritas decernatur de fide certa, in Ecclesiâ à Summis Pontificibus, non est absolutè necessarium vt ea tradatur à Pontificibus sub terminis expressionis, definitionis, decisionis, vel sub pœnâ anathematis, aut alicuius similis expressionis; sed sufficit si ea tradatur sub terminis indubitatæ sententiæ Pontificæ, quâ docere velit doctrinam aliquam, vniuersalem Ecclesiam. Probatur Conclusio. Primò quia etsi in definiendis controuersiis soliti sint Pontifices vti hisce terminis; certum est quod, neque ex naturâ rei, neque ex aliquâ regulâ scriptâ, vel voce tradita habetur, quod tenenda de fide Pontifex sub talibus terminis suptradictis, vel similibus debeat declarare, & tribuere credenda Ecclesiæ; ergo si ea tradat sub tali formâ quæ omnem dubitationem dubitabilis doctrinæ excludat, eiusmodi doctrina, de reliquo capax certitudinis fidei, rectè poterit dici doctrina de fide tenenda. Antec. probatur, quia nulla ratio naturalis post fingi, quæ dictet eiusmodi verba definiendi esse vsurpanda, vel sub anathemate certa de fide tradenda, nec item de hac re est aliqua regula scripta, aut habita per traditionem; nullibi enim ea signari potest, nec vllum Concilium, aut Pontifex hoc præscripsit; quare certum est Antecedens vndè Consequentia, similiter ad euidentiam deducitur: nam si non est præscripta talis regula, dum eum formis indubitatæ doctrinæ aliquid traditur, id omninò debet dici habere certitudinem fidei.

3. Sed dices, vsus præscripsit vt in decisione controuersiarum hæc vel similia, aut eiusmodi tenores vsurpentur; ergo dum Pontifex iis non vtitur, dicta certè & declarata per eum, certitudinem fidei non sunt censenda habere. At nulla obiectio, nam hi tenores censendi sunt vsurpari quando de aliquibus sensibus intercesserint rationabiles controuersiæ, in quibus si Pontifices adhæreant vni parti, ità vt velint vnum sensum de fide sub dictis terminis faciant: sed in iis qui has controuersias rationabiles non habent, si per modum doctrinæ indubitatæ adhæreant vni parti, non propterea negandum est eiusmodi doctrinas tradere sine certitudine fidei: his enim terminis ideò in talibus casibus vtuntur Pontifices, vt appareat decisio manifesta pro vnâ ex partibus; quando verò de se res est perspicua Theologicè, non est necesse tales terminos vsurpare. Quibus adde, quod esto hoc soleat vsurpari, non propterea etiam in casu istarum Controuersiarum, si absolutè Pontifex traderet aliquam doctrinam in aliquâ Bullâ pro vnâ parte determinatâ cum forma indubitabili, adhuc esset talis veritas non censenda de fide certa; imo in casu hoc Immaculatæ non est dubitandum quod si Pontifex summâ Apostolicâ auctoritate in aliquo diplomate nunc diceret tenendum esse quod Beata Virgo Immaculata fuerit concepta, & hoc ipsum traderet per modum suppositionis, quemadmodum actum est in amotione venialium à Virgine; non esset dubitandum quod huic assensui traderet certitudinem fidei, etiamsi non proferret verba definiendi, neque anathemate percuteret aliter dicentem: si de cetero saltem in fine Bullæ omnia cōtenta in ea præciperet habenda sub pœnâ indignationis Omnipotentis Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Quod vltimum neque puto esse necessarium; Nam mihi videtur æstimandum, quod si modò aliquis assereret quod non esset conueniens, neque debitum quod fideles gratias agerent Deo de Immaculatâ Conceptione Deiparæ, quemadmodum in suâ Bullâ absolutè, & indubitanter tradit Sixtus IV. in Bulla *Præexcelsa*, & pertinax esset in suo dicto, esset censendus hæreticus; quod ostendit veritatem aliquam assertam à Summo Pontifice in dictâ formâ, & non in illâ definiendi, & anathematizandi posse tradi cum certitudine fidei.

4. Probatur secundò Conclusio, quia eiusmodi veritates sic assertæ, & traditæ à Summis Pontificibus (dum præsertim de iis apud Auctores communiter in disputatione est potius hic vel ille modus dicendi; & Pontifices vni absolutè adhæserant, & secundum illum absolutè pronunciarunt) solent censeri traditæ de fide; ergo & in casu nostro idem dicendum est, quod ea quæ ab aliquibus Doctoribus fuêre contradicta; & absolutè, vt vera tradantur à Pontifice in hac Bullâ, ea vera sint certitudinem fidei, qualia hîc sunt complura, videlicet quòd Romana Ecclesia celebret secundum sensum Immaculatæ; quod Officium Nugarolicum approbatam doctrinam contineat; quod Religiosus Ordo sit Institutus in testificationem Immaculatæ, & eius confirmationem, & sic de similibus, de quibus in speciali agetur. Probatur Antecedens ex Lateranensi Concilio sub Innocentio III. vt refertur in Capite de Summâ Trinitate & fide Catholicâ, quod sic habet. [Deus vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem scilicet & corporalem, Angelicam vltimò & humanam.] In quibus statutum esse de fide constat, quod Deus creauit ex nihilo omnes creaturas, & præter naturam humanam dari etiam creaturam Angelicam; licet non sit de fide statutum, sed secundum fidem quod Angelus sit substantia spiritualis, provt intulêre Theologi ex hoc loco, & tamen nemo non videt, quod hîc nulli sint termini definitionis & anathematis; tota idem doctrina quæ à Ioanne Theologo data est in Concilio Florentino, provt certa habetur, ex tacitâ approbatione Concilij,

cillij, etiamſi in ea nulli termini habeantur, qui expreſsè tradant eſſe eam fidei Catholicæ doctrinam. Hoc ipſum maximè perſpicuum eſt nuperrimè in Concilio Tridentino, in quo varia cenſentur de fide vel ſecundum fidem definita, in capitibus Seſſionum, quæ in Canonibus non habentur, nec vlla ratione exprimuntur per terminos expreſsè ſignificantes determinationes fidei, & in omni ferè Concilio aliqua traduntur vt certa cenſenda ſecundum fidem; quæ ſolemnitates non habent deciſionem, ex quibus ſtatim cognoſcitur, quod hæc vel illa propoſitio cenſetur de fide: Et Neribergh hoc ipſum agnoſcit in vltimâ deciſione quinque propoſitionum Ianſenij vt hæreticarum; cum quâ variæ aliæ doctrinæ reprobantur, quæ etſi non habent ſolemnitatem reprobationis ſimilem quia à Pontifice reprobantur, ſecundum fidem, ſaltem cenſentur reprobatæ, vt ex ipſo vidimus.

4. Probatur tertiò Concluſio, quia illæ veritates quæ traduntur expreſsè credendæ, ita vt ſi quis eis contradicat, declaretur incurrere indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli: ſub æquivalentibus terminis traduntur ac illæ quam contradictores Anathemate percutiuntur; provt in hac Bullâ contentæ, traditæ inueniuntur, declarando contradictores incurrere indignationem Dei, & Beatorum Petri, & Pauli: ergo hæ veritates inueniuntur traditæ ſub æquivalentibus terminis, ac illæ quæ contradictores habent percuſſos Anathemate: Sed ſi ſic inueniuntur traditæ, inueniuntur vtique traditæ ſub æquivalentibus terminis, ac illæ de fide tenendæ, vel ſecundum fidem; per conſequens debent dici traditæ de fide tenendæ, vel ſecundum fidem. Maior patet, quia incurrere indignationem Dei, eſt illud ſummum, quod maximè præponderat in Anathemate: ergo qui incurrit illam, in id incurrit quod maximum malum eſt Anathematis, & per conſequens æquivalet illi. Quibus adde quod pro eodem habetur incurrere in indignationem Dei & incurrere in excommunicationem, & excommunicati cenſentur qui contraueniunt Decretis, vel Bullis Pontificum, in quibus quis dicitur incurſurus indignationem Omnipotentis Dei, in explicatione enim excommunicationis incurſæ exprimitur à ſactis Quæſitoribus maximè hanc indignationem incurri per quam homo priuatur aliquibus Eccleſiaſticis habilitatibus, imò etiam & Ciuilibus, iuxta ea quæ Theologi & Caſuiſtæ exprimunt agentes de excommunicatione.

6. Quod autem multa hîc in Bulla ſanctiſſimi Alexandri tradita ſint per modum doctrinæ, quæ infringere, faciat incurrere in indignationé Omnipotentis Dei, patet, quia etſi in hac Bullâ non ſint hæc verba, inueniuntur tamen in aliis Bullis, in quibus hæ eædem doctrinæ habentur, quæ à ſanctiſſimo Alexandro VII. modò de novo confirmantur, & declarantur iuxta debitum ſenſum, quem Aduerſarij extorquebant; ſic in Bullâ prima *Graue nimis*, nec non etiam in ſecundâ, & tandem in illâ Alexandri VI. hæc clauſula in fine earum habetur [Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, damnationis, ſtatuti; ordinationis, auctoritatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autẽ attẽtare præſumpſerit, indignationẽ Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum.] Quo manifeſtè patet quod ſaltem ea quæ in his Bullis dicuntur vel damnantur, ſub terminis traduntur æquivalentibus illis, quibus vna veritas cenſetur de fide definita vel ſecundum fidem, & vt proxima fidei tenenda, vel contrarie ipſi ſi contradicat deciſis, vel declaratis oppoſitis à Pontifice.

7. Probatur quartò Concluſio, quia ſi Sanctiſſimus Alexander in hac Bullâ ità traderet abſolutè ſanctiſſimam Matrem fuiſſe præſeruatam ab originali ſicuti tradidit alia multa ex abſoluto & proprio ſenſu, & non diceret ſe fauere ſententiæ de Immaculatâ, & ſolum hoc debere ſentire fideles: ſed abſolutè traderet animam B. Virginis in primo inſtanti ſuæ animationis, & infuſionis in corpus fuiſſe ab originali præſeruatam: Certè hic ſenſus diceretur definitus de fide vel ſecundum fidem certus: cum ergo alia multa tradat in hac Bullâ, & aliqua ſupponat vt certa, quæ ſunt in Bulla abſolutè probata; omninò cenſendum eſt ea tradidiſſe vt certa de fide, vel ſecundum fidem. Quod autem ſi abſolutè Pontifex SS. Virginem in ſuâ animatione dixiſſet ab originali præſeruatam, tum cenſeretur talis enunciatio de fide, vel ſecundum fidem tradita. Probatur, nam poſitâ controuerſiâ, dum tale quid diceret abſolutè Pontifex, rem omninò ſine dubietate traderet Eccleſiæ: quare vt definita eſſet habenda, vel de fide, vel ſecundum fidem; nam etſi in actu ſignato non definiret, in actu exercito, dum ſub terminis eam traderet dubitationi non ſubiectis, & loquens vt Magiſter Eccleſiæ, ad quem pertinet ſuo ſenſu trahere fideles ad id, quod tenendum ſit pro certo in Eccleſia: cuius rei ſignum eſſe poteſt, quia quamuis hunc ſenſum non ſcripſerit: nihilominus aduertit fideles quod ex eo quod dixerit Pontifices Summos fauiſſe & ſe fauere ſententiæ de Immaculatâ, non eſſet exiſtimandum, quod Immaculatam definiuerit, & prægnantibus verbis id expreſſit, quia certe putauit quod ex eiuſmodi formâ loquendi, poſſet deduci res vt definita: Vndè licet colligere quod ſi abſolutè diciſſet animam B. Virginis in primâ animatione corporis fuiſſe ab originali præſeruatam, nec eiuſmodi dictum notaret non eſſe definitiuum, certè æſtimaretur rem definiuiſſe vel tradidiſſe vt certam ſecundum fidem. Ex quo patet manifeſtè quod cum prolatâ auctoritate Apoſtolicâ hîc tradiderit, quæ ſine vllâ dubietate & vt certa expreſſerit, hæc plura oſtenderit ſe tradere Eccleſiæ vt certa, vel de fide, vel ſecundum fidem.

8. Probatur quintò Concluſio, quia quæ tradit hîc Pontifex diuerſa ab Immaculatâ, eam certitudinem debent cenſeri habere quam non habet, & dicitur non habere Conceptio Immaculata: ſed Conceptio Immaculata ſignatur hîc non habere certitudinem & definitionem fidei, ergo ceteræ quæ in hac Bullâ cõtinentur, & abſolutè traduntur, debent cenſeri habere certitudinẽ vel fidei, vel ſecundũ fidẽ. Maior probatur, quia cum multa tradat hîc abſolutè Pontifex, & de vno tantum aduertat quod id non definiat,

niat, etiam si illud neque absolutè tradiderit, sed solum eiusmodi sensui dixerit se & prædecessores Pontifices fauisse, apertè patet quod alia etiam omnia ad hoc vt definita & certa de fide vel secundum fidem tradiderit, & intelligi voluerit habenda sine dubietate, seu cum dictâ certitudine fidei: quam expressè & signanter negauit à se datum soli Immaculatæ Conceptioni: atque adeò verum est quod ea omnia diuersa ab Immaculatâ Conceptione hic tradita, eam certitudinem habent hîc à Pontifice, quæ ab ipso negata est Immaculatæ Conceptioni: alioqui non de Immaculata solum debuisset dicere se non definiuisse, sed etiam de cæteris sic à se absolutissimè assertis.

9. Minor autem argumenti aperta est ex verbis Pontificis, qui ait in hac Bullâ. [Vetamus autem Sixti IV. constitutionibus inhærentes, quempiam asserere quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen aut mortale peccatum incurrat: cum à Romana Ecclesia & à Sede Apostolicâ nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minimè decidere volumus aut intendimus. Vbi licet aduertere quod si hanc clausulam non addidisset SS. Dominus noster Alexander VII. in dubium reliquisset, an ex antecedentibus definita fuisset Immaculata Conceptio, vel de fide, vel secundum fidem; atque adeò contraria opinio damnanda esset hæresis, vel saltem peccati mortalis. Quare cum cæteris doctrinis non facta sit hæc cautio, quod definitæ non fuerint, restat rationabiliter dicendum, quod eæ sint traditæ à Pontifice extra omnem dubietatem, & cum absolutâ certitudine fidei, vel secundum fidem.

10. Probatur sextò Conclusio, quia complura contenta in hac Bullâ, eam certitudinem debent censeri habere vel similem illi quam habuerunt decreta & definita à Concilio Tridentino, sed decreta omnia à Concilio Tridentino habent certitudinem fidei vel secundum fidem: ergo complura quæ tradit hic Pontifex eiusmodi certitudinem habent. Maior probatur, quia complura quæ in hac Bullâ habentur, contenta sunt & continentur in Constitutionibus Sixti quarti, quæ innouata sunt à Concilio Tridentino: ergo debent habere eam certitudinem quam habent decreta Concilij Tridentini; nam expressè in decreto de peccato originali dicitur à Concilio. [Obseruandas esse Constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.] Cum ergo hæ Constitutiones innouatæ sint à Concilio, censentur ità innouatæ & eam firmitatem habere quam habent decreta Concilij, vt patet. Nemo autem dubitare potest quod decreta Concilij Tridentini habent firmitatem propriam fidei, vel secundum fidem: atque adeò eamdem debeant habere contenta in Constitutionibus Sixti IV. quæ hîc speciatim confirmantur & innouantur, & iisdem ferè verbis replicantur, qualia sunt, quod Romana Ecclesia celebrat Festum Immaculatæ Conceptionis; quod ordinauit speciale & proprium Officium; quod non celebrat solam sanctificationem, vel solum spiritualem Conceptionem; quod dignum imò debitum sit fideles Deo gratias agere de mirâ Virginis Conceptione; quod pia, deuota, & laudabilis sit ordinatio Officij Nugatolici, & quod celebrantes eiusmodi Festum lucrentur Indulgentias, & alia ad hæc concernentia: & cum non minorem certitudinem debeant habere aliqua alia, quæ hîc tradit sanctissimus Alexander, nam à pari suâ auctoritate, procedunt, & simili forma sunt ab eo tradita. Patet hinc manifestè, quod complura quæ hîc docet Ecclesiam sanctissimus Pontifex, certitudinem fidei vel secundum fidem sunt censenda habere.

11. Probatur septimò Conclusio, quia eam certitudinem debent dici habere hîc tradita à sanctissimo Alexandro, quam illis potest dare auctoritas Pontificia: sed auctoritas Pontificia, potest illis dare certitudinem fidei vel secundum fidem; ergo hanc habent hæc dicta; Maior patet quia nihil iis deest, quin eam habeant ab illâ sibi deriuatam, cum certum sit eâ auctoritate Pontificiâ tradi, nec possit dici, neque assignari, quare cum tradita sint auctoritate Pontificiâ, non venentur eam certitudinem quam potest illis dare eadem auctoritas. Minor patet, quia eiusmodi auctoritas certum est, quod possit dare talem certitudinem; nam nihil aliud eam præstat, & ostendi potest ex Bullâ confirmationis Concilij Tridentini, quæ non nisi ex hac auctoritate tradit vltimam certitudinem fidei ipsi Concilio, vt apparet ex verbis Bullæ Pij IV. vbi dicitur. [Omnia & singula (scilicet contenta in Concilio Tridentino) auctoritate Apostolicâ hodie confirmamus, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac seruanda esse decernimus.] Cum ergo eadem auctoritate tradita sint contenta in hac Bullâ Domini Nostri Alexandri VII. eadem certitudine donata esse æstimandum est.

12. Probatur octauò Conclusio, ex hac ipsâ Bullâ Pij IV. quia si quid deesset adhoc vt dicta omnia vel complura quæ continentur in hac Bulla possent dici & æstimari certa de fide, vel secundum fidem, id esset quia ea non sunt tradita sub verbis vsurpatis definitionis & similium; sed ex hac Bulla Pij IV. apparet hoc non esse necessarium nec talia verba esse necessariò vsurpanda; ergo tradita in hac Bullâ, censenda sunt esse certa de fide, vel secundum fidem. Maior patet, nam non potest somniari in iis alius defectus: Minor patet, quia vt liquet in citatis verbis Bullæ modò dictæ; absque vsurpatione eiusmodi formularũ per meram nominationem auctoritatis Apostolicæ confirmata sunt decreta Concilij Tridentini, non intercedente verbo definitionis, neque vllo alio Anathematisationis contrariæ sententium: non ergo requiruntur tales formulæ vt aliquid possit venari ab auctoritate Pontificiâ certitudinem dictam.

13. Sed hîc obiicies, in hac Bulla in quâ hæc habet & declarat Pontifex Alexander, non dicit se ea docere & tradere Ecclesiæ auctoritate Pontificiâ, prout egêre alij Pontifices; nam in eâ non nominantur; quare etsi illa quæ confirmat, datâ hac auctoritate, censenda sint certa certitudine fidei, vel secundum fidem; ea tamen quæ peculiariter

hîc Sapientissimus Pontifex tradit non intermissâ auctoritate Apostolicâ, neque suâ, neque suorum Prædecessorum, censenda non sunt habere illam omnem certitudinem, quam solet conferre auctoritas Apostolica. Sed hæc obiectio est valdè stulta, quia ligat certitudinem, & conferentiam certitudinis solitæ dari à Pontificibus meræ nominationi auctoritatis Apostolicæ; quasi verò non sufficiat ad hanc certitudinem præstandam apparere quod ea quæ hîc tradit Sanctissimus Pontifex, ea non nisi vt Pontifex ea tradat, & res ligata sit verbis, vti euenit in Sacramentis, quod somniate vanissimum est: Nam esto, hîc non nominatur auctoritas Apostolica, in cuius virtute doceatur Ecclesia, id quod hîc docetur; ea tamen sufficienter apparet quod ipsa, & non alia præstet: id quod in hac Bullâ præstatur dum ex ipso titulo Bullæ, dicitur [Sanctissimi Domini nostri Alexandri Diuinâ Prouidentiâ Papæ VII. Innouatio Constitutionum & decretorum in fauorem sententiæ asserentis animam B. Mariæ Virginis in sui creatione & in Corpus infusionis à peccato originali præseruatam fuisse editorum.] In quibus iam expresè patet auctoritas Apostolica qua prodit Bulla, quæ vocatur Innouatio Constitutionum & Decretorum, non nisi Apostolicorum & ipsa censetur constitutio Bullaris solita exprimere sensus Pontificios auctoritate Apostolicâ roboratos, & certitudine fidei affectos; hæc eadem auctoritas Apostolica patet ex initio Bullæ, *in sollicitudine omnium Ecclesiarum*, quæ declaratur in ipso SS. Domino residere, propria scilicet solius Summi Pontificis in Sede Apostolicâ constituti, & potestatem habentis Apostoli Petri; expresè item signatur eadem auctoritas *in vniuersali cura Pastoralis Officij*, quæ paulò post ad hoc *sollicitudinem*, notatur. Tertiò eadem elucet dum edita narrat à Prædecessore eiusdem auctoritatis Sixto IV. necnon Paulo V. & Gregorio XV. & in se consimilem auctoritatem indigitat. Quartò id ipsum ostendit dum recursum ad se notat Ecclesiarum Hispaniæ, earumdem Præsulum, & ipsorum Regnorum Hispaniæ supplicationes, necnon inclinationes Regis Catholici ad sanctam Sedem Apostolicam. Quintò dum confirmat & innouat Constitutiones Sixti IV. Pauli V. & Gregorij XV. & alias Prædecessorum suorum ex auctoritate Apostolicâ editas, eadem auctoritate id agere profitetur. Sextò hoc ipsum ostendit se gerere dum declarat & præcipit sub pœnâ excommunicationis, & sub pœnis seruatis Summis Pontificibus præcipit; quo ostendit se Apostolicâ auctoritate id agere, nam similia non possunt agi nisi à sancta Sede Apostolicâ, & non nisi à Summâ Pontificiâ auctoritate Apostolicâ possunt prodiré. Septimò hoc patet, quia Prælatis inferioribus dat potestatem inquirendi & puniendi transgressores suorum dictorum. Octauò quia declarat, & præcipit non obstare alia mandata Pontificum. Et tandem Nonò liquet id, quia expresè supponit se hæc omnia egisse auctoritate Apostolicâ, dum subdit in vltimâ clausulâ. [Volumus & similiter eadem auctoritate decernimus.] Quæ certè auctoritas alia non est nisi Apostolica. Quare hæc expresè hîc habetur.

4. Vbi aduertendum quod valdè temerè, & erroneè quis diceret si non Hæreticè, quando assereret (vti in simili aliqui dixerunt) quod Summus Pontifex quæ hîc tradidit, non tradidisse dictâ auctoritate Apostolicâ, sed vt Doctor priuatus, quemadmodum olim id dixêre aliqui docti viri, qui post declarationem Gregorij XV. quod vouentes post biennium in Societate cum votis simplicibus, erant veri Religiosi ac professi, ausi sunt dicere hanc declarationem non fuisse editam auctoritate Pontificiâ, & à se non prodiisse nisi vt à Doctore priuato, non nisi quia hæc verba deerant, qui propterea declarati sunt in errorem, & magnam temeritatem doctrinæ incidisse. Verba Gregorij prima hæc fuêre in Bullâ *Quanto fructuosius*, sunt sequentia. [Ad hæc dictam Societatem firmo declarationis nostræ præsidio communire volentes, statuimus ac etiam decernimus, non modò eos qui in Coadjutorum formatorum, siue spiritualium, siue temporalium gradus & ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes & quoscumque qui in ipsa Societate admissi biennio probationis, & à quocumque peracto, tria vota prædicta, etsi simplicia emisserint, emittentque in futurum, verè & propriè Religiosos fuisse & esse, & vbique semper, & ab omnibus censeri & nominari debere, ac si in prædictorum Professorum numerum adscripti fuissent: præcipimúsque & interdicimus, ne quisquam scrupulum de hoc cuiquam iniicere, néve illud in controuersiam, dubium, vel suspicionem ponere audeat quoquo modo.] Hac editâ tamen Bullâ vt annui aliqui voluêre; nihilominus licet valdè stultè, quod hæc scripserit Pontifex, vt Doctor priuatus, quia scilicet non dixit se auctoritate Apostolicâ id statuere, id quod in sequenti Bullâ ipsemet Gregorius refert, quę incipit, *Ascendente Domino*, his verbis. [Non defuit temeraria quorumdam audacia qui post declarationem, decretum, præceptum, & interdictum nostrum huiusmodi, non solum multa ex prædictis, & fortasse alia ad Societatis institutum ac viuendi spectantia, labefactare, sed & ipsa Apostolica Decreta ac præcepta, publicè, & ex Cathedrâ, ausu temerario impugnare, mentémque nostram peruerse interpetrari non erubescant, disputantes, & prædicta in dubium reuocantes, omniaque ex aliorum Regularium Ordinum communibus rationibus, formis, ac statutis metientes. Societatis institutum peculiares constitutiones ac vim votorũ simplicium illius à Sede Apostolicâ in eadem Societatis Religione probata admissorum, penitùs ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quæ post illud successu temporum, huius Sedis auctoritate, approbatione, confirmatione, ac peculiaribus priuilegiis sancita, & corroborata esse dignoscuntur, peruersam interpetrantes, conuellere nituntur, quin etiam nos supradicta motu simili, & ex certâ scientiâ de Apostolicæ potestatis plenitudine decernentes ac præcipientes priuato sensu loquutos esse, ac tamquam priuatus Doctores errare potuisse, imò verè & de facto ob falsam eorum informationem errasse, ideóque præceptum nostrum ad obligandum

vim

vim habere. Neminem prætereà eorum qui solemnem professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore aut verè & propriè Religiosum esse & posse, sed eos merè seculares, ac Ordinariorum iurisdictioni subditos existere, nec Societatem ipsam, aut illius superiores, imo nec nos ius in eos vllum ex vi votorum huiusmodi habere vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse; non, considerantes voti solemnitatem solà Ecclesiæ constitutione inuentam esse, triaque huiusmodi vota, tametsi simplicia, & substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis verè constitui, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt; seque diuino seruitio se mancipant; In quibus votis nullus præter Romanum Pontificem potest manum apponere.] Et de his assertis deinde concludit. [Et vt contradicentium audacia coerceatur, præmissas omnes & quasvis alias similes assertiones contradictum Societatis institutum, vel quomodolibet in eius præiudicium pronunciatas aut scriptas, falsas omnino & temerarias esse & censeri debere.] Cum ergo in Bullâ nuperrimâ non ponatur directè terminus auctoritatis Apostolicæ, qui confirmet ex Pontificiâ potestate asserta in eâ, non propterea talia asserta non sunt dicenda vt certa de fide, vel secundum fidem, quia dum Pontifex vt sic Bullam fabricatus sit, & has assertiones, si non in actu signato, in actu certè exercito tradit ex Cathedrâ, & vt Pontifex est, nulla ratione potest dici quod ea vt Doctor priuatus promat, sicuti in narrato casu aliqui stultè egêre; Et rursum neque dici potest ea carere certitudine fidei, vel secundum fidem, quia quemadmodum temerario ausu supradicta de votis simplicibus Societatis in dubium reuocarentur, ità si asserta hîc à Pontifice vt à Magistro Ecclesiæ in dubium quis reuocaret, temerariè pronunciaret, temerariéque eis in dubium veritatem, & firmam certitudinem denegaret. Vnde constat apertè quamplura ex assertis in hac Bullâ, sibi vendicasse certitudinem fidei vel secundum fidem; & si quis contrà assereret, videretur omninò subdendus Sacrorum Inquisitorum Censuræ, & iustæ damnationi, vel hæresis, vel erroris, aut temeritatis; & tamquam suspectus saltem in fide esset habendus, tum propter allatas rationes, tum quia maximè frustraretur quæ hîc à Summo Pontifice absolutè declarata sunt & tradita, vt eius doctrinæ, quas docendi essent Ecclesia & fideles omnes, quibus per Bullam iniunctum est, vt insinuentur & publicentur per singulos Prædicatores vniuersi orbis: nam si doctrinæ traditæ hîc à Pontifice absolutissimè & eâ ratione quâ tradûtur firmissimè in Ecclesia, non haberent pódus & firmitatem certitudinis fidei, vel secundum fidem; possent à quolibet fideli negari atque adeò nihil in hac re egisset Pontifex, & sic frustraretur in hac Bullâ Immaculata Conceptio fauore, quo Pontifex dicit se & suos Prædecessores prosequutos fuisse: quæ omnia valdè impiè & erroneè, si non hæreticè, dicerentur.

15. Rursum decimò probatur Conclusio, quia assertiones Pontificiæ, quæ in hac Bullâ recensentur, saltem plures non sunt de genere eorum, quæ solùm vt probabiliter, vel magis probabiliter, sed vt certæ asseruntur à Pontifice, imò aliquæ sunt tales vt sufficiant ad damnandas vt erroneas propositiones, sibi contradicentes: ergò omninò eæ censendæ sunt de fide, vel secundum fidem certæ: nam supra maiorem probabilitatem non est nisi certitudo fidei, vel secundum fidem in assertis Pontificijs ab ipso datis vt certis. Quod autem complures, imò omnes assertiones absolutæ Pontificis in hac Bullâ non sunt ab eo traditæ merè vt probabiles, sed vt certæ, probatur, quia traduntur in iudicio contradictorio, & perconsequens definitiuæ, vel saltem vt definitiuæ recensitæ tradûtur: Id quod patet ex eo quod aliquibus ex ipsis Sixtus Quartus propositiones sibi oppositas vt erroneas declarauit; quare à se traditas quæ potuerunt inferre damnationem & absolutam falsitatem contrariam, omninò oportuit esse certas modo dicto, & eadem ratio est de præsentibus.

16. Vndecimò probatur Conclusio, quia si non essent certæ de fide, vel secundum fidem propositiones enunciatæ absolutè à Pontifice in hac Bulla, possent subesse falso, & inueniri falsæ: Impossibile autem videtur quod possint inueniri falsæ; nam quis dicere potest, posse dici falsum quod Ecclesia Romana, non celebrat Festum Conceptionis, & non celebret illud sub sensu Immaculatæ, & quod ea non ordinauit Officiũ Nugarolicũ, & similes.

[. Denique probatur Conclusio duodecimò quia si non essent certa quæ traduntur hîc à Pontifice, possent definiri vt veræ propositiones contrariæ, & perconsequens possent inueniri vt hæreticæ assertiones absolutè traditæ hic à Pontifice, quod nemo non videt quantum sit absurdum: vnde satis sit tantoperè probasse hanc veritatem omninò tenendam vt certam in hac vniuersalitate.

DIVISIO II.

An sit de fide, vel secundum fidem tenendum, sensum Immaculatæ Conceptionis esse antiquum in Ecclesiâ, & qualis & quanta hæc antiquitas intelligenda sit.

1. PRo certo habendum hunc sensũ fuisse in Ecclesiâ Dei antiquum; absolutè, & indubitanter traditur à Summo Pontifice, & vt habitum in antiquitate, declaratur hîc à Pontifice, qui expressè ait initio Bullæ. [Sanè vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sententium, eius animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratia & priuilegio intuitu meritorum Iesu Christi eius Filij humani generis Redemptoris, à maculâ peccati originalis præseruatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festiuitate m solemni ritu colentium & celebrantiũ. Sed quis dubitare potest an hæc veritas sit merè historialis & historialiter tradita à

Pontifice,& per conſequens incapax certitudinis fidei:nam non niſi ab humanis hiſtoriis videtur ea habita,nec aliundè potuiſſe conſtare ; quo poſito nullo modo videtur dicendum quod ſit hæc veritas facta certa de fide,vel certa ſecundum fidem, ea enim quæ in Bullis traduntur à Pontificibus vt habita ab ipſis per hiſtorias, numquam habita ſunt volita à Pontifice vt ſic certificata, & licet habeant ex dicto Pontificio magnam confirmationem, quia tamen ipſimet Pontifices ea non tradunt, neque tradere poſſunt ſub tali certitudine ,vt ſcilicet vt innixa infallibilibus principiis; proindè de illis controuerti non debet , an ſubſint eiuſmodi certitudini. Sic referuntur complura in aliquibus Bullis , quæ à Theologis ſæpè & doctis viris in dubium vertuntur , & contrarium ſæpè ab eis amplexatur, & firmatur eſſe dicendum. Sic in controuerſiam ponitur quod Diuus Iacobus Ioannis Frater in Hiſpaniam profectus , ibique moratus ſit,& fundauerit Hiſpanas Eccleſias. In quem ſenſum inclinat item Baronius præſertim ex eo quod in Actis Concilis Lateranenſis memoratur Rodericum Archiepiſcopum Tholetanum Compoſtellano oppoſuiſſe , fabuloſum eſſe aduentum S. Iacobi in Hiſpaniâ , tacente Compoſtellano ; nec non quod maius eſt , quia Innocentius Papa in Epiſtola ad Decennium , neminem Apoſtolorum ſcripſerit prædicauiſſe in Hiſpaniâ,ſed tantum eos,quos miſerit Sanctus Petrus ; & tandem contra auctores innumeroros & grauiſſimos quos citat integra pagina Biuanius anno Chriſti 36. & præſertim tres alij Pontifices indubitatum tradunt aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam , videlicet Innocentius III. in Bullâ de Tranſlatione S. Iacobi cum ſubſcriptione Cardinalium notata. Leo III. in litteris de eadem Tranſlatione quæ incipiunt ; *notat fraternitas veſtra.* Et Calixtus II. in Bullâ ſanctæ Dei Genitricis de Columna, & Biuarius de Innocentio I. tradit quod potuerit ignorare eiuſmodi aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam. Quare quæ ad Hiſtoriam pertinent , niſi concernant ad traditionem Apoſtolicam , etiam ſi tradantur abſolutè à Pontificibus & Conciliis, non inde cenſentur habere certitudinem fidei , vel talem quæ non poſſit ſubiici falſo ; nam non eſt materia talis certitudinis, hiſtoriæ materia, quantum eſt de ſe. Sic , licet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. de Inſtit Sacramenti Extremæ Vnctionis dixerit Epiſtolam Canonicam S. Iacobi fuiſſe Iacobi Minoris , de eâ inquiens. [Per Iacobum Apoſtolum ac Domini Fratrem,fidelibus commendatum, & promulgatum.] Scilicet Sacramentum dictum , & Iacobus frater Domini intelligitur Iacobus Alphæi vt dicitur ad Hæb.1.Tamen aliqui contendunt, hanc Epiſtolam ſine præiudicio certitudinis fidei in contrarium non eſſe Iacobi Minoris, & filij Alphæi , ſed Maioris, & fratris Sancti Ioannis Apoſtoli ; quia Conciliũ hoc non dixit in contradictorio iudicio & volens hanc veritatem ſtatuere & definire;vndè Biuarius anno Domini 37.n.6.ait. [Norant autem Theologi omnes nõ continere vim definitionis verba obiter à Conciliis dicta , cum de his non præceſſerit conſiliatio & diſputatio , & quod ſine prævio ſufficienti examine , nihil definiri poteſt.] Et probat ibi hanc veritatem non eſſe definitam , & inclinat cum validis rationibus & auctoritatibus ſenſui , quo velit Epiſtolam Iacobi Canonicam , non eſſe Iacobi Minoris , ſed Maioris , & fratris Sancti Ioannis Euangeliſtæ : Ex quo videtur confirmari quod dum Pontifex hîc pietatem fidelium circa Immaculatam Conceptionem aſſeuerat , non tradiderit hanc doctrinam vt de fide credendam , cum conſtet non omnia quæ in ſuis Bullis aſſerant Pontifices , de fide credenda tradant.

2. In contrariam verò obſtat quod quæ notat in hac antiquitate aſſeueratæ pietatis fidelium circa Immaculatæ Conceptionis ſenſum , non ſunt æſtimanda merè hiſtorialia , & obiecta merè naturalia , circa quæ non habet locum , nec habere poteſt certitudo fidei, quæ illi proueniat à dictis Pontificiis; ſed ea ſunt obiecta ſupernaturalia concernentia ad veram pietatem ſupernaturalem fidelium , & iudicium etiam ſupernaturale prudentiale eorum , quo æſtimauerint ſanctè & piè eſſe colendam Virginem vt Immaculatam in Conceptione ab antiquo tempore : in quibus etſi ſit immiſtum aliquod naturale præcedentis durationis temporis,in qua variæ generationes fidelium interuenerint ; Nihilominus obiectum principale iſtius aſſeuerationis ſupernaturalis eſt abſolutè ſupernaturale dignoſcendum , diſcutiendum , & iudicandum meritò à Summo Pontifice , circa quod rectè poteſt proferre iudicium definitiuum de ſuâ conditione , & qualitate : quemadmodum ſimile protulit Concilium Tridentinum de Proceſſione vſurpatâ ab Eccleſiâ per omnes Catholicas Ciuitates in Feſto Corporis Domini , quam de fide declarauit ſanctè & dignè exercitam : & apparet in aliis obiectis ſupernaturalibus ; ſuper quæ rectè cadit definitio , & certitudo fidei , licet ea ſoleant eſſe inuoluta cum aliquo naturali & humano. Quare quantum eſt ex hoc capite , quod pietas hæc declarata vt antiqua in fidelibus , videatur pertinere ad hiſtoriam , non facit quominus ipſa non poſſit venari certitudinem fidei ex aſſerto abſoluto Pontificio. Quare ſolùm videndum eſt ſi ex circumſtantiis reliquis poſſit conſtare quod de tali veritate Pontifex voluerit tradere iudicium , eam vt de fide certificans , vel ſolùm eam merè tradens vt aliquid licet ſupernaturale ſolum narratiuè & hiſtorialiter dictum, nec curans id fidelibus tradere vt certum , & præſertim de fide,vel ſecundum fidem certum, quod reſoluo ſequentibus dictis.

3. Dico ergo primò, quod quæ tradit circa hanc pietatem Pontifex , hîc non tradit vti ſolet in compluribus Bullis per modum narratiuæ ex aliorum dictis : ſed ex proprio ſenſu, & ſponte ſuâ tradito , quod perſpicuum eſt , quia non hæc habet afferens ſenſum aliorum , vel etiam communem , ſed ex ſe ipſo (vt verba clamant) de hac pietate pronunciauit; voluitque eam inſerere , & hanc antiquitatem pietatis fidelium ſignare : potuiſſet enim eam præterire , quemadmodum eam præterière antecedentes Pontifices , de quâ nullum verbum in tot Bullis protulêre : ex profeſſo autem eam voluit ſignare , quia eâ vti voluit vt

argu

argumento ad ostendendum rationabiliter se procedere ad certiorandum sensum hunc Immaculatæ eique fauendum, scilicet ex suâ antiquitate in Ecclesiâ, quæ potis est maximè eum confirmare; nam ex eâ & cæteris quæ præmittit de actis ab aliis Pontificibus, tandem concludit & statuit se velle fauere huic sensui, & declarare ibi posita, vt vidimus in declaratione Paragraphorum Bullæ, & præsertim quia notauit hanc pietatem, & cultum circa Immaculatam numquam fuisse ab antiquitate mutatum. Quare manifestè patet, non per modum narratiuæ ex aliorum sensu etiam à se approbato, sed ex se ipso & proprio motu ad dignum finem & destinatum scopum confirmandæ veritatis alterius, hæc protulisse circa pietatem & sensum antiquum fidelium deindè continuarunt circa Immaculatam.

4. Præter hæc Dico secundò, quod hanc antiquitatem pietatis, & sensûs Immaculati Conceptûs tradit Sanctissimus Dominus Alexander VII. vt eam vellet esse firmam, & certam apud fideles, id quod ostenditur, quia id quod traditur ad firmandum aliquid magis intentum, dum potest & ratio vt tradatur vt firmum, debet censeri ità tradi; sed hæc dicta & asserta sunt à Pontifice ad firmandum fauorem huic sensui, vt liquet, & firmitatem de se habet; ergo non nisi vt firma & certa ea tradita sunt. Maior patet, quia si non datur tale quid vt firmum, non erit aptum ad confirmandum, & per consequens tradetur vt quidem ineptum ad intentum, quod non est dicendum de quolibet sano modo discurrente; nedum de eo Pontifices sapientiæ supernaturalis Magistri: Minor itidem patet ex superiori dicto quoad primam partem, & quoad secundam dubitari non potest de veritate huius antiquitatis, cum ea probetur manifestis documentis vsque ad prima sæcula protendi, vt dicemus infrà.

5. Probatur item secundò, manifestè concluſum, quia Pontifex vtitur verbo, seu aduerbio *sanè*, quando primò asserit pietatem & sensum dictum fuisse in Ecclesiâ veterem; quod æquiualet aduerbio, *certè*, & est signum rei quæ indubitanter dicitur, & pro indubitato traditur aliis; sic Calepinus in verbo, seu aduerbio *Sanè*, ait. [Sanè aduerbium, quandoque affirmatiuè ponitur pro eo quod est certè, ità vt, ità, sanè, verò. Cicero ad Lentulum sanè molestè Pompeium id ferre constabat.] Firmat ergo hac particulâ Pontifex hanc enunciationem antiquitatis sensûs de Immaculatâ Conceptione, quando non eam merè enunciat, & affirmat dicens. [Vetus est pietas.] Sed addens. [Sanè vetus est pietas.] Cum aduerbio scilicet firmante propositionem & enunciationem.

6. Tertiò patet hæc firmitas quam dat huic enunciato Summus Pontifex, quia in eo tamquam in primo fundamento firmat certitudinem sensûs Immaculati Conceptûs Virginis, ante quod non aliud ponit, & super quod cætera superponit & superædificat: Nam incipiens agere de materiâ Conceptionis Deiparæ, non alio vtitur, neque aliud supponit fundamentum, vt patet in Bullâ in quâ in primâ periodo de sollicitudine sibi inserta, loquitur circa omnes particulares Ecclesias, & maximè circa vniuersalem & deindè statim incipit iaciendo hoc fundamentum pietatis fidelium cum sensu de Conceptione Virginis, sine originali: super hoc item fundamentum cetera addit, nam deindè loquitur de primo augmento tempore Sixti Quarti, huius pietatis, secundum hunc sensum, & tertio loco item superaddit supra ipsum secũdum augmentum ex actis Pontificiis in fauorem eius videlicet fundationis Religiosi Ordinis, & Confraternitatum, nec non ex Indulgentiis: Et quartò commemorat acta ad hanc pietatem fouendam, & remouenda impedimenta à Paulo V. & Gregorio XV. vndè tandem deuenit ad ea quæ ipse in hac deliberat constitutione. Quare ostendit se habere horum omnium veluti fundamentum, antiquam pietatem fidelium in hunc sensum ritè inclinantium, & in quem ab antiquo inclinauerunt, & vlterius perseuerauerunt. Quod fundamentum certè vt grande de se, æstimari solet in Ecclesiâ, & æstimatur maximè à Pontifice, cum ipsum ab eo assumatur ad dicta omnia fundanda & firmanda; nisi enim tale esset, non debuisset in eo vniuersa quæ in Bulla hac continentur, maximè fundare.

7. Quo secundo posito, Dico tertiò quod cum hæc veritas nullam habeat rationabilem contradictionem, & rectè fundet plures alias in hac materiâ, & de eius certitudine Pontifex & Ecclesia Romana sint valdè certi, cum eâ certitudine censendus est Pontifex eam pronunciare quam potuit, & conueniens fuit ei præstare. Probatur primò Concluſum quia ea etiam quæ vt certa habentur, & haberi debent in Ecclesiâ & certitudinis suæ habent solidum fundamentum, dum ea docentur fideles à Pontifice, & eis traduntur edisceuda; non potest neque debet ea ipse tradere, nec censendus est ea tradere sub minori certitudine, ea quæ potest & congruum est cadere super ipsis dum terminis habilibus talis certitudo exprimi videtur; sed hæc enunciatio dicta, ità traditur à Pontifice in hac Bullâ à fidelibus edisceuda, vt habeat solidum fundamentum suæ veritatis, & in Ecclesiâ est certa, vt paulò post patebit, & terminis habilibus traditur quibus ei possit conferri certitudo illa, quæ potest & conueniens est, quod ipsi detur à Pontifice: ergo hæc ipsa certitudo est illi tradita huic enunciationi, quod vetus pietas fuerit fidelium sentientium Virginem ab Originali præseruatam.

8. Probatur secundò Concluſio, quia si quæ tradit Pontifex per modum doctrinæ absolutè, non traderet sub certitudine conuenienti rei per dictam doctrinam traditæ, maneus esset & nutans eius sensus; & quæ docet Ecclesiam etiam absolutè, possent in controuersiam poni, & dubitari de eorum veritate: & magna esset confusio in receptione Bullarum, in quibus non posset internosci quid habendum sit vt certum, & indubitatum: & ipsa etiam principalia quæ docet Pontifex, nutarent an absoluta vel controuertibili firmitate essent habenda. Nam si dubitari potest de primo, omnia in dubitationem venirent: ne ergo hoc absurdum tam grande sequatur, pro firmo est habendum, quod posito quod absolutè aliqua tradantur à Pontificibus in Bullis

ad docendum vniuersam Ecclesiam, non sint subdita dubietati, & iuxta modum, iuxta quem traduntur, & valent ad imbuendos fideles de veritatibus supernaturalibus pertinentibus ad id quod est sentiendum, aut in cultu sacro obseruandum: censeri debent tradi iuxta congruam certitudinem, quæ debet haberi de eiusmodi sentiendis, vel colendis.

9. His positis, sit prima Conclusio Censendum est de fide tradi à Summo Pontifice Alexandro VII. vel saltem secundum fidem certam hanc veritatem de veteri pietate fidelium sentientium animam Beatæ Virginis in primo instanti suæ creationis & infusionis in corpus fuisse ab originali præseruatam immunem: quod est idem, ac sentientium Immaculatam Conceptionem Deiparæ.

10. Probatur Conclusio primò, quia potuit dari, & conueniens fuit dari huic propositioni hæc certitudo fidei, & sub terminis habilibus ei potest censeri præstita: ergo omninò censendum est ei datam hanc certitudinem, ac proindè hanc veritatem dictam pollere hac certitudine. Antec. patet ex dictis in discursibus antecedentibus, nam cum hæc veritas debuerit tradi vt fundamentum cæterorum de fide vel secundum fidem credendum, non debuit tradi vt minus certa alijs, quæ debet vt certa tradere, nihil enim incertum potest esse fundamentum certorum, vt liquet. Quare cum absolutè tradita sit, non est censenda tradita sub minori certitudine illa, quæ sibi conueniebat: conueniebat autem illa de fide tradi, quia alioqui non possent in ea fundari certa de fide, vel secundum fidem; ergo censenda est ei tradita talis certitudo.]

Secúda Conclusio. Pietas vetus quæ hîc cẽsetur à Pontifice asseruata, intelligenda est fuisse vetus dicta, cõparata cum tẽporibus Sixti. IV. Probatur Conclusio primò, quia in cõparatione ad ipsum, dicta est vetus pietas à Pontifice, dum dixit quod post veterem pietatem creuit numerus colentium Virginem in Conceptu Immaculatam, post commendatitias Constitutiones Sixti IV; sic enim ipse subdit in sua quasi narratiuâ, dicens. [Creuitque horum numerus, atque huiusmodi colentium cultus post editas à fœl. recorda. Sixto PP. IV. præd ecessore nostro in eius commendationem Apostoli eas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innouauit, & obseruari mandauit.]

11. Probatur secundò, quia per vniuersam Ecclesiam scitur quod hic cultus incœperit per plura sæcula ante statum, in fine saltem decimi sæculi, vel initio vndecimi, provt latè vidimus in nostro primo Opusculo: ergo dum Pontifex hanc pietatem veterem esse asseuerat, debet intelligi loquutus de antiquitate illa iam nota apud fideles, quæ saltem ad hæc vsque tempora extenditur. Quod confirmatur, quia, dixit. [Sanè vetus est pietas.] Vbi verbum *Sanè*, ostendit rem apertam esse, provt vidimus in præcedentibus confirmationibus Immaculatæ. Quæ conclusio. magis patebit ex Quæstione Octauâ.

12. Tertia. Conclusio. Hæc antiquitas pietatis cultûs Virginis Conceptæ sine macula æstimanda est extensa hîc à Pontifice ad tempora vicina Apostolis, ad sæculum videlicet quartum post Christum natum.]

Probatur Conclusio apertè, quia ad ea tẽpora extẽdenda est antiquitas huius cultûs, quæ verè fuit in Ecclesiâ Catholicâ, & notum fuit doctis viris quod fuerit in ea, non enim cẽsendum est quod Pontifex ignorauerit id quod in libris communiter inter manus omnium vulgatis inuenitur; vel quod etiam si viderit antiquitatem esse maiorem, loquutus fuerit, vel voluerit loqui de minori: nam gratis hoc diceretur, & parum piè, quasi verò sine rationabili causâ antiquitatem huius cultûs voluerit restringere ad tempora recentiora: sed certum est ad dicta tempora circiter extensam fuisse pietatem, & cultum fidelium erga Virginem immaculatè Conceptam: ergo de tali pietate ad tantam antiquitatem protensâ, censendus est Pontifex loquutus. Maior habet suam probationem adiunctam, vt Lectori pater. Minor est à nobis in primo Opusculo demõstrata, & patet ex eo quod Ecclesia Græca Conceptionem Virginis sine maculâ coluit, vt aduertit & pronunciauit Suarez. 3. p. tom. 2. disp. 3 sec... vt ipse ait ante mille annos, & latè ostẽdit Neribergh, Velasquez, & Vega, vt ibidem notaui adducens Fratrem Dominicanum Franciscum Combefis qui transtulit è Græcy in Latinum varias Odes vsurpari solitas in Ecclesia Græcâ de Virgine Immaculatè Conceptâ, & notat tempore Andreæ Cretensis, qui floruit quinto sæculo, & prius ipso, hoc Festum celebratum fuisse. Quo respondetur dubio Salazarij cap. 35. qui voluit Festum hoc non habere tantam antiquitatem, quia ait nulla oratio inuenitur apud Patres Græcos de hoc festo ante Leonem Imperatorem, qui regnauit circa nonum sæculum: nam ipse non vidit has translationes & auctoritates seruatas in Menæis Græcis, & Ritualibus Græcorum; Quod autem Sancti Patres Græci non inueniantur frequentissimi in hoc Festo celebrando, nihil obest, nam vel hoc Festum celebrauerant dum de Natiuitate eius egerunt, & simul cum ea, vel non in totâ Græciâ hoc Festum celebratum est, provt alibi notamus.

DIVISIO III.

An sit de fide, vel secundum fidem certum, Summos Pontifices fauere cum Ecclesiâ Romanâ Immaculatæ Conceptionis sententiæ, & quâ ratione constet non fauere sententiæ oppositæ.

1 ESSE de fide vel secundum fidem certum, Ecclesiam Romanam, & Romanos, Summosque Pontifices fauere sensui Immaculati Conceptûs, videtur constare expressè ex hac Bullâ, & ità censendum esse ex paritate præcedentium dictorum videtur liquere; nam dum decernitur & declaratur hîc secundum hunc sensum, Ecclesiam Romanam celebrare Festum Conceptionis,

ceptionis, ei certè omninò fauere manifestum est, cum præsertim etiam temeritatis arguit expresè Pontifex eos qui hunc fauorem ei præstitum ab Ecclesiâ Romanâ negant. Nam notat audaciam Aduersariorum qui pergunt impugnare & vellicare sententiam de Immaculatâ, & subdit. [Imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ & cultui iuxta illam Beatæ Virgini exhibito fauere negant pios Christi fideles, è suâ pacificâ possessione deturbare conando.] Vndè Aduersarios notat vt iniustos perturbatores eorum pietatis, ex hoc quod Ecclesiam Romanam suo sensui fauere negent. Quare patet apertè statui hîc à Summo Pontifice vt certum quod Ecclesia Romana fauet sententiæ de Immaculatâ. Quod autem Summi Pontifices eidem faueant, patet ex dicendis de Religioso Ordine, & Confraternitatibus declaratis erectis hoc nomine, nec non ex Indulgentiis & aliis supradictis, & tandem quia expresè explicat se velle fauere huic sententiæ, & rursum voluisse fauere suos Prædecessores, & præsertim Sixtum IV. Paulum V. & Gregorium XIII. Vndè ait. [Volentes laudabili huic pietati, & deuotioni, & Festo secundum illam (scilicet sententiam de Immaculatâ Conceptione) exhibito, in Ecclesiâ Romanâ post illius institutionem (scilicet Officij Nugarolici) numquam immutato Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo fauere.] Et deindè. [Nec non tueri pietatem & deuotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præuenientem scilicet Spiritûs sancti gratiâ à peccato originali præseruatam.] Et tandem. [Decreta edita in fauorem sententiæ asserentis animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione & infusione in corpus Spiritûs sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præseruatam, nec non in fauorem Festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus & sub censuris ea obseruari mandamus.] Quo nihil clarius, cum etiam ante & post hæc verba, idem fauor Pontificius huic sententiæ præstitus liqueat apertissimè, nec pluribus sine superfluitate sit demonstrandus. Vndè dubitari non potest positis similibus prædictis quod de fide, vel secundum fidem, certus maneat hic fauor Pontificius erga sententiam emaculantem Deiparam ab originali in suâ Conceptione. Quo supposito, id quod hîc aduertendum est, & pro certo item notandum, quod huiusmodi fauor nec æqualis, nec in aliquo gradu etiam minimus concessus est sententiæ oppositæ: eaque est dicenda absolutissimè destituta omni fauore, gratiâ, inclinatione, propensione, & quocunque genere fulcimenti Pontificis: quod primò ostenditur, quia nihil ex prædictis fauoribus collatum est eiusmodi sententiæ non dictæ complexatæ à veteri pietate fidelium; non auctæ in honore & plausu fidelium per Constitutionem Sixti IV. aut alterius Pontificis; non iterum auctæ per confirmationem Religionis, Confraternitatum, & Indulgentiarum concessarum in eius fauorem; non declaratæ vt celebriorum Academiarum, nec omnium item ferè Catholicorum; non vt propriè Ecclesiæ Romanæ; non nobiliter promulgatæ & confirmatæ per Offi. cium Nugarolicum; nec item declaratæ vt amplexatæ ab Vniuersâ Ecclesiâ in cultu, & celebritate publicâ; non dictæ piæ, vt pia dicta est sententia de Immaculatâ, & sic de similibus: quare ad euidentiam constat eam nullo esse fauore Pontificio protectam.

2. Quo secundo patere potest à Sixto IV. & deinceps semper magis & magis fuisse à Pontificibus depressam. Primò propter exaltationem supra ipsam sententiæ de Immaculatâ traditæ cultui Romanæ Ecclesiæ per sui & cum sui exclusione; numquam enim Ecclesia Romana illam admisit in cultu publico, imò neque vnquam in priuato. Secundò depressit, quia censuram ipsius non notauit erroris in intellectu, sicuti notauit censuram Immaculatæ. Tertiò depressa fuit, quia etsi Sixtus idem in primâ Extrauagante prohibuit scripta contra ipsam, sicuti contra sententiam de Immaculatâ, tamen in secundâ Extrauagante quæ fuit Vniuersalis per totum orbem, nam prior ad partes Lombardiæ fuit directa, prohibuit mere scriptas censuras contra sententiam de Immaculatâ, non verò prædictas ore contra ipsam. Quartò fuit depressa per Bullam Alexandri VI. cum renouatione priorum depressionum, additis aliquibus propositionibus eius vt erroneis declaratis Quintò depressa per innumeras Indulgentias celebrantibus secundum nostram sententiam concessas ab Innocentio VIII. Leone X. & aliis Pontificibus, numquam secundum istam Immaculatam Conceptionem, licet deindè sanctificatam colentibus. Sextò depressa item maximè fuit per decretum Pauli V. & reiecta à publicis Conuentibus, etiam à priuatis colloquiis à Gregorio XV. & Octauò in his omnibus depressionibus, confirmata & aucta omnibus modis à Sanctissimo Alexandro VII.

3. Ex quibus omnibus constat apertissimè summopere fuisse sententiæ de Immaculatâ Summos Pontifices, & ità fuisse, vt non solùm eam prosequuti sint magno fauore, sed in eius fauore summopere depressisse sententiam oppositam: ità vt non solùm certus sit secundum fidem, vel de fide, hic eorum fauor erga ipsam, sed etiam vel de fide, vel secundum fidem videatur certus esse, vt ita dicam disfauor seu despressio, humiliatio, seu abiectio, & hoccipensio contrariæ sententiæ; quia primò dum sua æmula vt ità dicatur, sententia de Immaculatâ, tantum in honore assurrexit in eius comparatione, vt eam veluti Reginam debeat venerari & suspicere ipsa veluti serua. Ex hoc solo maximè apparet à Pontificibus depressa & abiecta; & rursum secundò vehementius videtur in statum summæ exultationis proiecta, si non extra Theologicos & fidei fines, saltem in confinium Catholicissimi ita redacta est, vt vna alia facili proiectione se videat à similibus Catholicis extramissa: nam non solum abore & auribus, & oculis omnibus cogitur exulare, ita vt nullibi proferatur, audiatur, vel etiam legatur in libris à Paulo V. & deinceps editis; sed de eâ iam à sanctissimo Alexandro prohibita sit, etiam in angulis & claustris Religiosæ Familiæ loqui, sicuti prius de ea priuatim agi poterat vt acceptata & re-

tentâ

tenta ab vno aliquo, qui eam se tenere diceret, in vltimum exilium est amandata; nam cum opposita de Immaculatâ nullo excogitabili modo possit contradici, & ipsa voce aut scripto proferri, qui enim ei se adhærere diceret, certè aliquo modo ei contradiceret, quod prohibitum modò est dici vel scribi sub pœnâ excommunicationis à Sanctissimo Alexandro, non apparet quomodo magis possit exulare. Quod genus depressionis alicuius sententiæ extra censuratas, nulli sententiæ inter Catholicos scitur conuenire, neque vmquam conuenisse: Quare cum tam graui & grandi depressione sit à Pontificibus omninò exclusa ab altari, & Officijs Diuinis vniuersaliter sub pœnâ mortalis peccati, vt videbimus, & à sensibilitate & sui manifestatione facta inter fideles prorsus extorris; & tanta depressio nulli vnquam sententiæ etiam improbabili in Ecclesiâ sit facta, iam liquet quanto fauore prosequuti sint Pontifices sententiam de Immaculata, quam solùm voluntr acceptari, promulgari, prædicari, recipi, amplecti, vsurpari, nominari, laudari, extolli, & modis omnibus decorari, plaudi, & summis gratijs prosequi. Vndè mille modis patet Pontifices summè fauere huic sententiæ, & qui huic propositioni contradiceret, vel hæreticè vel erroneè obloqui existimandus est.

4. His positis, vlterius dico quod ità æstimandi sunt Pontifices fauere huic sententiæ de Immaculatâ Conceptione Deiparæ, vt contrariam nullo vmquam fauore sint prosequuti.

Probatur Conclusio apertissimè ex tot depressionibus, & quia si aliquis fauor ei præstitus posset dici, is alius non esset nisi quod permissus fuerit eius sensus, ità vt non sit exterius damnandus, & cuilibet permittatur eum retinere; sed hic nullus est fauor, ergo nullus est ei fauor præstitus à Pontificibus. Maior patet, quia nullus alius potest assignari.

Quod autem hîc sit nullus; provt dicitur in Minori, patet, quia scimus Pontificem aliquando aliqua permittere, & præcipere, non prohiberi, neque damnari, quæ alioquì damnanda essent propter peculiares causas. Sic Iudæis sua celebrantibus festa, nec non seruandi suos ritus, & prohibuit quemquam in hoc eos molestare, & rursum præcepit veteres Synagogas eis concedi, & fuerunt rædificari. Sic Decretalium de Iudæis tit. 6. cap. *Iudæi*, dicitur. [Sicut legalis deffinitio Iudæos, nouas non patitur erigere Synagogas, ita eos sine inquietudine veteres habere permittit.] Et cap. *consulit*, ibidem. [Iudæos de nouo construere Synagogas vbi non habuerint, pati non debes; verùm si antiquæ corruerint vel ruinam minantur, vt eas rædificent, potest æquanimiter tolerari.] Et paulò post. [. Qui vtique hoc pro magno debent habere, quod in veteribus Synagogis, & suis obseruantiis toletantur.] Et alibi liberam prorsus facultatem dat seruandi suas obseruantias, nec propterea eis dici potest fauere vllâ ratione. Sic ante decisionem hæreticæ sententiæ Arrij, toties permissæ sunt in Concilijs à suis assectis teneri, defendi, & probari, provt aliàs ostendimus adducendo Conciliorum acta aduersus Arrium, & Nestorium. Et eodem tempore vt scitur, eas hæreticas æstimari in ijsdem Conuentibus. Sic item aliàs vidimus à Nicolao Pontifice quamdam sententiam Archiepiscopo Binonensi vt hæreticam tradi & pro hæreticâ ab eo declaranda, & tamen Pius II. deinde re vniuersaliter non decisâ, prohibuit ne quis eam censuraret. Quare, nolle vnâ sententiam damnari & eius opinandi facultatem relinquere, provt olim permissum est à Pontificibus, non est aliquis positiuus fauor qui eam approbat, sed solum qui non tantumdem quantum posset fortè non reprobat, nec reprobari vult, non quia falsitatem in eâ non agnoscit, sed quia tantâ certitudine eam non agnoscit pollere qua sit illa fidei, aut ex aliâ iustâ causâ, & si agnoscit, non vult damnare, provt egit tanto tempore ferè per quatuordecim sæcula in quibus non damnauit sensum processionis Spiritûs sancti à solo Patre, etiam si in Symbolo Atanasij id ex fide profiteretur dicens. [Hæc est fides Catholica quam nisi quisque firmiter fideliterque crediderit, saluus esse non poterit.] Id quod etiam valuit in alijs multis, vti benè notat Neribergh.

5. Probatur secundò Conclusio, quia licèt alij Pontifices aliquando hanc sententiam visi sint aliquo modo defendere, ea defensio alia non fuit, nisi eam non damnare, vel non multum quantum potuissent eam deprimere, quod nullâ ratione debet dici quod ab eis fauorem habuerit. Id quod patet primò in Sixto IV. qui in duabus Extrauagantibus nihil pro eâ scripsit, nisi eam non censurâ damnandam & permittendam opinantibus; quod concessum est, vt eam vidimus sententijs absurdissimis & censurâ dignis. Similiter Alexander VII. confirmans Bullam Sixti IV. secundū *Grauè nimis*, nihil fauoris ei præstitit. Quod idem dicendum est de Pio V. & eius, Bullâ, nec non de Paulo V. Et Gregorio XV. quorum primus prohibuit omnem publicum, & secundus priuatum sermonem de maculatâ Conceptione: nam etsi eam sententiam professi sunt relinquere in eo statu, & terminis, in quibus tunc temporis inueniebatur; id est cum eâ probabilitate vel improbabilitate quam haberent: non propterea ei vlla ratione fauere; sed solum declarauêre non damnati ipsam per sermonem eius sic prohibitum, sicut posset existimari: Vndè cum viderimus quod non propterea ei fauor factus sit; patet manifestè quod nullo modo eiusmodi Pontifices ei fauêre. Vndè benè Neribegrh cap. 27. de sanctitate instituti Festi Conceptionis dixit. [Prætercà si quid fauet Sixtus sententiæ affirmatiuæ, fauor est.]

Id quode onfirmatur quia expressè declarauerunt non absolutè illi nullum præiudicium fecisse, sed nullum præter illud quod ipsi obueniebat ex dispositis, videlicet ex vetitâ propalatione sensûs maculantis Dei Genitricem, tum publicâ, cum priuatâ, quarum propalationum prohibitio negari non potest, quod dum hæc sententia parum probabilis fuisset, ex hoc ipso solo relinqui posset vt improbabilis: & si erat improbabilis creuit in improbabilitate per plurimos gradus. Prohibitio enim expressionis vnius sententiæ in Ecclesia, nulla vmquam extitit nisi sententiarum

tiarum omninò ab eo explodendam, dum altera, opposita præsertim, liberè vagari per omnium ora concederetur, & opposita silentij cancellis obtruderetur.

7. Confirmat hæc dicta de præiudicio non facto sententiæ maculanti Virginem in instanti Conceptionis, quod non fuerit fauor factus ipsi quod habet Neribergh, lib. de perpetuo obiecto Festi Conceptionis, cap. 23. in fine, scilicet. [Deinde ipsa decreti materia mentem explicat Pontificis, & quid intelligat nomine præiudicij. Agit enim, Summus Pontifex in prædicto decreto de sententiâ affirmatiuâ, quatenus opinio quædam est, & quam quis licitè potest amplecti, dū Ecclesia Romana aliud non disponit. Præiudiciū autem opinionis quatenus opinio est, nullum aliud esse potest quàm damnatio, aut alicuius censuræ inustio, vt si declaretur hæretica, erronea, temeraria &c. aut eius assensus prohibeatur: hæc enim si fiant, præiudicium infertur opinioni, cum iam desinat esse opinio, & statum prorsus mutet. Cum ergo Pontifex dixit se non intendere suo decreto vllum sententiæ affirmatiuæ præiudicium inferre, de his numeratis præiudiciis loquitur, non de aliis quæ cum tolerantiâ opinionis competi possunt, & ob iustas causas inferri, adhuc non prohibitâ, neque damnatâ opinione, vt sunt silentium publicè & priuatim, & quod omnes in Diuino Officio non vtantur alio nomine, quàm Conceptionis. Iam si attendamus ad vim & proprietatem vocis *præiudicium*, præiudicare est ante tempus iudicare, seu ante sententiam inferre illud damnum, quod non potest nisi per sententiam inferri; Vndè præiudicium propriè dictum importat læsionem iuris alieni, neque quocunque damno præiudicamus alicui, sed dumtaxat quod contra ius eius inferimus: nam si merito aut iure infertur, incommodum quidem, seu damnum erit, nō præiudicium, nisi laxiori, & impropria significatione. Voluit igitur Pontifex ne opinio affirmatiua dānata dicatur, aut eius assensus prohibitus, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica sit definitus, vel per sanctitatem suam & Sedem Apost. aluer sit ordinatum. Adhuc ad Greg. spectantia tangemus vbi de Innocētio X. sermonē instituemus.]

8. Et rursum hoc ipsum confirmatur ex iis quæ scripsit lib. de sanctitate instituti Festi Conceptionis §. 27. in hæc verba. [Tandem ne putent Aduersarij extraordinarium aliquod priuilegium his concessum per prædictam clausulam, placet admemorare quæ de his verbis sine præiudicio, adnotant periti Iuris Pontificij, neque enim sunt extraordinaria verba, sed quæ etiam si taceantur solent supponi expressa. Nam subintelligitur hæc clausula in omnibus concessionibus quando potest stare cum principali dispositione, Seraphin. decis. 398. num. 18. Menoch. consil. 1033. num. 21. & sic in qualibet gratia Papæ. Laynes in regul. de iur. quæ sit non tollend. quæst. 1. in princip. & fuit dictum Pampilonens. sepulturæ 10. Nouembris 168. coram Gregorio X V. inter eius decisiones impressas, decis. 383. num. 2. quæ etiam reperitur impressa per Farinac. decis. 226. num. 1. part. 2. recent. Principis enim gratia semper intelligitur sine alterius iniuria l. 2. §. *si quis à Principe* ff. *ne quid in loco publico*, cap. *super eo* de offic. de legat. Dec. Consil. 15. n. 4. & in quolibet rescripto provt signanter in clausula, *sine præiudicio iuris alieni*, agentes concludunt Rot. decis. 21. num. 5. de Præbend. & in Burgen de Aroyo vlt. Ianuarij 1594. coram Litâ. Semper tamen intelligi debet de alio præiudicio quam expresso, vt per Oldrad. consil. 53. in fine. Paris consil. 70. num. 12. lib. 1. Gabr. consil. 151. num. 29. & seq. Theodos. de Rub. de clauſ. 754. num. 9. Verall. decis. 7. in fin. de iur. patron, & alij plures, quos congerit Barbos. tractat. de clausul. vsu frequen. clauſ. 157.]

9. Vbi benè notatur quod Gregorius X V. hoc præiudicium negauit factum sententiæ in hac re affirmatiuæ, quod ad silentium illi impositum, non verò in eo quod vetuit aliud vsurpari nomen ab illo Conceptionis: clausula enim illa præiudicij non præstiti, fuit opposita ante mandatum de non vsurpando alio nomine, nec post illud repetitum, vel intellectum, vt malè contendunt Aduersarij, provt refert idem Neribergh, de perpetuo Festo cap. 23. citato, qui ait. [Cæterum, nescio an audacia vel inconsideratione Aduersariorum fuerit illud de præiudicio non inferendo affirmatiuæ opinioni, pronunciatum in decreto Gregoriano, postquam præcepisset in Diuino Officio non alio quàm Conceptionis nomine vti: quod omninò falsum est, cum post hoc secundum præceptum, nihil eiusmodi dicatur, sed solùm post illud præceptum primum, ne in sermonibus & scriptis priuatis audeant asserere quod Beatissima Virgo Maria fuerit concepta in peccato originali, nec alia amplius opus erat responsione ad Aduersarios, quàm fraudem esse, aut deceptionem, quod assumunt.]

10. Probatur item tertiò Conclusio, quia exindè à primis Bullis Summi Pontifices præiudicarunt quàm maximè sententiæ quæ maculam culpæ impingit Deiparæ. Nam vetantes ipsam & oppositam censurari, diuersissimas huius rei causas assignauêre; notantes scilicet censuram Immaculatæ vt contrariam Ecclesiæ, eique iniuriosam, & hæresi proximam; contra verò censuran sententiæ affirmantis maculam in Virgine non prædicarunt Ecclesiæ contumelioſam, sed inobedientem & veluti sibi vsurpantem Officium eius, & præiudicantem; id quod iudicare spectat ad Ecclesiam. Nam ideò ait non est censuranda sententia de Conceptu maculato Deiparæ, quia ea ab Ecclesia non est damnata; contra verò censuranda non est vllo modo sententia emaculans Virginem, quia hæc censura esset erronea & contra celebrationem vsurpatam legitimè, sanctè, & veraciter ab Ecclesia Romana & Catholica. Quo benè quadrat id quod in hac re scripsit Doctissimus vir supra citatus Neribergh, qui ait de sanctitate instituti Festi Conceptionis §. 27. [Non otiosè Pōtifex eiusdem prohibitionis diuersas causas reddit, cum posset eandem. Sane, si ad seruandam vtriusque sententiæ probabilitatem, decreta sua direxisset, opportunum erat cum prohibet vtramque dici hæreticam, rationem reddere, quia vtraque est probabilis optimamque prohibitionis causam assignas-

ſet. At ab ea abſtinuit, nempe quia eo fauore non eſt dignatus affirmatiuam, & ampliori voluit negatiuam honorare; rurſum poſſet etiam prohibere ne quis aliquam ex his ſententijs dicat hæreticam, quia neutra eſt ab Eccleſiâ damnata, & hac etiam ratione vno verbo conuenientem reddidiſſet prohibitionis cauſam. Cur ergo ad diuerſas recurrit? Nempe vt intelligamus quantum poſt inſtitutionem Feſti, excellat ſententia negans affirmantem; hæc enim tantum non eſt dicenda hæretica, quia id Eccleſia non declarauit; illa verò non propterea dumtaxat, ſed maximè quia licet eam Eccleſia non definierit, approbat tamen & commendat, dum de Conceptione Immaculata (quam ipſa defendit) Feſtum celebrat. Hoc honore (quo caret oppoſita) adeò euecta eſt, vt qui eam damnauerit, damnare videatur Eccleſiam Romanam; Siquidem reprehendit quod ipſa colit; At qui damnat affirmatiuam, non propterea Eccleſiam ipſam reprehendit. Certè quamuis vterque in Eccleſiæ iure peccet; diuerſo tamen crimine: ille enim qui negatiuam damnat, eadem notâ iudicium & mentem Eccleſiæ quodam modo aſpergit, quaſi colat rem cultu dignam, qui verò affirmatiuam, reus dumtaxat eſt vſurpati iudicij & auctoritatis, & violati præcepti prohibentis cenſuram, ante Eccleſiæ declarationem.

11. Et rurſum benè ſubdit paulò poſt. [Atque in hac verborum differentia, quibus vtitur Pontifex, neſcio quid latet læti auſpicij pro negante ſententia; neſcio quid triſtis omninò contra affirmantem, ſi res ad deciſionem veniant. Diuerſæ enim cauſæ, quas reddit Pontifex non obſcurè innuunt, quamuis ambæ ſententiæ æquales ſint, quod attinet ad actualem damnationem, quia videlicet neutra eſt ab Eccleſia damnata, tamen toto cœlo diſtare, ſi damnabilitas (vt ita dicamus) ſpectetur. Ratio enim cur Pontifex prohibet, ne à quoquam dicatur hæretica ſententia affirmans, ſolum vim habet reſpectu priuati cuiuſquam, non verò reſpectu Eccleſiæ. Nam quod Eccleſia adhuc aliquid non damnauerit, rectè quidem probat non eſſe à priuatis damnandum; non verò non poſſe deinceps ab Eccleſia damnari. At ratio cur Pontifex prohibet ſententiam negatiuam, hæreſeos labe notari, & in priuatis, & in ipſa Eccleſia vim ſuam exercet, nempè celebratio de Immaculata Conceptione. Nam ſi à quoquam non debet ſententia negans affici cenſura hæreſis, quia Eccleſia celebrat Feſtum Conceptionis; propter eamdem rationem non debet ab ipſa Eccleſia, ſicut enim priuatus cenſura ſua non ſolam opinionem, ſed Eccleſiam ipſam læderet, notans eius iudicium, & mentem, quaſi erret celebrans ſubiectum opinionis hæreticæ, ità, imò & multo magis Eccleſia ſe ipſam notaret, ſi hæreticum declararet, quod ipſa ſolemniter coluit. In hoc ergo euentu magis læderetur auctoritas Eccleſiæ, quàm ex cenſura priuatorum, & tamen hæc meritò prohibetur à Sixto, non alia de cauſa niſi quia Romana Eccleſia de Conceptione publicè Feſtum & ſolemniter celebrat. Magnum ergo pignus dedit nobis Pontifex his verbis, vt ſperemus, ſi cauſa decidatur, pro negatiua ſententia decernendum, neque contrarium timeamus. Propterea multi ſunt, qui aſſerant affirmatiuam ſententiam non eſſe definibilem de fide, de quo alibi. Nos illud non dubitamus noſtram proximiorem eſſe definitioni. Itaque pia ſententia quamuis adhuc terram id eſt firmitatem fidei non attigit; tamen in portu nauigat: altera in alto iactatur fluctibus obnoxia; ſed de his ſatis; ſolum enim in præſenti noſtra intereſt oſtendiſſe ex decreto Pontificio minimè concludi probabilitatem affirmatiuæ ſententiæ.

12. Probatur quartò Concluſio, quia ſi quis fauor videtur factus ſententiæ de macula Conceptionis Virginis à Summis Pontificibus, is non poteſt eſſe alius niſi quia illam vocauêre opinionem, & permiſerunt illam poſſe à fidelibus opinari: ſed hæc permiſſio ad aliud non tetendit, niſi vt ipſi fideles & docti viri falſitatem eius ex ſe ipſis agnoſcerent, & vltrò venirent in ſententiam piam, prout aliàs Eccleſia egit, & euentus ipſe comprobauit: ergo nulla ratione dicendi ſunt Pontifices fauiſſe vnquam tali ſententiæ. Maior argumenti patet, quia ipſi Aduerſarij in hoc ipſo fundantur, vt latè videri poteſt in Anonymorum dictis, & præſertim in Neribergh de ſanctitate inſtituti Feſti 29. Minor probatur quoad primum, quia nomen opinionis datur etiam ſententijs damnatis paſſim ab Auctoribus & Pontificibus, & ſic nominari ſolent opiniones hæreticæ & erroneæ, & abſolutæ, item opiniones quæ non ſunt probabiles, & ſæpè cenſura dignæ, ſic in priore Extrauagante *Grauè nimis*, Sixtus habuit, [Huiuſmodi per nos ſic reprobatas & damnatas aſſertiones & opiniones.] Et Innocentius decimus varias opiniones damnabiles nomine opinionis tradidit in conſtitutione aduerſus quinque propoſitiones damnabiles, teſte Neribergh loco citato. Permiſſionem item opinandi pro parte affirmatiua maculæ in Dei Parente nullum fuiſſe fauorem, & merè factam eſſe; vt cognoſceretur eius falſitas pedetentim in Eccleſia, ex eo conſtat quia id ipſum fecit Eccleſia in aliis controuerſiis per longum tempus, & communiter in hæreſibus ipſis ante deciſionem, hanc permiſſionem adhibuit. Quare optimè credi poteſt quod ex hac eadem cauſa id permiſerit Sixtus IV. præſertim in eo Bullore eorum plurium eo tempore Doctorum, qui erant in ſententia affirmante, & oſtenditur, quia non eſt credibile quod eo tempore dum Sixtus IV. auctoritate Apoſtolica declarauerat dignum & debitum eſſe reddere Deo gratias pro Immaculata Dei Parentis Conceptione, putauiſſet probabiliter in hoc ſenſu intercedere, vel intercedere poſſe falſitatem: dum ergo ij & alij Pontifices conceſsêre opinari in vtramque partem, non id egerunt, quia dubitauerunt de rei veritate, ſed vt hæc ipſa veritas paulatim ſe manifeſtaret ipſismet aduerſantibus, prout de facto contigiſſe videmus, nam ex eo tempore ſenſus maculatæ Conceptionis cepit notabiliter decreſcere, vt in Bulla Sanctiſſimi Alexandri nupera planè aduertitur. Vndè videmus iam pauciſſimis & ferè nullis reſpectu totius Eccleſiæ exceptis, in pium verum ſenſum inclinauiſſe omni certitudine

aſſenſûs

assensus extra illum fidei, de quo expectatur iudicium Summi Pontificis omnibus votis: non potuerunt autem dubitare de veritate rei, Pontifices, tum quia securi erant de assistentiâ Spiritûs sancti, tum etiam quia adhibitâ omni diligentiâ, controuersia hæc discussa fuerat à Sixto IV. conuocatis Romam ex Italiâ vniuersis Doctoribus viris, tum quia rationes pro Aduersariorum sententiæ, non erant aliæ à discussis, & nullis reputatis à conuentu Doctorum à Summo Pontifice vocatorum, cui non erat æstimandum quod Spiritus sanctus sufficienter non assisterit, quin in quantum ex eo dirigebatur Pontifex legitimè non siuerit illum errare.

13. Quod autem prudentissimè sancta Romana Ecclesia tempore Sixti, opinandi sensum contra Immaculatam siuerit, ex eo fine, quod Populi, & Doctores contrarij falsum suum sensum cognoscerent; ex eo etiam videtur liquere, quia ex multo tempore in Ecclesiâ habetur sensus, quod sensim sine sensu veritas hæc indubia insinuaretur in mentibus fidelium, & falsitas consequenter oppositæ sententiæ agnosceretur; Vndè Salazarius in præfatione citatâ, hoc expectandum fuisse refert ex sententiâ aliquorum pro ipsismet Aduersariis, imo ex ipsis Aduersariis fatentibus, quod quidem ipse non approbat pro aliquibus ex ipsis. Verba eius licet recitare quæ sunt sequentia. [Sed instant adhuc Aduersarij, & tot ictibus nec dum enecti, vel ideò iam vacandum cessandúmque simul esse dicunt, quia inter ipsos non pauci ad communem Ecclesiæ sensum sese transferunt, atque adeò sperandum omninò esse dicunt, vt alij aliorum exemplo ducti, sententiam quam hactenus obstinato animo propugnarunt, omnes denique deserant, & ad pium dogma manibus, & pedibus se recipiant: ac sic demũ fiet vt victoriam quasi ex deiectione Aduersarij sine cæde, & sine sanguine satis gloriosè consequantur.] Et benè Pontifices hoc ipsum ex antiquo tempore, & ipse Sixtus censere potuit, quia tale quod euenturum, reuelatum fuerat sanctæ Birgittæ in reuelationibus examinatis, & approbatis ab Ecclesiâ, & numquam in similibus errasse Pontifices euidenter constabat. Vndè nullo prorsus fauore prosequutos fuisse Summos Pontifices sententiam de Immaculatâ, cumulatissimè patet.

14. Probatur quintò Conclusio, quia omnem apparentiam positiuæ tolerabilitatis, & qualiscunque fauoris excluſit, Sanctissimus Alexander VII. ab hac affirmatiuâ sententiâ Maculæ Conceptionis Virginis; quia nec per vmbram meminit licentiæ eius opinabilitatis, & omninò obtinuit à præiudicio eius vitando, & omnem eius etiam remotam nominabilitatem explosit, & dubium etiam sui omninò damnauit sub Anathemate, & tantum eam sine dedecore Hæreseos, peccati mortalis, & impietatis sepeliuit, & in omnem obliterationem & oblinionem amandauit, & si eam non damnauit, id maximè egit vt tempus aliud definitioni daret, & in quantum respectum habuit ad aliquos filios suos dilectos, qui suo dabant dedecori, si vnam ex his inustam notam habuisset hæc sententia, quorum tamen nulli concessit de eâ posse quoquo remotissimo modo scripto vel voce agere, vel in aliquod dubitationis aut disputationis discrimen afferre; non aliter ac vsuenit damnatis sententiis, licet ea damnata non fuerit. Legatur eius Bulla, & ea probabit apertè quod scripsimus & notauimus in præsenti, & in explicatione eius fusè ostendimus. Vndè non oportet alia plura addere, cum præsertim huc reuocanda sunt, quæ de depressione huius sententiæ retulimus, quæ cum recensita sit valdè multiplex, ea etiam ibidem aduertitur tota ei aduenisse ex Summis Pontificibus.

DIVISIO IV.

An sit de fide, vel secundum fidem certum, quod Religiosus aliquis Ordo fundatus fuerit in confirmationem sensus Immaculatæ Conceptionis.

1 FVNDATVM esse aliquem Ordinem in honorem & cultum Cõceptionis Sanctissimæ Virginis, est euidens, & patet ex bullis Pontificiis, & ex petitionibus & instantiis factis à Venerabili Beatrice, & suis Monialibus quæ petierunt confirmationem Apostolicam sui Ordinis, & dum hoc expressè tradit Innocentius VIII. in suo diplomate, *Inter innumera*. Nec non Iulius II. in Bulla *Ad statum prosperum*. Et rursum Leo X. & Alexander VI. concedendo Ordini huic varias gratias, & Indulgentias, provt notat Suar. 2. tom. 3. p. disp. 3. sect. 5. §. *Tertiò augetur*: vbi citat compendium Mendicant. Verbo *communicatio* §. 18. & Conceptio §. 10. 12. & 13. Videtur sane veritatem hanc in hoc solo sistendo esse de fide certam; nam eam tradunt, & supponunt vt certam varij Pontifices, nec Aduersarij in hoc puncto contradicunt. Quare eam habere certitudinem fidei patet, quia auctoritate Apostolicâ id decernunt, & declarant Pontifices variis modis, & primò Innocentius VIII. qui in citatâ Bullâ notat ex propositione Beatricis Reginam Castellæ, & Legionis Elizabetham, ob singularem quem ad Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis gerit deuotionis affectum, vnam maximam domum præfatæ Beatrici cupienti ibi ducere vitam regularem, ad effectum vt inibi vnum Monasterium alicuius Ordinis approbati ad honorem eiusdem Conceptionis erigeretur, in quo dicta Beatrix, & aliæ deuotæ mulieres eius sodales sub regulari obseruantiâ viuerent, ac Altissimo, & eidem B. Mariæ famularentur, &c. Et deindè. [Nobis fuit humiliter supplicatum, vt in dictâ Domo Monasterij dicti Ordinis sub inuocatione Conceptione huiusmodi, &c. erigere, &c. de benignitate Apostolicâ dignaremur.] Et prosequitur dicens. [Nos igitur &c. pium & laudabile propositum Reginæ, & Beatricis prædictarum plurimum in Domino commendantes &c. Monasterium &c. sub inuocatione

Conceptionis huiuſmodi &c. auctoritate noſtra erigatis.]Et poſt alia.[Et Moniales præfatæ veſtem albam cum ſcapulari etiam albo,& deſuper mantellum coloris cœleſtis deferre, in quo mantello , & ſcapulari imagò eiuſdem Beatæ Mariæ affigatur, deferre debeant.] Et deinde concedit, vt exceptis aliquibus diebus, ſemper poſſint in hebdommada recitare Officium Conceptionis , & illud paruum eius valdè ſæpius,Et Iulius ſecundus in Bulla. *Ad ſtatum proſperum.* Ait [Sanè pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernæ Abbatiſſæ , &Conuẽtus Monaſterij Monialium ſub inuocatione Cõceptionis Beatæ Mariæ Virginis &c. exhibita petitio continebat , quod licet olim in eodem Monaſterio ab illius prima inſtitutione certus modus viuendi &c. ſub nomine Conceptionis eius Beatæ Mariæ inſtitutus eſt per Felic. Recor. Innocentium VIII. approbatus fuerit.] Ex quibus perſpicuum eſt quod cum hæc omnia auctoritate Apoſtolica declarata & decreta ſunt, & non niſi de fide vel ſecundum fidem certum ſit Religioſum Ordinem inſtitutum in honorem & confirmationem Conceptionis Dei paræ;nam poteſtas approbandi Religiones de fide , eſt in eſſe in Pontifice ex ſenſu vniuerſalis Eccleſiæ , & hanc dictam inſtitutam eſſe à Pontifice: de fide , item eſt , cum eam inſtitutam à Pontificibus ipſis, Pontifices potentes de fide hoc declarare , declarauerunt. Quod autem de fide poſſint ipſi hoc declarare patet , quia ad eos pertinet hoc declarare ad quos pertinet Religionem inſtituere , nec minus de fide eſt eos poſſe Religionem inſtituere, ac de facto inſtituere, quãdo verè illam inſtituunt : nec poſſet hoc negare niſi hæreticus vel erroneè deficiens fide , qui actus Pontificios à ſe declaratos , negaret actos , atque adeò negaret id quod ipſe Pontifex declarat in rebus à ſe geſtis per poteſtatem ſupernaturalem ſibi traditam , tum inſtituendi tum declarandi actus ſuos Pontificios , quæ eſt certa materia ſubjecta definitioni fidei , & cum ea omnibus modis æquiualentibus traditioni certitudinis fidei , ſit declarata , certitudinem fidei venatam eſſe dubitari non debet ; quæ item veritas patet etiam maximè ex rationibus propoſitis Diuiſione 1. & 2. quæ militant in hoc propoſito.

2. Hoc poſito vt certo, & recepto communiter, conſtare debet manifeſtè quod hæc Religio ſit approbata in honorem Conceptionis Virginis iudicatæ perceptæ, & veneratæ vt Immaculatæ , & abſque contractione peccati originalis in actu ſeu in confirmationem dicti ſenſus , quod oſtenditur quia eius Regula approbatur à Pontifice ſecundum hunc ſenſum , vndè eius initio dicitur. [Huius regulæ habitum aſſumentes Ieſu Chriſto Redemptori noſtro, quæcumque deſponſari voluerit eiuſdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes , voueant viuere ſine proprio &c.] Et in formula votorum profeſſionis dicitur. [Ego Soror N. ob amorem & ſeruitium Domini noſtri , & Immaculatæ Conceptionis eiuſdem Genitricis, voueo & promitto &c.] Et cap. 20. [Habitus Monialium huius Ordinis ſint huiuſmodi,tunica,ſcilicet habitus cum ſcapulari ſint illius coloris quatenus candor huius indumenti exterior Virgineæ puritatis mentis & corporis teſtimonium perhibeat. Pallium ſit groſſi panni , ſeu ſtamineæ hiacinthini coloris propter myſticam ſignificationem , videlicet quod glorioſæ Virginis anima à creatione ſua tota facta fuit cœleſtis , & ſingularis Regis æternj thalamus. Portent in pallio & in ſcapulari imaginem Dominæ noſtræ ſolaribus radiis circumdatam , & ſtellis in capite coronatam.] In quibus apertè patet quod cum hæc formula approbata ſit à Pontifice Iulio II. ſub pœna indignationis Dei, & Beatorum Apoſtolorum contra quoſcumque contradicentes , hæc doctrina ſit Pontificia, licet non de fide , & negare quod eam non confirmarunt Pontifices ſeu Pontifex , eſt quid vel hæreticum , vel erroneum , cum expreſſè pateat ſaltem poſt Bullam Alexandri VII. Sanctiſſimi Domini noſtri , qui ſcripſit hunc cultum Virginis & ſenſum eius emaculationis ab originali auctum eſſe ex vi Religioſi Ordinis erecti hoc nomine cum approbatione Summorum Pontificum , qui approbauerunt Religioſum hunc Ordinem , de quo ſcilicet eſſet ſenſus ſupra poſitus, quod fuerit de Virgine Immaculatè & concepta & immunis à peccato originali. Verba Sanctiſſimi Patris hæc ſunt. [Aucta fuit hæc pietas & cultus erga Deiparam , poſt erecta hoc nomine, approbantibus Summis Pontificibus , Religioſum Ordinem & Confraternitates.]Dum autẽ dicitur [Aucta pietas hæc & cultus.] Certè de illa pietate & cultu eſt ſermo , de qua ſupetior dictam fuerat , videlicet in 20. §. 6. Bulla , vbi dicitur. [Vetus pietas Chriſti fidelium ſentientium animam Virginis in primo inſtanti ſuæ creationis & infuſionis in Corpus fuiſſe à macula peccati originalis præſeruatam immunem.] Et de cultu , de quo ſubditur. [Atque in hoc ſenſu eius feſtiuitatem ſolemni ritu colentium & celebrantium.]Id quod itidem confirmatur quia expreſsè Pontifex ſignat ſententiam ſecundum quam exerceretur pietas & cultus in dicto Religioſo Ordine fundato , quæ non eſt niſi illa quæ emaculat Deiparam ab originali , nam ait. [Ita vt accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam , iam ferè omnes Catholici eam amplectantur.] Quæ ſententia certè non eſt alia ab iſta ſignata , quæ Virginem ſtatuit ab originali immunem:Quo apertè conſtat Pontificem declarare contra ſenſum replicatum , temerariè ab Aduerſariis de approbatione Religionis non erectæ ſub ſenſu Immaculatæ Conceptionis , quod Religioſus Ordo fuerit approbatus ſub hoc ſenſu Immaculatæ , ſub quo profeſſa eſt Deiparam colere, de quo ipſi Aduerſarij contradicebant, & vt temerariè effutientes à Doctoribus erant notati , vt videri poteſt apud Calderonium.

3. Nec dubitari poteſt quod Pontifex neſcinerit hanc falſam ſententiam , & prætenſionem Aduerſariorum, cum ea pateret in libris , & libellis nuper correctis Sacræ Generali Inquiſitioni , & perconſequens quod eam voluerit expreſsè reprobare in poſitiua approbatione declarata Religioſi Ordinis hoc nomine erecti , tradens ſcilicet doctrinam de fide vel ſecundum fidem certam , dum eam tradit indubitanter ad deſtruendum errorem contra-

rium

rium à Doctoribus taliter cõclamatum & more doctrinæ pro certâ à se traditæ vt à Magistro vniuersali totius Ecclesiæ quæ sit tradita in materia dogmatis & intellectus; non est nisi vel de fide vel secundum fidem certa habita, & in casu nostro habenda, iuxta prædicta.

4. Quanti autem ponderis sit ad præstandam & augendam certitudinem sensûs Immaculatæ Conceptionis declarauisse hîc Pontificem vel de fide vel secundum fidem certum, quod aliquis Religiosus Ordo fuerit institutus & confirmatus peculiari modo, & signanter vt colens & sentiens Immaculatam Conceptionem, & vt vouens castitatem, paupertatem, & obedientiam in hunc honorem & cultum, & determinatum sensum Virginis sic emaculatæ; nec non vt imitans innocentiam istam ab Originali immunem Deiparæ; & propterea item traditus regimini Religionis Franciscanæ, quæ specialiter defendit, & benemerita est de tali sensu, & cultu, provt tradit Innocentius III. in confirmatione Ordinis cap. 4. Quanti inquam hoc sit ponderis ad confirmationem maioris certitudinis Immaculatæ Conceptionis patet, quia Doctores decernunt esse de fide certum quod Pontifex non possit errare in Confirmatione Religionum quantum ad ea quæ tradit obseruanda in tali Religione, quæ sint substantialia & capita prima & principalia Religionis in specie & in particulari sumpta: Quare quando in hoc certum sit, quod hic Religiosus Ordo fuerit confirmatus specialiter in eo quod esset institutus peculiariter vt talis Ordo, vel principalius ad hunc cultum secundum hunc censum (ita vt hîc fuerit principalis, si non vnicus titulus & intentio instituendi & confirmandi hanc Religionem). Sequitur manifestè hinc concludi quod hoc stante dicendum sit quod Pontifex non potuit errare in hac Religionis institutione, pro vt includente hunc cultum & sensum, & per consequens eiusmodi sensus ex hoc capite per Theologicam consequentiam adeptus sit, & adipiscatur certitudinem, vel æquam certis terminis secundum fidem, vel similem. Cui argumento non videtur responderi posse, nisi vel negando quod hic Religiosus Ordo fuerit confirmatus vt principaliter colens, & sic sentiens de Virgine, vel quod etiam si ità sit institutus; non tamen sit confirmatus vt principaliter habens hunc sensum, & secundum hunc sensum colens Virginem: vel denique quod Pontifex ità & in hoc confirmans vnam Religionem, non dat tali sensui eiusmodi certitudinem, quorum trium nullum dici potest apud Theologos, & rectè rem perpendentes Doctores; nam esse confirmatum hunc Ordinem vt debetur, principaliter quatenus est talis Ordo profiteri hunc cultum, & sensum, patet manifestè, quia Ordo omnis Religiosus id profitetur peculiariter principaliter quod est proprium sui, & per quod principaliter constituitur in ratione talis Religionis, & vt sic distinguitur, à ceteris omnibus: nam per alia communia aliis Religionibus, certum est quod non constituitur vt peculiaris Ordo, nam generalia non constituunt in specie, & in particulari; sed hic Ordo principale particulare quod habet, & in quo, & per quod maximè confirmatur, consistit in hac professione cultûs, & sensûs Immaculati Conceptûs Dei Genitricis: ergo in hoc cultu & sensu maximè confirmatur à Pontificibus. Maior patet ex doctrinâ communi Doctorum, quam latè & rectè explicat Cismontana Familia in suo Armamentario, pag. 129. & sequent. ex Bellarm. lib. 2. de Monachis, cap. 4. & Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 15. numero 14. recitanda sunt verba tum Bellarmini, tum Suar. Et Bellarminus quidé ait. [Duo in omni Religione inueniuntur: essentia ipsa Religionis, quæ in tribus votis sita est, & determinatio illius essentiæ ad certum modum viuendi. Et quidem essentia Religionum in Euangelio fundamentum habet: proindè ex hac parte non egent Religiones Pontificum approbatione. Modus autem ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ità perspicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentiâ, & directione humanâ pendet: quare Pontificis confirmatione indigere potest, & nunc re ipsa propter ius positiuum nouas Religiones prohibens, omninò indiget.]

5. Idem copiosius docet Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 15. num. 14. [Non potest institui Religio secundum aliquem viuendi modum communem cum solis substantialibus votis religiosi statûs, sine additione aliquarum obseruantiarum, quibus ille status ad peculiarem Religionem, seu viuendi modum determinetur: Tum, quia sicut substantia non potest esse, vel operari sine accidentibus; ità nec Religiosus status sine regulâ, & viuendi modo, ac ordine: Tum etiam, quia alias non posset esse distinctio Religionum, & consequenter nec peculiaris institui Ordo. In hoc ergo, quod per inuentionem humanam additur, errandi periculum imminet, propter quod vitandum Ecclesiæ approbatio necessaria est: Quia si libera esset talium Religionum institutio, ampliatio, & propagatio, facilè accidere posset vt multi admiscerentur errores, & vt fideles deciperentur, modumque viuendi, vel saluti contrarium, vel perfectionem impedientem, vel salutem ad illam nihil iuuantem pro vero, & vtili Religionis statu assumerent, quod esset magnum Ecclesiæ detrimentum. Vndè cap. 17. num. 19. distinguens varia iudicia particularia, quæ in hac generali approbatione includuntur, vnum esse ait: Talem modum viuendi ex omni parte honestum esse; nihilque contra honestos mores includere. Hæc vt eruditè & solidè dicta sunt, ita omni prorsus controuersiâ vacare videntur.]

6. Huic item sententiæ subscribunt Ant. Cordub. lib. 1. Quæstionar. q. 44. concl. 6. probat. 3. pag. 361. Valent. tom. 4. disp. 2. q. 1. punc. 2. Bellarm. lib. 4. de amiss. grat. & statu pec. cap. 15. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. Granad. tract. de Concept. disp. 3. cap. 9. num. 3. fol. 65. Vincent. Iustinian. tract. de Concept. Virg. §. 4. Franciscus de Pirigianis in 3. de 3. q. 1. art. 5. §. *Secundo arguitur*. Miranda in Defens. pro Immacul. Concept. q. 21. Lucer. disc. 1. fol. 38. pag. 2. Ægid. de Præsent. lib. 3. q. 6. art. 2. Et eidem sententiæ fauent, qui erectionem Militaris

Religionis inter Decreta Sedis Apostolicæ in fauorem præseruationis B. Virginis expedita commemorant, & expendunt, vt D. Serranus Acernens. Episc. lib. 2. de Immac. Concept. cap. 8. num. 28. Hieronym. Rodrig. in Comp. qq. Regul. resolut. 122. num. 49. Hippolyth. Martac. in Pontific. Marian. c. 94. pag. 234. & capite 95. pag. 252. Tamaius de Salaz. ad vit. S. Epitatij, pag. 301. anno 1623. & 1624.

DIVISIO V.

An item sit de fide, vel secundum fidem certum, quod Indulgentiæ sint concessæ à Pontificibus ad confirmandum sensum Immaculatæ Conceptionis.

1. INdulgentias fuisse concessas à Summis Pontificibus in confirmationem sensûs Immaculatæ Conceptionis, negarunt semper nostri aduersantes, vt visum & relatum est suprà, voluerúntque eas fuisse concessas præcisè pietati & virtuti morali colenti Beatam Virginem; non verò iudicio & assensui intellectûs, quo quis fidelis existimet Beatam Virginem fuisse ab originali maculâ præseruatam immunem; atque adeò ex Indulgentiis concessis à Summis Pontificibus non haberi confirmationem huius, neque posse inferri veritatem eius; quod quàm falsò dictum ab ipsis fuerit, proclamatum est à Doctoribus, & temerè ab ipsis asseri communiter concluſum est, provt nos probauimus latè Opusculo secundo quod modò summè gaudemus esse decisum, & pro certo statutum à Sanctissimo Alexandro VII. qui per hanc Bullam sicuti declarauit Religiosum Ordinem, vt modò vidimus, fuisse institutum in confirmationem, & approbationem huius sensûs, ità id ipsum voluit valere & verificari de Indulgentiis quas scilicet statuit fuisse concessas iis qui senserint Immaculatam fuisse Conceptionem Virginis: nam illas declarauit vt visum est, fuisse concessas pietati, & cultui fidelium venerantium Virginem secundum hunc pium sensum, & secundum hanc determinatam sententiam; quod iterum fuit in hac Bullâ quando approbauit acta Sixti IV. & cæterorum prædecessorum, inter quæ sunt concessiones Indulgentiarum, in fauorem celebritatis & cultûs huius præcisè & determinatè secundum sententiam Immaculatæ Conceptionis procedentium signatissimè. Nam dicitur. [Constitutiones & decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis animam Beatæ Virginis in sui Creatione & infusione in Corpus Spiritûs sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse, nec non & in fauorem Festi & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris & pœnis in eiusdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus.] Qui locus valet etiam ad ostendendum, quod confirmatio alicuius Religiosi Ordinis fuerit à Pontificibus in confirmationem eiusdem sensûs, dum Bullas Innocentij & Iulij in fauorem Conceptionis Dei Matris, hic etiam confirmet Alexander sanctissimus, in quibus sub hoc nomine is confirmatus & erectus est; expressius tamen hîc declarantur Indulgentiæ concessæ in fauorem & confirmationem huius sententiæ, dum confirmatur in hunc fauorem signatè Bulla *Cum præexcelsa*, Sixti IV. in qua concessæ fuêre expresè hæ Indulgentiæ colentibus Immaculatam; quare vt certum hîc maneat vel de fide, vel secundum fidem (vti diximus in antecedentibus) quod Indulgentiæ emanatæ à Pontificibus sint æstimandæ emanatæ non merè in fauorem pietatis fidelium erga Virginem, pro vt secundus Libellator & tertius audaciter pronunciauêre, sed in fauorem & confirmationem sensûs Immaculati Conceptûs: Quare qui modò contra assereret, non solùm incideret in excommunicationem, quia frustrari vellet fauore præstito à Summis Pontificibus huic sententiæ, vt in Bulla traditur, sed esset etiam dicendus vel hæreticè vel erroneè loqui contra doctrinam traditam à Pontifice de fide, vel secundum fidem tenendam.

2. Quanti autem momenti sit & fuerit ad augendam certitudinem sensûs Immaculatæ, collatio Indulgentiarum concessarum ad alliciendos, & confirmandos fideles in hoc sensu, ex eo patet quia, non potest vlla ratione sustineri quod Pontifex laudet, inuitet, alliciat fideles, vt ad aliquem sensum falsum, præsertim tot replicatis vicibus & tantâ continuatione per sæcula, & si in hoc posset errare; semper deberent fideles esse dubij moraliter de tali sensu, nec congruum esse viderent huic sensui præbere assensum: Quare falsum esset quod decreuit Sixtus IV. in *Cum præexcelsa*, videlicet quod esset conueniens, imò debitum quod omnes fideles Deo gratias agerent de Immaculatâ Conceptione Virginis, quod erroneè negaretur, cum hoc dicat Pontifex auctoritate Apostolicâ; & vt Pontifex, licet non definiat sensum Immaculatæ de fide tenendum. Et rursum cum communis sententia Theologorum sit quod Pontifex non potest errare in iis quæ docet esse facienda, certum debet esse quod dum decernit & inuitat, & hortatur fideles adhunc assensum Immaculatæ, benè facit, nec errat impellendo ad hunc sensum. Quare omninò hic sensus est censendus certo verus, si non certitudine fidei, saltem illâ cui non possit subesse falsum moraliter: Sic Valentia tom. 4. disp. 2. q. 1. puncto 2. col. 365. habet. [Summus Pontifex (inquit) etsi non definiuit quidem hanc sententiam, nec iussit vt illam amplecterentur fideles, tamen per concessionem Indulgentiarum factam iis qui Immaculatam Virginis Conceptionem celebrant, atque adeò planè ex Officio, vt Pontifex & pro vt in ipso residet auctoritas totius Ecclesiæ, suasit re ipsa omnibus fidelibus hanc de Conceptione Immaculata B. Virginis opinionem; hoc ipso, nimirum, quod ad Immaculatæ huius Conceptionis celebrationem

lebrationem fideles omnes inuitauit per concessionem illarum Indulgentiarum, nec enim Conceptionem Virginis tamquam Immaculatam celebrare veraciter & sine simulatione potest is qui non putet fuisse Immaculatam.]

3. Et Serranus lib. 2. cap. 8. num. 15. 20. & 26. relatis Indulgentiis concessis à Pontificibus conceptui sine macula, subdit. [Quod nullatenus facerent, si de Conceptionis præseruatione dubitassent; nam piaculum esset pro re dubia aut non pia, indulgentias, aut gratias impartiri.] Et pag. 141. post commemoratas Indulgentias Leoni X. [Tales certè ac tantas concessiones nullo modo hîc Pontifex fecisset si dubium aliquod de Immaculatâ semper Virginis Mariæ Conceptione haberet, maximè cum ipsi de argumento isto latè fuisset à viris doctissimis in contrarium scriptum, à Caietano scilicet, & aliis. Ex quo obiter colligas contentiosa Aduersariorum Immaculatæ Conceptionis scripta id effecisse, vt fideles ardentius Indulgentias exposcerent, & benignius Sedes Apostolica concederet, tanto enim causæ pietas crescebat, quanto inter pugnatores defendebatur] Concludit tãdem prædictus Illustrissimus pag. 144. ad modum rectè in hac re.

4. Id quod confirmatur, quia in hac concessione Indulgentiarum, sensus iste immaculati conceptûs duo habet, vnum quod sit causa earum, ex quâ mouetur Pontifex vt Indulgentias concedat, & rursum est opus iniunctum vt Indulgentiæ suam consequutionem habeant. Quare ex duplici capite ostenduntur signare & concludere certitudinem huius sensûs: nam si verè Virgo non fuerit ab originali præseruata, Indulgentiæ validæ non essent: Et rursum cum hic sensus sit vnum ex operibus iunctis, hoc ipso declaratur à Pontifice quod is non est falsus, nam non potest Pontifex pro opere iuncto aliquod iudicium continens falsitatem, nam antequam illud iungat, debet rectè expendere an falsitatem forte censendum sit includere; & si rationabilem causam habet dubitandi de falsitate, non debet pro Indulgentiis tale opus iungere, tum quia iungeret opus ex se & obiecto non bonum, tum quia occasionem daret & impulsum fidelibus ad amplectendum pro vero supernaturali quod falsitatem habet, & cultum offert in casu præsenti, sanctitati fictæ, & quod peius est animæ in statu odij Dei & filationis iræ, & subiectionis Diaboli: Et quemadmodum erroneum esset dicere quod Pontifex possit proponere colendam animam alicuius qui mortuus esset in peccato originali, ità videtur quod nullâ ratione posset Pontifex iungere actum aliquem ad venandas Indulgentias, quo veneraretur Virgo in statu pro quo culpa originali verè fuerit infecta. Cui argumento non video quid possit congruè responderi; quæ doctrina quàm solida sit videri potest apud Cordubam q. 21. de Indulgentiis, propositione 1. & Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 12. & apud Suar. tom. 4. tertiæ partis disp. 12. Quos citat & sequitur Cismontana Familia in Armam. pag. 160. & deinceps.

5. Nec quicquam facit quod scripsit Libellator tertius, quod in concessione Indulgentiarum sufficiat causa pia præsumpta non vera, audacissimè vt solet volens, respondere argumento ducto ab Indulgentiis pro Immaculata verbis sequentibus. [Verùm securim ad radicem admouebimus, si ponderabimus in elargiendis Indulgentiis semper quidem exigi legitimam causam, ac proindè rationabilem; iniquè tamen postulari vt illa semper vera sit, cum sufficere possit præsumpta, ne Pontifex huius spiritualis Thesauri diuitias temerè profundere credatur, si non præsumptâ ac rationabili causâ id deliberet, ne fideles nimiâ facilitate ac puerili leuitate esse validas credant; cum de iure pro iudicio semper (nisi manifestus elucescat error) sit præsumendum. Præsumitur autem rationabilis causa esse, si illa verisimilis sit, si probabilis, si pia cum insani iudicij sit, iuxta Arist. 1. Methaphys. in humanis rebus Astrologiam Mathematicam expetere, & ad amussim demonstratiuam illas exigere. Vndè rectè quidem hîc colliges, & piè & rationabiliter à Summis Pontificibus in fauorem Conceptionis Beatæ Virginis ad pietatem populorum fouendam, augendam maiestatem Virginis, tanta liberalitate & magnificentia dispensatas fuisse Indulgentias; frigida tamen puerilique argutiola ludent si ex Indulgentiis pro Conceptione Immaculata latis, illam pro certo & pro euidenti nobis obtrudere, ac vt à Sede Apostolica definitam mundo venditare sibi Aduersarij persuadeant.] Et rursum. [Nugæ istæ sunt, & vana puerorum terriculamenta, sufficit ad dispensandas Indulgentias (expergiscantur tandem ad has voces) causa rationabilis præsumpta aut vera; quæ autem diximus non tenui subtilitate prolata, sed fundamento solido stabilita, dignoscet qui legerit Caietanum tom. 1. Opusc. tract. 9. quæstiuncula 2.]

6. In quibus more suo centies errat, dum è radice tolli hoc argumentum fingit temerè, responso certè stulto, & inepto, & omni falsitate referto, quod materiam præbet maximæ reprobationis, dum ad eiuscemodi responsum fut. Illimum & mane expergisci nos quasi somno deditos clamat; quasi verò eius magna vis nos fortiter excutiat, cuius sonus est ita tenuis, vt potius ad somnum conciliet, & contemptum sui, quàm vt aliquam attentionem requirat ad eius falsitatem & ineptiam agnoscendam: dum magnum argumentum ab Indulgentiis sumptum lusum frigidæ & puerilis argutiolæ notâ inurit, quod solidum, robustum, & contradicentium capita conterens à Doctoribus pronuncietur: & ab Alexandro Sanctissimo firmissimum declaratum sit ad Immaculatam concludendum: Dum denique hoc ipsum argumentum ait nugas esse & puerorum terriculamenta, vsque ad insaniam ferè prosilire prospicitur, qui tantam ineptiarum rationem aliam non adducit, quàm Aristotelis auctoritatem 1. Metaphysicæ, qui asserit insani iudicij esse in humanis rebus Astrologiam Mathematicam requirere, & euidentiam demonstratiuam reperire, nec non vnius Caietani tom. 1. Opusc. tract. 9. quæstiuncula 2. doctrinam in communi, quam neque quæ fuerit signat, sed ad eum legendum Lectorem merè remittit. Quasi verò Aristoteles dum relata pronuntiauit, ipse pro præsumpta causâ

causâ in Indulgentiis suam doctrinam, vel extenderit ad eas, vel ità tradiderit, vt ea ad supernaturalitatem concessionem earumdem valere debuerit, & Caietani dictamina frequentissimè in Ecclesiâ reprobatâ, & à Catharino impugnata frequenter hoc vnum seruatũ habuerint indemne, communiter receptũ; reuerà tamen omninò reiiciendũ vt parũ tutã doctrinam continens, & cum cæteris reprobandum, quæ ipse habet in hac materiâ, vt sæpe vidimus. Nam quis non videt, quàm absurdè dicitur Indulgentias Pontificias valere cum causis merè præsumptis, vt rationalibus? Fac enim exponi Pontifici magnum fructum spiritualis profectûs qui in frequenti vsu Sacramentorum in aliquâ Ecclesiâ, & ex hoc Indulgentia aliqua ab eo exquiratur, cum nullus talis vsus in ea sit, nunc quid fortè Indulgentia quæ concederetur tali Ecclesiæ ei vni, qui in ea Sacramentum Corporis Domini sumerent, suum haberet valorem, dum testes idonei istius falsitatis isti Pontifici adducerentur? Similiter alicui vtpote contra Infideles directo, petente Rege exquireretur in susceptione Corporis Domini pro die solemnis, & vltimæ pugnæ plenaria Indulgentia, dum ea ineundum esset contra Christianum alium exercitum, etiamsi rationabilis & pia esset causa proposita, valorémne suum ipsa consequeretur, licet intercedente isto bello inter Christianos exercitus? Quis potest hanc insanam doctrinam audire? Et tamen hanc proclamat, & pro hac vociferatur hîc Libellator, dum præsumptam causam assumit, & vult sufficere ad effectum veræ Indulgentiæ; rectè quidem in hac Conceptione procederet Pontifex in eâ tradendâ licitè, sed sine suo errore, vel culpâ qui in eâ tradendâ non debet esse Metaphysicè, & multo minus Mathematicè certus de veritate causæ talis propositæ, nullâ ratione validè esset collata Indulgentia, nec ea posset suum effectum consequi in causâ merè præsumptæ intercessionis.

7. Rem prospiciat propius Libellator in casu Indulgentiarum concessarum Confratribus Stellarij ex recitatione eius; qui relinquentes titulum Stellarij, eúmque non erigentes, putauerunt satisfeciſſe decreto Vrbani VIII. qui suppresserat omnes has Confraternitates, & Indulgentias eis concessas reuocauerat sub die 19. Ianuarij 1640. Vndè rogauerunt Innocentium X. de hoc decreto nihil memorantes, vt denuò Indulgentias pro quadam solemnitate ab ipsis institutâ mense Augusti ipsis concederet, eásque impetrarunt, expostulauerunt enim eas pro cultu quem profitebãtur erga Immaculatam Deiparæ Cõceptionem exercere dicta recitatione Stellarij, propter quá aliàs ipsemet Vrbanus VIII. ipsis concesserat; sed aduertens eos Pontifex causâ piâ merè præsumptâ eas petiuisse, & impetrauisse, nullas eas declarauit, & subreptitias, & Confratres pœnis in Bullâ Vrbani VIII. expressis voluit subditos, vt bene notat Calderon. cap. 10. §. 23. Ad euidentiam ergo constat quod non sufficit causa præsumpta in concessione Indulgentiarum. Quare apertissimè constat quàm perspicuè ex Indulgentiis concessis sensui Immaculatę Conceptionis confirmatur vt certus hic sensus, & maximè approbatus à sanctâ Sede Apostolicâ, & de fide, vel secundum fidem certum est ex Indulgentiis firmari & approbari eiusmodi sensum Immaculatæ.

8. Sed controuerti hîc potest an Indulgentiæ hæ sint intelligendæ concessæ immediatè pietati fidelium sentientium Immaculatam Conceptionem, & per consequens sensui huic, an verò tum pietati, & sensui, tum si enim communiter solet dici etiam à Commilitaribus nostris quod primò intelliguntur concessæ pietati, & per quamdam necessariam resultantiam refundi in ipsum sensum, contra Aduersarios nostros, qui præcisè pietati dicunt illas concessas, vt fuere Estius à Libellatore citatus, & Francisc. Syluius Doctor Duacẽsis 3. p. q. 27. art. 2. qui dixit [Indulgentiæ non opinioni, sed deuotæ illius Festi celebrationi concessæ sunt.] Tamen videtur in hac re progrediendum vlterius, & videndum an possit dici quod eidem sensui immediatè conueniant Indulgentiæ Pontificiæ saltem aliquæ, & certè duplici modo possunt æstimari concessæ Indulgentię huic sensui, vel ipsi merè speculatiuè sumpto, & interno, vel quomodocunque externè prodeuntis; & hac ratione huic sensui sic sumpto qui sæpè elicitur per actus naturales, nullo modo æstimandæ sunt concessæ hæ Indulgentiæ; vel iste sensus potest intelligi elicitus per actus supernaturales deductus ex principiis supernaturalibus, & rursum explicitus, & declaratus per aliqua verba, vel signa externa requisita à Pontifice ad concessionem Indulgentiarum: & hoc secundo modo rectè quæritur an hic sensus sit immediatè affectus Indulgentiis, licet semper inuolutus cum affectu pietatis, à quo vel elicitur, vel causatur; nam dum Pontifices concessêre Indulgentias proferentibus hunc sensum in aliquâ Antiphonâ, prout concessit Paulus V. & gestationi Imaginis Immaculati Conceptûs, visi sunt non solùm pietati, sed ipsi sensui sic externo concessisse Indulgentias. Cui modo loquendi assentiendum omninò esse existimo; nam quemadmodum si concederentur Indulgentiæ professioni fidei, rectè fidei externæ dicerentur concessæ Indulgentiæ; ita sensui in casu nostro professato per recitationẽ dictæ Antiphonæ & gestationis imaginis, & Habitûs Conceptionem Immaculatam exprimentis. Id quod maximè confirmatur, & pro certo est habendum modo vel de fide vel secundum fidem, quia expressè Pontifex in hac nuperâ Bullâ declarat se innouare decreta & Constitutiones cæterorum Pontificum expressè in fauorem sententiæ de Immaculatâ, in quibus Indulgentiæ continentur; atque hoc, vt suprà retulimus, ita exprimit, vt fauorem hunc exprimat signatè extensum tum in ipsam sententiam, tum in cultum & Festum eiusdem: Quare patet ex ipsis Verbis Pontificiis ad eiusmodi sensum immediatè extendi, & extensas esse Indulgentias, quod rectè est perpendendum.

DIVISIO

DIVISIO VI.

An de fide, vel secundum fidem sit certum, quod Officium Nugarolicum sit approbatum, & in approbatione perstet Ecclesiæ Romanæ.

1. ADuersarij Immaculatæ Conceptionis ad reprobandam doctrinam contentam in Officio Nugarolico de Conceptione Immaculatâ vt Ecclesiæ propriam, contenderunt à Pio V. vsque ad hæc tempora fuisse reprobatum, & per consequens reprobatam in eo doctrinam contentam, ex quâ propterea nihil posset concludi ad concludendam Immaculatam. Et diù altercatum est apud Doctores de veritate, vel nullitate ipsius reprobationis, contendentibus semper nostris Commilitonibus pro nullitate talis reprobationis, & affirmantibus sèper in sua prima approbatione permansisse propter validas rationes à nobis adductas in Opusculo secundo huius Operis: & his modo adempta omninò est dum eiusmodi Officium maximè approbatur in præsenti à Sanctissimo Domino Nostro Alexandro VII. ità vt appareat eius approbatio certa, vel de fide, vel secundum fidem; & hæreticè vel erroneè erraret, qui diceret hoc Officium esse ab Ecclesia reprobatum, vel item eius approbatione carere: nam hîc enucleatissimè non solùm positiuè approbatur, sed notatur & assumitur, à Sanctissimo & Sapientissimo Pontifice vt vnum ex principiis ad confirmandam certitudinem Immaculatæ Cõceptionis, & ad declarandum quod sententia de Immaculata sit sententia approbata à Pontificibus, & in cuius sensum declaratur celebrari Festum, & seruari cultum erga Conceptionem Virginis, eique maximè eos fauisse & fauere Sanctissimum Alexandrum, prohibendo ne eius veritas in disputationem, & dubium reuocaretur, nec quoquo modo voce, vel scripto directè, vel indirectè contra eam pronunciando: factâ etiam prohibitione totali de non loquendo contra eum à nullo quantumuis priuilegiato; vndè neque ipsi Fratres Prædicatores de hac materia inter se loqui liberè possunt, huic sententiæ quomodolibet contradicendo, sub pœnæ excommunicationis, & aliis in Bulla expressis. Quo ostenditur primò hoc Officium fuisse primò probatum à Sixto IV. et ab Ecclesia Romana ordinatum, secundò numquam fuisse reprobatum, & tertiò denuò hic ità approbari, vt declaretur ex eo deuenire maximè Pontificem ad complures declarationes in fauorem sensûs Immaculatæ Conceptionis, & specialiter motum ad ei fauendum, & declarandum, quod similiter ex vi eius, dicendi sint cæteri Pontifices ei fauisse. Constat autem ex hac declaratione hoc Officium nunquam fuisse reprobatum, nam erroneè diceretur, quod Pius V. vt volunt Aduersarij ipsum expungendo à Breuiario Romano reprobasset, quod certè approbauerat Sixtus Quartus, cum reprobatio caderet in doctrinã quam continet, nec vnus Pontifex sine blasphemia & errore in fide potest dici quod reprobet vnam doctrinam, quam alius Pontifex approbauerit. Et rursum semel posito quod Pius V. hoc Officium reprobasset, non potuisset illud ipsum approbare Sanctissimus Alexander, alioqui Pontifices in doctrina quam Ecclesiam docent auctoritate Apostolica, quâve imbuunt fideles, possent secum pugnare, & vnus vno modo docere, alter verò contradictoriam doctrinam tradere, quæ essent monstra in Ecclesia Dei. Quare firmum maneat quod Officium Nugarolicum semel approbatum à Sixto IV. perseuerauit, & perseuerat, & perseuerabit in sæcula in sua approbatione, & hoc vt certum traditur vel de fide, vel secundum fidem in hac Bulla, cum tradatur sub conditionibus quæ hanc certitudinem inuehunt, vt patet ex similibus conclusis eodem modo certis ex vi huius Bullæ.

Quo Patet, quantum errauerint nostri Aduersarij, dum pleno ore reprobatum hoc Officium iactirauerint, & argumento ducto ex hac reprobatione respondeti non posse clamauerint, addentes Vasquez, & socios hoc validissimo telo prælos omnem viam tentasse vt illud diluerent, aut illuderent, cum potius ex hoc Officio approbato certissime à Sixto IV. ipsi iugulati appareant, etiam ex illo ipso tempore, & modo illud iugulum, receptum etiam ab illo tempore declaret hic Pontifex. Et rursum tanta sua confirmatione huius Officij ne dum iugulatos ipsos, sed pæuè extinctos sine motu & voce relinquit. Ediscant hîc tandem non temerè propria effutire commenta, & futilia excogitare responsa, vel tamquam fortia tela iacere, quæ nullius sunt roboris, quâque decursu temporis ad sui penitissimam internecionem reuoluuntur; vti apparet in hac confirmatione sic nobilis huius Officij Nugarolici, in quo tamquãm doctrina sana & ab Ecclesia solemnizata canitur quod. [Originalis macula non est in Maria.] Et rursum. [Immaculata Conceptio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis.] Tertiò. [Deus qui per Immaculatam Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti] Quartò. [Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, Christum eius filium præseruatorem adoremus Dominum.] Quintò. [Hæc est Virga in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.] Sexto. [Si quid originalis peccati in propagatione Dei Matris extitit, illud propagantium fuit, non propagatæ.] Septimò Maria ab omni peccato originali & actuali immunis fuit.] Et octauò. [Tota pulchra es amica nostra, columba nostra, & macula originalis non est in te.] Quibus & similibus repetitis inumeris sententiis Immaculata Conceptio confirmatur, & eam centies sine maculâ replicare ediscunt fideles, in quo si error aliquis posset suspicari, suspicio caderet in summum dedecus, & infamiam Ecclesiæ, quæ in doctrinâ quâ lactat fideles, venenum falsitatis ministrare possit suis alumnis; quod certè blasphæmum est, præsertim in eâ quam prænio examine ponderat; & non minùs sed rectè se habens inuenit, prout con-

tigit in hoc Officio quod illo tempore emanauit. Quo Sixtus IV. ex tota Italia ad disputandum de re controuersâ circa Conceptionem sine maculâ, Doctissimos quosque Romam aduocauit, & coram se disputationes instituit, alioqui Doctissimus Pontifex : Vndè videat quàm malè vnus quidem recentior paucis ab hinc annis scriptum reliquit de hoc agens Officio & de Reuelationibus quæ in eo intrusæ sunt: [Quod totum omninò cessat, post quam Pius V. illud Officium prohibuit, & à Breuiario Romano expunxit ; & forsan non minima illius prohibitionis causa fuerunt reuelationes prædictæ in eo contentæ.] Nam absurdissimè Pio V. attribuit grande scelus reprobandi Officium semel approbatum à Sede sanctâ Apostolicâ, dum huius approbationis testis est, & Iudex veridicus tum ipse Sixtus, tum in præsenti regnans sanctissimus Alexander. Et falsum est in eiusmodi Officio Nugarolico (quod per extensum recitat Cismontana Familia in suo Regestu, pag. 55 & deinceps) Reuelationes contineantur, vt ibi videri potest. Pergant ergo Franciscani Patres per vniuersum Orbem, sicuti hactenus egerunt, Officium hoc recitare & canere; & centies replicare non cessent in innumeris suis Templis hanc emaculationem Deiparæ ab originali : alacriúsque id modo præstent, & gloriosius in honorem Virginis, dum talem approbationem de eo protulit sanctissimus Pontifex coram vniuersâ Ecclesiâ, quæ nihil obstantibus Aduersariorum obiectis à suo Summo Magistro edocta agnoscit, & eorum errorem, & doctrinæ recepti ab ipsis Officij veritatem.

3. Quanti autem & quàm magni momenti sit hæc approbatio prodiens à sanctâ Sede Apostolicâ, & auctoritate item Apostolicâ munita; potest patere ex eo quia non videtur modo posse inueniri Doctum virum qui dixerit, quod posito quod Ecclesia vniuersalis recipiat, (vt recepisse certum est) approbationem huius Officij, & posset eo vti saltem priuatè (vel in Franciscanis Templis virorum, & Monialium) hoc Officium audire & plaudere; & quod de facto ei plaudat per vniuersum, per quem ipsa latè vagatur, Orbem Christianum; vel saltem posito quod ipsa approbat cantum & solemnitatem Conceptionis Deiparæ, toties replicatam in hoc Officio ritè instituto, possit nihilominus asserere & audeat enunciare quod tota Ecclesia vt sic, errat in iudicando Beatissimam Virginem sine originali conceptam, & quod ex obiecto melius se gereret si eiusmodi festiuitatem secundum hunc sensum sic replicatum & approbatum ab eâ, & Pontificibus non celebraret: etsi quidem iste talis inuenitur, nemo est qui non videat eum esse exhibilandum, & à consortio piorum hominum saltem eliminandum; qui suum iudicium anteponat tam firmo, & replicato Iudicio vniuersæ Ecclesiæ, & id in hoc corrigendam etiam in melius, audeat pronunciare. Si autem nullo modo audebit asserere Ecclesiam in hoc errare, certè cogetur concedere quod error nullus est in iudicio Conceptionis Immaculatæ ; atque adeò non poterit non fateri veritatem stare pro Immaculato Conceptu Dei Parentis.

4. At dices, nemo asseret in hoc cultu & celebritate Ecclesiam Vniuersam errare : hoc enim est dubium : sed solùm asseret posse errare, nec definitum sit, non errauisse. Sed quicquid sit de potentiâ, id quod dico est, positâ hac approbatione vsus huius Officij per vniuersam Ecclesiam, nullâ ratione posse sustineri dictum aliquod, quo asseueraretur, quod etiam probabiliter posset existimari quod de facto errauerit, vel erret in hoc vniuersa Ecclesia, exceptâ vnâ determinatâ Religiosâ Familiâ, & solis aliis paucissimis ex Catholicis, & in minori certe numero quàm sint alumni ipsi Ordinis Religiosi, censeri possunt ; & mirum sit quod ij dicant quod assistentia Spiritus sancti hunc errorem non impedierit. Et certè intolerabile & monstruosum est hoc dictum, imo immane monstrum numquam visum, numquam in Ecclesiâ auditum, vel exortum tale. Certum enim est quod numquam aliquid tale contigit in Ecclesiâ : Quare si modò id euenit, non nisi propter grande peccatum idque vniuersale censendum est contigisse, & merito timeri posse, quod in aliquod simile posset elabi de facili, & elapsura fortè sit Ecclesia sancta. & pæne peruenerit ad tempus Anti-Christo conterminum, in quo mala perpetietur tanta & tam grandia, vt numquam talia ; id quod eo magis est timendum, quo in tanta mala peruenerit, & ea non recognoscat, nec à Deo expostulet liberari ab huiusmodi obcæcatione, & in suo malo velit persistere & perseuerare. Hæc autem ominari, nec dum asseuerare de Sanctâ Ecclesiâ, nemo non videt non esse nisi summè blasphemum, temerarium, & erroneum ; nec eiusce-modi sermonem esse alium ab illo Hæreticorum, qui hæc mala non verentur fateri ipsi sanctæ Ecclesiæ euenisse : Quare qui hæc concederet, meritò videretur esse de hæreti suspectus : Quare pro certo habeo nihil tale vnquam ab ore nostrorum Aduersariorum proditurum esse. Quid autem ipsi huic argumento possint respondere quod, aptè rei difficultati congrueret, nullâ ratione video : & æstimare licet quod etiamsi facultate ipsis datâ aliquid dicerent, merè id promerent oretenus, interius verò vt veri Catholici iam agnoscerent, & post hanc Bullam agnouisse credendi sunt rei veritatem, si non ex vi argumentorum, certè attentâ auctoritate Ecclesiæ commoti, & persuasi. Nec quia adhiberent ingenia ad aliquam responsionem aptandam, propterea iudicia inclinarent sua ad eiusce-modi responsa verè confirmanda. Neque hìc subdi posset Armaniniam occupauisse ex dicto Hyeronimi vniuersum Orbem, nam alias visum est Anonymum in hac re cæcutisse, & quemadmodum in aliis mendacia solemnia retulisse, videlicet cum dixit duos vel tres Episcopos solos cum Pontifice Romano reiterationi Baptismi Hæreticorum restitisse ; cùm Augustinus centenos, & millenos retulerit cum Pontifice Romano sensisse, & solum sciatur Carthaginenses Episcopos auctoritate Cypriani commotos in illum sensum reiterationis veniisse, nulla habitâ ratione deductâ à traditione Ecclesiæ à quâ numquam aliquis tale vlium traxit argumentum ; & de reliquo sciebatur, quod eiusmodi Baptismi Hæreticorum numquam antea

reiterari

reiterati soliti fuissent. Quapropter Cornelius Papa scripsit Cypriano vt in hac re nihil innouaretur: quod dictum ostendebat, quod vt nouum quid in Ecclesia introduceretur, si Baptizati ab hæreticis cum verâ formâ & materiâ, iterum essent Baptizandi: quasi Baptismus ab eis traditus cum debitâ intentione non esset validus: quod quia numquàm senserat antecedenti tempore Ecclesia, neque deindè erat aliter sentiendum.

5. Sed quidquid sit de efficaciâ argumenti quod sumitur ex approbatione Officij Nugarolici declarata à Sanctissimo Alexandro, quæ tacta est ex decursu procliui calami ad id quod magis intendit: hîc enim solum quæritur relinqui certum quod hæc approbatio sit certa vel de fide, vel secundum fidem, ita vt quicam negaret & reprobatum ipsum diceret ab Ecclesiâ, erroneè loqueretur: Id quod constat, quia ipsum absolutè vt proprium Ecclesiæ, & ab ipsâ compositum, & ordinatum dicitur: & ità approbatum asseueratur, vt ex approbatione decernat Pontifex plura in hac Bullâ certa secundum fidem, quæ certitudinem ab eiusmodi approbatione venantur. Quod signum est manifestum quod eamdem approbationem certam similiter secundum fidem ei ipse tradiderit.

Sed dices, nullum verbum hic promit Pontifex, quo approbet hoc Officium; quomodo ergo tantâ certitudine potest constare quod fuerit approbatum? Respondeo quod cum Pontifex declaret fuisse ab Ecclesiâ Romanâ compositum & approbatum, iam expresse illud vt à se approbatum demonstrat, quia approbatum dicit ab eâ Ecclesiâ, quæ quando, & quantum approbatur, censetur approbatum à Pontifice vt Pontifex. Et rursum hîc de nouo ipse Pontifex censetur ipsum approbauisse, dum eo vtitur ad alias doctrinas vt certas comprobadas, vt vidimus.

DIVISIO VII.

An sit de fide, vel secundum fidem certum, sententiam de Immaculatâ, esse saltem magis probabilem oppositâ; magis amplectendam & magis persuadendam quàm sit contraria, & quæ corollaria indè sequantur.

1 TAnti sunt fauores & confirmationes Sedis Apostolicæ huius præfatæ sententiæ, vt meritò post hanc Bullam quæri posset, an ex eis si non maneat vt vere non manet de fide certa, maneat de fide vel secundum fidem omninò asserenda magis probabilis; ità vt hinc signatur, provt sequitur, quod sit magis amplectenda & persuadenda aliis: Fit autem hæc quæstio quia certum est quod expresse hæc veritas non est decisa sub hisce terminis, at quia si non signatè, saltèm exercitè (propter magnam pro-

pensionem Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum quam erga ipsam demonstrarunt & expressèrunt) videtur perspicuum quod eadè maneat saltem declarata vt magis probabilis, atque adeo saltem plus amplectenda & persuadenda quàm alia; atque hoc ità sit certum, vt vel sit de fide, vel secundum fidem tenendum. Et quidem quod hæc nostra sit magis probabilis ex omni capite, constat ex communi & vnanimi sensu Doctorum Ecclesiæ; qui etiam declarauerunt & tradiderunt ex confirmationibus Pontificiis ipsi factis, hanc probabilitatem maiorem venatam fuisse, & præsertim quando Ecclesia Romana concessit, & voluit celebrari Festum Sanctissimæ Conceptionis, & quia in tali sensu ordinauit Officiū Nugarolicū, provt de eo concluſimus.

2. Ex aliâ parte posset quis dubitare de maiori istâ probabilitate, quia cum permissum sit sine notâ censuræ, & mortalis peccati, quod quis sentiat Conceptionem Dei Parentis peccato originali subiacentem, videtur etiam permissum quod eam censeat etiam magis probabilem; nam communiter qui adhæret absolutæ alicui sententiæ, ei adhæret quia ipsi videtur habere eam rationes potiores & digniores pro se, atque eam censet magis probabilem; & per consequens ei permittitur suam hanc sententiam censere magis probabilem: si autem decisum hic esset sententiam de Immaculata esse probabiliorem oppositâ, non posset dici quod sit definitum eandem oppositam esse probabiliorem ipsa: nam posito quod sit definitū quod sententia de Immaculatâ sit probabilior reliquâ de maculatâ, ista de maculatâ non potest æstimari probabilior.

3. Sed, propter solutionem quæstionis sciendum est, quod aliud est adhærere vni sententiæ, aliud verò est ità illi adhærere vt iudicetur eam esse probabiliorem; nam potest quis adhærere vni sententiæ absque eo quod illam iudicet probabiliorem oppositâ; quia potest illi adhærere perpendendo tantum rationes quæ sunt sufficientes, ad eam demonstrandam probabilem, & per consequens ad inclinandum iudicium ad illam, absque eo quod perpendantur rationes alterius sententiæ quæ esset probabilior. Præterea certum esse videtur quod etiamsi videantur rationes esse magis probabiles pro vnâ parte contradictionis, quàm pro alia: non propterea necessitatur intellectus cognitâ etiam hac maiori probabilitate quæ sit potius in vna parte quàm in alia, inclinare assensum ad talem partem; quia euidentia est illa quæ necessitat intellectum ad assensum; non verò maior probabilitas quæ stat cum iudicio possibilitatis alterius partis, & posito hoc iudicio potest intellectus inclinari ex rationibus minus probabilibus, quæ inferunt contrariam partem: Vndè falsum est quod semper intellectus iudicet secundum id quod sibi videtur magis probabile. Sic sanctissimus Pontifex Pius V. consuluit fideles, seu declarauit potuisse moueri ad assentiendum alteruti parti contradictionis in hac materia disiunctiuè, scilicet vel ex eo quod vna pars sibi videretur magis probabilis, vel magis pia; non quod magis pia non esset magis probabilis, sed quia maior pietas posset esse ratio assentiendi, non fa-

ctà reflexione ad maiorem probabilitatem. Sic in patratione miraculorum apud Infideles, bene ipſi vident maiorem credibilitatem obiectorum fidei, nec tamen eis aſſentiuntur; & Iudices vident probabilitatem maiorem vnius partis, & tamen cum peccato adhærerent ſententiæ iniuſtæ: quo conſtat non eſſe coniuncta hæc duo, adhærere vni parti, & eamdem iudicare habere pro ſe potiores rationes, quæ pro ipſa ſtent. Id quod vltimò confirmatur, quia ſi quando quis iudicat vnũ, ducitur omninò, & ſemper ex rationibus quæ ſibi videntur magis probabiles ad ei aſſentiendum, oportet ſemper eum iudicare hoc vel illud iudicium à ſe elicitum, niſũ eſſe rationibus magis probabilibus, atque adeo ſecundum ipſum eſſe tale iudicium magis probabile, & ſi ab Eccleſiâ oppoſitum eſſet iudicatum magis probabile, vt contigit in Concilio Viennenſi, tale iudicium eſſet contrarium deciſioni Concilij, & licitè potuiſſet haberi contra Concilium, quod nemo dixerit.

4. His declaratis, ſit prima Concluſio. Per declarata in hoc diplomate Pontificio, conſtat manifeſtè ſaltem exercitè à ſanctâ Sede & Eccleſiâ Romanâ traditam eſſe ſententiam de Immaculatâ, ſaltem vt probabiliorem oppoſitâ de Maculatâ.

Probatur Concluſio primò, quando declaratur quod factâ proportione, & comparatione duarum ſententiarum, tum Eccleſia Romana, tum Summi Pontifices adhæſerunt vni, & ei profeſſi ſunt ſe fauiſſe & fauere; declaratur certè quod eam ſententiam æſtimauerunt, & æſtiment probabiliorem aliâ: ſed in caſu noſtro hoc declaratur per hanc Bullam; ergo hîc declaratur quod hæc ſententia ſit probabilior; Maior videtur patere, quia ſi Eccleſia Romanâ, & Summi Pontifices fauent vni ſententiæ, potius quàm oppoſitæ, & declarant ſe ei fauere poſt multas conſultationes, præſertim per ſæcula, & numquam fauerint alteri, ſed ad ſummum illam tolerauerint, fatuum eſt cogitare de iis quod non iudicauerint, & hanc ipſam non declarauerint vt probabiliorem alterâ, ſi non verbo, ſaltè facto, & iniuriosũ eſſet decidere, quod in hac adhæſione dicto ſenſui, non viderint nec experti fuerint maiorem probabilitatem; ſed elegerint adhærere illi, vel videndo maiorem probabilitatem, vel æqualem: nam dum æqualem probabilitatem vidiſſent, non debebant tantum fauorem præſtare vni, & denegare alteri, ſed indifferenter ſe debuiſſent habere circa vtrumque ſenſum, vt patet ipſi lumini rationis, nec non quia poſitiuè fauendo vni, & non alteri, ſe expoſuiſſent, & fideles omnes periculo erroris, & debuiſſent tum ipſi ſuſpendere iudicium abſolutum, & facere vt fideles illud etiam ſuſpenderent; hoc enim dictat vis rationis, vt non magis detur vni, quàm alteri, dum pro vtroque cætera ſunt paria. Id autem quod dictum eſt ſuprà, quod omnis ferè Theologus & Doctor dum alicui ſententiæ determinatæ, & non alij fatetur ſe fauere, eam iudicare ſolet vt probabiliorem, & pro probabilioti donare communiter eſt receptum apud Theologos; & à fortiori hoc eſt dicendum in ſenſibus quibus profitentur ſe fauere Pontifices & Eccleſia Romana; quæ non niſi magis probabilibus debet adhærere, cum ea ſit ſedes veritatis, & magno vitio ſibi verteretur, ſi minus probabilibus adhæreret ſuo peculiari fauore, quando in ſimilibus minus vero recenſito, adhæreret, & ſi dicatur quod in æquè probabilibus poſſet cui vellet adhærere dum hoc ipſum verteretur vitio Theologis, qui in ſimilibus æquè ſe deberent habere, & ſolent ſe habere, & multo magis hoc eſſet vſurpandum ab Eccleſiâ & Romanis Pontificibus qui rationabilius iudicare debent, & iudicant; & in dubiis pro neutrâ parte rationabilius eſt ſtare. Iam Minor argumenti clara eſt ex totâ hac Bullâ quæ declarat Eccleſiam, & Summos omnes Pontifices fauiſſe & fauere huic ſententiæ de Immaculatâ: quare ſi non expreſsè ex hoc ipſo fauore, ſaltem exercitè oſtenditur conſequentia de iudicio maioris probabilitatis dato ab eâ, & Summis Pontificibus ſententiæ de Immaculatâ.

5. Probatur ſecundò Concluſio, quia ſi non iudicata fuiſſet hæc ſententia vt magis probabilis ab Eccleſiâ Romanâ, & Summis Pontificibus, potuiſſet, & poſſet ſancta Eccleſia dare Indulgentias celebrantibus Feſtum Conceptionis ſub ſenſu emundationis a peccato, quod in eâ extitit, quemadmodum conceditur Feſto Sanctificationis ſancti Ioannis, & poſſet etiam in hoc ſenſu confirmare Religioſum Ordinem, & Confraternitates, & alia his ſimilia conceſſa ſententiæ de Immaculatâ, concedere ſententiæ de maculatâ. Conſequens eſt abſurdiſſimum, & monſtruoſiſſimum dictum, nam poſſet hortari Eccleſia ad contradictorios ſenſus, quod nemo dicet, & ſic poteſt dici quod fideles vtrumque Feſtum celebrauerint cum conceſſione Indulgentiarum, quæ omnia ſunt ſaltem erronea. Quare ſtat noſtra Concluſio quod Eccleſia Romana pro probabiliori dederit ſententiam de Immaculata. Sequela Maioris perſpicua eſt; nam ſi non eſt iudicata magis probabilis ſententia de Immaculatâ, erit æquè vel minus iudicata probabilis, & per conſequens oppoſita ſaltem æquè probabilis, ac proindè capax earumdem Indulgentiarum & ſimilium fauorum: non enim eſſet maior ratio de vnâ quàm de aliâ, & ſic potuiſſent prætendere Aduerſarij quod tempore Sixti quando ipſi putabant traditum celebrationi Feſtum Conceptionis vt merè Feſtum Sanctificationis, vel cum peccato vel ſine peccato præexiſtẽte, vtrique ſententiæ conceſſas Indulgentias quod eſt falſiſſimum; nec vmquam vidi traditum ab aliquo de Aduerſariis qui noſtro ſenſui ſemper conceſſas Indulgentias ſuppoſuerunt, & numquam vidi intellexiſſe conceſſas ſuo maculanti, imò neque ſuo præſcindenti à maculâ, & maculam non poſitiuè excludenti: ſemper enim ſoluerunt obiectionem ductam ab Indulgentiis ab ipſiſmet ſuppoſitis datis in cultu ſecundum noſtrum ſenſum, & reſponderunt non per hoc confirmari noſtrum ſenſum, quia ſcilicet voluerunt eas conceſſas non ſenſui immediatè, ſed pietati illum habenti.

6. Probatur tertiò Concluſio, quia ſi exercitè non declarata eſſet hæc ſententia de Immaculatâ ſaltem vt probabilior, non potuiſſet Eccleſia Romana ſtatuere pro vniuerſali Eccleſiâ, neque pro ſe ipſâ Feſtum Immaculatæ Conceptionis

Conceptionis determinatè, sed disiunctiuè pro illa, vel pro Sanctificatione Virginis post peccati existentiam; dum scilicet rationes æquè essent pro vtroque sensu, vt ipsimet Aduersarij dicebant, provt vidimus in confirmationibus. Cum ergo declaratum sit Festum celebratum esse secundum sensum Immaculatæ, & non aliter, signum est manifestum, quod hic sensus sit declaratus vt æstimatus, ab Ecclesia magis probabilis. Id quod confirmatur quia vt patet ex Sancto Thoma, antiquo tempore aliqui celebrabant ante approbationem & ante consensum Ecclesiæ Romanæ, de Sanctificatione Virginis, vel exclusa primi instantis creationis animæ sanctitate, vel ex præcisa; & Ecclesia Romana & Summi Pontifices approbauerunt Festum positiuè sub sensu Immaculatæ, & non sub sensu maculatæ, neque sub sensu præscindentis, vt in hac Bulla declaratum est: ergo apertissimè cum in iudicio contradictorio stantibus aliquibus pro vno genere celebrationis, & aliis pro alio, Ecclesia Romana steterit pro sensu Immaculatæ, illum censuit saltem vt probabiliorem.

7. Probatur quartò Conclusio, quia dum Pontifex hic declarauit omnes ferè Catholicos esse pro hoc sensu; & ipsi hunc sensum vt probabilissimum, nedum vt probabiliorem censuerint, & censeant; ipseque testis sit, & profiteatur testificari quod fere omnes hunc sensum amplexi sint, & per modum laudis hoc fatentium, de hoc eorum sensu meminit, approbat certè & amplectitur vt probabiliorem eundem sensum. Nam non potest supponi quod approbetur vnus sensus vt receptus ab vniuersa Ecclesia vniuersali, & ab omnibus prorsus Ecclesiis in particulari, & sigillatim item in vnanimitate huius sensùs numerare distributiuè omnes fideles etiam Idiotas, & omnis ætatis habentis sufficientem vsum rationis ad intelligendum quod oportet in hac materia; & tamen eiusmodi sensum non amplecti saltem vt magis probabilem, alio posthabito.

8. Probatur quintò Conclusio, quia dum Pontifex sanctissimus de vtroque hoc sensu dixerat in hac Bulla, & de illo maculatæ Conceptionis solum velit non esse censurandum hæresis, peccati mortalis, & impietatis; nec verbum adhibet quo illum liberet ab aliis notis inferioribus, cúmque præterea notet per secula fuisse occasionem scandalorum, iurgiorum, & dissentionis in Ecclesia Catholica; necnon duritiei eorum, qui ei fauére in non seruatis Pontificum mandatis, & incursionem in excommunicationem: & de reliquo contrarium sensum Immaculatæ laude à veteri fidelium pietate prodire, & prodiisse, signat; & semper eum incrementa suscepisse in Ecclesia & confirmatum variis actibus Pontificiis recenseat, eique se fauere, & omnes antecedentes Pontifices fauisse declararet; narret, & rationes validas assignet eiusmodi fauoris, quæ nullo modo in oppositum concludunt; sed solùm pro hoc sensu in reiectionem contrarij valeant, quis non videat nisi cœcus, nisi stultus, nisi fatuus per hæc acta se declarare quod æstimet hunc sensum saltem vt probabiliorem, si non signatè, saltem exercitè: dico saltem, quia hæc iudicia expressè tradita videntur non solùm exercitè, sed signatè declarare hanc æstimationem maioris probabilitatis præfati sensùs.

9. Id quod confirmatur efficaciter, quia illi sensus qui amplexi sunt hac ratione vel simili, imò minoribus indiciis approbationis istis hìc numeratis; æstimati sunt recensiti à Summis Pontificibus vt magis probabiles sibi oppositis: ergo & iste cùm maiora signa approbationis, vel saltem similia habeat, quàm sibi oppositus; censendus est ab iis æstimatus & traditus vt magis probabilis. Antecedens probatur ex consecratione in fermentato, in quo Pontifices permittunt Græcos consecrare, & in Azimis Ecclesiam Latinam volunt conficere sacrificium: nemo enim ex hoc dubitauit probabiliorem censuisse Pontifices sententiam de consecrando in Azimis, quàm de consecrando in fermentato: cùm de facto secundum ptimam sententiam sacrificium offerri præceperint: Quare pari ratione cum secundum sensum Immaculatæ præceperint offerri Missæ sacrificium, nulla verò secundum sensum Aduersariorum, apertè demonstrarunt ex declaratione sanctissimi Alexandri, quod primum sensum Immaculatæ æstimauerint probabiliorem secundo maculatæ; & in hac comparatione, vlterius existimandum est quod sensum maioris probabilitatis habeant de Immaculata, ostenderunt Pontifices, quàm de consecrando in Azimo, quia consecrationé in opposito & fermentato permiserunt Græcis, quemadmodum & sensum expressum quod in eo debeat consecrati, quod non concessit sentientibus contra Immaculatam Conceptionem. Quo ostenditur quod si pro probabiliori sentu consecrationis in Azimo, sient exercitè signa in Ecclesia ex facto consecrationis, ex facto saltem celebrationis sub sensu Immaculatæ, haberi vt probabiliorem omninò datum in Ecclesia saltem à Pontifice Alexandro VII. sensum eiusdem Immaculatæ.

10. Id quod etiam confirmari potest ex libris sacrorum Canonum, in quibus sæpè plures responsiones dantur ad quibus obiectis, plurésque doctrinæ, quarum vna agnoscitur data vt probabilior altera, quia traditur ex propria sententia, & alia vt minus probabilis ex sententia aliorum, licet admissa à Pontifice. Sic in Decretalibus lib. 3. Tit. cap. 2. Tit. 42. dicitur. [Similiter & illa auctoritas soluenda est, qui tradiderit & Baptizatus fuerit &c. cum non possint credere paruuli sed adulti, & ab hoc tota auctoritas sit hìc intelligenda de adultis, ne ad alios prima (scilicet de fide actuali) & ad alios secunda (scilicet de fide habituali clausula referatur. Quamuis nonnulli concedant quod paruuli credunt non per vsum sed per habitum fidei, quem suscipiunt in Baptismo, sicut & multa alia verba secundum communem vsum loquendi, non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur.] Vbi patet primam responsionem doctrinalem dari vt probabiliorem ex sensu proprio, & aliam ex sensu aliorum non cum tanta probabilitate datam: Ex quo apparet quod cum sententia de Immaculata dicatur illa cui fauére Pontifices, & quam amplexa est Ecclesia Ro-

mana, & vniuerſalis, & alia: neque nominatur vt admiſſa quomodocumque à Pontificibus, certè non poteſt dici ſecunda admiſſa neque æſtimata æqualis probabilitatis cum illâ de Immaculatâ, atque eorum ſimilium plura poſſunt afferri exempla ex ſacris Canonibus: & ſic patet aſſumptum.

Probatur ſextò hoc ipſum efficaciſſimè ex iis quæ dant Pontifices Beatificationibus Sanctorum antequam canonizentur, comparatis cum iis quæ præſtitere, Feſto & celebrationi Conceptionis ſecundum ſenſum Immaculatæ; etenim cum conſtet magis dediſſe Feſto ſecundum ſenſum de Immaculatâ, quis non videat quod hunc ſenſum ſaltem vt magis probabilem dederit quàm oppoſitum. Et quoad Beatificationem Sanctorum, ſcimus quod Pontifices non conſentur eos Beatificare niſi dando licentiam vt poſſit offerri Sacrificium, & recitari Officium in eorum honorem; atque adeo non vtitur aliis niſi, *Liberè & licitè poſſint, & valeant.* Atque ità hæc verba vſurpari patet in Bullis Beatificationis de ſancto Fœcundo à Clemente VIII. in iis Pauli V. in Beatificatione SS. Ignatij & Franciſci Xauerij, & Beati Thomæ Villanouæ, & loquens de Beatificatione ſancti Ignatij Vrbanus VIII. item dixit. [Idem Paulus prædeceſſor ex ſententiâ eorumdem Cardinalium, quod dictus Ignatius Beatus nuncupari, & de eo Miſſa & Officium de Communi Confeſſoris non Pontificis celebrari poſſet, benignè conceſſit & indulſit.] Et in Bullâ Beati Fœlicis de Cantalitio, *Licentiam & facultatem concedimus & impartimur*, ſcilicet dicendi Miſſam & Officium. Et in Indulto Officij de ſancto Conrado. *Tenore præſentium licentiam & facultatem perpetuò concedimus & indulgemus.* Et in ſimili Beatæ Margaritæ de Cortona; *Liberè & licitè poſſint & valeant.* Quemadmodum & in illo Beati Aloyſij Gonzagæ, Caietani Thianei, Andreæ Auellini, Iacobi de Marchion, Paſchalis Bailin, Ioannis de Deo, & in Feſto Beati Franciſci Borgiæ, Bulla item dicitur. [Ipſo nempe die obitûs Miſſa celebrari, & Officium de Communi Confeſſorum non Pontificum recitari iuxta Rubricam Miſſalis & Breuiarij Romani reſpectiuè liberè, & licitè valeant, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus.] Hoc autem totum, imò maius, cum habeatur in celebritate Conceptionis Dei Matris ſecundum ſenſum Immaculatæ, pro certo habetur quod ſi Beatificatio eſt certa, nec errori ſubeſt, à fortiori hoc dicendum eſt de ſenſu Immaculatæ in Conceptione Virginis, cui digniori formâ conceſſum eſt Miſſa & Officium, & per conſequens declaratus is venit ſine vllo dubio vt magis probabilis, quàm oppoſitus.

11. Quanto autè digniori formâ competat Conceptioni Immaculatæ, id quod traditum eſt Sanctis in eorum Beatificatione patet, quia in prima conceſſione Miſſæ & Officij à Sixto IV. in Bulla *Cum præexcelſa*, ſic dicitur. [Dignum, imò potius debitum reputamus, Vniuerſos Chriſti fideles vt Omnipotenti Deo cuius prouidentia eiuſdem Virginis humilitatem ab æterno reſpiciens, pro reconciliandâ ſuo auctori humanâ naturâ, lapſu primi hominis æternæ morti obnoxiâ, eam ſui Vnigeniti habitaculum Sancti Spiritus præparatione conſtituit, ex quâ carnem noſtræ mortalitatis pro redemptione populi ſui aſſumeret, & Immaculata Virgo poſt partum nihilominus remaneret; de ipſius Immaculatæ Virginis mirâ Conceptione gratias & laudes referant, & inſtitutas propterea in Dei Eccleſiâ Miſſas, & alia Diuina Officia dicant, & illis interſint, Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus inuitare, vt exindè fiant eiuſdem Virginis meritis, & interceſſione Diuinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, eiuſdem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolicâ hac in perpetuum valiturâ Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus quod omnes & ſinguli Chriſti fideles vtriuſque ſexûs qui Miſſam & Officium Conceptionis eiuſdem Virginis Glorioſæ iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarij noſtri, & quæ deſuper à nobis emanauit Miſſæ & Officij huiuſmodi inſtitutionem in die Feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ, & per Octauas eius deuotè celebrauerint & dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint eandem prorſus Indulgentiam, & peccatorũ remiſſionem exinde conſequantur, quam iuxta felicis recordationis Vrbani IV. in Concilio Viennenſi approbatas, & Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, conſequantur illi, qui Miſſam & Officium, & Horas Canonicas in Feſto Corporis Chriſti & Sanguinis Domini noſtri Iesv Christi à primis Veſperis, & per illius Octauas iuxta Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem celebrant, aut dicunt, aut Miſſæ, Officio, & Horis huiuſmodi interſunt, præſentibus, & futuris temporibus valiturum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Domini 1476. tertio Kalendas Maij, Pontificatûs noſtri anno ſexto.]

12. In quibus verbis ſuprà id quod traditur Beatificationi de merâ conceſſione Miſſæ, hîc habetur iudicium expreſſum Pontificium è Cathedrâ Petri emiſſum. Primò quod ſit conueniens & digna hæc celebratio Immaculatæ Conceptionis. Secundò quod ſit debita, quod eſt longe maius. Tertiò quod ad talem celebrationem inuitet Pontifex fideles, eóſque ad eam hortetur. Quartò quod allicias Indulgentiis. Quintò quod ordinauerit Officium particulare. Sextò quod eius celebritati Octauam conceſſerit. Septimò quod eaſdem Indulgentias conceſſerit quæ datæ ſunt feſtiuitati Corporis Domini, & ei in hoc æquauerit celebritatem Conceptionis Deiparæ. Octauò quod non merè conceſſit dici Miſſam & Officium tantum, ſed hoc ordinauit & ſtatuit. Nonò quod hanc Bullam in Extrauganti *Graue nimis*, confirmauit, motu proprio. Quæ verba & clauſula ex Barboſa tract. de clauſ. vſuque clauſ. 79. [Vim habent reddendi diſpoſitionem fauorabilem.] Nec non [ſtante hac clauſulâ videri probata omnia ea quæ Princeps aſſerit in ſuis litteris.]

Tertiò

Tertiò causat quod [Causa præsumitur in Principe rescribēte motu proprio.] Et Quartò. [Vt amplient gratiam circa expressa.] Et ostendant ex se ipso non ab alio motum Pontificem, atque adeò peculiari dictamine Spiritûs sancti, cuius oppositum dixit Gregorius XV. in Beatificatione B. Petri de Alcantara, nam ait. [Nos supplicationibus huiusmodi inclinatis, de eorumdem Cardinalium consilio, vt idem Dei seruus Petrus de Alcantara in posterum Beatus nuncupetur.] Vbi supradictæ omnes conditiones militantes in præceptione Missæ & Officij de Conceptione sine macula Sanctissimæ Genitricis Dei (quæ locum non habent in Beatificatione Sanctorum) ostendunt magis approbari à Pontificibus Festuitatem Virginis Conceptionis, & sensum Emaculationis eius, quàm charitate & gratia. Vndè ad euidentiam infertur quod si summa & non sola maiori probabilitate ex talibus decretis Pontificiis de Beatificatione Sanctorum potest inferri eorum mors in gratia, vel vita gloriæ: multo magis constat, quod propter idem caput approbationis Pontificum, & magis militans seu cum conditionibus maioris ponderis inferatur ad euidentiam quod Conceptio Virginis emaculata, & secundum hunc sensum emaculationis, sit hîc approbata saltem cum insignibus maioris probabilitatis; neque de hoc dubitari posse videtur.

13. Probari etiam potest septimò, latè & omni efficacitate ex iis, quæ dicemus infra, ostendentes esse veniale post hanc Bullam adhærere huic sententiæ, quia constat eam esse vt minus probabilem declaratam à Pontificibus, nec non quia ex iis, quæ ipsi declarauêre, videtur valdè proxima definibilitati & certitudini fidei, vt alibi per longum trademus; ex inibi enim dictis patebit hæc conclusio à fortiori, quæ omnes rationes ibi adducendæ fundantur præcipuè in declarationibus Pontificiis, & præsertim in ista maiori quæ habita est à Sanctissimo Alexandro VII. Vndè non videtur vlterius immorandum in hac probatione, quæ adhuc potest esse maior, cum innumera semper de nouo occurrant de hac re argumenta. Sed illud est maximum & meo iudicio insolubile, quia Pontifex Sixtus declarauit, vt vidimus in eius verbis sæpè adductis, quod dignum, imò debitum esset colere Deiparæ Immaculatam Conceptionem, & eum hîc Sanctissimus Alexander declarauerit eum loquutum de cultu secundum hanc sententiam. Declaratum item remanet quod debitus sit iste cultus secundum hunc sensum, qui certè si non esset saltem magis probabilis nulla ratione præ sensu contrario, qui illum dicit maximè indebitum; posset dici debitus; nam dum æquè probabilitatis sententiæ sint de debito vno, vel non debito, non potest pronunciare tale absolutè debitum, sine sua maiori probabilitate, sed saltem dubiè debitum, & non absolutè, & sine vlla formidine oppositi, pro vt illud tradit Sanctissimus Sixtus. Quare videtur Conclusio ità probata, vt non possit probari fortiùs in hoc genere: Quare veniendum est ad secundam.

Secunda Conclusio. Videtur de fide, vel secundum fidem certum, esse concludum in præcedenti conclusione, quod scilicet exercitè per Bullam præsentem Sanctissimi Alexandri VII. maneat declarata hæc sententia de Immaculata, saltem vt magis probabilis.

14. Quæ Conclusio supposita, prima est ità certa, vt dubitari de ea non possit, nam ea capita per quæ ipsa ostenditur magis probabilis, sunt omnia certa vel de fide, vel secundum fidem, vt pote expressè tradita, declarata, & confirmata in hac Bulla: ergo exercitè iam hæc sententia de Immaculata, est declarata de fidè vel secundum fidem; quia quando alicui sententiæ attribuuntur de fide vel secundum fidem, certa ea quæ euidenter eam ostendunt magis probabilem: Exercite talis sententia declarator vt magis probabilis, cum tractetur & ea insignia habeat ab eo qui potest hæc illi dare, quæ eam ostendunt magis probabilem: sed hæc sententia de Immaculata, habet superiùs dicta declarata à Pontifice, quæ sententiam ostendunt magis probabilem: ergo hæc sententia est hîc declarata & exercita saltem vt magis probabilis, ità vt hoc sit visum vel certitudine fidei, vel secundum fidem.

Quibus determinatis, sit tertia Conclusio, quod sententia de Immaculata Conceptione, est magis amplectenda & persuadenda. Probatur Conclusio manifestè, quia inter duas sententias, quarum vna est probabilior ex statuto Pontificis, & alia bonus probabilis, non potest esse dubium, quod saltem sit magis amplectenda & suadenda, si non certo credenda, & vt talis tradenda, & non minus probabilis: nam sequendum est iudicium Summi Pontificis tacitè definientis istam maiorem probabilitatem: Nam posito hoc iudicio in Pontifice, debet omnis fidelis hoc ipsum iudicium sequi, & si contrarium habet, errat, vel hæreticè, vel erroneè; nam definit sæpè Pontifex, vt egit, quod aliqua propositio sit temeraria, vel hæretica, vel erronea. Et per consequens potest definire quod sit minus probabilis; vndè bene potest definire magis probabilem oppositum, provt legitur sæpè in sacris Canonibus, & patet in Viennensi Concilio. Posito autem quod quis habet hoc iudicium quod aliqua sententia sit magis probabilis, nemo non videt quod sequitur, quod ea sit magis amplectenda & suadenda. Nam lumen ipsum rationis dictat, quod id quod iudicat intellectus esse magis probabile, illud tale debet magis amplecti, & suadere aliis, quàm oppositum quod æstimat minus probabile; neque in hoc est immorandum ad hoc deducendum in casu nostro, cum apertissimè sequi videatur.

15. Ex his deduci debet tamquam euidens primum Corollarium, quod nemo debet applicare animum ad quærendas rationes, quæ oppugnent hanc sententiam de Immaculata, nisi vt eas soluat, & videat, & ostendat inanes; quia vt sic applicaret animum ad inclinandum intellectum ad sententias minus probabiles, & receptas vt tales à Magistro veritatis; nec non ad exponendum se proximè periculo erroris, & rursum ad sentiendum quod sententia opposita esset magis probabilis, contra definitionem Pontificis, in quo deficeret

erroneè

erroneè vel hæreticè, vt patet ex dictis. Quare qui ad hunc finem legeret libros, quæreret scripta, cum aliquo conferret de rationibus eiusmodi, de glosis à Patrum specularetur, & scripturarum ad hunc eundem finem, peccaret & deficeret grauiter; nam contrairet iudicio definitiuo Pontificum, si non directè, saltem indirectè, & mediatè, & daret operam iis, quæ opponerentur tali iudicio, & quemadmodum qui quæreret rationes contra decreta de fide, & ad aliquid inueniendum contra ea, vel esset Hæreticus, vel peccatum committeret mortale reductitium ad hæresim; ità pari ratione qui his dictis operam daret, quod opponerentur, & opponuntur huic definitioni, vel quasi definitioni Pontificum, non nisi grauiter peccaret, & meo iudicio mortaliter, propter periculum præsertim incidendi in iudicium contrario iudicio definitiuo, vel quasi fidei definitiuo Summi Pontificis, illud promentis ex Cathedrâ.

16. Secundum Corollarium esse potest, quod si quis modò iudicaret quod vnanimis sensus Patrum sit pro sententiâ maculante Conceptionem, vel quod Scripturæ sacræ magis inclinant ad oppositam sententiam, præter quam quod erroneè iudicaret, peccaret grauiter. Secundò patet manifestè, quia sententia probabilior non potest esse contra vnanimem sensum Patrum, contra quem non potest sentiri ex Theologorum certâ doctrinâ: nec ea potest habere contra se maiorem inclinationem Scripturarum; nam maior inclinatio Scripturarum trahit ad ad se vnanimem sensum Patrum, & quæ sententia non potest habere primos contrarios, neque potest habere contra se magis inclinantes Scripturas.

17. Tertium Corollarium est, quod qui hæc modò dicta iudicia exprimeret verbo vel scripto, præter errorem in fide in quem incideret, certè incideret in excommunicationem latam ab Alexandro sanctissimo, qui excommunicat omnes eloquentes contra sententiam de Immaculatâ, & nemo ambiget has propositiones eam infamare, summéque ei detrahere, & contradicere; cum ipse excommunicet omnes eius contradictores quomodocunque ei contradixerint, vt patet ex §. à nobis declarato superiùs.

18. Quartum Corollarium esto: non ità certum est sicuti præcedentia, quod non possint Aduersarij probabiliter dicere quod posito quod sententia maculans sit S. Thomæ, non debeat Ecclesia, nec Summi Pontifices definire certam de fide illam de Immaculatâ, tum quia contra obstat eius doctrina, tum etiam quia sic iniuria quædam videtur fieri eius doctrinæ à Pontificibus approbatæ; nam cum hîc ostensum sit Ecclesiam Romanam, & Summos Pontifices nihil his obstantibus definiuisse, & statuisse maiorem probabilitatem sententiæ huius de Immaculata, quamquam in oppositum sensus S. Doctoris, & sine eius iniuriâ vllâ; ità rectè potest & conuenienter Pontifices definient illam de fide, & dicendum sit hanc auctoritatem eius non debere obstare, quando Summo Pontifici ex reliquis præsertim capitibus satisfactum erit quod sit definienda. Id quod non video posse ab Aduersariis infringi; nam si dicatur quod ex hac declaratione Pontificiâ non fit vllum præiudicium doctrinæ S. Thomæ, cum remaneat adhuc ipsa vt probabilis; nec censurari possit, debet attendi quod omninò sit illi præiudicium, dum pro certo traditur existimandum fidelibus, quod ea in hoc sit minus probabilis, nec dubitari possit de hac suâ minori probabilitate; atque adeò quod non sit nec amplectenda, nec suadenda, nec vllo modo docenda, aut vtendum rationes pro ea inuestigare, eámque confirmare. Hoc enim negari non potest quod sit præiudicium notabile alicui doctrinæ; nam si esset vniuersale pro omnibus sententiis eius, inferretur quod non esset legendus, neque sequendus in suis sententiis.

19. Quintum denique Corollarium esto, quod non sit vllo modo dicendum, quod sententia de Immaculatâ non possit definiri absolutè; nam posito quod definita sit exercitè eius maior probabilitas, hoc actu infertur rectè posse præueniri ab Ecclesiâ ad certam definitionem; nam eadem capita quæ eius maiorem probabilitatem intulerunt, eadem ducta à Iudiciis Ecclesiæ, & Summorum Pontificum, sunt efficacia ad demonstrandum absque dubio eius definibilitatem. Nec dici potest quod ex Scripturâ, & traditione, & sensu Patrum, ea non possit deduci certò, nam si hoc verum fuisset maior eius probabilitas diceretur non fuisse deducta ex his capitibus, quod omninò videtur falsum. Nam deberet dici quod Pontifices dedere maiorem probabilitatem alicui sententiæ Theologicæ, & in materia supernaturali, absque motiuo & lumine, & ratione seu capite non supernaturali, quod falsum omninò est, cum doctrina supernaturalis non potest deduci nisi ex principiis supernaturalibus, quæ non possunt non refundi in Scripturas, traditionem, & Patres, reuelationes particulares, miracula, & similia.

20. Sextum Corollarium sit, quod erronea vel temeraria sit propositio quæ modò asseret Scripturas sacras: neque sanctos Patres inclinare in sententiam de Immaculatâ, quia cum iis vtatur ad confirmandam ipsam Pontifex Sixtus IV. in Officio à se ordinato, quodve ordinatum ab Ecclesiâ Romanâ fuisse declarat sanctissimus Alexander: omninò erraret qui impertinentem diceret, & falsam hanc declarationem Scripturarum & Patrum pro hac sententiâ, nam quando constat quod Ecclesiæ Romanæ opus sit Officium Nugarolicũ, constat item quod principalia in eo contenta confirmata sunt, & secundum probabiliorem saltem sensum tradita: quare cum hæ scripturarum declarationes, & Patres adducti, pro hoc sensu sint principalia eiusdem Officij, ea omninò credenda sunt vt approbata, saltem secundum probabiliorem sensum, & per consequens qui diceret non benè dici quod Scripturæ, & Patres non fauent huic sententiæ, erroneè vel temerariè videretur loqui ex hoc capite, ne dum esset excommunicatus, quia in aliquo etiam principali contradiceret sensui Immaculato. Maximè autem approbari videtur in hoc Officio intelligentia, illius loci Canticorum, *Macula non est in te*, quod

quod intelligitur de negatione Originalis in Virgine, nam sæpè hoc repetitur; & aliæ plures Scripturæ de hoc Conceptu Immaculato declarantur, vt dicemus latè in Opusc. proprio de hac re, & innumeræ per modum applicationis ei aptantur: quare omninò videtur certum, quod saltem secundum probabiliorem sensum sacræ Scripturæ in Immaculatum inclinat, & temerè id aliquem negare.

21. Quoad Patres hoc ipsum patet, quia quam plurimi Patres pro hoc sensu ibi adducuntur: Quare temerariè quis diceret hos Patres non benè intelligi pro hoc sensu dum pro eo eos adduxerit Romana Ecclesia, quæ non potest errare in his principalibus à se editis in materia, & controuersia supernaturali; & saltem approbauit vt magis probabilem hanc Patrum expositionem, loquendo de iis saltem collectiuè sumptis, quorum adductio vt hîc est quid principale in illo Officio. Patres autem ibi adducti per longum sunt, videlicet S. Augustinus multoties, S. Anselmus, Ricardus de S. Victore, S. Ildephonsus, Hilarius, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Cyrillus, Bernardus, & Hieronymus. Quare cum asserere quod magis vel non magis probabiliter Patres sint intelligendi fauere conclusioni de Immaculata, videatur temerè dici, & reprobari confirmationem & opus Pontificum, & Ecclesiæ Romanæ: omninò male diceretur Patres non magis probabiliter esse pro Immaculato Conceptu.

22. Septimum denique Corollarium hoc sit, quod posita approbatione Officij Nugarolici vt ordinari à Sancta Romana Ecclesia, videtur saltem temerariè si non erroneè dici, de reuelationibus & miraculis adductis pro Immaculato sensu, quod sint falsæ loquendo de iis vniuersim sumptis; quia cum magnus eorum numerus contineatur in Officio concesso recitari eodem tempore cum illo Nugarolico ab eodem Pontifice Sixto, qui tot tantásque reuelationes & miracula diceret esse falsas, & saltem non magis probabiliter veras temerariè & erroneè fortè loqueretur, quia nullam faceret approbationem Pontificiam factam Officio Bernardini de Bustis, vt eâ ipse affert in suis sermonibus, & refertur in Regestu Cismontanæ Familiæ, pag. 1. Hoc autem modò constat, quia cum Aduersarij Nugarolicum repellebant vt expunctum, atque adeò vt reprobatum; cum iam ex declaratione Pontificis ipsum modo maneat approbatum, declarata vt nulla expunctione, quæ potuerit tollere primam approbationem Sixti IV. Vndè clarè liquet quod Officium item Bernardini de Bustis approbatum ab eodem Sixto vt recitabile per omnes Ecclesias, non posset continere in principalioribus falsa, neque minus etiam debere continere magis probabilia. Quare qui hanc vltimam maiorem probabilitatem talibus dictis negaret, videretur temerè loqui, stante approbatione illa Pontificia, & vsu talis Officij concesso in Ecclesia Dei ex vi Sedis Apostolicæ.

DIVISIO VIII.

An de fide, vel secundum fidem sit certum, quod Sententia de Immaculatâ Conceptione sit pia, quáque ratione maneat oppositam non esse piam,

1. PIAM esse dicendam hanc Sententiam pronunciantem pro Immaculata Conceptione, dubitari non potest, quia piam ipsam pronunciauit hic Pontifex: sed dubitari potest, an hoc Epithero ità ipse eam insigniuerit; vt voluerit hoc relinquere vt certum in Ecclesia, eámque docere, de pietate huius sententiæ; cum merè nominauerit eam piam, nec visus sit per modum doctrinæ ità tenendæ ab Ecclesia, vsurpasse hoc adiectiuum, sententiæ de Immaculata adaptatum: Sic si pium nominaret aliquem Principem virtum fama bona præditum, è viuis sublatum, in sua Bulla Pontifex; non propterea intelligeretur hoc Epithetum conuenire illi debere taliter, vt qui eum hominem pium negaret, fidei contraire esset censendus, vel hæreticè, aut erroneè loqui, quia eiusmodi Epitheta traduntur à Pontificibus, considerate quidem, & magna cum ratione; sed non aptantur semper, vt velint tradi sub nomine doctrinæ certæ, vt qui ab ea aberraret, erroneè à fidei dogmatibus aberraret. Quod patet manifestè in adiectiuo, *Immaculata*, quod traditur à Pontificibus Conceptioni Virginis nec tamen deficeret à fide vel proximis fidei, qui eam Immaculatam negaret: Quare videtur quod similiter etiam si Pontifex hanc nostram sententiam in hoc diplomate piam asseruerit, non proindè eam ità hoc Epithero insigniuerit, vt qui illam non piam pronunciauerit, erroneè, vel hæreticè loqui sit æstimandus; imò neque temerarium quid dicere; cum plures ex Aduersariis eam non piam voluerint; ita vt Bandelus in sua vnica disputatione de hac materia in primo capite inter Conclusiones, quas promit, secunda est eiusmodi. [Dicere Beatam Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, non est pium.] Cui subdidit tertiam, dicens. [Tertia Conclusio. Opinio quæ asserit Beatam Virginem originale peccatum in sua Conceptione contraxisse, maximè congruit fidei pietati.] Quare voluit non solùm sententiam piam non esse eam de Immaculata, sed piam esse maculantem Virginem in Conceptione, cui subscripsêre alij eiusdem farinæ: Sed hîc Pontificem determinatè tradidisse hanc sententiam vt piam, & voluisse hanc veritatem vt certam, videtur constare, quia dum Aduersarij attributum hoc *Pia*, noluerint illi dare, idque id semper ab ea amouerint, vel noluerint concedere, dum absolutè illam piam pronunciat, absque eo quod constet aliqua facultas ab ipso data aliter opinandi, quemadmodum contigit in traditione nominis Immaculatæ Conceptionis, cum qua iam

conſtabat tradita facultas eo tempore contrarium ſentiendi & dicendi: hinc videtur apertè oſtendi quod hanc noſtram ſententiam voluerit inſignire hoc attributo, ità vt nemo illud poſſit ei denegare.

2. Pro reſolutione autem quæſtionis, recolenda & adducenda hîc ſunt breuiſſimè, quæ in explicatione Bullæ notauimus ſuprà, videlicet quod nomine piæ ſententiæ non intelligitur hîc ſententia piorum hominum qui Trutina Theologica non vtuntur, in amplectendis his vel illis ſenſibus, ſed ducuntur magis ex affectu deuotionis, non adhibita magna diſcuſſione in iudicandis, & merè quomodocumque probabilibus coniecturis, qui innituntur eo quod id de quo enunciant, fidei non repugnat. 2°. notandum nomine piæ ſententiæ hic intelligi ſententiã illam quæ maximè pietatem in cultu Diuinorũ ſequitur, & attẽdit debitum honorem præſtandũ in hac re Deiparæ, ità vt qui illum ei deneget, vel erret, vel ſaltem non illi præſtat eum honorem, qui ipſi debitus ſit, etiamſi non ſit coactus, ſicuti non cogitur quiſque fidelis in hac re in omni aſſenſu eum præſtare Virgini. Recolendum Tertiò item hîc eſt quod in Concilio Tridentino actum eſt de hoc attributo dando huic ſententiæ, ſed abſtinuêre Patres, quia oppoſitè ſentientes, impietatis accuſari nolûerunt, & hac ratione videri damnatos eſſe: Et Quartò tandem huc eſt adducenda tota ſeries Bullæ quæ filum ducit ex pietate fidelium hunc ſenſum habentium, & hanc ſententiam amplectentium, quæ ab hac ſententiâ vel profluxit, vel eam inuenit; vtrumque enim dici poteſt circa hanc rem contigiſſe, & quod hæc ſententia cauſarit pietatem; & rurſum, quod ea pietate defluxerit, & ſæpè ab eâ deriuetur: nam, vt ibi ſuprà diximus, quemadmodum in fidei actibus qui in intellectu conſiſtunt, interuenit vt eos cauſet pia affectio bonæ voluntatis inclinantis intellectum ad aſſenſus fidei: ità ipſa pietas colendi Deiparam omnibus modis (dum rationes ſufficientes habet ad eam iudicandum in Conceptione Immaculatam) maximè inclinat, & impellit intellectum ad aſſenſum certum moraliter & prudentialiter talem de eius emaculatione ab originali. Rurſum, ipſe aſſenſus emaculationis Dei Matris, quemadmodum poteſt euenire in fide, poteſt eſſe cauſa impellens virtutem pietatis ad exequendum & præſtandum ipſi cultum, honorem, & ſummam reuerentiam, & ſigna gaudij & exultationis, propter eiuſmodi emaculationem ſuam: nec non ad gratias agendas Deo propter talem gratiam illi conceſſam: ſicut actus fidei exerciti cum magna certitudine, determinant etiam voluntatem, & eam impellunt ad augendam piam affectionem credendi, pro vt dicitur in Philoſophicis, quod actus productus ab habitu, etiam producit habitum. Quibus benè perpenſis, reſoluitur præſens Quæſtio.

3. Prima Concluſio. Cenſendum eſt probabilius, quod de fide, vel ſecundum fidem certum ſit ſententiam de Immaculata Conceptione eſſe piam.

Probatur Concluſio primò, quia vt ſic eam tradit Pontifex in hac Bulla, ergo vt talis ea tenenda eſt. Anteced. probatur, quia abſolutè indubitanter, & vt docens Eccleſiam eam appellat piam auctoritate Apoſtolica; nec oppoſitum dici permittit: ergo de fide, vel ſecundum fidem tenendam eam tradidit; nam plura hîc decreuit vt certa tenenda tum alio modo ab iſto, quo tradidit ſententiam hanc vt piam. Quemadmodum ergo ſuperiùs dicta demonſtrata ſunt eſſe decreta & tradita vt de fide, vel ſecundum fidem tenenda; ità de fide, vel ſecundum fidem æſtimandum eſt ſententiam de Immaculata eſſe piam.

4. Probatur ſecundò Concluſio, quia hæc attributio pietatis controuerſa ſemper fuit ex inſtantiis in contrarium, ſententiæ maculantis Virginem: ergo dum ea non fuerit vmquam conceſſa huic ſententiæ, modo ei tradita ſit expreſsè, cum non oporteret propter ſeriem Bullæ, nec poſſit ſupponi quod Pontifex neſciuerit aſſertum ſententiæ contrariæ in oppoſitum: Conſequens eſt manifeſtum, quod vidit Pontifex ſe decidere in hac re litem, dum ſine vllo capite permiſſionis alterius ſenſûs, protulit hanc ſententiam vt piam; atque adeo eam vt piam voluit decernere vel de fide talem, vel ſaltem ſecundum fidem dicendam piam.

5. Probatur tertiò Concluſio, quia cum maximè à pietate procederet hanc ſententiam, vel cum pietate eſſe coniunctam, in Bulla hac tradiderit Pontifex; & de hoc pietatis argumento circa hunc ſenſum manifeſtè, & in principalibus partibus Bullæ egerit: & pietatem eamdem confirmauerit in hac ſententia vt docens Eccleſiam, & declarator verorum ſenſuum Eccleſiæ, omninò cum tradidit hanc ſententiam vt piam, tradidit eam vt piam omninò tenendam à fidelibus; adeóque vel de fide vel ſecundum fidem tenendam, corrueret; & per conſequens corrueret certitudo aliorum aſſertorum; nam inde concluſit Pontifex quæ notauimus, quia ſcripſit veterem fuiſſe pietatem fidelium; in hoc ſenſu, & rurſum addidit in ſecundò §. auctam hanc pietatem poſt conſtitutionem Sixti IV. & tertiò ſubdidit rurſum auctam hanc pietatem ex confirmatione Ordinis Religioſi, innumerarum Confraternitatum, & Indulgentiarum, & eius vniuerſalitatem declarauit, dum hanc ſententiam ex hac pietate defluentem ab omnibus ferè Catholicis amplexatam fatetur. Quartò item piam dicit inſtitutionem Officij Nugarolici; & quintò repetit ſe velle pietati fidelium in hoc ſenſu fauere, & tueri rurſum pietatem eamdem, omninò dum piam tandem hanc ſententiam nominat, ex tanto & tali diſcurſu, & ſerie repetitionis eiuſdem ſenſûs, & attributionis, huic ſententiæ, hanc attributionem ei aptat, certè non aptat niſi vt ipſi certò aptandam cum certitudine vel de fide vel ſecundum fidem cenſendum eſt; alioqui corrueret & nutaret item tota doctrina affirmans nec ea aſſet ab ipſo vt certò habenda tradita, quod apertè repugnat aſſerere; neque aliquis tam audax & pertinax inuenietur, qui contra ſentiet.

6. Probatur quartò Concluſio, quia ſi non de fide, vel ſecundum fidem certum tradidiſſet Pontifex ſententiam de Immaculata eſſe piam,

piam, sed quodam modo assertiuo condictionem patiente, saluis iuribus Sedis Apostolicæ: non oportuisset prohibere Pontificem, ne quis impietatis damnaret opinionem oppositam; cum id non egerint Pontifices antecedentes, neque tale quid vmquam expresserint in suis Bullis, nec is id egerit sine dignissima causa: certè ea esse non potuit alia nisi quod timuit Pontifex, quod ex suis dictis aliquis inferret quod si pia esset certò sententia emaculans Deiparam ab originali, impia fortasse diceretur opposita sibi ex diametro; atque adeò cum ea grauis esset nota, & peccati mortalis arguens eam tenentes, vt pote hoc attributo censuratam, & à sacris Quæsitoribus coercendam: qui discursus nullus esset, si attributum pietatis concessum huic sententiæ nõ fuisset ei cum certitudine dicta traditum, cum posset ea negari sine vlla nota censuræ; nec proindè argui posset opposita sententia impietatis; nam si dubium esset an sententia emaculans esset pia, vel non esset: ineptum esset dicere, nec notandum quod ea impietatis non esset arguenda, sicuti per plura sæcula numquam fuerit cautum etiam eo tempore quando plurimum efferuescebãt ingenia, & prorumpebãt in has censuras. Quod signum est manifestum quod Pontifex voluit firmam, & pro firma doctrina tradiderit quod pia esset hæc sententia, & de reliquo consuluit obstaculo in Tridentino proposito, quod contraria insimularetur impietatis; quo appareat quo modo Deus suam Ecclesiam, medio Pontifice, semper maiori & maiori lumine illustret & cumulet; dum de quo Concilium Tridentinum non habuit sufficiens lumen ad hoc decernendum, id concessum fuit in præsentia Sanctissimo Domino nostro Alexandro VII. Pontifici Maximo, de Immaculata Conceptione benemeritissimo.

7. Probatur quintò Conclusio, quia in Bulla *Cum præexcelsa*, dicitur dignum & debitum esse, quod gratiæ referantur Deo pro pura Conceptione Virginis: sed hoc debitum est debitum pietatis: ergo ad pietatem pertinet colere Conceptionem Virginis, & per consequens pius est sensus quo Immaculata æstimatur Virginis Conceptio. Id quod liquet, quia si pium est colere Immaculatam Conceptionem, & non potest ipsa coli vt Immaculata, nisi sentiatur Immaculata, pium itẽ erit etiã vt Immaculatã sentire, & pius erit eiusceimodi sensus.

8. Probatur sextò Conclusio, quia in eadem Bulla decernitur piam esse ordinationem Officij Nugarolici, quod totum est de emaculatione sanctissimæ Virginis ab originali: sed si pia est hæc ordinatio Officij, pius omninò debet esse eius præcipuus sensus, qui principaliter exprimitur in eiusmodi Officio: nam si is pius non esset; certè neque ordinatio Officij pia esse potest, non habens pro obiecto aliquod pium: sic pia non est oratio, vel actio quæ exprimat, vel exequatur aliquod non pium; & qui loquitur de non pia re, sermo eius non potest dici pius: similiter qui exequitur quid prophanum, certè eius actio pia esse non potest. Quare ex hac ipsa declaratione Pontificia, quod pia fuerit hæc ordinatio Officij Nugarolici, constat iterum omninò pium debere dici sensum Immaculatæ Conceptionis sine vlla dubietate talis pietatis, atque adeò certa certitudine fidei, vel secundum; nam Pontifex non potest errare circa qualificationem alicuius actionis piæ, ità vt decernat eam esse piam, vel absolutè eam vt piam tradat fidelibus vsurpandam, & reuerà ea talis non sit: & qui Pontificem dicet, in hac re posse errare, certè suspectus est de hæresi, si non hæreticus, provt dicit Suarius lib. 4. de Immaculata Ecclesia, cap. 3. qui ait. [De fide est Ecclesiam non posse errare in præceptis morum, quæ vniuersali auctoritate Pontificum, aut Conciliorum Generalium obseruari præcipiuntur.] Ad mores autem pertinet hæc ordinatio Officij præcepta seruari circa Immaculatam Conceptionem, cum Religio sit virtus moralis, & cultus sacer qui vsurpatur per recitationem Officij ad Religionem, & Principem virtutum moralium spectat. Sic item ait Gregorius de Valentia disp. 1. de fide q. 6. §. 41. inquiens. [Quoniam Pastorem suum semper audire tenetur Ecclesia, & Ecclesiam Diuina Scriptura absolutè prædicat esse columnam & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. ideóque quod numquam errare tota potest, dubium esse non debet, quin in aliis quoque rebus asserendis, quæ ad pietatem spectent, & Ecclesiam totam concernunt, infallibilis sit Pontificis auctoritas. Neque sanè arbitror hoc absque errore negari posse, vt enim aliis omnibus Ecclesiæ Ministris, ità etiam in primis Summo Ecclesiæ Pastori attributa est potestas, auctoritásque sui muneris ad ea quæ pertinent ad Ecclesiæ ædificationem: Talia autem cum sint quæcunque spectant ad pietatem, dubitari non debet quin in iis constituendis Pontifex Officio suo fungatur, cúmque in vsu sui muneris ille si quid pro vniuersa Ecclesia statuit; errare, vt antea probatum est, non possit; fit vt in omnibus quæ ad pietatem, Religionemque spectent, sit infallibilis illius auctoritas quemadmodum dixi.] Quibus auctoritatibus à primo ad vltimum, patet quàm certum sit de fide quod pia sit sententia de Immaculata Conceptione Deiparæ; cum pia dicatur hæc ordinatio Officij eius, tum à Sixto IV. tum ab Alexandro VII. Sanctissimo Domino nupertimè. Id quod confirmatur, quia in hac Bulla hoc dictum de pia ordinatione Officij; quemadmodum etiam in illis Sixti IV. fuit causalis, & ratio quare Sanctissimus Alexander declarauerit præcipua circa Immaculatam, vt vidimus; tum etiam Sixtus ex hoc ipso damnauerit aliquas propositiones Aduersariorum vt erroneas, quod non posset ex eo inferri nisi ipsum certum esset, & firmum certitudine fidei, vel secundum fidem, vt perspicuum est.

9. Probatur septimò Conclusio, quia Summus Pontifex Gregorius XV. scribens Hispalensi Ciuitati, sensum & cultum Immaculatæ Conceptionis vocat *solidam pietatem*; ergo omninò solidè pia dicenda est sententia de Immaculata: Nec dubitari potest de certitudine, quæ detur ei à Pontifice in hac asserta & attributa ei pietate, dum ad eam indicandam nomen adiectiuum solidi ipsi dederit, vt scilicet declararet tum pietatem hanc ipsi attributam esse, in excelso gradu; tum etiam non nutare in veritate, sed solidè consistere nec infringi formidine posse; quo etiam significatur eo firmius & certius credendum esse eiusceimodi

cemodi eius pietati ; vt etiam æstimandum sit quod non solum quomodocumq; hæc pietas sit adiudicanda in aliquo minimo gradu , sed in magno & firmo : vtrumque enim habet soliditas quæ addensationem quamdam & maioritatem partium significat , & rursum earum firmitatem : solida enim æstimatur firmiter stare , non sicuti arundines vento agitatæ, provt notauit Christus Dominus.

10. Quibus conclusis , restat hîc vlterius quærendum an ex hac pietate attributâ sensui de Immaculato Conceptu Virginis, possit inferri, & sit arguendû quod sententia opposita maculans illum,sit non pia : nam ex hoc quod vna sententia sit pia, non tolli videtur quod alia sententia diuersa , sit etiam pia , vbi recolenda , & adducenda sunt quæ diximus suprà in confirmationibus Pontificibus de certitudine Immaculatæ Conceptionis;& pro præsenti quæstione notandum quod Bandelus olim plures Conclusiones posuit aduersantes Immaculatæ, eiusque sensum reprobantes vt non pium , & vt pium asserentes sensum maculatæ;quas licet hîc potiori iure transcribere , sic enim ait cap. 10. in disputatione ad Estêsem Ducem.[Sit igitur pro veritate prima Conclusio. Beata Virgo Maria fuit sicuti cæteri homines in originale peccato Concepta, quam Conclusionem sic intelligo. Beata Virgo in primo instanti, in quo anima sibi fuit infusa , caruit iustitiâ originali , quæ sibi debebatur, & quam vtique habuisset si Adam non peccasset.] In quibus notabit Lector, quod ità dicta est Virgo Concepta in originali peccato , vt necesse fuerit Bandelo exprimere in quo sensu hanc propositionem promeret , quo ostendit etiam illo suo tempore potuisse aliquem existimare quod his verbis ipse non traderet , solum negantibus verum peccatum primæ animationi Virginis ; vndè non irrideat Caietanus eos qui ,suo tempore hanc propositionem in Patribus glossabant, quam ipse suus Commilito glossauit in suo dicto. Post hæc subdit Bandelus. [Secunda Conclusio.Dicere Beatam Virginem non fuisse conceptâ in peccato originale non est pium.] Et rursum. [Tertia Conclusio. Opinio quæ asserit Beatam Virginem originale peccatum in sui Conceptione contraxisse, maximè congruit fidei pietati.] Et deindè. [Primum Corollarium,non est licitum credere , aut pertinaciter asserere Beatam Virginem non fuisse Conceptam in peccato originali. Secundum Corollarium non est licitum prædicare assertiuè , quod Beata Virgo fuerit in sui Conceptione immunis à peccato originali. Tertium Corollarium , periculosum est accedere ad prædicationem illorum , quando actu prædicant Beatam Virginem non fuisse Conceptam in peccato originali.] Quibus omnem pietatem adimit sensui de Immaculatâ Conceptione , & eum ferè impietatis notat.

11. Secundò debet esse certum quod quando duæ sententiæ sunt contradictoriæ , saltem difficillimum est ambas posse esse pias; esto quando non sint contradictoriæ, sed in aliquo differûtambæ,ergo nô possunt esse piç: nam contradictoriæ sententiæ ità se habere possunt, vt quod vna ponit, altera tollit,atque adeo si vna ponit & includit pietatem, altera contradictoria quæ tollit quod ipsa ponit,debet intelligi tollere pietatem,quia pietas impia sequitur ad id quod ponit affirmatiua, & per consequens contradictoria quæ tale quid tollit , omninò tollit causam siue formalem siue efficientem , & ponentem pietatem, & per consequens pia dici non potest , atque adeò omninò non pia dicenda sit.

12. Tertiò debet hîc aduerti quod in vno casu sententiæ contradictoriæ possent ambæ dici piæ , quando etsi vna sententia ex vnâ parte tolleret pietatem,quam inducit alia,quia tolleret inductiuum eius , potest tamen eam ponere vel videri ponere ex alio capite , & ex eo dici pia ; id quod eueniret quando rationes essent tales pro vtraque sententiâ, vt non facerent vnam probabiliorem aliâ:eaque æque suggerent quod pium esset vnû agere,nec nô etiam piû non agere,quia aliquæ persuaderent vnum in honorem Dei agi, & aliæ probarent non cedere in honorem , sed in inhonorationem Dei , si tale quid ageretur ; vt si quis vellet quod propter honorem Dei aliquis concionaretur apertè fidem in plateis ; alter verò nollet hoc fieri propter maiorem Dei Gloriam, ne per eiusmodi Conciones excitarentur Tyranni , & turbaretur fides in Neophitis , imò radicitùs tolleretur , vt modò audiuimus apud Sinenses euenisse ; ibi quia aliqui Concionatores cum Christo Domino Crucifixo in manibus voluissent prædicare in publicis plateis & compitis legem Christi , turbas excitarunt sine vllo fructu , & sancti Martyres socij Sanctorum Martyrum Pauli, Iacobi , & Ioannis è Societate IESV humiliter in actu Martyrij veniam à Patribus Societatis de excitatâ persequutione in Christianos , quia vti eos Patres Societatis hortabantur, noluerunt prædicationem exercere sine magnâ publicitate:vndè Tyranni ita accensi, ità exasperunt vt in vastissimo Regno , imò Regnis Iaponij,nunc veluti radicitùs extirpata videatur fideles Catholica , & ante hanc euentum his erat inter Patres Societatis IESV , & alios Concionatores : dum priores vellent magis è pietate esse non exasperare Tyrannos,& fidem modis minus publicis dilatare : contra verò alij volebant magis pium esse hæc lutibula vitare , & plateas implere verbis Christi , & cum vtrumque egerint Sancti in tali casu, posset esse, & iudicari æque pium , & inxta varias circumstantias nunc esse magis pium,in aliis verò pium, & magis pium oppositum,& contradictorium omninò non pium , & sæpè etiam impium. Quemadmodum apud Mahumetanos impium est hanc prædicationem exercere, quia esset causa maiorum malorum Christicolis eis subiectis sine vllâ spe fructûs, vndè prohibitum est à Pontifice hanc prædicationem exercere apud Turcas , & similes asseclas Mahumetis. In Iaponiâ etiam vetuit Pontifex prædicari fidê sine licentiâ Sedis Apostolicæ, propter hasce turbas excitatas cum damno Christianitatis. Quæ omnia videntur ostendere quod etsi sententia de Immaculatâ sit pia , adhuc posset dici pia opposita , imò aliquis posset contendere quod esset magis pia , quemadmodum concluſit Bandelus , vt paulò ante vidimus. Quod si dicatur nihil egisse , Pontificem dum hanc nostram

&

& Ecclesiæ sententiam, licet non definitam, piæ nomine insigniuit. Obiectionis propositæ responsionem dabunt sequentes Conclusiones.

13. Prima Conclusio. Omninò videtur dicendum quod in comparatione ad oppositam sententiam maculantem Conceptionem Virginis, dicitur pia sententia de Immaculata, ita vt omnino excludat eam esse magis piam.

Probatur Conclusio primò, quia si magis pia, vel etiam æquè pia, esset sententia maculans Virginem, non fuisset dicenda pia sibi opposita, & in hoc veluti à suâ oppositâ signari: nam quando sub aliquâ ratione vnum signatur, & significatur vt distinctum ab alio, omninò non signatur per rationem & conditionem communem vtrique, sed per propriam sui, vt patet in omnibus nominationibus & signationibus vnius cuiuscumque rei distinctæ ab aliâ: nam sub tali signatione rei communis vtrique, non potest magis venire, & duci in cognitionem vna, potius quàm alia res; sed hoc loco dicitur pia sententia emaculans Conceptionem Virginem ad contradistinctionem & signationem eius vt diuersam à maculante: ergo sibi opposita non potest intelligi æstimata secum comparata, nec magis, nec æquè pia; Maior patet ex contextu Bullæ Sanctissimi Domini qui sententiam volens exprimere tenentem Immaculatam Conceptionem, explicuit dicens, *Secundum piam ipsam sententiam.* Vbi adiectiuum, *pia*, illi tradidit ad sufficiens distinctiuum, & notificatiuum eius. Quare certum est quod pia dicta sit ad significandum aliquid proprium sui, videlicet quod esse pium peculiariter sibi conueniret, vel quod altera sententia non esset pia, vel si esset itidem pia, certè non esset æquè pia.

14. Probatur secundò Conclusio, quia si pia etiam æquè esset sententia maculans Virginem comparata cum emaculante: emaculans quando diceretur pia, per hoc nomen ipsi non signaretur: nam vt sic etiam pia posset intelligi opposita, sed per verba dicta signatur & significari intenditur sola sententia emaculans Deiparam in suo Conceptu, & nullo modo opposita, vt patet ex contextu: ergo per hoc verbum, *Pia*, ità dicitur pia emaculans, vt in sui comparatione cum sua opposita vt eadem opposita, neque magis, neque pia possit intelligi & æstimari: Non concludimus autem per hoc quod maculans sententia esset æstimanda non pia; quia positiuum sæpè vsurpatur de vnâ re comparatâ cum aliâ, etiam si res alia participet de eodem positiuo in minori gradu; sic comparato vno artifice cum alio, dicitur sæpè quod vnus cum alio comparatus dicatur peritus in arte, etiam si non propterea dicatur quod non sit peritus ille alius, sed solum ex priori modo dicendi, possit inferri quod sit in gradu maiori peritus, in quo non sit ille alius. Et hæc sufficiant pro primâ Conclusione, quæ firmius stabit positâ secundâ, & eius probationibus.

15. Secunda Conclusio. Ità videtur dicta pia à Sanctissimo Domino Alexandro VII. sententia de Immaculato Conceptu Dei Genitricis, vt itidem videatur inferri quod opposita non sit pia, & sit non pia.

Probatur Conclusio primò, quia ità dicta est à Summo Pastore pia hæc sententia emaculans Virginem, vt expressè vetuerit oppositam dici impiam, quod non egere vmquam alij Pontifices, qui piam antea eam non nominauerant, ergo ita dicta est pia; vt opposita non æstimaretur pia, & æstimaretur non pia: Consequentia patet, quia si voluisset Pontifex emaculantem sensum vt pium, & pium etiam maculantem, non vetuisset de eo meram impietatem, sed etiam negationem simplicem pietatis; & vetuisset eam dici non piam: cum ergo solum vetuerit impietatem, non mere esse non piam, & pietate donauerit emaculantem, ei certè non negauit, imò tacitè alleruit seu maculanté bene posse dici non piam, voluit & verè esse non piam. Vbi aduertendum quod cum Pontifex hic exemerit ab impietate dictam sententiam dantem maculam Virgini, non aliam ob rationem hoc egit, nisi quia prius dixerat, & decreuerat esse oppositam, & quia vidit quod posset hæc illatio eam damnans ab aliquo deriuari; ideò cum omnem damnationem vellet ab ea remouere, ità voluit fauere & nobili titulo dignam sententiam decorare, vt opposita non æstimaretur prorsus amandata à finibus Catholicis, & cum impietate sepulta: Probè enim sciuit sapiens Pontifex quod Tridentinum abstinuit ab hoc titulo ei impertiendo, ne in alium scopulum impingeretur damnandi sententiam oppositam, quem rectè ipse vitauit, prohibens impietatis insimulari censuræ sententiam contra Immaculatam; & de reliquo honore magno prosequens sensum de Immaculato Conceptu, quem omninò consequenter ablegauit ab oppositio, relinquens illum tali honore penitus spoliatum, vel nullo modo eo indutum. Id quod confirmatur ex hac ratione, totum hoc factum esse à sapientissimo Pontifice, quia cum ipse in hac Bullâ summè depressérit citra damnationem ipsi vetitam ab omnibus præcedentibus Pontificibus, nulla ratione curasset, sicuti ij non curauerunt, sententiam maculantem Virginem ab impietate amouere; quod ergo ei hæc cura fuit, non alia est assignabilis ratio nisi quia vidit in hanc Scyllam posse impelli eam sententiam, quia ipse dixerat piam oppositam, & tanta de pietate eius repeticrat. Quod secundum cum non egerint antecedentes Pontifices, eam numquam ab impietate curarunt specialiter vindicare. Quæ omnia ostendunt voluisse ipsum fauere immaculato sensui dando illi prærogatiuam peculiarem sine summa iniuria oppositi, atque adeò rationem non pij eidem opposito omninò vidisse sequi, quod scilicet sibi competens non esset, & ratum habuit quod Theologi agnoscerent, his insignibus non posse eum agnosci decoratum, atque adeo meritò dicendum non pium.

16. Secundò probatur Conclusio, quia illa sententia quæ non procedit per se loquendo à pietate, neque pietatem generat, non est pia, & per consequens est non pia secundum eius sensum; sed sententia maculans Virginem in Conceptu, non procedit à pietate secundum sensum Ecclesiæ, nec eam generat; ergo non est pia, & debet dici non pia Maior patet ex dictis in Confirmationibus,

& perspicua est quia non habet alio modo caput quare dicatur pia : Minor probatur quia pietas non inclinat ad æstimandum Deiparam cum maculâ originalis pro primâ sui animatione : nullum enim est caput, quod persuadeatur ex pietate haberi talem æstimationem ; neque rursum hæc æstimatio pietatem Christianam parit, cum eam potius amoueat, & extinguat : & sic patet Minor.

Probatur tertiò Conclusio, quia illa sententia est censenda non pia agens de Virgine, secundum quam pietas Christiana nec aucta est nec augetur in dies : ergo hæc sententia non est pia. Maior perspici potest manifestè, quia si vna sententia non confert ad pietatem ergà Virginem, non habet vndè dicatur pia ; Minor probatur apertissimè, quia Pontifex apertè pietatem non agnoscit vllam in sensu maculante, magnam autem agnoscit in sensu emaculante : hic ergo est pius, ille verò non est pius, imò non pius. Tota autem Bulla referta est de pietate sensûs emaculantis Virginem. Nam primò dicitur veterem pietatem fuisse fidelium in hoc sensu. Deindè dicit illam auctam. Tertiò rursum auctam sequenti tempore narrat. Quartò pios nominat fideles Immaculatam sentientes sacram Virginis Conceptionem. Quintò deturbatores suæ pietatis, & pacificæ possessionis huius sensûs appellat aduersè opinantes. Et sextò addit se velle laudabili huic pietati sensus fauere. Quæ omnia cum neget consequenter agnoscere in sensu opposito, clarè patet hîc ostendi eum non esse vel æstimari pium, imò non pium dicendum ex hoc asserto Pontificio.

17. Probatur quartò Conclusio, quia illa sententia, ex quâ, & cuius occasione, id asserentibus Pontificibus oriuntur & orta sunt per sæcula in Ecclesiâ, magna scandala, offensiones, iurgia, discordiæ, & pugnæ, nec non varij errores : nullo modo potest dici pia, imò omninò dicenda non pia : sed sententia de maculata Conceptione est huiusmodi, vt liquidò constat ex tot Constitutionibus & hac præsenti ; ergo Maior videtur manifesta, quia sensus pij sunt illi, qui generant affectus deuotos, non turbulentos, & sic infensos Reipublicæ Christianæ : & incredibile videtur quod possit vna sententia non æstimari non pia, quæ occasionaliter etiam talia mala generet. Minor autem argumenti est omnium Pontificum, qui pro Immaculatâ Bullas edidêre ; nam nemine excepto, scandala hæc exorta declarauerunt ex occasione sententiæ tradentis maculam Conceptioni Virginis, videlicet Sixtus IV. in duplici *Graue nimis*. Alexander Sextus in suâ Bullâ, nec non Paulus V. in suâ Constitutione & decreto, & similiter Gregorius XV. in alio decreto Generalis Inquisitionis ex suo mandato edito.

18. Probatur quintò Conclusio, quia illa sententia quæ iudicata est ab Ecclesiâ continenda prorsus in Religione mentali, nec nominanda etiam inter Aduersarios vt propria loquentis, omninò est æstimanda quod non sit pia, & pro non piâ habenda ; sed hæc sententia prohibita est ab omni sermone à Paulo V. & Gregorio XV. & modò ab ipsis etiam omnibus aduersantibus remota ab Alexandro Sanctissimo Domino Nostro ; in quocumque errorum sermone : ergo omninò est censenda quod non sit pia, & verè non pia ex vi huius Bullæ. Maior patet, quia nullum maius indicium potest haberi negationis pietatis in aliquâ sententiâ, quàm quod ea non sit pronuncianda, neque vmquam ore exprimenda : vt sic enim ea priuatur vt possit aliquem exteriorem actum cultûs adhibere ; ergo omnis pietatis obseruantia ab ea tollitur, in quo & circa quem versatur pietas : Vndè tollitur ab eâ omnis pietas, quæ non habet vndè vllum actum saltem exteriorem pietatis possit exercere : vbi etiam notandum quod ex hac sententiâ nullus etiam actus internus pietatis rationabiliter potest exerceri, nec eum habent Aduersarij quem assignent : Nam ex hoc quod Virgo recenseatur ab ipsis in numero maculatorum ex Adam, quinam cultus, vel qui actus pietatis potest notari quod conueniens sit vsurpari, propter quem talis sensus dicendus sit pius, & non appareat omninò alienus à pietate, atque adeò æstimandus quod non sit pius, & verè non pius ; cum maximè ex hoc quod Virgo iudicetur originali affecta, valeat inferre & proferri quod pro tali instanti vt sic, non esset vllo modo colenda imò æstimanda vt inimica Dei.

19. Probatur sextò Conclusio, quia ille sensus qui penitùs remouendus est ab Ecclesiâ in Sacris Officiis, & Sacrificio Missæ, vel sub mortali peccato, vel sub veniali, omninò dicendus est, quod sit non pius & habendus pro non pio : sed sensus maculatæ Conceptionis est taliter remouendus à Sacris Officiis, & Sacrificio Missæ, vt infra probabitur latè ; ergo eiusmodi sensus non pius. Maior patet quia nullum maius inditium nullius pietatis, potest haberi quàm istud, quod eiusmodi sensus sit peccaminosus ; quare saltem in Sacris Officiis esset non pius : & non posset assignari ratio, quare extrà Officia eueniret pius : quare semper est pro non pio habendus.

Probatur septimò Conclusio, quia ille sensus qui non est habendus à fidelibus ex declaratione Pontificis, non est æstimandus pius, sed non pius : sed hic sensus non est habendus à fidelibus ex declaratione Pontificis : ergo non est pius, & censendus non pius. Maior patet, nam si non dicamus nos pios sensus, qui repelluntur ab Ecclesiâ, etiamsi sine damnatione non erit, vndè dicamus non pios, & pietas item concernet circa sic repulsa ab Ecclesia : quod vanum esset æstimare, vt liquet. Quod autem hîc sensus maculatæ repulsus sit ab Ecclesiâ patet, quia sensus oppositus dictus est debitus à Sixto IV. qui volens hortari fideles ad cultum Virginis Immaculatæ Conceptæ ait. [Dignum, imò potius debitum reputamus vniuersos Christi fideles, vt Omnipotenti Deo &c. de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant] Ergo vult Pontifex quod fideles agnoscant debitum esse sentire Virginem immaculatè Conceptam, atque adeò eam venerandam, repellit ergo sensum oppositum Aduersariorum, qui dicunt non esse reddendas gratias pro Immaculata Conceptione, cum ea maculata per eos sit, atque adeò censent non esse debitum eas reddere,

dere, & sentiunt contra sensum Pontificis: quare amplectuntur sensum à se repulsum. Quæ autē maior pietatis negatio in hac re potest euenire quàm illa, qua repellitur id agere, quod Ecclesia iudicat agendum, in gratiis maximè Deo reddendis? Cui rationi non video quid modo possit quis solutionem aliquam etiam apparenter probabilē dare, quę itē directè (vt aliàs videbimus) potest Aduersarios cōiungere de Immaculatâ Conceptione.

DIVISIO IX.

An item de fide, vel secundum fidem, omnes ferè Catholicos stare pro sensu Immaculati Conceptûs, & quantum ponderis det hac vnanimitas, & vniuersalitas sensus omnium ferè Catholicorum certitudini eiusdem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

1. VIDETVR hæc veritas, sicuti diximus, de vetustâ pietate fidelium circa Immaculatam pertinere potius ad Historiam, & ad ea quæ tradit sæpè Pontifex vt habita ab ipso per merè humana testimonia, quæ non sunt capacia certitudinis fidei, nec graduum ei inferiorum: sed reuera negandum non est hunc sensum de Immaculatâ sic vniuersaliter in Ecclesiâ habitum ab omnibus ferè Catholicis, esse quid supernaturale tum causaliter, tum formaliter in fidelibus distributiuè sumptis; tum etiam maximè in tantâ vniuersalitate, & extensione; cum non nisi ex motione Spiritûs sancti fideles conueniant in tantâ vnitate circa vnum peculiarem sensum, provt patebit specialiter infra, quando agemus hîc & alibi de certitudine quam inducit in rebus fidei vniuersalis sensus Ecclesiæ. Quare dubium esse non debet, quod dum Pontifex declarat vniuersos ferè fideles concurrisse in vnum sensum, declaratio ista non est nisi de effectu aliquo Spiritûs sancti impellentis in vnum cunctos fideles, & per consequens eiusmodi obiectum est aliquid supernaturale, quod potest agnosci, & dari fidei à Summo Pontifice in Ecclesiâ, & quemadmodum certo tradendum potest tradere Pontifex quod hic vel ille Sanctus aliquid supernaturale egerit, quemadmodum notauit Suares, quàndo Pontifex à dicto illo quod sub formâ piæ credulitatis tradiderant antecessores Pontifices tollit illud *piè creditur*, & dixit quod sanctus Ignatius, & Socij eius afflati Spiritu sancto conuenerunt ad fundationem Societatem IESV: Hoc definiuit vt certum tenendum in Ecclesiâ; ità dummodo declarauit quod omnes ferè Catholici complectantur sententiam de Immaculatâ Conceptione, tantam certitudinem dedit huic suo asserto, vt qui illud negauerit, vel hæreticè, vel erroneè ei contradiceret: quæ enim in hac Bullâ tradit circa dicta & præsens, non nisi auctoritate Apostolicâ tradit ea tenenda, nec relinquit facultatem aliter opinandi, provt egit circa sensum directum Immaculatæ Conceptionis, quem noluit vsque modo definire, & expressè permisit aliter in eo sentiri, & vetuit reprobari sensum contra enunciantem. Quod autem hoc eius assertum tantâ certitudine voluerit affectum & signatum, perspicuum esse potest ex eo, quia ipso vtitur vt fundamento præcipuo ad declarandum quod Pontifices sui Prædecessores maximè commoti sint à pietate fidelium semper incrementâ suspiciente in hoc cultu, & sensu Immaculatæ ad fauendum eiusmodi sensui, & ex eorum item fauore fideles in maiori numero concurrisse ad eundem, & rem in præsenti redactam ad vniuersalem sensum, ità vt ad vniuersalissimum omnium singulorum fidelium pauci deficiant, vt ipse notauit, & ex hoc ipse motus est ad fauendas tot declarationes, & tot tantáque mandata, quæ maximè firmant sententiam Immaculatæ; & sententiam oppositam penitùs ab Ecclesiâ reiiciant, infrà solum damnationem hæresis, peccati mortalis, & impietatis. Quare dubium esse non potest quod si ex eo maximè ostenditur quod motus fuerit Pontifex ad aliqua statuenda vt certo tenenda in Ecclesia, non nisi item vt certum similiter tradidit, & habuit illud quod agnouit & habuit vt causam ad certitudem in illis talem deriuandam, & tribuendam.

2. Dum item in hac re Aduersarij semper contenderint, & diffamare curauerint quod sententia de maculatâ poterit definiri, quodve opposita erat sententia mulierc ularum & plebis, & sententia sæpè complurium decursu temporis fiat paucorum; atque hoc posse euenire in præsenti casu dictauerint, & sperauerint; ad hanc vanam iactationem eliminandam ab eorum mentibus, & ad dubium de Vniuersalitate sensûs Ecclesiæ in hac re declarandi debuit conuenientissimè tradi, vt certum à Summo Magistro Ecclesiæ. Quod si non omnes Catholici, nullo excepto, hunc sensum de Immaculatâ amplecterentur, certè ferè omnes Catholici essent sine dubio huius sensûs fautores, & amatores vnanimes, & sic tandem desperarent Aduersarij de reductione eorum sensûs in aliquem statum sibi fauorabilem, in quo possent videre suam sententiam, vel magis receptam, vel minus reiectam, & arguere possint quod semper magis, & magis deteriorem & contemptibiliorem sit habitura, ipsáque in dies magis, & magis esset abiicienda, conculcanda, & prosternenda, & pedetentim in censuras proiicienda: Esto in præsenti ad hortandos Aduersarios vt suâ sponte ad sensum Ecclesiæ accedant, à damnatione solâ, sit prohibita hæresis, peccati mortalis, & impietatis: quæ omnes considerationes ostendunt Summum Pontificem omninò voluisse proferre vt certum hoc dictum habendum in Ecclesiâ, quod omnes ferè Catholici sentētiæ de Immaculatâ Conceptione adhærerent, & sic sterneret sibi viam, & sanctæ Sedi Apostolicæ declarandi, quod in hunc sensum vniuersa Ecclesia venerit, quod sufficeret ad vltimum desiderabile in hac materiâ.

3. Vbi iam patet, quanti momenti ſit Pontificem ſtatuiſſe & declarauiſſe hanc vnanimitatem ſenſûs omnium ferè Catholicorum; nam vt videbimus, dari paſſu hinc oſtenditur eam procedere cum ſenſu vniuerſæ Eccleſiæ, vel non diſtare ab eo, niſi digito: atque adeò dum hæc tanta vniuerſalitas ſenſûs Immaculatæ Conceptionis conſtat & indubitata eſt; iam pænè vel ſtatutum eſt à Pontifice ſaltem per quandam conſequentiam, quid Eccleſia vniuerſa tenet Immaculatam Conceptionem; vel rectè poteſt hinc peti & exquiri vt expreſsè declaretur, quod id teneat vniuerſa Eccleſia, cum videatur eſſe hæc infallibilis conſequentia quæ deducatur ex aſſerto primo, provt latè oſtendemus paulò poſt. Si autem definiretur à Pontifice quod vniuerſa Eccleſia tenet Immaculatam: Quid amplius deſiderari poteſt? certè habebitur de originali circa Virginem ea emotio, quæ iam habita eſt ex Tridentino de veniali, & cum hæc ſuffecerit ad æſtimandam de fide certam indemnitatem Dei Matris à veniali; ſimile ſtatutum & declaratio in caſu noſtro valebit ad habendam de fide etiam certam, indemnitatem eiuſdem Virginis ab originali peccato: Neque dicas quod etiam ſi definiretur à Pontifice quod vniuerſa Eccleſia tenet, & sētit Immaculatam Conceptionem Beatiſſimæ Dei Genitricis, non propterea eſſet de fide certus hic ſenſus, quia hic non eſt de illis ſenſibus qui poſſit eſſe de fide certiorabilis per ſenſum vniuerſæ Eccleſiæ, quia non omnia quæ ſcitur tenerè vniuerſam Eccleſiam, de fide ſunt certa, vt patet de aliquibus Sanctorum reliquiis, de Apparitione Sancti Michaëlis in Monte Gargano, de Stigmatibus Sancti Franciſci, de Exaltatione & Inuentione Sāctiſſimę Crucis, & ſimilibus, nec non de ſanctitate Natiuitatis Virginis, de eiuſdem Aſſumptione, & Præſentatione in Templo, & ſimilibus: Nam eſto hæc omnia non ſint de fide tenenda in Eccleſia, certè ſi declaratur à Pontifice quod vniuerſa Eccleſia tenet Virginem Immaculatè Conceptam, eundem gradum certitudinis venaretur Immaculata Conceptio, quem venata eſt indemnitas eius à veniali; cum pari paſſu procedant hi duo ſenſus, & eadem principia quæ induxêre ipſam ad hanc vltimam indemnitatem de venialibus concludendam, inducerent certè ad illam abſque originali culpâ concedendam Virgini: nam eædem Scripturæ, iidemque Patres, & traditio Apoſtolica quæ vnam detulit indemnitatem, attulit & aliam, provt aliàs probabimus latè, & ſignatiſſime ceteri Doctores item notarunt frequenter.

4. Quare rogandi vehementer ſunt ſacri Scriptores Eccleſiæ, vt diſcutiant & firment ex hoc aſſerto Pontificio benè inferri poſſe in præſenti, quod vniuerſa Eccleſia tenet Immaculatā, animaduerto præſertim quod cultu publico omnes prorſus fideles nullo excepto, colunt & debent colere ſecundum iſtum ſenſum Immaculatæ Conceptionis Virginem, licet aliqui in priuato cultu ſe eximant ſine impietate, & peccato mortali: Nam hoc aſſerto benè firmato, & recepto apud omnes Catholicos, Summus Pontifex facili negotio ſtatuet, expoſtulatus præſertim vniuerſim à fidelibus, hunc eſſe ſenſum vniuerſalis Eccleſiæ; & Aduerſarij qui in hac re cogi volunt ad ſentiendum, cum eâ non poterunt repugnare: & ad ſummum remanebit indeciſum, an quod vniuerſa tenet Eccleſia ſubſit certitudini fidei, & an in hac materiâ ab ea amplexatum aſſertum vniuersè tali certitudini poſſit non ſubeſſe, quo facillimè vltimus ſcalæ gradus attingetur in hac controuerſia, qui eſt de certitudine fidei habita ex ſenſu vniuerſæ Eccleſiæ, quemadmodum de emaculatione à veniali declarauit Concilium Tridentinum ab ea habita: vel ſi non ex hoc capite, certè ex ipſius Pontificis definitione, qui ad tantam certitudinem videns peruenisſe in Eccleſia Conceptum hunc Immaculatum, de fide tenendum illum decernat, & omnibus difficultatibus amotis, controuerſia habeat ſuum aptiſſimum finem. De hac re quæſo videant quæ dicimus hic; & vim rei addant, & ſua doctrinâ & eruditione, qua ſpero quod multum addent rei veritati.

5. Id quod multum vrgebit Summos Pontifices hanc rem decidere; nam poſito quod omnes ferè Catholici ſentiant pro Immaculata, ſtatim conſurgit petitio, an hi omnes vniuerſam Eccleſiam faciant, dum vniuerſitati pauci deſint: & Theologi ſoleant conuenire quòd Vniuerſa Eccleſia conſtetur à valdè maiori parte, vel ſaltem à nouem partibus fidelium, ſi ſola vna decima deſit, & multo magis ſi centum partibus vna tantum deſit, vt in noſtro caſu contingit. Rurſum conſurgit quæſtio, an poſito quod vniuerſa Eccleſia tenet vnam veritatem talem, plaudente Pontifice, & multis Pontificibus tali ſenſui fauentibus, an illa veritas ſit tenenda de fide certa. Nam Hæretici vrgent nos quod Eccleſia Vniuerſa poteſt errare, & adducunt noſtros Doctores, imò ipſos Aduerſarios qui videntur hoc ſentire dum Libellator adducit caſus, in quibus paucis demptis, Orbis Chriſtianus ingemuit ſe videre Arianum ex Diuo Hieronymo, & præter paucos Epiſcopos omnes ferè Catholicos Anabaptiſtas fuiſſe: Vnde §. 4. ſcripſit. [Ariana hæreſis ferè in omnes inualuit, & certè Sancto Hieronymo ingemiſcente totus Orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt, ſub Pontifice Beato Stephano, & tota ferè Eccleſia, duobus tantum vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus, in Anaptiſmum abijt.] Quæ propoſitiones etiam ſi falſiſſimæ ſint, vt nos oſtendimus Opuſculo præcedenti Secundo, & ad euidentiam demonſtrat Ciſmontana Familia; non haberent certè locum in noſtro caſu, in quo Eccleſia cum Summis Pontificibus ſentit. Errores autem notati Arij & Anabaptiſmi non fouebantur, neque foti ſunt vnquam ab vllo Pontifice: ſed dant occaſionem Hæreticis æſtimandi, quod etiam ſi tota Eccleſia, ſeu ea (quando dici poteſt tota) teneret Immaculatam, ipſi ſentiant quod poſſit errare in ſenſibus controuerſis Theologicis: & vt ipſis in re tanti momenti & conſequentiarum ſciremus & poſſemus firmiter reſpondere, roganda eſſet ſancta Sedes hoc declarare: cum ferè hæc veritas ſoleat ſupponi apud Doctores eiuſdem Eccleſiæ. Per modum autem petitiónis ſi vrgeretur Summus Pontifex à fidelibus & Doctoribus Eccleſiæ quid eſſet ſentiendum de hac re tanti momenti propter firmitatem Eccleſiæ

defend-n

defendendam, non posset sanctissimus Ecclesiæ Magister fideles & Ecclesiam non docere, & sic in causâ vt dicitur, definire Immaculatum Conceptum.

6. Deueniendo tandem ad decisionem an sit traditum hîc de fide, vel secundum fidem, quod omnes ferè Catholici sentiant pro Immaculato Conceptu, censeo omnino dicendum esse affirmatiuè. Probatur Conclusio, quia ad hoc assertum confirmandum valent omnia argumenta quæ adduximus ad probandum similes propositiones hîc assertas, à Pontifice auctoritate Apostolicâ habere certitudinem fidei, vel secundum fidem. Quare cum hæc propositio eodem modo asseratur à Pontifice, eamdem certè habebit certitudinem conclusam in antecedentibus. Id quod ostenditur, quia si diceret quod omnes fideles pro Immaculato Conceptu stent, certè hæc propositio, cui omninò æquiualeret isti alteri absolutè. [Vniuersa Ecclesia Immaculatum conceptum tenet.] Et esset modus loquendi vsurpatus à Conciliis; certitudinem fidei vel secundum fidem ob tineret: Ergo etiamsi addatur illud *ferè*: certè in eo sensu quem illi donat aduerbium *ferè*, certitudinem eamdem debet habere.

7. Nec potest obstare quod veritas hæc est merè historica, nam cum sit de obiecto supernaturali & de sensu elicito circa obiectum supernaturale procedente à virtute pietatis supernaturalis, vt declarat Pontifex, omninò veritas hæc asserta non potest esse vna ex meris historicis.

8. Probatur secundò id ipsum, quia ad Pontificem vt Pontifex est, pertinet declarare quid Ecclesia & vniuersitas fidelium Catholicorum sentiat in supernaturalibus: Ergo dum id ipse declarat, suo dicto dat illam firmitatem, quam solet à se traditis Ecclesiæ, vt à Doctore summo, & Magistro eius constituto à Deo; sed hæc est firmitas vel fidei vel secundum fidem, vt patet ex dictis: ergo huic assertio istam censendum est tradidisse.

9. Probatur tertiò hoc ipsum, quia illa assertia Pontificia, vnde is infert alia certa secundum fidem, vel de fide, non possunt habere minorem certitudinem, nec æstimanda sunt ab eo tradi cum minori certitudine ea quæ traditur in aliis assertis illatis à primis; sed secunda aliqua asserta illata ab isto in hac Bullâ sunt certa vel de fide, vel secundum fidem. Ergo hoc ipsum erit certum vel de fide, vel secundum fidem. Maior patet ex illo axiomate, propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Minor probatur, quia apparet manifestè ex narratiuâ Pontificis in hac Bullâ, in quâ hoc vltimum assertum ponitur de omnibus ferè Catholicis amplectentibus sensum Immaculatum; apparet inquam in hac narratiuâ, posita esse principia & causas saltem inadæquatas, vndè ipse motus sit ad aliqua declaranda & decernenda; videlicet quod Ecclesia celebrat secundum hunc sensum & similia: cum ergo hanc narratiuam ipse claudat, semper maiores & maiores causas notando rei cum hoc vltimo asserto, certè istud assertum non est ab ipso traditum nisi vt causam sequentium, & perconsequens ei tradidit eamdem certitudinem, quam tradidit aliis concausis, & iis quæ indè ipse concluserit; quæ cum viderimus habere certitudinem fidei vel secundum fidem, hanc eamdem certè tradidit huic asserto.

DIVISIO X.

An sit de fide, vel secundum fidem certum; vel solùm iudicialiter; quod scandala, & iurgia communiter exorta in Ecclesiâ in hac materia, prouenerint præcisè ex sensu Maculatæ Conceptionis.

1. LAtè vidimus superiùs §. quinto huius Bullæ, scandala exorta in hac re in Ecclesiâ, & memorata à Summis Pontificibus Sixto IV. Alex. VI. Pio V. Paulo V. & Gregorio XIII. & nupertimè à Sanctissimo Alexandro VII. prouenisse ex occasione sententiæ, quæ maculat culpâ originali Dei Parentem: Quare in præsenti solùm videndum est dictis illis suppositis de rei facto, an hæc veritas sit credenda à fidelibus; vt de fide, vel secundum fidem certa sicuti præcedentes; nam hæc veritas videtur non pertinere ad fidem, neque directè, neque indirectè, sed solùm versari circa factum, & humanum iudicium, licet à Summo Pontifice exercitum in quo licet sit existimanda reperiri magna veritas, non potest tamen constare, quod in eo fuerit diuina veritas; nam quæ in humanis euentibus & casibus ipse decernit, iudicium proferens de reis damnandis, vel absoluendis, etiam circa errores contra fidem accusatis, si Pontifex decernat vnum quemdam esse hæreticum, vel in hæresim incidisse, non propterea istud iudicium est certum certitudine fidei, imò non est capax talis certitudinis, quia non nititur nisi humanis testimoniis, & secundum illa præcisè Summus Pontifex iudicat; nec Spiritus Sancti assistentia est promissa suis hisce iudiciis, quæ videmus sæpè ab ijsdem Pontificibus limitata, alterata, mutata, & frequenter proscissa, quæque vnus Pontifex decidat in materia quoadfactum; alter Pontifex, nouâ habitâ cognitione rescindit. Id quod magnoperè eluxit in condemnatione Iustiniani Imperatoris apud Vigilium Papam, factâ de erroribus in quos prolapsi fuerât Theodorus Mopsuestenus, Theodoretus, & Iba; & anathematizatione scriptorum editorum ab ijsdem, & signanter eorum, quæ scripsit pro Nestorio Theodoretus, & rursum contra Cyrillum Alexandrinum, nec non Epistolam Ibæ ad Marim Persam, quæ primò damnare noluit Vigilius; damnauit autem postea de rei veritate conscius factus, Constantinopoli scilicet ab Imperatore vocatus, & cum eo reuoluens eadem scripta, eaque perpendens rectè. Et secundò rursum vtrique parti silentium indixit de damnatione, vel non damnatione eorumdem scriptorum. Et tandem coacto Concilio, decreuit eadem scripta damnanda, & damnationi subiecit

subiecit in perpetuum, quæ omnia quia concernebant ad factum, passa sunt hanc mutationem, provt late notauit ex Baronio Salazarius in præfatione ad Catholicum Regem, in defensione Immaculatæ. Id quod scitur similiter euenisse pluribus ex sanctis Patribus, quorum fides pro suspectâ est habita aliquo tempore ex informationibus falsis, vt illa Athanasij post Concilium Nicenum, & sic de similibus. Vbi notandum quod non ità facilè hoc contigisse scitur, quando Pontifices Romani in iudicio contradictorio sententiam absolutè protulêre de veritate vel falsitate huius facti, vel illius, & in dicto casu Vigilius Papa renuit damnare scripta dictorum Patrum, quia ea non damnauerant superiores Pontifices, sed numquam decreuit non esse damnanda, & solùm voluit agi de hac controuersiâ. Quare eius sententiæ etiam concernentes ad factum, debent esse summi ponderis, & aliquando ità datæ vt rem tradant de fide tenendam, quemadmodum visum est in damnatione quinque propositionum assertarum & defensarum à Iansenistis, qui hanc decisionem editam ab Innocentio X. conantes perturbare, contenderunt eas non fuisse Iansenij, nec secundum eius sensum, quem fuisse sensum Iansenij definiuit, & declarauit vt Pontifex Sanctissimus Alexander septimus, vt omnem præcluderet aditum defensionis Iansenij, qui errores damnatos seminauerat; alioqui Catholicus Episcopus qui ab aliquibus censetur fortè non pertinaciter, & non cum sensu volente repugnare declarationi Ecclesiæ, illum amplexum fuisse. Quo constat apertè quod similia etiam concernentia ad factum, dum eorum decisio pertineat ad res fidei confirmandas, vel declarandas, posse de fide tradi vt certæ, vel firmatâ eorum veritate, vel falsitate: Vndè coacto Concilio supradicto, dum auctoritate Vigilij in eo decretum sit scripta supradictorum Patrum fauisse hæresibus, ea scripta de fide damnata vt falsa censenda esse putamus. Quod nobis aperit viam ad æstimandum quod simile, quid dici debeat in hac frequenti repetitione Pontificum, quod scandàla orta in Ecclesiâ circa hanc materiam, prouenerint vel ex publicatione vel attestatione priuatâ sententiæ de maculatâ Conceptione Deiparæ.

2. Aduertendum etiam est quod decisio an aliquod malum ex vnâ vel aliâ causâ potius proueniat, etiam si sit de re circa factum, & circa factum concernat: tamen dum hoc factum concernit ad diiudicandum circa controuersias fidei; potest pertinere ad videndum an aliquid sit licitum vel verum. Quare potest Pontifex decidere an ab hac, vel illâ, vel quali causâ proueniat, vt possit indè vel veritatem, vel bonitatem obiecti discernere in ordine ad decidendum aliquam veritatem fidei, vel ad stabiliendum, & præcipiendum quid sit agendum in genere moris. In quibus duobus Pontifex non potest errare, vt communiter aduertitur à Theologis, & per consequens non potest errare in discernendâ causâ, vndè hoc bonum vel malum proueniat, ex quâ dependet præceptio de eo quod sit agendum, vel tenendum in Ecclesiâ quamobrem cum in præsenti materiâ discernere, & decidere an scandala orta in Ecclesiâ propter controuersiam Conceptionis Deiparæ, valdè interest & interfuerit agnoscere, vndè, & ex qua causa potissimum prouenerint, & prouenire soleant. Certè in hoc iudicio æstimandum videtur, quod non potuerit, neque possit errare Pontifex, cum valdè iuuet ad agnoscendum verum, & agendum in hoc negotio ne mala eadem rursus pullulent, & extirpentur cum pace Ecclesiæ, quæ ex hac lite ab aliquot sæculis ad hæc vsque tempora solet in hac vel illa Regione multum turbari.

3. Ex quibus tenendum primò videtur, quod hæc veritas de scandalis, iurgiis, & dissentionibus ortis in Ecclesia, ex affirmante sententia maculam in Virgine sit certa de fide, vel secundum fidem.

Probatur Conclusio primò, quia ex dictis patet Pontificem hoc iudicium proferre de causa scandalorum exortorum in Ecclesia, quod scilicet sit hæc vel illa; non verò alia, & quod proueniat potius ex vna sententia in aliqua controuersia, non verò ex alia, vt scilicet discernat quid potissimum sit agendum ad opprimendam vnam, eleuandam aliam, reliquis requisitis concurrentibus: Potuit ergo Pontifex in casu nostro hoc tradere vt certum in Ecclesia, quod scandala ista sint causata ab hac sententia potius, quàm ab alia, & ex ea moueri ad deprimendam eam quæ est causa licet occasionalis tot malorum, tum ad hæc mala vitanda, tum ad discernendam, & arguendam eius falsitatem; quia si vera fuisset, non permisisset Deus quod populus Christianus vniuersæ Ecclesiæ cum suis Præsulibus, & Doctoribus contra eam tam acriter inuecherentur, vt ab omnium auribus & cordibus eliminari peroptauerint, non enim vmquam scitur hunc gradum, vel etiam inferiorem tam vniuersalis, & magnæ abominationis attigisse aliquam eiusmodi sententiam quæ falsa non fuit, imò falsissima. Sic quando impius Nestorius cum suis Asseclis Theotocon negauit Virginem, Constantinopolitanus, & Ephesinus populus, quamquam ab illo se segregauerit, non legitur tamen in oppositè sentientes tantum exarsisse, tantóque impetu inuectum fuisse, quantum nostris temporibus vidimus veluti quotidie vniuersos Catholicos populos irrumpere in Immaculatam negantes, & summa contentione velle eis silentium imponere, obsecundante aura & auctoritate Summorum Pontificum. Ex quo licet quod non nisi de fide, vel secundum fidem certum sit agnosci pro causa licet occasionali à Summis Pontificibus scandala orta ex hac sententia maculante Virginem prouenisse.

4. Probatur secundò Conclusio, quia ex ea expresè prohibuêre Pius V. primùm, deindè Paulus V. tertiò Gregorius XV. & vltimò tandem Sanctissimus Pontifex Alexander VII. euulgatione primùm in publicis conuentibus sententiæ maculantis Virginem; deinde quamlibet publicam, & rursum priuatam loquelam eam asseuerantem; ac tandem quomodocumque contra eam obloquentem nulla præmissa voce, vel scripto, vel inter ipsos Aduersarios, provt expresè patet in Bullis dictorum Pontificum, vt supra notauimus. Quæ omnia cum auctoritate Pontificia decreuerint, & ad mores Catholicorum

compo

componendos, & tantâ constantiâ obseruari fecerint variâ inflictione pœnarum ex causâ prædictâ; certè non nisi pro certo ipsis fuit, & tradidère Ecclesiæ, quod huiusmodi scandala prouenerint ex parte & occasione sententiæ affirmantis culpam originalem in Deiparâ; tanta enim depressio eiusmodi sententiæ ex hac causâ in ipsam delapsa a Sede Romanâ, non potuit prouenire, nisi summâ certitudine constaret & constare in Ecclesiâ voluerit, quod ex ea orta sint prædicta scandala, & tam mala tam frequentia, & vniuersalia.

5. Probatur tertiò Conclusio, quia scandala maiora quæ ex hac reiectâ sententiâ prodiere, fuere varij errores in fide, quibus ipsa scatet, & quorum causa fuit in hominibus etiam doctis, licet plures errores ab eis se seruauerint illæsi, quos damnauit Sixtus IV. & cæteri Pontifices, vel verbo in Bullis, vel facto prohibentes libros, in quibus hi errores defendebantur, quales fuère illi qui sugillabant Immaculatam Conceptionem variis notis impietatis, temeritatis, erroris, hæresis, & peccati mortalis, recitantes, vel assistentes Officio Immaculatæ; nec non ille magnus error quod declarata circa hanc materiam fuerant à Romanis Pontificibus, non prodiisset nisi vt à Doctoribus priuatis, nec obesse quin aliter esset sentiendũ ex eo quod sacræ Scripturæ aliter pronunciauerint. Id quod liquidò constat ex eo quod habet Sixtus IV. in duplici Bulla *Graue nimis*, & confirmatur itidem ex Bulla Alexandri VI. Et Cismontana Familia refert delatos ex viuæ vocis oraculo Pauli. V. pro damnatis traditos. Ex quo licet sic argnere, scandala quæ maximè orta sunt ex hac sententiâ affirmante maculam in Conceptu Virginis, fuère varij errores in aliquibus eos docentibus, & aliis eos amplexantibus: sed omnium horum causa occasionalis fuit hæc sententia: ergo dum omnium horum causa dicitur hæc sententia à Summis Pontificibus, non nisi ex eo quod ad eos pertinuit vt Summos Magistros Ecclesiæ, & vt eam docerent quid deberent sentire fideles, sunt admoniti quod eorum fuerit causa sententia dicta. Quamobrem vel de fide, vel secundum fidem debet esse apud eos certa hæc æstimatio, quod huiusmodi sensus fuerit causa scandalorum dictorum.

6. Neque dicas scandala quæ dicuntur causata ex hac sententiâ, non fuisse hos errores, sed mere dissentiones, & discordias, & iurgia, vel item manus iniectiones in oppositum sentientes. Nam esto, hæc vltima item sint causata occasione sententiæ dictæ affirmatiuæ contra Virginem, cum dicti errores non minus quàm hæc iurgia & similia prouenerint ex prædicto, sensu saltem occasionaliter, non minus eorumdem scandalorum affirmatiua sententia est censenda vt patet rectè consideranti, & nos ostendemus in Opusculo de erroribus in quos prolapsi sunt inexcusabiliter complures ex opinantibus pro eâ. Et quod scandala stent, pro istis erroribus patet ex eo quod Sixtus IV. in veraque Extrau. *Graue nimis*, ait. [Ex quorum assertionibus & prædicationibus non leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt.] Et Alexander VI. [Varij Religiosi &c. varias opiniones circa contenta in ipsis eisdem literis contra eorum tenorem in medium proponere, & quidam vnum, alij verò reliquum affirmare non erubescant, ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur, & scandala non modica generantur.] Et deinde Pontifex declarat his omnibus obuiare se velle: quare hi errores omninò veniunt sub nomine scandalorum, quorum dicitur causa, licet occasionalis, sententia affirmãs maculam originalem in Dei Parente. Ex quo liquet quanta deprẽssio derivetur in hanc sententiam, quæ fuit per duo sæcula tantorum iurgiorum, & scandalorum, & discordiarum in Ecclesiâ ad nihilum vtilis, & quæ decenter modò remouenda est ab omni catholico corde, quæ sine contrariâ tergiuersatione declarata est modò à summo Pontifice causa tot malorum, licet occasionalis; nam etsi hoc ipsum cæteri antiquiores Pontifices hoc ipsum tradiderint sæpissimè in suis Bullis: tamen Aduersarii eum in alios distortos sensus, decreta Pontificum circa sensum Immaculatæ semper retulerint, non in fauorem eiusdem Immaculatæ quæ statuerant, concedebant; & sic ea scandala non fatebantur prouenire ex suo ipsorum sensu ab Ecclesiâ reiecto, seu non amplexato vllo modo, licet non damnato; vndè eludebant aliquo modo apparenti, licet re vera euidenter falso, improperium & notam sententiæ affirmantis in hac re. Id quod modò non potest eis esse effugium, quando apertissimè constat per Sanctissimum Alexandrum VII. Ecclesiam Catholicam fauisse & fauere sententiæ de animâ Virginis immuni originali pro primo instanti suæ infusionis in corpus; & hoc ipso ostenditur & declaratur quod mala quæ prouenêre ex contrariâ sententiâ in Ecclesiâ, prouenerint omninò ex sententiâ vt contraria sensui Ecclesiæ, licet non statuto de fide certo; quod grande improperium eius esse videtur, & omninò persuadet omnem Catholicam mẽtem vt ab hac sententiâ se penitus alienet, nec semen eius relinquat causam tot iurgiorum & perturbationis pacis Ecclesiæ.

7. Quibus positis. Dico secundò quod posito quod Pontifex declarauerit ex occasione huius sententiæ amplexatæ ab aliquibus exoriri & exorta esse hæc scandala in Ecclesia, implicitè declarari, & veluti hortari & indigitari à Summo Pontifice quod hæc sententia oblitioni tradatur, & omninò respuatur ab Ecclesiâ, saltem vt causa occasionalis malorum, & ex hoc capite, licet non ex parte obiecti, ex parte subiecti peccaminosa videatur etiam mortaliter in iis, qui vel directè, vel indirectè, vel proximè, vel remotè eam ostendentes tenere, cooperantur huic malo ab Ecclesia per sæcula abominato.

8. Explicatur & probatur Conclusio: Non enim hìc insimulatur hæc sẽtẽtia peccati mortalis ex se, si ea tãtum in mente siltatur: Sed solum si exterius ea amplexari liberè & pertinaciter fateatur, quia ea vt sic, fuit causa occasionalis tot malorum; & ea vt sic timetur à Pontifice quod similia scandala non gerat in posterum; ergo ea vt sic est peccaminosa mortaliter si propaletur Antec. patet ex Bullis Pontificum, qui semper hæc mala volentes vitare, fauorem omnem & permissionem diminuère huic sententiæ

tentiæ nunc eam remouentes à conuentibus publicis, nunc à priuatis colloquiis, & modò ab omni eloquutione contra Immaculatam; nam eam agnoscentes vt occasionem tot malorum, & vt talem eam notantes Ecclesiæ, voluerunt agnosci quod ea vt sic sit mortaliter peccaminosa; nec meritò excusabilis à culpa graui; quia saltem contra charitatem peccat grauiter, qui videns aliquid indifferens, imò etiam bonum nocere proximo, quod alioqui omittere non sit defectus, & sine suo graui incommodo potest omitti, si nolit omittere dum agnoscitur, indè prouenire malum spirituale proximi: sed hoc euenit in sententiâ maculatæ aliquo modo ostensæ quod ab aliquo præsertim docto viro amplexetur; hoc enim dictum animat cæteros ad id ipsum ostendendum, vndè solita sunt sequi dicta scandala, licet passiuè in proximis, & causare hoc malum, quod modo dicto declarat Pontifex, & res ipsa demonstrat; nam sæpissimè ex paruâ fauillâ excitatum est, & excitatur incendium. Quare hoc ipso videtur declarare, vel dat nobis argumentum inferendi, quod eiusmodi sententia exteriùs significata quod à Doctis viris amplexetur, & ab iis ipsis confirmetur vt acceptata, sit peccaminosa mortaliter, vtpote declarata vt occasio malorum grandium. Sic si quis aliquem sensum ostendat quo euerti possit licet remotè populus à suo Principe, & quo soleat excitari tumultus, certè peccat mortaliter, dum illum profert, etiam si paucis hominibus illum communicet, dummodo facilè posset euulgari, vel peruenire ad aliquem, qui facilè possit tumultũ excitare, & prorsũ similè quid quod solitum est contingere in hac materiâ, similes tumultus excitauit. Quare qui illum proferret, dubium non est quod nisi inaduertentia excusset, talis prolatio peccati mortalis rea erit.

9. Probatur secundò Conclusio, quia eiusmodi propalatio sensûs maculatæ Conceptionis cum sit prohibita sub pœnâ Excommunicationis, & facta mortalis rea à Pontifice causa tradita, propter scandala quæ indè oriuntur; patet manifestè quod expressio sensûs etiam interius amplexati, cum solita sit, & possit facilè excitare hos tumultus, vel scandala, rea itidem debet dici mortalis: qualis solet esse quod hæc sententia sit adhuc firma manens, quod eam numquam Sedes Apostolica damnabit, quod contra oppositam semper pugnabit Illustrissima Familia, quod auctoritas S. Thomæ sufficiat pro ea stabilienda vel non damnada vnquam à sancta Sede Apostolica, & similes expressiones dictæ sententiæ; nam hæc & similia dicta si in vno congressu, & ab vno vel altero propalata, facile agnoscuntur vt causæ dictorum scandalorum: replicatæ verò in pluribus qui conuenirent in eiusmodi propalationibus, experientia constat quod aptæ natæ sunt eiusmodi scandala causare, & consequenter reæ sunt mortalis, vti concluſimus. Quod autem eiusmodi expressiones reæ sint mortalis ex paritate affirmationis vel obloquutionis quod Virgo fuerit concepta in peccato originali, patet quia indè hæc affirmatio mortalis rea est, quia est causa occasionalis scandalorum; cum ergo æquiualentes expressiones, quod adhuc hæc sententia maculans Virginem viuat in Ecclesiâ, & non penitùs obliterata sit, sit cauta similiter eorumdem scandalorum, nemo est qui non videat eam esse mortalis ream in circumstantiis eiusmodi, facta debita aduertentia.

10. Probatur tertiò Conclusio, quia si mortalis rea traditur Confessarius, qui videns pœnitentem nescire quod peccet in aliqua materia, & sciens quod in ea numquam recedet à continuatione talis actûs, illum velit monere de peccato quod committit, & tenetur propter charitatem abstinere à tali monitione, relinquens illum in bona fide quod non peccet, quia sua monitione non est illi nisi certo obfuturus: quanto magis eiusmodi peccati reus erit ille qui videns offendi populum de suo sensu propalato quem Ecclesia non recipit, & fauet opposito, illum velit intrudere indirectè, affirmando quod pro eo stet, exponátque se periculo disputationis & tumultûs. Dum velit tacitè suum sensum defendere, & contra tenentes Immaculatam Conceptionem, velint oppugnare. Quare consilium darem sentientibus Virginem non esse ab originali immunem, vt neque se tali sensui obsecundare concedant, & ab eiusmodi sermone etiam familiari penitùs abstineant, ne suam conscientiam graviter offendant. Posito quod Summus Pontifex declarauerit expressè ex occasione huius affirmatiuè sententiæ oriri in Ecclesia Dei scandala, iurgia, & dissentiones. In hac re animaduertant Aduersarij factum S. Pauli, qui circumcidit Timotheum, vt inutilissimum & irrationabile scandalum Iudæorum suo tempore vitaret, quando iam circumcisio sepulta erat, licet non mortifera; & declaratum ab Apostolis Cõcilio coacto, quod ea à Gentibus non esset vsurpanda, & sufficere Baptismum ad æternam salutem acquirendam, id quod S. Paulus egit non nisi quia videbat ægrè ferre Iudæos socium se adhibere, qui sicut & ipsi circumcisus non esset, natus de cætero matre Iudæa, licet de Patre Gentili vt scribitur Act. 16. v. 3. & subdit Chrysostomus. [Neque hoc parum erat, vbi scilicet post tantum tempus hoc illos offendebat. Initium destructionis erat, quod Gentes hæc non seruabant, & nihil incommodabantur, neque minuebantur in fide, voluntariè enim post hæc desistebant. Igitur prædicaturus, ne dupliciter eos verberaret Iudæos (scilicet Iudæis, & Gentilibus negans circumcisionem) circumcidit illum, quamuis ex dimidio esset, natus enim est ex patre Gentili, matréque fideli. Attamen quia magnum hoc opus erat, quod inter Gentes, non curabat illud; sermonem enim oportebat dispergi, propter hoc & ipsum circumcidit. Vide etiam hoc loco magnum quiddam fieri dum sibi contraria videtur facere, (Timotheum scilicet circumcidens, & non patiens circumcidi Titum, vt dicitur ad Gal. 2. v. 3.) & quod factum bonum, abundabant numero inquit. Vide quod non solum nihil nocuit Circumcisio, sed etiam plurimum profuit. Vbi declarat Apostolus benè Paulum Circumcisionem de reliquo à se reiectam, & propter quam reiiciendam plura fortiter passus fuerat Anthiochiæ ex hæresi Phariseorum, & pugnauerat ad eam remouendam in Hierusalem: in Timotheo

theo voluisse, & per se ipsum vsurpari mandauit, vel in eo exercuit vt morem gereret infirmis Iudæis, & eos non validius offenderet, qui adhuc offendebantur, quod ea non exerceretur & deperisse videretur.] Quo ostenditur Aduersariis quanto inexcusabilius ipsi criminantur, si visâ sui ipsorum sententia à Sancta Sede proclamatâ, vt saltem occasione magnorum malorum in Ecclesia, ab eâ adhuc non desistunt defendendâ & amplectendâ, qui benè norunt quod dum ei etiam mentaliter adhærent, vix euenire poterit, quin etiam exteriùs præse ferant se saltem mentales eius seruatores & amplexatores; quod ipsum solum irritare solet animos fidelium, eorumque aures offendere, & semina discordiarum & pugnarum statim suscitare cum aliis scandalis: Nam *Conceptum sermonem continere quis poterit*, apud Prophetam habetur, & quâ ratione conuentus seu multitudo aliquorum simul conuiuens, si verè interius sentiat Virginem maculatam, & in eâ velit mordicùs persistere, si suum sensum detrectari plus æquo vt sibi videretur, viderit, & fortè ab aliquo imperito vituperari nimium; ità se continere poterit inter mansuetudinis & modestiæ confinia, quin carpat detractatorem, & ipsa etiam saltem in suo aliquo alumno debitos fines non prætereat, & Immaculatam carpat; vel minus reuerenter compellet, & iram populi euitet? & ex hinc iurgia statim sequentur & improperia, scandalaque pullulantia ferè ineuitabiliter. Quare si tanto malo velint radicem præcidere, æstimari merito potest, quod valde conueniat ipsis alioqui piis & doctis viris, hanc occasionem scandalorum penitùs tollere, & pacem tutam Ecclesiæ in hac re donare, & cum eadem Ecclesiâ suum sensum conformare, si verè vitari scandala velint: Id quod maximè vrgere arbitror Primates viros, & qui regiminis clauum tenent apud Aduersarios; ij enim & si prudentiâ suâ & peculiari modestiâ se intra debitos fines se contineant, attendere debent quod in reliquâ multitudine complures non deerunt qui dum huic seusui adhærent, & primates viros inter ipsos eidem adhærere sciunt, non deerunt inquam qui facile etiam sæpè ab aliquo vno etiam indisereto inter Immaculatæ cultores pijssimos supra modum irritari, vel etiam leuiter commoti, ad pugnas verborum, & sæpè etiam iurgiorum & verberum, nec non etiam in præceps errorum & scandalorum non ruant. Quorum malorum certè ipsi omninò essent fortissimi expulsores, si sententiæ Immaculatæ exemplo Romani Pontificis, & vniuersæ Ecclesiæ fauere ex hoc tempore profiterentur: Quamobrem si hoc vident (vt certè eos videre mihi merito persuadeo) aduertant quæso, an & si sibi videantur esse causa remota eorum occasionalis; tales tamen sunt, vt si ipsi vellent talia mala non obuenirent; & animaduertant an sub pœna mortalis teneantur hanc remotam etiam causam, quam dicunt tollere, & tanto Ecclesiæ bono consulere, vt in eâ idem sit sensus, eadem consentio, vnus spiritus in vinculo pacis, vti exoptat Sanctissimus Pontifex in hac Bullâ. Ego certè non video quomodo sub mortali ad hoc non teneantur, si sciant cæteros secum obsecundaturos, qui quidem omninò obsecundaturi esse videntur.

11. Vbi animaduertendum quod ij qui perseuerantiæ sensûs maculantis Deiparam, principalis causa sunt, ex quocumque demum capite id proueniat (quod certè friuolum erit ne hæc sententia de maculâ Conceptionis Virginis honestè sepeliatur, vt eam velint in Ecclesia adhuc viuere, & locum aliquem habere) & propterea toruis oculis aspiciant eos qui ab eâ recederent, vel ad eam inclinarent, & veluti spurios alumnos suos dicerent & æstimarent, illosque à dignis gradibus arcerent, & quantum possent vel penitùs, vel tardiùs ad eos peruenire contenderent, & auerterent: de reliquo eius fautores omnibus præmiis prosequentes: hi inquam omnes sunt præcipua causa horum malorum, & vt tales agnoscendi, nec apparet quomodo rei grauis culpæ non sint, quia semen scandalorum fouent, irrigant, & non solum non eradicant, sed fortiùs & altiùs subfodiunt, vt erumpat & pullulet maiori impetu & vi, ità vt crescat arbor, & veniant aues, & habitent sub ramis eius.

12. Nec excusari à culpâ poterunt qui tantum bonum Ecclesiæ afferre possent, & abstinent ab eius collatione, ex eo zelo veritatis tuendæ, se moueri dicitent: nam veritatem apud Sanctam Sedem Romanam, & Catholicam Ecclesiam residere, debent sibi persuadere, & extra eam excurrere, non est nisi à viâ rectissimâ declinare. Bene norunt quod si apud eam conquiescant, & suos intellectus captiuare proponant, veritati dudum adhæsisse cognoscent, & si credent, intelligent, iuxta illud, *credite & intelligetis*. Nec instent, Sancta Sedes hanc veritatem non definiuit, eam definiat si tamen potest, & credemus, intellectusque nostros captiuabimus: sic enim poterant Græci respondere, volentes Spiritum Sanctum procedere solùm à Patre, & tamen quia pertinaces eos videbat Sancta Romana Ecclesia, eò vsque definitionem distulit, quo ipsimet veritatem agnoscentes, in Concilio Florentino se ipsis sponteque suâ manus dedére. Id maximè exoptat Romana Ecclesia & Catholica vniuersa ab Aduersantibus nostris, id Summi Pontifices, id Christianus Orbis vniuersus, vt ipsum omnes sapiamus, id ipsum dicamus omnes.

13. At dices, in hac re de bonâ nostri æstimatione agitur; si cedemus, victos nos confitebimur, subsannationibus & cachinnis nostrorum æmulorum irridebimur, ignominiosum erit nomen nostrum, qui non valuimus argumentis oppositis, accommodata responsa aptare, nec aduersantia sensa validè oppugnare: semel victi, in aliis pugnis, quæ fortè obuenerint, animum despondebimus, & semel habita nostri victoria, iterum iterúmque repetenda conclamabitur exemplo prioris, si pugnandum aliàs sit, & contra nos semper triumphus canetur, et si victoria desperata sit, quia semel victi, semper victi dictitabimur. Sed hæc quidem rectè conjectari possent dicenda ab aliquo non admodum recto rerum æstimatore, quando Ecclesiæ definitioni Aduersarij Immaculatæ cogerentur manus dare, ne hæretici euaderent: At in præsenti si sponte sua veritati se submitterent, non nobis & Aduersariis suis cederent, sed veritati,

eiuſque ſplendori, Maieſtati, ſanctitati, & plenipotentiæ, quæ ſeipſa ipſis obuiam petit, & ſine adiumento ſociorum ſola ſatis eſt in ſuam captiuitatem redigere omnem benè diſpoſitum intellectum: ſtultè quidem, ſi quis ex noſtris ſic effutiret, loqui agnoſceretur quando æſtimaret quod ſi noſtri Aduerſarij Immaculatæ ſe ſubmitterent, hoc opus eſſet noſtrorum ingeniorum, noſtrorum inuentorum, noſtræ operæ, noſtrarum virium, quaſi noſtris rationibus non potuiſſent ij non manere conuicti, quaſi rationibus non poſſent, & ipſi rationes opponere, & perpetuò contra contendere. Sic Philoſophus ille in primo Nicæno Concilio dum rationibus ſecum actum dixit ſe reſpondiſſe rationibus, nec potuiſſe conuinci, vt vbi Spiritus Sanctus in ſancto Spiridione loquutus metâ recitatione, Sacri Symboli fidei conuerſus eſt, & ſe victum à Spiritu Dei profeſſus eſt. Et ne in hoc fortè deueniretur, rectè Gregorius XV. ſe differendam hanc definitionem cenſuit ſcribens Catholico Regi in hunc modum. [Valdè timuimus ne veterator ille ſerpens, qui boni malique ſcientiam proprijs parentibus pollicens, maximis hominum genus miſeriis cumulauit, ipſius pietatis armis abutatur ad Chriſtianæ plebis pacem dirimendam; quæ enim opinionum diſſentio eſt, poteſt fieri animorum contentio, dum magnificum victoriæ genus pleriſque videtur, vbi quid in controuerſiam venit, de aliorum ingeniis triumphare.] Quo oſtenditur Sanctam Romanam Sedem in definitionibus Dogmatum fidei non ad hæc ingeniorum inuenta multum reſpicere, ſed Spiritus ſancti lumen expectare; ſic idem Pontifex dignißimus eidem Catholico Regi notauit inquiens. [Spiritus ſancti enim voci auſcultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in Diuinæ ſapiétiæ Cathedrâ Chriſtiano orbi à Deo præfecti ſumus. Quare cum nondum æterna Sapientia Eccleſiæ ſuæ tanti Myſterij penetralia patefecerit, in Dei, Romanorúmque Pontificum auctoritate debent fideles populi conquieſcere.] Quando quid definitur à ſanctâ Sede, non debet neque poteſt vlla pars opinantium ſuis ingeniis, & inuentis fallibilibus, præcisâ Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ, magnis erroribus ſubditis illam aſcribere, nec vna pars vti victrix de aliâ tamquam victâ, gloriari, ſed ambæ Spiritûs ſancti ſpiramini & dictamini deuotè ſubiici, & pars quæ contradicebat ſuas quidem rationes debet reiicere, vt impotentes quid concludendum contra Spiritus ſancti dictata; at ipſa pars quæ eidem ſenſui Spiritûs ſancti ſuffragata eſt, ſuas etiam rationes debet reiicere quaſi ipſa moueatur ad id tenendum quod prius amplectebatur. Cuius rei euidens ratio eſt, quia ſuas rationes debet reiicere vt motiuum formale credendi; cum poſitâ definitione motiuum formale ſit reuelatio Diuina, non rationes inuentæ, quorum aliqua ſæpè falſa eſſe poteſt, vt notant Theologi. Pro quo aliud euidens argumentum eſt, quod rationes inuentæ non ſint motiuum aſſenſus rei definitæ, quia ex numquam potuerint, neque poſſent ex ſe, præcisâ definitione communiter certitudinem infallibilem inuehere, quæ ſolùm habetur ex reuelatione diuina, quam ipſæ rationes non afferunt ſed ſola definitio. Non habent ergo Aduerſarij vndè timeant aliquam grandem gloriam accreſcere fortè æmulis ſuis, quaſi poſſint ipſi gloriari de ſui victoriâ, quæ Spiritus ſancti ſolius eſt, nec de eorum ſolum intellectu, ſed æquè de noſtro, qui deindè certitudine fidei ab ipſo ſolo inuenta, nos vtroſque eminet & ligat. Quo videant vndique rationibus deſtitui, quæ eos perſuadere ritè poſſint, vt ad Eccleſiæ Catholicæ ſenſum licet non definitum de fide non debeant accedere, ſuo relicto priori.

14 Neque in hac re minuendam putent auctoritatem Sancti Thomæ, qui & ipſam Immaculatam profeſſum eſſe conſtat, & maculatam non aſſeruiſſe, determinate grauiſſimi Doctores, & validæ rationes perſuadent, prout in integro Opuſculo ad hoc deputato ſcribimus; nam non propterea diminuta eſt Auguſtini auctoritas, quia contra ſuum inclinantem ſenſum quod anima rationalis ab alâ traducatur, Eccleſia cenſet; vel etiam quod Angeli non ſint corporei, vt ipſe videtur dicere. Nec quia probabilem dixerit ſententiam Mollenariorum modo erroneam & hæreticam, dum contra cenſet hodie Eccleſia vniuerſa teſte Suario, propterea diminutam habet auctoritatem in Eccleſia, & maiorem habuit in antecedenti tempore, ſic de Chryſoſtomo dicimus, de Baſilio, Nyſſeno, Ambroſio varia ſolent notari ab Eccleſiâ reiecta poſt longa tempora ei à Spiritu Sancto declarata vt falſa, quæ nullam propterea ademêre illis auctoritatem; non enim ſingula eorum dicta pro certo veris vmquam Eccleſia cenſuit, vel cenſere potuit, aut poteſt. Vndè ergo volunt aut poſſunt maculatæ Conceptionis aſſertores quæri de auctoritate S. Thomæ quæ minueretur, habitâ definitione de Immaculatâ, cum error ſit tantam ei auctoritatem dare, vt quicquid ipſe dixerit æſtimandum ſit non ſubjacuiſſe falſo: qui pœnè de infinitis determinauit; nec modo nos definitionem ab Aduerſarijs petitam volumus, ſed ſolùm ad vitanda ſcandala ſcribimus videri quod contra ſentientes deberent ſenſui Eccleſiæ vniuerſæ modo obſecundare, & ei maiori probabilitati, aut alteri certitudini, quæ Immaculatæ modo ab ea tradita eſt, ipſius etiam adhærere, vt in Eccleſiâ Sanctâ alia vox non audiatur, nec alius ſenſus habeatur, niſi is quod Virgo in ſua Conceptione fuerit omninò à culpa libera, & à peccato originali præſeruata; ſi enim contrarius ſenſus in aliquibus dicetur eſſe, adhuc certè ſcandala ſemper pullulabunt, & ſi proſilient, proſilient tandem, & omninò debet, ne oriantur, dum agnoſcitur cauſa, præcidi, etiamſi ſcandalum ſit paſſiuum, vt rectè diſcurrit Salazarius in præfatione citata §. 14. Qui item optimè multis probat ſcandalum aliquod etiam actiuum & mortale in hoc negotio intercedere; & ne actum agam, ſolùm Lectorem ad eius verba, & ſententiam ponderandam inuito, ea hic ad ſui commodum etiam ex parte afferendo, ne Lector diſtrahatur ab hac lectione, vt certior fiat de ſenſu Salazarij, qui optimè tetigit varia circa hoc ſcandalum ſub mortali vitandum, à ſentientibus contra Immaculatam. In quibus plura benè aduertit nobiſcum Doctiſſimus

ctissimus Vir, & primò, aliquo genere scandali actiui affectos posse dici aliquos saltem ex Aduersariis, qui ostendunt & re vera ex perfidiâ, & animi duritie, & proprij honoris affectu inclinaret, & doceret sententiam de Immaculatâ, quod in re graui habitum, scandalizat certè pusillos & eos ad iram excitat, & ad iniurias graues inferendas: & ea scandala quæ vitari vult Pontifex. Secùdò omnes ipsos peccare peccato scandali actiui, quando vident nullum profectum haberi in docendo doctrinam de maculatâ, & de reliquo populos etiam ex suâ malitiâ in iniurias illicitas, & alia peccata inuehi, & tamen in eam doctrinam defẽdendam incumbant. Et tertiò Pontificem teneri hæc scandala prohibere & interdicere, etiamsi priuati fidelium ex aliquo iure proprio non teneantur ea vitare, & eorum causam remouere. Quæ omnia sunt effata & pronunciationes certissimæ. His verò nos addimus vltra, quod positâ tanta curâ, tot replicatis vicibus Summi Pontifices hæc scandala damnarint & declarauerint, quemadmodum maximè Sanctissimus Alexander VII. prouenire ex sententiâ maculante Virginem, & sub grauibus pœnis eorum causas vetuerint, iam ostenderint quascumque etiam causas eorum esse omninò vitandas, si eas quiuis agnosceret in hunc effectum scandalorum influere, siue proximè, siue remotè, & remotissimè, si moraliter effectus est sequuturus, omninò esse tollendas, & ni tollantur à non tollentibus mortaliter peccari. Hoc posito, sic formatur argumentum.

15. Dum Primates Viri inter Aduersarios cum possent relinquere hunc sensum maculatæ Virginis, non derelinquunt, sunt causa, licet occasionalis, horum scandalorum, ità vt ea moraliter sint in Ecclesiâ seruanda & continuanda, sed si sunt causa occasionalis, cui certo æstimari debet moraliter loquendo debeat sequi effectus eiusmodi scandalorum, peccant mortaliter: ergo Primates Viri qui non relinquunt hunc sensum & agnoscunt, illisque persuadetur euidenter eos esse causas occasionales horum scandalorum, licet remotissimas, quibus sciantur moraliter esse hæc scandala certò connexa, peccare omninò debent dici moraliter, eisque est omninò hoc aduertendum; posito quod Pontifex declarauerit ex occasione huius sententiæ prouenisse, & timeri prouentura etiam in posterum talia scandala.

16. Maior huius argumenti patet ex declaratione Pontificis qui ex occasione dictæ sententiæ amplexatæ ab aliquibus viris certè Primatibus (nam cæteri nullius vel paruæ scientiæ, non essent in pretio, nec quicquam valent ad hoc vt posset hunc sensum seruare; & si ipsi soli essent in hoc sensu, statim ipsi & omne malum deficeret) dicuntur exorta scandala & iurgia saltem remota, at certo futura. Id quod vlterius probatur, quia ea est causa occasionalis scandalorum cui debet tribui effectus malorum certo futurus, quâ positâ ponitur is effectus, & quâ ablatâ aufertur hic effectus: sed hi Primates Viri fauentes & fouentes sensum maculatæ Conceptionis, sunt causa occasionalis, qua posita sequuntur moraliter hæc scandala, & qua ablata auferrentur hæc scandala: Ergo hi Primates Viri sic fauentes maculatæ Conceptioni sunt causa occasionalis horum scandalorum. Qui syllogismus videtur euidens, nam Maior est indubitabilis, non enim alia potest tradi definitio, vel digna descriptio causæ occasionalis malorum, aliæ non solent esse; quare Maior est certa; Minor videtur manifesta, quia primò si Primates Viri dicti, relinquerent hunc sensum, certè alij minoris notæ videntur omninò eum relicturi, & relicto ab eis hoc sensu, iam prorsus cessarent eiusmodi scandala, neque eorum esset vllus timor: quod autem iis permanentibus in hoc sensu, semper sunt putanda euentura similia scandala, & censendum moraliter esse futura & ineuitabilis, videtur patere quia moraliter non potest contingere, quod si qui vnum aliquem sensum volunt seruare in aliis sibi similibus, illum fortiter tenent, aliqua non agant quibus minus docti & simplicioris notæ suæ partis, vel etiã docti non incitentur ad eundem sensum defendendum, & qua via possunt deprimendum oppositum. Quod semper contigit in adhærentibus alicui opinioni fortiter, & visum est quàm maximè nostris temporibus in Ianseniistis, & per omnia sæcula huius aduertentiæ exempla possunt afferri, cum hoc maximè fundatum sit in naturalibus humanis quæ inclinant doctos viros ad procurandos sectatores suorum sensuum, sic in Controuersiis natis in Ecclesia visum est Sanctos Patres quæsiuisse defensores dogmatum fidei & litteras circulares scripsisse; contra-item Hæreticos similes ex opposito circumferri curauisse. Posito autem quod vna multitudo numerosæ cohortis pugnet pro vno sensu, moraliter contingere non potest, quin plures intra debitos & præscriptos fines à Sancta Sede Apostolica se contineant, & non oblatrent saltem priuatè, vel obloquantur, vel in quid simile seminarium scandalorum non incurrant. Quare à primo ad vltimum certum est quod Primates dicti Viri licet remotè, causa occasionalis sunt eiusmodi scandalorum, nam sunt ea causa qua posita ponitur effectus, & qua ablata aufertur hic effectus, quæ erat consequentia primi argumenti. Quo stante cum liqueat talem causam esse peccaminosam mortaliter, liquebit apertissimè tales Primates Viros ex pane obiecti videri incurrere in mortale, ni fortè aliquod effugium habeant, quo se defendant solidè, quod non video.

17. Hoc autem subsumptum certè probat Salazarius loco citato, & sufficit eius recitare verba, dum ait §. 15. [Sed vlterius demus Aduersariis, eos nullo modo actiui scandali reos esse; & in nostris etiam scandalum passiuum admittamus, dent igitur etiam ipsi aliquid ignorationi, quâ vulgus plerumque laborare solet: Dicantque quæ saltem imperitos, & ignoratione, & infirmitate ad hæc scandala impingere solitos. Quod si ne id quidem volunt (quod velint, nolint, certum est) fateamur etiam id, quod nuper propulsauimus, omnes piæ doctrinæ assectatores ex malitia scandalum pati. His nihilominus acceptis, & admissis, contendo ipsos id omittere debere; ex quo nostri huius scandali occasionem mutuantur. Nam vt docet D. Thomas in ea

q. 43. art. 7. & eius Scholiaſtæ in eum locum, cum ſcandalum eſt paſſiuum etiam ex prauitate aut malitia conceptum, & neque præceptum adeſt, neque vtilitas aliqua vel emolumentum ſpirituale, aut temporale agitur, quod ex omiſſione operis omittenti pereat (in his præcipuè quæ ſuapte natura ad bonum proximi ordinantur) tunc quidem miſſum fieri debet id quod proximum quomodolibet ſcandalizat. Propter hanc rationem Sanctus Thomas in eo art. ad 1. argumentum affirmat aliquando omitti debere actum docendi, quando ex doctrinâ alicui labendi & errandi occaſionem offerendam putamus. Et iterum ad 3. argumentum aſſerit fraternam correptionem nonnumquam ex debito prætermittendam eſſe tunc cum emendatio & reſipiſcentia non ſperatur, & prouocatio, obduratioque proximi prudenter timetur. Hinc ergo fic conficere licet. Si Aduerſarij noſtri nec priuatè nec publicè Virginem in originali conceptam doceant, nullum Eccleſiæ præceptum violant, nulla ipſis vtilitas perit, nullum damnum emergit: ergo quamuis noſtri omnes ex prauitate ſcandalum propterea ſubirent, deberent ipſi nihilominus ex charitate illam docendi actionem miſſam facere: tum vel maximè, quia talis docendi actio nullâ aliâ ratione, bona & honeſta eſſe poteſt, niſi quatenus ordinatur ad vſum illorum, quibus doctrina ad ignorantiam excludendam impeditur; atque adeò eo fine ſublato, ex nullo capite bonitatem aut honeſtatem trahere poteſt.

18. Sed dicent fortaſſe ſuæ Familiæ maximam gloriam indè pendere; ego verò non tam ipſis, quàm experientiæ fidem habeo: hæc enim me docet non gloriam ſolùm & ſplendorem, ſed emolumenta etiam temporalia non pauca ipſis perijſſe, & detrimenta non leuia euenijſſe, ex quo illi opinioni, cui ſe ſe deuouerunt propugnandæ, tam ſeriò incumbere cœperunt. Quantum verò gloriæ, ſplendoris, & decoris apud omnes lucrari poſſent, ſi antiqua deſerentes dogmata, piam ſententiam omnes amplecterentur; pauci quidem docti & Religioſi viri, quos pietas ad communem Eccleſiæ ſenſum tranſtulit facilè declarant: quos vſque adeò Reges, Proceres, ac totum denique vulgus celebrauit, ac probauit, vt reliquis inuidiam parare poſſint. Quapropter hinc etiam efficaciter argumentari integrum eſt. Quoties docendi actio, non ſolum non affert vtilitatis alicuius propriæ iacturam, ſed vlterius etiam cum proximi offenſione ipſius quoque Doctoris qui Doctrinam auditori minimè benevolo ingerit, malum & detrimentum copulatur, tunc certè Doctrinam prætermittendam eſſe ipſemet Chriſtus docuit Matth. 7. cum dixit, *Nolite Sanctum dare canibus, nec mittere margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.* Si ergo vel tunc etiam tacere, ac verba opprimere deberent, quando nobis ceu canibus ſanctitatem pro iniquitate, & tamquam porcis margaritas pro cœno ac fœcibus obijcerent: quomodo non potius tacere, atque obmuteſcere debebunt, tunc cum nobis pro ſanctitate, & margaritis, quas tamquam mundiſſima animalia adamamus, iniquitatem, cœnum, ac fœces veluti deuorandas & mandendas offerunt: ità nimirum perſuadentes, vt qui Virginis Deiparæ Conceptionem Sanctam, & omnium gratiarum margaritis ornatam piè credimus, eandem peccato, cœno, ac fœcibus primæ damnationis contaminatam & infectam pronunciemus, ac declaremus.

19. Manet igitur ex dictis revera ſcandala eſſe: Si autem Aduerſarij, ſiue noſtri, horum ſcandalorum opifices ſint, illud iactare non piget. Væ autem homini illi per quem ſcandalum venit: expedit ei, vt alligetur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Reliquum ergo eſt, vt Sanctiſſimus Pater, ad quem præcipuè ſpectat eiuſmodi fidelium ſcandala prohibere ac propulſare; & Catholicus noſter Rex, cuius etiam proprium eſt pro eiſdem ſcandalis arcendis, ac depellendis Maieſtate ſuâ intercedere, ac deprecari, id agant ſeriò, id contendant, in id incumbant maximè, vt tanta ſcandalorum ſeges vno ictu reſcindatur, & extirpetur, ne maneat, inpoſterum (vt Pauli verba vſurpem) radix aliqua germinans fel, & amaritudinem, ſi propter ſcandala, quæ ex dogmatis non pij publica denunciatione aboriri certò conſtabat, Sanctiſſimi Patris noſtri pietas meritò inducta eſt, vt Aduerſariis, in publicis quibuſcunque actionibus ſilentium imperauerit; quandoquidem eadem, imò maiora (vt experientia docet) ex priuatis ſermonibus ſcandala oboriri conſtat, etiam in priuatis colloquijs tacere iubeantur: vel quod ſatius eſt, fiat denique id quod omnium affectant vota, certa & ineffabilis (ſi Deo & ſanctiſſimo Patri noſtro placet) huius dogmatis definitio & determinatio quamprimum prodeat: & de ſcandalis, de diſcordia, & toties repetitis litibus actum erit.

20. Id quod vlterius confirmatur, quia defendentes hunc ſenſum, in ſcandalum actiuum incidere videntur, quia exemplum videntur dare, & inducere pertinaciæ & duri cordis in Eccleſia Dei, cum ipſi tam obſtinatè adhæreant ſuo ſenſui contrario illi, quem Vniuerſa Eccleſia amplectitur. Quod antea dicta notauit Salazarius dicens; [Sed tamen ſi res ad trutinam vocetur, & Theologiæ examinentur momenta, noſtræ paſſionis aſſectatores à Phariſaicæ prauitatis nota immunes prorſus eſſe: illos verò dari per actionem ſcandali notam effugere non poſſe omninò cenſeo, ac decerno; illud enim exploratum eſt ex Doctrina Angelici Doct. 3. p. q. 49. art. 3. eos actiui ſcandali reos eſſe qui mali aliquid admittunt, aut aliquid quod malitiæ ſpeciem habeat, ita peragunt, vt proximis ſuis ruinæ ſpiritualis cauſam offerant. Hæc autem Definitio ſcandali actiui non ità accipienda eſt, vt illud ſolum malum eſſe, aut mali ſpeciem habere dicatur, quod ex obiecto ſuo malitiam aut mali ſpeciem trahit: ſed etiam illud quod ex circunſtantiis, & ex his, quæ illi adiacent, eam malitiam ſeu mali fucum & colorem ſibi accerſit. Ita fere S. Thomæ, & communis Theologorum ſententia in materiâ de ſcandalo.] Iam igitur ex hoc conſtantiſſimo principio ſtatuo primò, Aduerſarij noſtri quoties priuatè, aut publicè Deiparam Virginem in originali Conceptam affirmant, nihil admittunt, quod ex obiecto ſuo malum ſit, aut mali colorem habeat:

habeat : constat enim eos id dicere ac pronunciare quod hactenus probabile est. Addo etiam id (quod ex eorum probitate & pietate coniectari fas est) ipsos quoties doctrinam illam vsurpant, nihil etiam committere quod ex circumstantiis suis reuera malum sit. Nam pium creditu est viros vsque adeò graues, ac Religiosos ad eam doctrinam depromendam, non ex prauo aliquo affectu, sed ex solo ac mero tuendæ veritatis zelo induci, ac prouocari. Tamen id puto eos aliquid præstare quod per circumstantias suas mali specie & colore ità imbutum est, vt fucum istum malitiæ, non solum apud rude & imperitum vulgus, sed etiam apud Doctos & sapientes eluere & abstergere non possit. Nam cum omnes id quod luce ipsâ meridianâ clarius est, certo cognoscant innumera esse rationum momenta quæ mentes quantumlibet rigidas ad piam sententiam traducere possint : Quibus accedit etiam cõmunis Ecclesiæ sensus Summorumque Pontificum nutus ; cum id etiam videant (quod ingenia etiam prædura & obfirmata lactare queant,) scilicet piam doctrinam ipsimet Virgini Deiparæ magè gloriosam & splendidam esse. Adde etiam cum videant nullum satis robustum argumentum pro suâ illos opinione depromere solitos, quod ità ipsorum mentes illi sensui obstringere debeant, vt non possint facile illud eludere, & ad piam sententiam non coactè, sed spontè, & vltrò semetipsos transferre : cum inquam hæc omnia quæ saltem ad speciem vera sunt, omnes conspiciant ac teneant, non possunt non suspicari suos aduersarios non veritatis zelo, sed priuato affectu ad contrariam ei, quam ipsi tradunt, doctrinam proferendam induci : non temerè illis persuadeas id alio studio, quàm repugnandi, obluctandi, & obloquendi animo ab ipsis affirmari ; cum tot sint argumenta, quæ saltem ad speciem id probare videantur; ità enim aliquando audiui virum apprimè doctum, qui de his enunciari posse aiebat illa verba, quæ Theodosius Imperator in Chalcedonensi Concilio act. 3. protulit. [Non satis pius est, qui post tot Sacerdotum sententiam aliquid opinioni suæ tractandum relinquit: extremæ quippe dementiæ est in medio ac perspicuo die commentitium lumen inquirere: quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit.] Hinc igitur scandalorum materies ac seges, hinc factum, vt eos, quos vulgus propter hunc calorem & speciem, non ratione, sed vi agere putat, qui quoque repellere contendat. An non actiua sunt isthæc scandala.

21. Ex quibus omnibus perspicuum manet, quod hæc dicta occasionalis causa peccaminosa sit mortaliter; quod iterum ostenditur etiam si non probemus quâ ratione ea scandala causet positiuè ; nam etiam posito quod Primates docti viri non influant, neque proximè, neque remotè in hæc scandala, & nihil committant vel agant positiuè ; ex hoc ipso quod non relinquentes suum sensum, sunt causa non remouens prohibens; & cum relinqueret eiusmodi sensum, tollerent hæc scandala, & nolunt illum relinquere, etiamsi videant illa prouenire ex non derelictione sui sensûs, ex hoc ipso reos se constituunt mortalis peccati : quemadmodum qui in Turri Messanensis freti proximè aspiciens mox futuram nauis submersionem, non solùm peccat si in Caribdin eam impulerit nutu, vel verbis; sed etiam si sileat & non clamet Nauclero, vt huc vel illuc timonem transferat, vt à Caribdi nauis effugiat. Causa enim non remouens prohibens malum, & peccata : est similiter rea talis peccati, dum nihil veri damni sibi timetè potest, & præterit seu omittit agere quod amoueret omninò peccatum: nam certum est apud Theologos quod saltem ex Charitate qui merè non præstat auxilium quod potest peccatum tollere, nec illi tollit occasionem, quâ positâ ille peccat, vel renuit id agere, quod si ageret sancta conscientia tolleret peccatum, omninò peccat. Quâ ergo ratione se poterunt à culpâ mortali excusare Docti Viri Primates contra Immaculatam sentientes, qui si sensum maculatæ abiicerent, omninò tollerent omnia scandala quæ certò moraliter sunt euentura; & dum non abiiciunt, sperari non potest quod non sint euentura, ad hoc enim vt vna causa sit mortaliter peccaminosa, non est necesse vt simul sit talis, vt eâ positâ ponatur effectus, & quâ ablatâ auferatur effectus : sed sufficit vt sit talis ad hoc vt sit peccaminosa vt merè verificetur de eâ, quod eâ ablatâ auferatur effectus, & in casu nostro scandalum ; vndè si remotâ vnâ causa, remouetur peccatum, & ex hoc ipso quod non remoueatur, mortale committitur: etiam si de reliquo demus quod ea non influat neque remotè in peccatum, cum tamen influentia remota talibus viris doctis circa dicta scandala futura negari non possit vllâ conuenienti ratione, qui suo nutu cuncta mouent, & multitudo scandalorum causa ad ea vim non haberet præstanda, si eorum influxum non reciperet : & timeret probra, correctiones, & officiorum, graduúmve amotiones.

22. At dices, sufficit si Primates Viri pro maculata Virginis Conceptione stantes, præcipiant suis ne de ea agant, vel obloquantur de Immaculata, sicuti præcipit Pontifex in sua Bulla ; nam vel cæteri inferiores præceptum seruabunt, vel non : si non seruabunt, imputabitur ipsis, non dictis Primatibus : Si autem illud obseruabunt, iam scandalum nullum continget quod omne prouenit ex dicta loquutione: Vndè nulla ratione Primates Viri stantes pro maculata possunt vel leuiter persuaderi esse reos mortalis, si hunc suum sensum non derelinquunt.

23. Sed nulla obiectio, & responsio, quia etiamsi Primates dicti viri præscribant suis vt Pontifici Summo obediatur, atque etiam si castigent suos si delinquant in hac re : benè scitur quod his sepibus circumdatum hoc mandatum non sufficienter custoditur, sed omninò hæ sepes rumpuntur ab aliquo ex multitudine, qui nomine multitudinis videtur licet falsò agere, & ità apprehenditur à populis, excitatque turbas; vndè semper sensus Primatum est, & erit causa occasionalis scandalorum, ex eo saltem quia si is tolleretur, vt posset certò tolli si eis placeret, omninò hæc scandala vitarentur, nec vnquam euentura esse pro certo haberetur, pro vt paulò ante notauimus ; id quod experientia ipsa ostendit, & actum à Generali Conuentu Dominicanæ

Familiæ planè perſuadet ; nam ex eo quod ſcandala hæc parturiret ſenſus de maculata Conceptione, cum ibidem abiici à Fratribus Prædicatoribus illis prudentibus decretum eſt; quod recitat Ciſmontana Familia,ſequentibus Verbis. [Quia Ordo Prædicatorum ſolitus eſt ſemper ſanctorum Doctrinæ adhærere, ſuſtinuit hucuſque opinionem quod B. Virgo fuerit Concepta in originali , ſed iam de hoc non eſt curandum cum ſit materia nullius vtilitatis & valde ſcandaloſa , præſertim cum tota fere Eccleſia (cuius vſus & Eccleſia ſecundum S. Th.2. 2. q.10. art. 12. & 3.p. q.68. art. 10. prævalet dictis Hiero.& cuiuſcunque alterius Doctoris) iam aſſerat quod fuerit præſeruata.] Quod habes in Regeſt. pag. 279. quo patet decretum fuiſſe à ſapiente illo Conuentu prudentum Patrum non eſſe defendendam ſententiam de Maculatâ, quia eam tenere , pariat ſcandalum Infidelibus: vndè non commendata ibi eſt modeſtia , aut ſolum prohibita contentio & iurgia , ſed ſenſus Maculatæ declaratus quod non ſit retinendus,& amplectendum eſſe inculcatur illum totius Eccleſiæ , qui cenſet Dei Matris Conceptionem Immaculatam : vt ſcandala vitarentur : nam ſacer ille Conuentus agnouit quod ſi ſecuris ad radicem non adiicitur , ſemper ſcandala pullulabunt ipſa enim ſcientia quod aliqui teneant hanc ſententiam abominatam à populis,bilem adurit, & ignes accendit contra ſic tenentes , ità vt qualibet datâ occaſione deueniatur ad iurgia, contumelias , & ſcandala, nec ſperandum eſt in hac re obmuteſcere ſicuti Pontifices Romani præcipiunt, niſi eos menti ſubdatur quæ hunc ſenſum abiiciat : ſi enim illum mens recipit, os non ſinit foris depromere,& pugnas facere , etiamſi pugnis velis obtundere ; vnde benè dicitur ex Iob. *Conceptum ſermonem continere quis poterit* ? videlicet quin mente conceptus , ore promatur ; non ità conſtat homo ſpiritu , quin etiam conſtet ex corpore ; & ſi quid in mente recipit vnâ ſuæ ſubſtantiæ parte , amat itidem & in corpore obſignare ſuæ alterâ parte ſubſtantiæ : nec dubbitari poteſt quod valdè difficile eſt in hac re proprium non exprimere ſenſum , nec poſſe velle ſuas rationes pro eo explicare vel annuere , & ſemel explicatas audire, vel nullas , vel futiles, vel etiam ab Eccleſiâ reprobatas ; & rurſum complures doctrinas concernentes ad hanc materiam , & huic ſenſui conterminas à Doctoribus notatas cenſuris audire , abſque eo quod animus exardeſcat, & primò in defenſionem, deindè etiam in offenſionem non erumpat ; cum præſertim de hac re frequentiſſimus incidit ſermo inter fideles : quorum aliqui vel leuitate animi , vel deſiderio vnanimis ſenſûs in hac re omnium fidelium, cum iis qui aliter ſentiunt ſermonem ſæpè miſcent, & excitant, eóſque ad ſuum trahere ſenſum ſtudent : vndè contentionibus initis , facile peruenitur ad iurgia, & turbas,ex quibus ſcandala enaſcuntur varia ferè ineuitabiliter,dum Chriſtus Dominus dixerit attentâ naturâ corruptâ , oportere vt veniant ſcãdala, & bene Pontifices,dum hæc ſcandala remouere ſe velle declarant in ſuis diplomatibus,quantum eis ex alto concedi fatentur ſe ea velle amouere; vti ſignificent difficillime ea eſſe penitùs vitanda , ni ſcilicet radix talis controuerſiæ præcidatur.

24. At ſecundò Dices,permittit nobis Eccleſia, Summique Pontifices noſtro ſenſui adhærere , noſtram ſententiam non damnat , & anathemate percuſit illam dâmnantes hæreſis, peccati mortalis,& impietatis : quâ ergo ratione primos ex noſtris culpæ mortalis tu damnas,qui merè interne ſentiant Virginis Conceptionem in macula ? Aduerte hîc Lector, aliud eſſe ſugillate ſententiam , aliud opinantes , non vt opinantes ſed vt cauſantes ſcandala ex ſua opinione, vt merè non remouentes prohibens ſcandalorum ; nec abſolutè nos hic primates aſſertores maculatæ Conceptionis reos mortalis facimus ſi qui ſunt : ſed ſolùm eis in conſiderationem adducimus , vt animaduertant an forte , in hac re grauiter Dominum vniuerſorum offendant, qui cum poſſent deponendo hunc ſenſum,hæc iurgia , has diſſentiones, hæc ſcandala ab Eccleſiâ amouere, & magnam pacem , quietem, & gaudia ſumma ſpiritualia in eâ excitare,hoc tanto bono eam expertem faciant , torque malis cumulatam non curent relinquere ; vt vni ſui ipſorum ſenſui in ſuis cordibus quaſi nidis abſcondito morem gerant,nullâ vtilitate perceptâ , nullo fructu collecto , & frequenti auditu contumeliarum cordis duritiei, & pertinacis ſenſûs ſibi imputati, cum dolore ſummorum Pontificum , & Eccleſiæ Romanæ qui dilectos filios ſuos à ſuo ſenſu licet non definitiuo aberrare,non poteſt non gemere,& Bullis continuatis non deſinit hortari , & hortata eſt per plura ſæcula, vt non tardet ad ſuos ſenſus in hac re inclinare, & in ſinu ſuo conquieſcere id ipſum ſentiendo , quod ipſa ſentit & amplectitur , & amplectuntur omnes alij fideles, exceptis ipſis ſolis pauciſſimis, & quaſi nullis in comparatione totius Eccleſiæ. Nec tamen quando hanc peccati incurſionem concluſi eam nullomodo neque per ſpeciem dignis & ſanctis viris impingere volui , quibus omninò æſtimo nihil tale contigiſſe , vel vnquam eſſe euenturum Communitati eorum exiſtimo, ſed vt annui, loquutus ſum ex parte obiecti , vt & ipſi iudices ſint & ceteri docti viri, conſideratis omnibus rationibus ex parte ſubiecti , quæ culpam omnem poſſent ab hac vel illâ perſonâ particulari penitùs auertere, & noſter hic diſcurſus,noſtræque rationes maximè viderentur præponderare , ſi in aliquo Conuentu dum multitudo hæc Primatum virorum in vnum conueniret , & vellet exagitare quid ſibi conueniens eſſet,quódve genus & obligationis videretur habere, ad hæc vitanda ſcandala,& in hac ſententia maculatæ Conceptionis propulſandâ: Spiritus ſancti gratia quæ eis aſſiſteret , credendum eſt in id eiuſmodi impellat multitudinem quæ ad ſui gloriam,& Eccleſiæ augmentum , & omnis pietatis fidelium incrementum attinet.

DIVISIO

DIVISIO XI.

An sit de fide, vel secundum fidem certum, quod sententia de Immaculatâ Conceptione non sit dubiæ sed certæ veritatis, saltem moraliter.

CVm certum sit peccare mortaliter, & esse excommunicatum eum qui in dubium reuocaret scripto veritatem Immaculatæ Conceptionis; nec non qui in disputationem verteret, vel voce vel scripto aliquid determinaret dubietatis, vel minoris probabilitatis, aut similis contra eam, in quo certè continetur eius reuocatio in dubium etiã in voce: sed difficultas est an si quis hoc assereret, præter excommunicationem in quam incideret, esset censendus hæreticè, vel erronè, aut temeratiè loquutus; atque adeò incideret etiam in censuram Theologicam: nam posset quis existimare quod prohibitio hæc Pontificia de non vertendo in dubium sensu immediatæ Conceptionis non sit nisi quo ad externam aliquam significationem & prolationem talis sensûs, quemadmodum prohibitio de non asserendo Virginem Maculatam Originali, non est talis quæ inducat errorem & censuram in hoc sensu, sed est solùm causa quæ hanc assertionem reddat contumacem & peccaminosam peccato inobedientiæ, non verò peccato alicuius erroris in fide. Et ostendi id potest quia certum est quod sententia de Maculato Conceptu non est censuranda, & sic videtur quod maneat dubia sibi opposita de Immaculato; vndè si ista prohibetur reuocari in dubium, id non erit nisi quoad externam eius significationem voce, vel scripto, non verò si merè internè sentiatur, vel iudicetur vt dubia: In contrarium tamen videtur dicendum quod Pontifex Sanctissimus voluit declarare quod modo sententia de Immaculatâ Virginis Conceptione sit certa saltem moraliter, & quod proindè excommunicet eos qui eam dubiam vellent: nec merè voluerit prohibere externam significationem talis dubij, sed damnet hoc ipso sensum dubium de eâ: Nec paritas ducta à prohibitione exprimendi sententiam de Maculatâ quidquam valet, quia in tantum ista prohibitio non intelligitur extensa ad sensum internum de non tenendâ maculatâ Conceptione; quia expresè Pontifices sensum internum declarauerunt nolle damnare, & explicitè illud permisêre in suis, & vetuerunt damnari: quod cum non egerint circa hoc dubium sub pœna excommunicationis prohibitum; remanet quod quando illud prohibet hic Pontifex sine simili exceptione permissionis sensûs interni, ipse etiam sensus internus videatur ex eius verbis prohibitus: & per consequens quod damnarit hoc loco sensum illum qui proderet Conceptionem Virginis Immaculatam esse vnam ex veritatibus in Ecclesiâ dubiis.

Pro quâ re aduerto ante resolutionem quæstionis, primò quod non propterea quod vna veritas non statuatur tenenda sub terminis sensûs interni; sed solùm externi, ideò in interno & iudicium eius internum non damnatur: imò dico quod vniuersaliter & dum nulla est alia limitatio sensûs etiam interni huius vel illius obiecti damnantur à Pontificibus, quando damnantur vel prohibentur eorum expressiones externæ. Sic res fidei definiuntur in Canonibus Conciliorum per damnationem sub anathemate huius vel illius dicti. Sic Concilium Tridentinum omnes ferè definitiones suas tradit asserendo; si quis dixerit hoc vel illud, anathema sit; quod non remanet damnata anterior assertio, sed iudicium internum; ità vt qui in illud sic damnatum inciderit, hoc ipso in hæresim prolabitur, & vt hæreticus reputatur; & sic hæreticus qui iudicaret infantes sine baptismo saluari, cum merè Concilium dixerit anathema his qui dixerint sine baptismo saluari, & sic de similibus innumeris.

Denuò item aduerto secundò quod in totâ hac Bullâ aduerti potest, & iam suprà aduerti, videlicet quod quæ tradit Pontifex in eâ de fide vel secundum fidem tenenda, non signat vt taliter credenda, & plura ex his per modum suppositionis, cum doceat, talem gradum certitudinis inuehit: aliqua item vt taliter certa ostensa sunt quia inferuntur ex modo quo alia sunt tradita quæ ipsa includunt, & omninò apparet quod ea hîc censetur tradere Pontifex vt certa quæ significantur vel in se ipsis, vel ex quadam naturali, & immediatâ, euidentique, consequutione. Ex quo deduci debet, quod cùm tam proxima & coniuncta sint iudicia interna cum enunciationibus illa exprimentibus, dum laudantur vel damnantur enunciationes aliquæ, debent censeri quod laudentur, vel damnentur iudicia interna quæ ipsæ enunciationes exprimunt, & quorum loco solent adhiberi & damnari communissimè; cum præsertim Auctores quando damnant, vel vituperant aliquas propositiones, censentur iudicia etiam interna eorum vituperare & reprobare: nec non ea soleant adduci pro iudiciis internis, & quicquid de primis traditur, censentur tradi de secundis, & contra: imò sæpè adinuicem solent primæ pro secundis sumi, & poni, & secunda pro primis, vt perspicuum est in Auctoribus, & eorum dictis, & scriptis; Quibus notatis, resoluò quæstionem, pro quâ sic concludo.

Prima Conclusio. Per hanc Bullam Sanctissimi Alexandri videtur damnari erroris Theologici iudicium quæ enunciaretur dubia & veritas Immaculatæ Conceptionis, eáque propterea in disputationem & dubitationem reuocaretur, & existimaretur dubio iudicio complectenda.

Probatur Conclusio Primò, quia hîc reprobatur à Pontifice reuocatio in dubium, & in disputationem sentétię de Immaculato Conceptu: ergo reprobatur internum iudicium quo vertitur in dubium ipsa Immaculata Conceptio. Consequetia patet, vbi probatur disputatio & dubitatio externa de aliquo obiecto; reprobatur iudicium internum cuius ipsa est expressio, dum nihil aliud notatur, & alia declaratio non intercenit, vt patet ex dictis. Cum igitur hîc reprobetur dicta dubitatio, omninò

censendum est reprobari iudicium internum quod ipsa exprimit, & ab ipsâ exprimitur. Antecedens patet manifestè, quia hîc excommunicantur (qui hanc eandem sententiam, Festum, seu cultum in disputationem reuocare ausi sunt) Ergo reprobatur reuocatio in dubium huius sententiæ; nam in disputationem reuocare, non est nisi in dubitationem ponere rem dubiam, eamque examinare, & qui in dubium vertit, in disputationem reuocat vt liquet. Patet secundò hoc Antecedens, quia qui in dubium vertit hanc sententiam tam receptam & amplexatam ab omnibus ferè Catholicis, & tam patrocinatam à Summis Pontificibus contra eam aliquid asserit; sed reprobatur hîc à Pontifice quicquid contra eam promitur voce vel scripto; nam excommunicat Pontifex eos qui contra eam (quoquo modo directè, vel indirectè sub quouis prætextu, scripto, seu voce loqui, disputare, contra ea quicquam determinando, seu asserendo ausi fuerint) ergo hîc probatur hæc dubitatio in quam ponitur, & reuocatur hæc sententia, quod erat probandum: Et tertiò id ipsum infertur, quia prohibentur libri in quibus reuocatur in dubium hæc sententia, vel in quibus leguntur loquutiones contra hanc sententiam: ergo à pari videntur reprobari istæ reuocationes in dubium sententiæ de Immaculatâ, cum par sit ratio: & rursum quia si prohibetur & reprobatur aliquod scriptum, reprobatur obiectum notarum per tale scriptum, & per consequens enunciatio talis obiecti & iudicij circa ipsum.

Probatur secundò Conclusio, quia eodem modo reprobatur hîc obloquutio, & in disputationem reuocatio, seu dubitatio tradita sententiæ de Immaculata Conceptione, sicuti reprobatio, frustratio factorum Immaculatæ Conceptioni largitorum à Summis Pontificibus: sed non reprobantur meræ frustrationes habitæ in verbis, vel scriptis, sed iudicia interna quæ per verba exprimuntur; nam cæ vt iniuriosæ & falsæ declarantur, & notantur à Pontifice: ergo similiter ità reprobantur hîc obloquutiones & reuocationes in dubium piæ sententiæ, vt etiam reprobetur iudicium internum quo dubitatur vel sentitur contra hanc piam sententiam. Maior patet, quia eadem reprobatio cadit supra primam frustrationem & secundam hanc dictam obloquutionem, & versionem in dubium; nam scripsit Sanctissimus Alexander, [Insuper omnes & singulos qui præfatas constitutiones & decreta ita pergent interpretrari, vt fauorem per illas dictæ sententiæ, & Festo, & cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui eamdem sententiam, Festum, seu cultum in disputationem reuocare, aut contra ea quoquo modo &c.] Provt supra tradidimus. Quare eodem modo prohibita est & reprobata hæc reuocatio in dubium ac frustratio fauorum Pontificiorum, quo perspicua est Minor; nam frustratio hæc non reprobatur merè quo ad apparentiam & quantum ad meram significationem verborum, sed quia est frustratio continens falsitatem, quæque abijcit fauores Pontificios vere factos sententiæ de Immaculata: vnde iudicia etiam interna frustrantia hos fauores declarantur per hæc verba falsa & erronea, & qui sentiret nullos esse hos fauores, erroneè sentiret, & contra declarationem nuperam Pontificiam.

Probatur tertiò Conclusio pressius, quia etiam eodem modo reprobatur hîc à Pontifice reuocatio in disputationem, & in dubium huius sententiæ, quemadmodum reprobatur reuocatio in dubium celebrationis Festi Conceptionis & eius cultus secundum hanc sententiam: Sed hæc secunda reuocatio celebrationis &c. intelligitur extendi ad reuocationem in dubium internum; ergo ista sententiæ de Immaculata. Maior perspicua est ex verbis Bullæ, eodem enim modo reprobatur vtrumque; nam excommunicantur (qui hanc eamdem sententiam, Festum, seu cultum in disputationem reuocare ausi fuerint). Minor etiam probatur manifestè, quia nemo est qui ambigat Pontificem hîc reprobare reuocationem in dubium, sit nec ne celebranda Conceptio Virginis secundum piam sententiam, cum expresè talem celebrationem laudet & mandet; & qui æstimaret vel proferret iudicium etiam internum quod non sit celebrandum Festum hoc modo, nec præcipi vt sic celebretur, erroneè iudicaret, & contra expressam declarationem Pontificiam, & per consequens etiam qui in dubium reuocaret hanc celebrationem; nam in dubium reuocaret an benè vel malè Pontifex præciperet, & Ecclesiæ celebraret hoc Festum, quod esset Blasphemum iudicium, vt patet.

Probatur quartò Conclusio, quia reprobatur hîc à Pontifice quicquam determinati contra prefatam sententiam; maximè autem determinatio importat iudicium internum quo statuitur hoc vel illud iniurioſum & oppositum ipsi: nam mera probatio verborum sine iudicio interno, non potest habere sensum determinationis, sed meræ loquutionis & probationis verborum. Quare dum Pontifex reprobat hîc determinationem, omninò reprobat iudicium internum, quod verbis venit significatum; id quod confirmatur quia determinationem, & assertionem contrariam Immaculatæ reprobat. Quare videtur per primam determinationem maximè voluisse iudicium internum significare, licet per verba interiora expressum.

Probatur quintò Conclusio, quia Pontifex hîc reprobat & damnat excommunicationi eos qui proponunt argumenta contra Immaculatam, & ea relinquunt insoluta; & non reprobat certè nisi quia ea significant iudicium præcisè dubium de hac sententia; ergo signum est quod ei displicet hoc tale iudicium prædictum; idque reprobat hoc ipso in hac prohibitione. Antecedens patet, nam dicitur in Diplomate, *Vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo*, scilicet ausi fuerint proponere. Vbi aduertendum quod hic signetur reprobatio Pontificia quæ cadat super dubitationem sententiæ de Immaculatâ non merè speculatiuam quæ non prohibetur, sed dubitationem practicam, quâ verteretur in dubium an ea sit certa moraliter, & tutò amplectenda sine periculo & perplexitate congruè habitâ eius falsitatis, esto de reliquo speculatiuè, Intellectus iudicet physicè posse rem aliter se habere, & habere argumenta quæ ad hoc impellant.

Probatur sextò Conclusio, quia de ea dubitatione circa hanc sententiam debet intelligi loqui, eámque hic reprobare Summum Pontificem quæ rationabiliter videretur esse iniu-

rioſa

riosa & contraria sensibus à se approbatis: sed dubitatio interna practicè sumpta, & quæ practicè subiiceret illam falsitati, nolens eam certâ moraliter; esset iniuriosa & contraria sensibus Pontificis expressè à se declaratis; ergo hæc est reprobata, atque adeo vt erronea censenda.

Maior videtur perspicua, quia dum aliud non constat, illa reuocatio in dubium circa hanc materiam quæ non esset talis, non fuisset reprobanda & anathemate punienda; quæque alioqui numquam ab aliis Pontificibus fuerit prohibita, sed permissa: & saltem si aliqua reuocatio in dubium alicuius sensûs hîc esset intelligenda reprobata, ea certè esset intelligenda quæ iniuriosa videretur, & contraria dictis sensibus; nam hæc maximè intento Pontificis esset contraria, & propterea reprobatione signanda. Minor verò quod hæc reuocatio in dubium sententiæ de Immaculata sit iniuriosa & opposita sensui Pontificio, patet, quia poneret in controuersiam quod tot Pontifices non benè, vel non ità benè egerint in fauendo Immaculatæ Conceptioni cum tantis confirmationibus eius, approbando scilicet Religiosos Ordines, & tot Confraternitates, nec non concedendo tot Indulgentias in confirmationem eius sensûs, & prohibendo expressionem quamlibet verbalem, vel scriptam contrarij, & similibus actis in eius fauorem, qualia complurima sunt notata in hac Bullâ, quæ non rectè acta viderentur si dignè liceret poni in controuersiam practicè, & dubitari posse sustineretur de sententiâ Immaculatæ Conceptionis amplectendâ, vel non amplectendâ; quæ omnia, & similes considerationes ostendunt hîc reprobari à Pontifice reuocationem in dubium practicam præfatæ sententiæ de Immaculatâ.

Probatur deindè maximè argumento ad hominem septimò hæc nostra Conclusio, quia temeritatis arguitur ab Aduersariis enunciatio quâ diceretur mortalis malitiæ rea, sua sententia maculans Conceptionem Virginis; & ità arguitur temeritatis, vt dicatur temerarium esse iudicium internum istud, non nisi quia sub excommunicatione prohibetur exterior assertio eius, & ex consequenti infertur quod reprobetur iudicium etiam internum temeritatis, quia si tale, non esset subditũ excõmunicationi, iudicium internum, cuius ipsa est expressio: ergo à pari cum extèrior reuocatio in dubium sententiæ de Immaculatâ Conceptione subdita sit excommunicationi latæ sententiæ, signum est quod etiam saltem temeratium sit iudicium internum quod per ipsam exprimitur, imo & erroneum propter tot rationes aliàs adductas. Antecedens est doctrina Aduersariorum, & à Suario, & aliis Doctoribus asseueratur, & fundatur in doctrinâ communi, quia nihil doctrinale excommunicationi subderetur in assertione sui, nisi ex obiecto temeritatem in materiâ doctrinę diceret, provt solet scribi ab Auctoribus in hac re. Ex quo patet argumenti consequentia, quod temerarium vel erroneum debet dici iudicium practicum decernens sensum Immaculati Cõceptûs esse dubium, & veritati æquè ac falsitati potens correspondere; atque adeo exponat moraliter periculo erroris Ecclesiam Catholicam, quo de facili Pontifex posset errare in eius suasione, quod est impium dictu, & valde scandalosum, & in dubium vertens doctrinas traditas à Pontificibus, etiam si de fide certas eas non definiat.

Secunda Conclusio. Per hanc dubitationem negatam sententiæ de Immaculatâ traditur ea vt certa per hanc Bullam, ita tamen vt hæc eius certitudo non sit neque de fide, neque secundum fidem, sed talis vt tollat & præcipiat omnem formidinem oppositi moraliter, & præcisa censurâ oppositæ sententiæ.

Probatur Conclusio, quia si tali certitudine non polleret modo hæc sententia post editam Bullam, ea fuisset superuacanea, & ferè nihil operata fuisset circa Immaculatam, vt volunt Aduersarij, Consequens est falsum, ergo &c. Sequela patet, nam non posset assignari quid gessisset, & de facto ità ipsi Aduersarij dicunt, & oblatus est Libellus Catholico Regi Hispaniarum, in quo plures censuratæ propositiones inuentæ, & vna hæc fuit de superuacaneitate huius Bullæ, provt ostendit in quodam Libello typis mandato, & nuper huc appulso, edito in lingua Hispana ab admodum Reuerendo Patre Confessario Reginæ, ex mandato eiusdem Regis.

Probatur secundò hæc Conclusio, quia cum ex vnâ parte valdè liberè Libellatores aliqui anonymi pro dubiâ replicauerint sententiam de Immaculatâ, & contra Pontifex de illâ tanta protulerit ad eius confirmationem, quando dubietatem de ipsa excommunicatione exclusit, omninò visus est & videtur pronunciasse pro eius certitudine dicta, & vt errorem aliquem notasse, quod dubietas daretur sententiæ sic amplexatæ, & magnis fauoribus prosequutæ ab Ecclesia.

Sed obiicies, si non esset adhuc dubia sententia de Immaculata, & in numero ceterarum opinionum dubitabilium in Ecclesia; certè esset de numero certarum saltem Theologicè; Consequens est falsum, ergo. Sequela patet, Minor probatur, quia si hæc sententia esset ità certa, opposita maculans Virginem esset temeraria, & ab Ecclesia remouenda; cum ergo eam toleret sanctissimus Alexander, eámque nolit censurari, signum est quod ea pergit in compitis Ecclesiæ vt aliquo saltem modo probabilis.

Respondeo primò, concedo Sequelam, & nego Minorem, & ad probationem dico, esto sequatur quod sententia Aduersariorum sit temeraria in se, non tamen propterea esset censuranda dum Pontifex aliud præcipit: esto in se ipsa sit censurâ digna, cum ex alio capite & ad pacem Ecclesiæ seruandam à censuris sit amouenda.

Respondeo secundò, sequeretur quod esset æstimanda temeraria sententia maculans Conceptionem Virginis practicè nego, speculatiuè esto, videlicet ratione, vt quia Pontifex prohibet temerariam censeri, à temeritate debet in parte absolui.

Respondeo tertiò, nego sequi debere quod quia certa est sententia de Immaculata, temeraria sit opposita, quia cum Pontifex de ea prohibeat hanc censuram, hæc censura ex hoc capite deficit in ea.

Respondeo quartò, non esse prohibitum à Pontifice temeritate censurare sententiam maculantem

culantem Deiparam, ſed ſolum eam vt hæreſim, peccatum mortale, & impietatem reoenſere; nec enim ſententia quælibet temeraria apud Theologos peccatum mortale eſt, etiamſi aliqui in eâ id cenſeant, dum alij aliter ſentiunt; nam frequenter propoſitiones aliquæ dicuntur ab aliis cenſuratæ vt temerariæ, nec propterea dicuntur ex eis mortaliter peccare qui pro eis ſentiunt; nam hæc temeritas debet iudicari & affirmari tacitè vel expreſsè ab Eccleſiâ, & tunc inducit mortale, quod nullum tale eſt cum præſenti circa hanc materiam: vndè non idem recidit dicere aliquam ſententiam eſſe mortale peccatum, & eſſe temerariam, & contra, non temeritas non damnata ab Eccleſiâ peccatum mortale non eſt vniuerſaliter, atque adeo in caſu noſtro qui poſt Bullam Alexandri VII. diceret temerariam Theologicè ſententiam oppoſitam, non eſſet cenſendus, neque temerè iudicare, nec Pontificio præcepto contradicere; atque adeò excommunicatione vacare ſic enunciarem.

QVÆSTIO SECVNDA.

De ſenſu Eccleſiæ circa Immaculatam Conceptionem.

IN hac Diſputatione quatuor ſunt inquirenda; Primum eſt an Eccleſia Romana ſentiat animam B. Virginis in primâ ſui creatione, & infuſione in corpus præſeruatam fuiſſe ab originali peccato. Secundò an hoc idem ſentiat vniuerſalis Eccleſia Catholica; Tertiò an ſit de fide, quod ità ſentiat Eccleſia Romana. Et Quartò an ſit de fide quod ità ſentiat vniuerſalis Eccleſia.

DIVISIO PRIMA.

An Eccleſia Romana ſentiat Conceptionem Virginis Immaculatam, ſeu quod anima B. Virginis in primâ ſui creatione, & infuſione in corpus fuerit ab originali præſeruata.

LAtè vidimus, & probauimus in Opuſc. 2. noſtræ Trutinæ de gradu certitudinis Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Eccleſiam Romanam ex tempore Sixti IV. amplexam fuiſſe per ſæcula ſententiam confitentem Immaculatum eius Conceptum, nec ſe habuiſſe in hac re merè permiſſiuè ante Dominum noſtrum Innocentium X. & Alexandrum VII. quando ſcripſimus de hac re; ſed abſolutè in hanc ſententiam inclinaſſe, & pro eâ determinatè ſtetiſſe à tempore Sixti IV. & prius etiam ipſo Sixto; confirmantibus eundem ſenſum eius compluribus Pontificibus ſucceſſoribus eiuſdem Sixti, videlicet Alexandro VI. Leone X. Iulio II. Paulo V. & Gregorio XV. & pro veritate firmâ, & magnâ certitudine eiuſmodi aſſertionis oſtendimus laudantes complures Doctores, ſententiam oppoſitam eſſe temerariam, provt videri poteſt per totum Opuſculum. Vndè in præſenti ad videndum, an certitudo huius aſſertionis ex hac nupertimâ Bullâ Domini noſtri Alex. VII. de hac materiâ creuerit, & peruenerit ad illam fidei; ità vt ſit dicendus hæreticus, qui eam negaret; expendere debemus, an ex vi huius Bullæ ità apertè ſtatuatur, & declaretur Eccleſiam Romanam in hanc iuiſſe ſententiam, eámque amplexam fuiſſe, vt nullus remanſerit tergiuerſationi locus, quò poſſint Aduerſarij confugere, & negare quod Eccleſia Romana hanc ſententiam amplexa ſit, ſicutide facto negarunt per plura ſæcula.

2. Hæc autem expenſio, vt rectè fiat, recolendum eſt ex dictis Opuſc. dicto, quod Aduerſarij in tantum negarunt Eccleſiam Romanam non habuiſſe hunc ſenſum Immaculatæ Conceptionis, in quantum dixerunt, & putauerunt, quod etſi ea dicta ſit celebrauiſſe Feſtum Conceptionis Deiparæ, non propterea ſenſiſſe Virginem in inſtanti creationis animæ ſuæ expertem fuiſſe originali, ſed tantum celebrauiſſe Feſtum Conceptionis eius, vel merè carnalis, ad gratias agendas Deo pro formatione corporis eius, quæ futura erat Mater Dei, & pro ſigno, pro quo non erat adhuc infuſa anima ſecundum id, quod pro hac acceptione adducunt pro ſe Bellarminum tom. 2. lib. 3. *de cultu Sanctorum*, vt videri poteſt apud Anonymum à Calderonio allatum capite 5. §. 18. Vel quia, vt alij ex Aduerſariis dixêre, celebrauerit Feſtum Conceptionis eius ſpiritualis pro ſigno ſcilicet ſanctificationis, vti meminit huius explicationis à ſe damnatæ Sixtus IV. in primâ Extrauagan. *Grauè nimis*, licet non ſit in corpore Iuris. Vel tertiò quia celebrauerit Feſtum Conceptionis ſiue maculatæ in primo inſtanti, & à maculâ in ſecundo inſtanti liberatæ, ſiue abſolutè Conceptionis Immaculatæ; atque adeò ſub diſiunctione alterutro

ex

ex his modis Conceptione sumptâ. Vel quartò, nomine Conceptionis acceptæ provt Conceptio importarit, & importet primam animationem Virginis, & aliquam morulam subsequentem indeterminatam; quia scilicet nomen Conceptionis non steterit meré pro primo instanti animationis, sed pro toto instanti, & tempore aliquo paruo insensibili apud nos indeterminato, & Deo soli cognito, sibi solùm determinato. Vel etiam absolute pro aliquo tempore Indeterminato, quia scilicet per solum instans Virgo fuerat maculata in primâ sui animatione, & post instans eius fuerit Sancta, & prorsus à maculâ liberata. Secundum enim hæc omnia vel similia effugia respondere sunt soliti Aduersarij Immaculatæ Conceptionis, quando eis obiectum est, quod Ecclesia Romana celebrauerit Festum Conceptionis; ex quo deducebatur, quod senserit Conceptionem Deiparæ Immaculatam; nam vno ex his quatuor capitibus à se assumpto concedebant Antecedens, & negabant Consequentiam.

3. Quo animaduerso, vt ad resolutionem quæstionis veniamus, quâ quærimus an post editionem Bullæ SS. Dom. N. Alexandri VII. hæ omnes euasiones Aduersariorum euanuerint penitùs, nec dubium remaneat de sensu quem habeat Ecclesia Romana de Conceptione Immaculatâ; considerandæ sunt clausulæ, & particulæ singulæ huius Bullæ iam declaratæ. Ex quibus potest colligi dictus sensus, & inferri ad euidentiam, quod nulla ex his responsionibus potest eis applicari, quæ aptè possit auertere ab isto Pontificio, & Ecclesiæ Romanæ circa sententiam absolutam, quam ipse Pontifex in Bullâ habet, & declarat habere, & habuisse de Immaculatâ Virginis Conceptione. Vbi noto ad hanc euidentiam habendam, quod nunquam priores Pontifices ante Dominum nostrum Alexandrum expressè quicquam dixerunt, & declarauerunt quid intelligerent sub nomine Conceptionis Virginis, an scilicet carnalem, vel naturæ: & an hanc naturæ, seu primæ animationis permitterent extendi ad aliquam morulam temporis indeterminati, vel non; sed ex eorum verbis hoc deducebatur à Theologis, licet per euidentem consequentiam, quam tamen aliqui infringere conati sunt semper: vndè ad has falsas interpretationes, & explicationes intelligentiæ huius nominis, quid intelligendum esset, & intellexissent priores Pontifices, & ipse modò intelligeret, satis hic declarauit SS. Pontifex, dum quid sentiret, & coleret Ecclesia Romana in Festo Conceptionis, explicauit apertè, dicens in hac celebratione Ecclesiam Romanam fauere sententiæ asserenti [Animam B. Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse.] Et hoc ipsum eam colere, & Festo instituto celebrare. Vndè subdit se decreta priora innouare Pontificum in honorem, & cultum huius Festi, inquiens. [Nec non & in fauorem Festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub eisdem censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus.] Et prius idipsum se velle præstare, seu talem fauorem huic sensui tribuere dixit in verbis antecedentibus. [Volentésque laudabili huic pietati, & deuotioni, & Festo, & cultui secundum illam exhibito fauere.] Vbi pietatis nomine intellexit illam suprà declaratam, quæ sensum Immaculatæ continere tradidit, vt explicauimus §. tertio: nam expressè ibi ea dicitur esse, videlicet [Pietas sentientium animam Virginis in primo instanti creationis, & infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ, & priuilegio à macula peccati originalis præseruatam immunem.] Suprà item dixit §. 4. Academias in hanc sententiam inclinasse cum consensu omnium ferè Catholicorum, cui se fauere testatur; quem sensum etiam confirmauit dum oppositam sententiam notauit §. quinto esse causam scandalorum, propter quam Paulus V. eam exulare fecit à publicis conuentibus, & Gregorius ad priuata colloquia itidem extenderit similem exulationem. Notat item se huic fauere, sententiæ, dum refert cum dolore, quod ea adhuc oppugnata sit ab Aduersariis, & negetur quod Ecclesia Romana ei fauet, & stet in pacifica possessione istius fauoris, & specialiter anathemate percutit eos, qui hoc fauore volunt frustrare istiusmodi sensum. vel eam in disputationem & dubietatem reuocare, vel quomodocumque verbis aut scripto contradicere. Nec non declarat §. octauo, libros contra eam à Paulo. V. vsque ad hæc tempora proditos, esse prohibitos, & subiacere pœnis librorum prohibitorum quæ in eorum prohibitorum Indice continentur. Et tandem §. duodecimo, specialissimè hæc omnia, & tot tantósque fauores, & replicatam confirmationem Pontificiam huius sententiæ, vt propriæ Ecclesiæ Romanæ, vult per omnes Ecclesias publicari à Concionatoribus omnibus; & mandat hoc fieri ab Episcopis, & locorum Ordinariis sub præcepto peccatum mortale inducente, si transgrediatur, cum pœna priuationis ingressûs ad Ecclesiam horum Prælatorum, nisi hanc publicationem non curauerint fieri.

4. Atque his omnibus ad euidentiam constantibus, perspicuum sit esse Solc clarius ex ipsius Pontificis attestatione multiplicatissimâ Ecclesiam Romanam sentire, quod anima B. Virginis in primâ sui animatione, & infusione in corpus fuerit ab originali peccato præseruata, & gratiâ sanctificante donata; & non post primum instans animationis, vt Aduersarij autumant; nec veritas hæc nisi volentibus prorsus cœcutire, est demonstranda nouis rationibus, & coniecturis aliis ornanda, nam esset laborandum in certiorando lumine Solis in meridie, vel illo Stellarum in nocte, dum Cœlum serenum est; & siquidem hæc veritas talis fuit, & vsque à temporibus Sixti IV. eluxit, modò tamen propter nupperrimam Bullam, non videtur esse posse maioris certitudinis indiga, provt dicemus, præsertim Diuis. 3. & remanet probata hæc sententia vsque ad satietatem ferè in immensum toto Opusc. 2.

5. Solum hic valeat aduertere quod ante hanc Bullam SS. Alexandri in controuersiam posuêre & quæsiuêre Aduersarij, vt relinqueretur in dubium an Pontifices in suis Bullis in fauorem sententiæ de Immaculata, & ad cultũ eius determinatè, vt de originali præseruata

inclinaue

inclinauerint ; & contra noſtri Doctores abſolutè contenderunt ei vt ſic fauere, & fauiſſe, & voluiſſe fauere Pontifices, & ſic in ſuis ſcriptis pronunciauêre : cui dicto Aduerſarij noſtri perpetuò contradixerunt, & ſub iiſdem terminis litem decidit Pontifex ſapientiſſimus ; & vt oſtenderet nobiſcum ſentire, illa ipſa verba vſurpauit hic Pontifex, quæ Doctores vſurpabant ad eorum omninò ſenſum confirmandum ex fauore ipſi facto à Pontificibus, quæ apud Auctores frequentiſſimè inuenies ; quod ſcilicet Eccleſia Romana, & Pontifices Romani ſemper fauerint ſenſui Immaculatæ Cõceptionis : quo conſtat apertè indubiam eſſe hanc veritatem, nec amplius conuertibilem, quod Eccleſia Romana colat Conceptionem Virginis in ſenſu Immaculatæ pro primo inſtanti ſuæ animationis. Legi poteſt pro hac re Ciſmontana Familia in Armam. Seraph. à p. 57. & deinceps, vbi fauores Pontificum factos huic ſenſui recenſet, & expreſsè eorum fauores nominat, eóſque ei fauiſſe aduertit, & præſertim de Pio V. hoc dicit pag. 74. & idem dicit de Concil. Trid. pag. 73. *in fine*, & prius dixerat pag. 70. Videndus eſt etiam Calderonius contra Anonymorum Libellos pro expellendo titulo Immaculatæ Conceptionis, qui à cap. 9. totus eſt in explicandis fauoribus Pontificum, collatis ſenſui de Immaculatâ Conceptione, & paſſim apud Doctores Neribergh. Velaſquez, & Vegam.

6. Vbi notandum quod in fumum euanuêre ex hac SS. Alexandri Bullâ antiquæ illæ, & temerariæ interpretationes, videlicet illa prima, quæ tradebat Eccleſiam celebrauiſſe Conceptionem carnalem Virginis ; nam expreſsè Pontifex Sanctus ſtatuit celebritatem fuiſſe de ſanctitate, quâ donata fuit anima Virginis in primâ ſui infuſione in corpus explicitiſſimè. Secundò in fumum euanuit alia interpretatio, quæ aſſeuerabat Eccleſiam Romanam celebrauiſſe Conceptionem ſolam Virginis ſpiritualem, vel ſanctificationem eius non excludentem præſeruatiuè ab originali : nam expreſsè Pontifex declarauit hîc hanc præſeruationem celebratam, & ſanctitatem pro ipſo inſtanti infuſionis in corpus : Et rurſus patet euanuiſſe illam tertiam expoſitionem talis celebritatis, quæ eſſet de maculâ ablatâ à Virgine, vel in primo inſtanti animationis, vel in ſecundo : necnon quarta quæ Conceptionem ſumit, provt importat primum inſtans animationis, & tempus ſequens indeterminatum ; nam SS. Pontifex loquitur explicitè, & ſignanter de primo ſolo ſigno infuſionis animæ in corpus, quod eſt vnicum inſtans & non includit neque ſecundum inſtans, neque tempus aliquod ſequens indeterminatum, pro quo non poteſt habere locum præſeruatio ab originali, provt ipſe clariſſimè explicat ; & magna proteruia, & non niſi hæretica eſſet illa, quæ renouaret aliquam ex his, vel ſimilem aliam illis interpretationem vellet admittere contra tam expreſſam SS. Alexandri declarationem ; cum non niſi in iſto plano ſenſu & omninò perſpicuo intellectus ſit SS. Pontifex loqui in vniuerſâ Eccleſia, quæ ſummè plauſit, & lætata eſt ſummoperè vbique de tam apertâ declaratione, omnia ſubterfugia Aduerſariorum iugulante, cuius rei magnum indicium eſt, quod non auditum eſt verbum Aduerſariorum, quaſi dubitantium adhuc de certitudine, & perſpicuitate huius declarationis. Maneat ergo firmum, & indubitatum Eccleſiam Romanam ſentire Immaculatam Conceptionem Deiparæ, & ſecundum hunc ſenſum ei adhærere, & Feſtum eius percolere, nec apud ipſam habere locum, quod vno modo colat, ſeu ſentiat in cultu, & aliter ſe gerat in priuato ſenſu ; nam cum certum ſit omnes ferè Catholicos non ſolùm colere ſecundum hunc ſenſum, ſed abſolutè eum amplecti ; ità abſolutè hunc ſenſum amplexam fuiſſe, & modò maximè amplecti Romanam Eccleſiam ex eo conſtat ; quia ea ſemper ſequuta eſt, & ſequitur ſuum Doctorem præcipuum, & ſibi coniunctum Pontificem Romanum, qui dum modò abſolutè huic ſenſui ſe fauere, & ad eum inclinare declarauerit, & omnes ferè Catholicos eum complecti teſtatus ſit, id maximè credendus eſt dixiſſe de ſuis Romanis ſibi maximè coniunctis, vt pœnè monſtrum videretur in præſenti, ſi quis coram Pontifice contra ſentiret etiam interius, vnâ demptâ Familiâ, quæ etiam fortè eidem ſummo Doctori interius adhæret ; & fauſtè expectatur, & ſanctè, quod ſit profeſſura breui eundem ſenſum exterius ; quod Deus Eccleſiæ ſuæ concedat ad vniuerſalem eiuſdem Eccleſiæ lætitiam, & veritatis certiſſimæ confirmationẽ. Faxit Deus vt his votis, ſancta Familia demum Dei Parentem ſingularem ſuam Patronam ſummis hiſce honoribus exaltet, & decoret, provt vniuerſa exoptat Catholica Reſpublica.

7. Atque ex his iam ſtatuta concluſio ad euidentiam probata remanet, quia illam ſententiam dicuntur amplecti, & ſecundùm eam ſentire. Pontifices, & Eccleſiam Romana cui abſolutè fauent, contraria neque nominata ; (eſto ea non notetur hæreſis vel cenſuræ) ſed vt vidimus, euidenter conſtat ex hac Bullâ Alexandri VII. ſanctiſſimi Eccleſiam Romanam, & ſummos Pontifices fauere huic ſententiæ de Immaculatâ Conceptione : ergo ad euidentiam liquet ſummos Pontifices, & Eccleſiam Romanam ſentire Conceptionem Virginis Immaculatam fuiſſe. Maior patet, quia ſi quando aliquis Pater vel Doctor dicitur fauere alicui ſententiæ oppoſitæ illi quam profitetur, & vere aliquando hic fauor eius dicitur : nihilominus hic fauor eſt ſecundum quid fauor : nec abſolutè, & ſimpliciter. Patres, & Doctores dicuntur fauere vni ſenſui, niſi eundem amplectantur, præelecto illo præ oppoſito, & ſic quando laudantur Doctores pro vnâ ſententiâ ſub hoc verbo fauendi, ſolent recenſeri pro illa. Vndè dicitur, fauet oppoſitæ, vel illi aut iſti ſententiæ hic vel ille Doctor. Quando ergo in diplomatibus Pontificiis fauor vni ſententiæ dicitur haberi ab Eccleſiâ, omninò intelligitur eandem Eccleſiam talem ſenſum habere, dum de cetero oppoſitæ ſententiæ nulla oſtenditur inclinatio, qualis oſtenſa ei eſſet ſi ea probabilis, ea tunc nihilominus haberetur, vel ſaltem eius ſenſus poſitinè diceretur in Eccleſiâ poſſe congruè amplecti. Quod ſi aliquando permiſſus ſenſus ille poſitiuè eſt ; hîc certè non eſt fauor, vt alibi latè vidimus, & latè oſtendit, & rectè, Neribergh: Dum ſimilem ergo permiſſionem ſanctiſſimus

Alexander

Alexander non ponat, neque antiquas Bullas renouet, nisi in fauorem sensûs Immaculatæ; certè eam non perstat illo modo antiquo, & præiudiciali absoluto fauori quo eum prosequi Romanam Ecclesiam hîc declaratur: tum Minor argumenti patet, & hic perspicua est consequentia.

Secundò probatur id ipsum efficaciter, quia expresè dicitur in hac Bullâ secundum hanc sententiam coli in Ecclesiâ Romanâ Conceptionem Virginis illis verbis. [Volentes huic pietati & deuotioni, & festo, & cultui secundum illam exhibito in Ecclesiâ Romanâ post ipsius institutionem numquam immutato &c. fauere.] Quare secundum hunc sensum declarat Pontifex cultam Conceptionem hanc in Ecclesiâ Romanâ; atque adeò secundum eum ipsam sentire: Vndè non potest ex hoc dubitare quod aliter sentiat; nam ità sentit absolutè, sicuti sentit in cultu: in cultu sentit secundum hanc sententiam, ergo secundum hanc sententiam sentit: Esto de reliquo non damner adhuc aliter sentientes, patet hoc ipsum ex illis verbis in quibus hoc ipsum replicatur dum dicitur quod decreta innouantur edita in fauorem huius sensûs. Quare hic sensus semper in ea attestatur fuisse & esse.

8. Probatur tertiò conclusum, quia Ecclesia Romana illud sentit in hac re quod omnes fere Catholici sentiunt: sed hi sequuntur sensum Immaculatæ Conceptionis, ergo & ipsa. Maior patet, quia ex eo Catholici ferè omnes in Immaculatam Conceptionem inclinauêre, quia Ecclesia Romana in eam venit, & Sixtus IV. eius celebritatem instituit, vt dicitur initio Bullæ: Et rursum, quia omnes ferè Catholici ità sensêre, & Summus Pontifex declarauit se, & Ecclesiam venire in hunc sensum propensius: ergo verissimum est quod illud ipsum sentit Ecclesia Romana quod sentit vniuersitas Catholicorum, & omnes ferè Catholici: quod autem hi ita sentiant nemo nescit, & Pontifex hîc expresè asserit sine vllâ dubietate. Quare negari non potest vllâ ratione quod Ecclesia Romana sentiat absolutè (licet non id credendo de fide certum) quòd Conceptio Virginis in sui primâ animatione fuerit sine peccato originis, & ab illo præseruata.

9. Probatur quartò certissimè assertum, quia ad oculum patet Ecclesiam Romanam ità sentire; nam digito commonstrantur quàm pauci sint qui contra sentiant; & si inueniantur Romæ ducenti vel trecenti contra sentientes, mirum erit: cum plures ex illa Familiâ cui oppositam sententiam tribuitur, pro Immaculatâ etiam Romæ notentur, & apud Auctores duodecim Magistri Sacri Palatij nnmerentur, qui pro eadem senserint vt in septimo Opusculo dicemus; & cum hic numerus contradicentium non sit Prælatorum, vel in dignitate Ecclesiasticæ constitutorum, nec etiam plurium virorum doctrinâ excellentium, præ tot Dominis Cardinalibus qui maximè constituunt verum Romanum, nec non in innumeris Episcopis & Prælatis, & Capitibus Religionum pro Immaculata stantibus nullus est, vt possit nauare operam ad tollendum quod Ecclesia Romana dicatur vniuersè & absolutè sentire Conceptionem Virginis Immaculatam.

10. Probat. quintò hæc eadem veritas, quia illud sentit in hac re Ecclesia quod celebrat, & intendit celebrare, & secundum illum sensum quem celebrat. Sed Ecclesia Romana celebrat Immaculatam, & secundum sensum Immaculatæ: ergo hoc idem sentit. Maior patet, nam alium non potest dici habere sensum ab eo in quo celebrat: Minor probatur, quia si non celebraret sub sensu Immaculatæ, vel celebraret sub illo maculatæ, vel præscindentis ab Immaculata, vel sub vtroque, consequens est falsum manifestè, quia si sub vno ex his triplicibus sensibus celebraret Conceptionem Virginis Romana Ecclesia, ex sui mera celebratione non potuisset hic Sanctissimus Alexander innouare Constitutiones Pontificias antecedentes in fauorem sensûs Immaculati: nam cum ea celebraret in alio sensu ab illo Immaculatæ, confirmasset eas secundum eumdem sensum qui non esset de Conceptione absolutè Immaculatæ, vt patet: sed expresè Pontifex Sanctus eas confirmauit in fauorem Conceptionis: nam eas innouauit sub sensu præseruationis Virginis ab originali, vt in textu Bullæ apparet, & sæpè nos notauimus, & legi potest in §. Bullæ à nobis explicatis: ergo dubium esse non potest quod Ecclesia Romana celebret, & celebrauerit sub sensu Immaculatæ Conceptionem Dei Parentis.

11. Probatur sextò eadem assertio, quia illud sentit in hac re Ecclesia Romana, quod ipsa expressit, & statuit recitandum in Officio sacro à se ordinato: ibi enim ipsa suum sensum solet exprimere: sed ipsa præcipit recitandum, & canendum in Ecclesiâ, & suis propriis locis Officij à se instituti, & ordinati, quod Virgo fuerit in sui Conceptione Immaculata & anima eius præseruata ab originali, vt constat ex officio Nugarolico, quod signat hic sanctissimus Pater Alexander: ergo hoc ipsum sensit Ecclesia Romana sine vllâ dubitatione: nam dicere quod aliud sensit, vel sentit ab eo quod exprimit in Officiis à se ordinatis in materiâ dogmatis, & factâ discussione doctrinæ per longum tempus, non solùm est temerarium dicere, sed insanum: & notat Magistram veritatis vt mendacij matrem: Quod nemo Catholicus sine nota suspectæ hæresis dicet; quod autem in Officio Nugarolico, vt de eo egimus §. 6. sæpius replicetur Virginem in sui Conceptione Immaculatam, & ab originali immunem, clarum est, & propterea illud Officium Aduersarij prætenderunt reprobatum, vel ab Ecclesia à sua auctoritate deiectum: quod Sanctissimus Alexander hîc vt causam suæ innouationis Constitutionis in fauorem Immaculati Conceptus expressit, atque adeò summoperè illud approbauit, & firmæ veritatis declarauit.

12. Probatur septimò Conclusio, quia illud sentit in hac controuersia Ecclesia Romana, quod facto examine statuit, & declarauit esse à fidelibus agendum, sed statuit gratias agendas pro Immaculata, non solum vt quid conueniens has gratias agere, sed vt debitum eas reddere; Ergo Ecclesia Romana Conceptionem Mariæ semper Virginis sentit, & sensit fuisse Immaculatam. Maior patet, quia non potest intelligi Ecclesiam Romanam statuere esse gratias agendas de vno aliquo sensu, seu

de vna re quæ hac vel illa ratione se habeat, & habita sit quin æstimet, & sentiat eandem rem ità se habere : Minor patet ex primâ Extrauagante Sixti quæ est in Corpore Iuris de veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sic certa consequentia ; nam ibi dicuntur debitæ gratiarum actiones de mitâ Virginis Conceptione, quæ intelligenda est mira propter hanc emaculationem, tum quia de hac fuerat solemnis quæstio instituta ab eodem Pontifice, tum quia alia mira concurrerunt in Conceptione aliorum Sanctorum, & dum specialiter de suo miro erant gratiæ agendæ, non potest assignari hoc aliud mirum, nisi istud emaculationis eius, & præseruationis ab originali : Tum denique quia in fauorem huius sensûs declarauit modo Pontifex in hac Bullâ Sixtum edidisse illam Bullam, & per consequens voluit, & decreuit debitas esse has gratiarum actiones de Immaculata Deiparæ Conceptione. Sanctissimum autem Alexandrum declarasse primam Extrauagantẽ Sixti. IV. editam fuisse in fauorem cultûs Virginis secundum hunc sensum, ostenditur manifestè ex eius verbis, vbi dicit in hoc sensu eam coluisse fideles, & deinde addit, [Creuitque eorũ numerus atque huiusmodi cultus post editas à fœlic. record : Sixto PP. IV. prædecessore nostro in eius commendationem Apostolicas Constitutiones quas sacrum Concilium Tridentinum innouauit.] Vbi assignat pro causa augmenti cultûs, & sensûs, commendationem quæ in illâ primâ Extrauagante continetur, quod item patet, quia paulò post idem sanctus Pontifex Alexander dicit se innouare, & confirmare [Constitutiones, & decreta à Romanis prædecessoribus nostris, & præcipue à Sixto IV.] & declarat, & addit, [Edita in fauorem sententiæ asserentis Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ coronatam, & à peccato originali præseruatam fuisse.] Quo manifestè ostendit hanc eandem emaculationem Virginis contentam, & laudatam, & amplexatam fuisse à Sixto IV. in suâ primâ Extrauagante, ibi enim maximè commendauit hoc mysterium, & cum Aduersarij censeant genuinas Constitutiones Sixti IV. non esse nisi hanc, & aliam : certè hæc prima debet censeri ex hac declaratione sanctissimi Alexandri etiam edita in fauorem dicti sensûs, quo nihil apertius.

13. Probatur octauò conclusum, quia illud sentit Ecclesia Romana de Conceptione Virginis, quod ostendit se sentire quando decreuit in sactis Officiis non esse vsurpandum nomen aliud nisi nomen Conceptionis, & exclusso sub anathemate nomine Sanctificationis, & quoduis aliud, ad dandum locum sententiæ maculanti Virginem, quæ de cætero concedit eam sanctificatam ; sed in hoc præcepto vsurpandi solum nomen Conceptionis, ostendit se id agere vt emaculatio ab originali exprimeretur, coleretur, & laudaretur : ergo hoc ipsum sentit Ecclesia Romana de Virgine. Maior patet, nam eius sensus ab eiusdem externa expressione est deducendus. Minor item liquet, quia expressè sanctissimus Alexander hîc declarauit hoc præceptum datum in fauorem sententiæ emaculantis Deiparam ab originali ; atque adeò vt exprimeretur, & laudaretur Conceptio Virginis sine originali. Verba sanctissimi Alexandri sunt manifesta, nam habet [Mandans insuper Gregorius XV. in fauorem eiusdem sententiæ vt in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac diuino Officio celebrandis tam publicè quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine quicumque vti debeant.] Si igitur in fauorem dicti nostri sensûs, noster hic sensus intenditur contrarius illi Aduersariorum, qui remanserunt conuicti in eo quod asserebant ad alios fauores concedendos suo ipsorum sensui hoc præceptum datum, vt scilicet ex vna parte vniformitas loquendi vsurparetur in Ecclesiâ, & mutatione significati in nomine Conceptionis, æquiualentis nomini Sanctificationis posset intelligi, quod exprimeretur noster, & aduersarius sensus quo figmentum magnum Aduersariorum euanuit, & in fumum conuersum est.

14. Sed obiiciet hic aliquis, si Ecclesia Romana sentiret absolutè Conceptionem Virginis fuisse Immaculatam, non prohibuisset neque debuisset prohibere Summus Pontifex oppositum sensum argui hæresis, peccati mortalis, & impietatis ; sed siuisset fideles in suo sensu in hanc consequentiam erumpere : consequens est falsum, ergo non est dicenda absolutè Ecclesia Romana sentire Immaculatam Virginis Conceptionem. Sequela probatur, quia contradicere sensui Ecclesiæ Romanę absoluto, est peccatum mortale, saltem si non est hæresis, & impietas vera ; est ergo Sequela quod si Ecclesia Romana ita sentiret Conceptionem Dei Parentis Immaculatam, non prohiberet Pontifex eam notari peccati mortalis.

15. Respondeo primò, nego Sequelam, quia Pontifex prohibet ob iustas alias causas quod à priuatis fidelibus non notetur vllâ censurâ aliquis sensus, etiamsi ille sensus dignus sit tali censurâ, vt disp. 4 videbimus latius.

16. Respondeo secundò distingo Sequelam Maioris, si Ecclesia Romana sentiret definiendo, & vt certum de fide, vel secundum fidem Conceptionem Dei Matris fuisse sine originali, non prohibuisset Pontifex sensum oppositum censurari, concedo Sequelam : si id sentiret ex quodam absoluto sensu infra certitudinem fidei, vel secundum fidem, nego Sequelam, & distingo Minorem, & nego Consequentiam ; nam non quicumque sensus Ecclesiæ ab eâ habitus sine certitudine fidei, & ab illa non traditus definitiuè, hoc ipso est de fide certus, vel secundum fidem saltem exterius : esto is perspicacibus intellectibus sæpè possit innotescere vt certus de fide, vti videbimus infra disp. 4. Quare cum ab Ecclesiâ Romanâ ita amplexatus sit absolutè hic sensus, præcisa omni definitione, non propterea sequitur ex hoc capite quod contrarius sensus in foro externo sit censurandus, & error, & peruicacia non sit eum censurare, quando eadem Ecclesia præcipit non censurari.

DIVISIO

DIVISIO II.

An Ecclesia Catholica sentiat Animam Sanctissimæ Virginis in primo instanti suæ creationis, & infusionis in corpus fuisse ab originali præseruatam.

1. NON quærimus hîc an sit de fide Animam Virginis in dicto instanti suæ creationis fuisse ab originali præseruatam, videlicet dum infundebatur in corpus; sed an hoc sentiat ità esse non solùm Ecclesia Romana, sed etiam Ecclesia Vniuersalis, & Catholica, licet hoc non habeat pro re ità certâ, vt hæreticus sit, qui huic sensui contrairet. Quâ solum quæstione propositâ, terrendi maximè sunt Aduersarij nostri, si enim dicent hunc sensum solius esse Ecclesiæ Romanæ, & ab eâ recedere Ecclesiam Vniuersalem, & Catholicam, vel præscindendo, vel prorsus à tali sensu abhorrendo, vel de eo dubitando; hoc ipso apparebunt blasphemè admittere Schisma inter Ecclesiam Rom. & Vniuersalem, & Catholicam, & hoc ipso sibi vendicabunt nomen temerariorum hominum, & de hæresi suspectorum, qui Ecclesiam Catholicam diuidunt in hac re à Romanâ, & Romanam à Catholica & vniuersali, quod prorsus blasphæmum & hæreticum verbum esse videtur. Si verò admittent Ecclesiam Catholicam hunc eumdem sensum amplecti, videbuntur ignauiæ, & magnæ temeritatis argui in hoc, ipsa quæstione pro Immaculata decisa, si se ei contrasentire profitebuntur. Quare vndique laqueis se irretiri animaduertent in hac ipsa propositione quæstionis; & certè omnibus consideratis, non poterunt negare Ecclesiam Catholicam huius esse sensûs, cum decretum, & declaratum sit expressè per Bullam Alexandri Domini Nostri, Romanam huius esse sensûs; à qua numquam recessit vniuersalis, & Catholica Ecclesia; neque in hac re recessisse dici potest vllo probabili fundamento, nec nisi temerario, recessum interuenisse sustineri potest.

2. Hoc autem vt perspicuè appareat, prius declarandum est, quid intelligatur nomine Ecclesiæ Romanæ, & quid nomine Ecclesiæ Catholicæ. Pro quo sciendum est, Ecclesiam Catholicam, & Vniuersalem posse distingui ab Ecclesia Romana, & cum ea item coincidere: Quare oportet præmittere varias acceptiones Ecclesiæ Romanæ; & omninò aduertendum Ecclesiam Romanam triplicem posse habere acceptionem: Et primò accipi potest, vt Ecclesia particularis sub vno Pastore & Episcopo præscindendo ab eo, quod is sit Pastor omnium aliarum Ecclesiarum, & vt sic non intelligitur secundum id, quod importat, esse Romanam, sed veluti vna vagè ex particularibus Ecclesiis, quæ sunt in Ecclesia vniuersali & Catholica. Secunda acceptio eius est, provt est Ecclesia particularis sub suo Episcopo, provt eiusmodi Episcopus est Pastor Vniuersalis totius Vniuersalis, & Catholicæ Ecclesiæ, & in quantum is in ea aliquid sentit, provt est Pastor Vniuersalis, & Romanam Ecclesiam instruit, vel impellit ad aliquid sentiendum, vel operandum in diuinis, & præsertim in cultu diuino: In hoc sensu dicitur à Pio V. Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum Doctrix, & Magistra, & à Paulo Quinto. in Epist. instructoria fidei ad Eliam Babylonis Patriarcham. [Ideò Sancta Romana Ecclesia omnium aliarum Mater & Magistra diuinitùs illustrata.] Et tandem tertiò considerari potest Ecclesia Romana ipsamet Vniuersalis Ecclesia, quæ agnoscit vt vnicum suum, & primum Pastorem Vniuersalem Pontificem Romanum; qui hoc ipso quod Romæ eligitur Episcopus, est item Vniuersalis Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ, nec minorem auctoritatem habet, vel præsidentiam in Romana Vrbe, ac in vniuerso Orbe Christiano, & vt sic Ecclesia Vniuersalis & Catholica dicitur etiam Romana, in quantum recognoscit pro suo Pastore, Doctore & Magistro eumdem ipsum, quem agnoscit Ecclesia Romana vt particularis, & talis, scilicet in Romano solio sedens. Vnde Paulus V. in citata Epistola Romanam vocat Ecclesiam Catholicam, inquiens. [Nationis vestræ Doctores semper existimauerunt, vt dicis, se rectè de fide sentire, nec ab Ecclesia Sancta Catholica & Apostolica Romana, in alio, quàm in modo loquendi sentire.] Et deindè. [Ex quibus omnibus Archidiaconus tuus Orthodoxa veritate percepta, quam Ecclesia Sancta Catholica Apostolica Romana docet.] Et loquens de Hæresiarchis, eos dicit [ab Ecclesia Sancta Romana damnatos.] Cum fuerint ab vniuersa Ecclesia damnati, quæ Romana scilicet dicitur.] Iam quæstio præsens non controuertitur de Ecclesia Catholica & Vniuersali, vt habente hoc nomen Romanæ; nam ea est comparanda hîc cum Romana, atque adeò distinguenda ab ea sumpta secundum primas acceptiones.

3. Explicatâ ergo variâ acceptione Ecclesiæ Romanæ, sciendum est Ecclesiam Vniuersalem posse accipi etiam dupliciter; vel primò provt includit Romanam in primis duabus acceptionibus, & rursum aggregatum omnium aliarum Ecclesiarum; vel provt dicit aggregatum omnium aliarum Ecclesiarum in contradistinctione à Romana; nam aliquando solet dici hoc vsurpari in Ecclesia Romana, & non vsurpatur in omnibus aliis Ecclesiis; & contra posset aliquid intelligi vsurpari in cæteris omnibus, & non in Romana: Et quia cæteræ omnes Ecclesiæ Vniuersitatem quamdam videntur facere, conflare itidem videntur veluti quamdam acceptionem Ecclesiæ Vniuersalis, non absolutè, sed provt contradistinguitur ista Vniuersitas omnium Ecclesiarum ab Ecclesia Romana: Nomine autem Ecclesiæ intelligitur Congregatio fidelium; nomine verò Ecclesiæ particularis, seu Ecclesiarum particularium, intelliguntur Congregationes variæ fidelium in hac vel illa Regione degentium sub vno peculiari Episcopo, vel Archiepiscopo, aut Abbate, aut aliàs eidem Præposito, cum peculiari Clero, & populo sibi subiecto, & Religiosis

gioſis etiam Familiis ibidem degentibus. Sic ſolent nominari variæ Eccleſiæ particulares, videlicet Panormitana, Syracuſana, Catanenſis, Meſſanenſis, Agrigentina, & ſimiles in Siciliâ. Toletana, Cæſar-Auguſtana, Hiſpalenſis, & ſimiles in Hiſpaniâ, & ſic de cæteris Eccleſiis particularibus in toto Orbe Chriſtiano. Quare dum de Eccleſiâ vniuerſali & Catholica inſtituimus, & ponimus quæſtionem, an ea ſentiat Conceptionem Virginis Immaculatam; loquimur de eâ, provt dicit aggregatum omnium aliarum Eccleſiarum à Romanâ contradiſtinctarum; & rurſum & maximè de Eccleſiâ vniuerſali, & Catholicâ, provt omnes prorſus Eccleſias particulares Orbis Chriſtiani, & Catholici includit: & præterea & maximè Romanam, vt potiorem, & præcipuam partem eius, quæ eſt talis, quæ non poſſit ipſa ſola deficere à fide ſaltem pro antecedenti tempore ad Anti-Chriſtum.

4. De Eccleſiâ ergo Catholicâ ſic acceptâ quæri poteſt, an ea ſentiat Immaculatam fuiſſe Conceptionem Virginis, & ratio dubitandi petitur ex eo quod SS. Alexander de eâ id non dicit, nec de ea vt ſic vnquam viſi ſunt loqui cæteri Pontifices; nam ſemper de Eccleſiâ Romana notauerunt celebrauiſſe, & ſolitum fuiſſe celebrari Immaculatam Dei Conceptionem; & confirmari poteſt hic ſenſus ex eo, quia tempore Sixti Immaculata Conceptio non celebrabatur, nec celebrata fuit per omnes Eccleſias particulares Catholicas; & tamen dicta fuit Romanam eo tempore eam celebrauiſſe: Quare pro nomine Romanæ Eccleſiæ, nõ potuit intelligi vniuerſalis Catholica in Pontificiis Bullis: Quantum ergo eſt ſaltem ex declaratione Pontificum, non poteſt dici, quod Catholica vniuerſalis Eccleſia ſentiat Immaculatam Conceptionem. Contra verò cum nulla Eccleſia particularis non ſentiat Immaculatam Conceptionem, idque maximè contigerit propter Pontificum Decreta; videtur, quod cum hoc traditum non ſit, niſi per hæc verba denotantia Eccleſiam Romanam, verſari in hac celebratione pro nomine Romanæ, debeat intelligi vniuerſalis, & Catholica: Id quod debet rectè expendi, nam vt vidimus Opuſc. 2. Aduerſarij noſtri tempore Sixti, & aliorum Pontificum ante Pium, imò & ante Gregorium cenſuerunt celebrationem Immaculatæ non fuiſſe à tota Eccleſia in celebritate amplexatam. Quapropter oportet omnia hîc benè expendere, elucidare, & decidere, ad proiectionem omnium errorum in hac materia.

5. Pro qua re Dico primò, quod Romani Pontifices quando in hac re decreuêre quod Eccleſia Conceptionis Feſtum celebret, & in tali ſenſu celebret, non loquuti ſunt merè de Romana, vt particulari, ſed de ea vt regulata à Summo Pontifice Paſtore omnium particularium Eccleſiarum, & dante Regulam omnibus aliis Eccleſiis acceptantibus, & quæ acceptauêre in hac re inſtitutionem talis celebritatis, eámque cum Pontifice approbarunt vt dignam, & vſurpationi congruè dandam ſenſerunt; eſto de reliquo eiuſmodi Feſtum omnes particulares Eccleſiæ non mandarint exequutioni, quia non fuit ex præcepto. Id quod patet primò maximè ex Bulla, *Cum præexcelſa*, Sixti IV. qui quando approbauit primò per Bullam celebritatem Immaculatæ ante omnes Pontifices, dixit. [Dignum, quin potius debitum reputamus, vniuerſos Chriſti fideles vt Omnipotenti Deo &c. de ipſius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & inſtituta propterea in Dei Eccleſia Miſſas, & alia diuina Officia dicant, & illis interſint.] Qui ſenſus de Immaculata habendus, non præſcribitur ſoli Eccleſiæ Romanæ, vt contradiſtinctæ à cæteris ſimul ſumptis, ſed ipſi Eccleſiæ Romanæ, & omnibus cũ ea ſimul conſtantibus vniuerſam Eccleſiam Catholicam: nam directus eſt ſermo ad vniuerſos fideles, qui eam totam, & totaliter conſtant, & ad Eccleſiam Dei, quæ non eſt niſi vniuerſalis, & Catholica, de quâ modò loquimur.

6. Nec quia inſtitutio huius celebritatis non fuit præcepta & vſurpationi data, ideò non fuit vniuerſali Eccleſiæ directa, & ab ea vniuerſaliter acceptata; nam ſimiles celebritates, etiam non præceptæ, Vniuerſalis Eccleſiæ dicuntur fuiſſe; ſi à Romano Pontifice per Bullas vtique vniuerſales inſtituuntur, quales multæ ſunt, & fuerunt in Eccleſia Catholica: & qualis videtur inſtituta celebritas Corporis Domini, ad quam priores Pontifices Indulgentiis allexêre fideles, provt in Bulla hac egit Sixtus IV. & notat ipſum Vrbanum IV. in Concilio Viennenſi, & Martinum V. egiſſe in celebritate Corporis Domini, ad quam allexêre Indulgentiis eiſdem, quas Sixtus applicauit Conceptioni Immaculatæ: Cum ergo celebritas hæc inſtituta fuerit in Eccleſia, & pro Eccleſia vniuerſali, licet ſine præceptione, & mandato; nam non omnia ſic præcipiuntur, certũ eſſe debet quod hęc feſtiuitas ſit inſtituta pro vniuerſa Catholica Eccleſia, vt ſcilicet ab ea vniuerſum acceptaretur, & approbaretur vt benè inſtituta.

7. Probatur ſecundò Concluſio, quia quicquid præcipitur à Summo Pontifice auctoritate Apoſtolica, & in confidentia auctoritatis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, pertinet ad vniuerſam Catholicam Eccleſiam; ſed hoc Feſtum eſt inſtitutum ſub dicta auctoritate, ait enim Sixtus IV. in Bulla, *Cum præexcelſa* expreſsè [Hac igitur conſideratione inducti, eiuſdem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, eius auctoritate confiſi, auctoritate Apoſtolicâ, hac in perpetuum valiturâ Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes Chriſti fideles vtriuſque ſexûs, qui Miſſam, & Officium Conceptionis eiuſdem Virginis Glorioſæ iuxta piam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magiſtri Leonardi de Nugarolis Clerici Veronenſis Notarij noſtri, & quæ deſuper à nobis emanauit Miſſæ, & Officij huius inſtitutionem in die feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ, & per Octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem Indulgentiam prorſus, & remiſſionem peccatorum exindè conſequantur, quam iuxta Fœl. Record. Vrbani IV. in Cõcilio Viennenſi &c.] Scilicet quam conſequuntur, qui ſunt præſentes Miſſæ, & Officio in Feſto Corporis Domini. Quo patet inſtitutionem huius Feſti pertinere, & pertinuiſſe ex eo tempore ad Vniuerſam

uersam Ecclesiam Catholicam. Maior patet, quia quicquid sit hoc nomine, & auctoritate, non fit nomine, & auctoritate eius se extendente merè ad Romanam Ciuitatem, & Ecclesiam vt contradistinctam à cæteris, sed ad illam, quæ se extendit eodem vigore ad omnem Ecclesiam Catholicam, & cunctas Ecclesias particulares disiunctiuè, & collectiuè sumptas; & per consequens provt pertinet ad Vniuersam Ecclesiam Catholicam.

8. Prob. tertiò id ipsum, quia hanc ipsam doctrinam tradit Pius V. in sua Bulla *Super speculam*, vbi ait. [Cum Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, & Doctrix disciplinæ.] Cum ergo eadem sit doctrina Magistri, & discipuli, nec non Magistræ, & discipularum; dum hæc doctrina de sensu huius Festi Immaculatæ Conceptionis certissimè sit propria Romanæ Ecclesiæ, censenda itidem est esse omnium cæterarum Ecclesiarum, & per consequens Vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ.

9. Prob. quartò, quia hic est sensus omnium Ecclesiarum, & Ecclesiæ Romanæ, vt quicquid ipsa sentit, vel præcipit; cæteræ omnes sentiant, & auscultent, & in nihilo ab eius doctrinâ recedant: Ergo si semel aliqua doctrina, vt propria à Pontifice declaratur Romanæ Ecclesiæ, ea statim censetur omnium aliarum Ecclesiarum, & per consequens totius in vniuersum Catholicæ Ecclesiæ, & si quando aliquæ Ecclesiæ, doctrinam Romanæ Ecclesiæ, vt regulatæ à Summo Pastore, qui est item Pastor omnium Ecclesiarum, non reciperet hanc doctrinam, hoc ipso erroneæ essent censendæ, & erroneè recedere ab illa; cum ergo certum sit, quod doctrina Ecclesiæ Romanæ sit, quod deberet celebrari Festum Conceptionis Dei Genitricis; hæc item doctrina sit, & fuerit omnium cæterarum Ecclesiarum. Id quod confirmatur dignissimè ex Patribus, & Episcopis Ecclesiæ Mesopotamiæ, qui Romam miserunt tempore Pauli V. Pontificis Maximi Legatos ad se subijciendum Pontifici Romano; & testati sunt ex parte illius Ecclesiæ, antiquissimam fuisse apud eos traditionem, quod Ecclesia Romana sit, & fuerit omnium Ecclesiarum Magistra, séque semper intellexisse sequi doctrinam Ecclesiæ Romanæ, in qua esset firma petra fidei; vndè miserunt eosdem Legatos ad eam hauriendam doctrinam, quæ esset Ecclesiæ Romanæ germana, & sincera, quam & acceperunt, & secundum eam correxerunt aliquos errores, quos amplexi fuerant, nescientes, quod eos anathematizauerat Ecclesia Romana. Id quod etsi verum sit, præcipuè de doctrinis de fide tenendis, simili modo intelligendum est de aliis secundum eam formam certitudinis, vel probabilitatis; secundum quam ea traderentur ab eadem Ecclesiâ Romana, præsertim in iis, quæ pertinent ad cultum diuinum; nam certum est, quod quicquid in ordine ad cultum decreuit Ecclesia Romana, censendum & seruandum id omne censuerint esse seruandum, & iussa seruauerunt omnes Ecclesiæ; nec non simili modo censerent, debere se sentire in vsurpatione cultûs diuini, & hac de qua loquimur.

10. Ex hoc dicto Dico secundò, quod in hac materia cum constet Ecclesiam Romanam celebrauisse, & celebrare Festum Conceptionis Dei Parentis sub sensu Immaculatæ, & animæ eius infusæ in corpus cum gratiâ sanctificante; certissimum etiam est, quod Ecclesia vniuersa celebrauerit, & celebret Festum Immaculatæ Conceptionis sub sensu Immaculatæ, & sequens sententiam Immaculatæ Conceptionis.

11. Probatur primò hæc veritas, quia vniuersæ Ecclesiæ sequuntur & sequutæ sunt semper in hac re sensum Ecclesiæ Romanæ, nec vnquam fuit Schisma in hac re inter Ecclesiam Romanam, & cæteras Ecclesias: Ergo si Ecclesia Romana ità sentit, & sensit, cæteræ omnes Ecclesiæ idem censere, & censuisse semper æstimandum est; atque adeo constat nunc sensum Immaculatæ esse sensum omnium Ecclesiarum, & Vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ. Id quod confirmatur, quia in hac re, vt vidimus Opusc. 1. Ecclesiæ complures particulares in Italiâ, Hispaniâ, Gallia, Germania, Belgia, & potissimum Ecclesia Græca, ab immemorabili præuenerunt Ecclesiam Romanam; vndè ipsa deinde plaudente, & hortante, dubium esse non debet, quod omnes plausère, & sequutæ sunt hunc sensum. Id quod notauit SS. D. Alexander, dum dixit, hanc pietatem colendi Virginem iuxta hunc sensum fuisse antiquam, & ante Sixti IV. approbationem, & commendationem.

12. Probatur secundò Conclusio, quia post Bullam Pij V. in Reformatione Breuiarij præcipientis solemnizari Festum Conceptionis secundum hunc sensum (nam ex hac nuperrima patet, non sub alio solemnizasse) non solùm à Romana, sed ab vniuersa Ecclesia, vt vidimus Opusc. 2. in disput. de hac re fusè. Ad euidentiam ergo constat, Vniuersam Ecclesiam coluisse, & colere Immaculatam sub sensu Immaculatæ Conceptionis, hic autem cultus sic vniuersalis notatur communiter ab Auctoribus; vndè quàm maximè laudatur, de Immaculata Conceptione valdè benemeritus Summus Pontifex Pius V. qui cultum hunc etiam extendisse notatur pro vniuersa, & tota Ecclesia: Vndè in Armam. Seraph. Cismon. Famil. pag. 74. sic habet num. 35. [Hunc sanctissimum, & omnibus numeris absolutissimum Pontificem plus fauisse Conceptionis Beatæ Virginis Festo, quàm omnes eius prædecessores. Illustriss. Sosa fol. 21. veritissimè scripsit, & res ipsa clamat; primus enim fuit, qui cum in Festis Breuiario communi inserendis adeò maturâ circumspectione procederet, vt Præsentationis B. Virginis Festum abstulerit, quod in Regesto col. 212. ex Coluenerio obseruauimus, Conceptionis solemnitatem, quæ ab omnibus quidem celebrari, sed & omitti poterat, & à libera cuiusque deuotione pendebat, in noua Breuiarij. & Missalis reformatione sub præcepto sanxit, Conceptionem B. Virginis adæquans Officio eius Natiuitati; quo nihil pro præseruationis mysterio excogitari potuit augustius, vt colum. 212. Regesti: sed vrgentius infrà hoc ipso artic. de Officio Romano agentes notamus: seruato tamen Officij proprij priuilegio, imò, & confirmato, vt in Regesto, colum. 219. probatum est; Cúmque hoc (inquit idem Illustriss.) sit vrgentius omnibus, quæ Ecclesia Romana

huevsque statuit in hac materia, ità vt nihil præter totalem definitionē videatur deesse: Mysterio non vacat reservatum fuisse Pontifici ex Familia Dominicana assumpto, & sanctitatis famâ conspicuo.

13. Prob. 3. Conclusio ex eo quod in hac Bulla ipso sui initio ait Pontifex. [Sanè vetus est Christi fidelium erga eius Beatiss. Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filij humani generis Redemptoris à macula peccati originalis præseruatam immunē, atque in hoc sensu eius Conceptionis festiuitatem solemni ritu colentium, & celebrantium.] In quibus verbis expressè traditur ab antiquo tempore Ecclesiam Catholicam, non meram Ecclesiam Romanam sensisse animam Virginis ab originali immunem esse, & secundum hunc sensum celebrauisse festiuitatem Conceptionis, quod testatus est etiam S. Thomas, qui non hunc sensum amplexam esse Ecclesiam Romanam dixit, sed merè toleratse, & modo id, quod ipse putauit toleratum, vel approbatum pro eo tempore censet SS. Pontifex; vel saltem approbatur nunc ab ipso pro eo tempore, & laudatur, & plauditur iste sensus, & celebratio. Quare dubium esse non potest, quod quicquid modò amplexa est Ecclesia Romana, amplexa est etiam Catholica Ecclesia, & dicendus sit sensus Ecclesiæ vniuersæ, cum tale quid, quod olim ad complures Ecclesias pertinebat, ad Ecclesiam non solum Romanam, sed ad Vniuersalem; modò pertinet; cum magna pars Vniuersalis Ecclesiæ hunc sensum ex antiquo tempore habuerit. Quibus positis, sic formari potest argumentum. Ille modo sensus est Ecclesiæ Catholicæ & vniuersalis circa Immaculatam Conceptionem, & immunitatem Virginis ab originali, qui fuit ex dicto sanctissimi Alexandri in aliquibus Ecclesiis apud plures fideles: nam omnes in eo consentiunt, in quo prius dissentiebant, vt paulò post notatur. dum dicitur omnes ferè Catholicos iam amplexos esse hunc sensum: sed Pontifex ait fideles antiquos in hoc sensu Immaculatæ Conceptionis immunis ab originali fuisse, ergo tota Ecclesia vniuersalis nunc est, & æstimanda est hunc sensum complexa. Quod argumentum similiter potest fieri paucis mutatis, ex sequenti §. Bullæ, in quo dicitur aucta pietas huius sensus ex Constitutionibus Sixti IV.

14. Probatur quartò Conclusio, quia sensus, qui fuit de Immaculatâ Conceptione receptus à Concilio Trid. licet non definitiuo, sed assertiuo modo, intelligitur receptus ab Vniuersâ Ecclesiâ; sed sensus de Conceptione Immaculata fuit receptus à Concilio Trid. ergo fuit, & est receptus, & propriùs Ecclesiæ Vniuersæ. Maior patet, quia negari non potest, quod Concilium œcumenicum istud grande stet pro Vniuersali Ecclesia, & quidquid ipsum recepit, intelligitur fuisse sensus vniuersæ Ecclesiæ. Minor probatur, quia sicut Immaculata Conceptio (vt hic expressè declarat SS. Alexander) fuit sensus Sixti IV. ità fuit & Concilij Tridentini qui confirmauit omnes Constitutiones Sixti, easque innouauit, & se habuit, ac si ipsum eas edidisset.

15. Probatur quintò. Conclusio, quia quemadmodum Religiosus Ordo, & Confraternitates sunt institutæ in Ecclesiâ Catholicâ, quemadmodum & indulgentiæ vsui traditæ in eâ in confirmationem huius sensûs per omnes ferè Prouincias Christianæ Reip. ità censenda est ea vniuersa eum recipisse, quia hæc omnia in se acta approbat haberi, & vsurpari, nec eis vllo modo contradicit, sed honore, & reuerentiâ, vsúque prosequitur: Quod argumentum maiorem vim habet, quia Vniuersa Ecclesia contrariam sententiam nec auribus vult audire, eámque pronunciari vetat, & punit contradicentes; & contra sensûs Immaculatæ vbique est fautrix, promotrix, & omnibus votis illum acclamari peroptat; eius ergo est vniuersaliter sumptæ omninò hic sensus.

16. Probatur sextò. Conclusio, quia Gregorius XV. præcepit pro vniuersa Ecclesiâ. [In Sacrosancto Sacrificio Missæ, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicumque debeant.] Et hoc dicit Sanctissimus Alexander [mandasse in fauorem eiusdem sententiæ.] Ergo mandauit hunc sensum haberi, & hic sensus certè est habitus ex testificatione ipsius Orbis. Nulla ergo esse potest dubitatio, quod hic fuerit, & sit maximè in præsenti Vniuersalis Ecclesiæ sensus.

17. Probatur septimò Conclusio, quia expressè hic idem SS. Pontifex actu regnans, profitetur se confirmare, & innouare omnes Constitutiones Prædecessorum suorum in fauorem Immaculati sensûs editas, & prout in hunc fauorem editas, seu in quantum hunc fauorem exprimunt. Non curans eas confirmare, si quid non in fauorem illius proditum ab iis esset, vt in confirmationibus diximus. Id quod cum faciat in vniuersâ Ecclesiâ, quam Christi gregem appellat, qui vinculo pacis obstrictus esse debet, certè censetur hic idem sensus receptus in vniuersa Ecclesia, cum in ea omni is prodeat in actum vniuersalis celebrationis Festi instituti, & vsurpati secundum seipsum.

18. Probatur octauò Conclusio, quia id ostendunt innumera Templa in significationem, venerationem, ac etiam prosequutionem huius sensûs erecta, innumerabilia Altaria fabricata, simulacra, & imagines per omnia compita elatæ, tabellæ passim inscriptæ, medalia cusa, sigilli impressi, monetæ in manus omnium excurrentes, Portæ Domuum & Vrbium hunc sensum exprimentes, parietes prædicantes, laminæ declarantes, Libri, & Tomi de eo latè tractantes, linguæ pro eo pugnantes, mentes in eundem intentæ, & illum vndique argumentis confirmantes, pennæ ad eum scripto enarrandi dicatæ, & typi fatigati ad exemplaria librorum sine fine nouorum cudenda; non per vnum, aut alterum, & plura Regna Ecclesiæ Catholicæ, sed absolutè per vniuersa, nullo excepto, nullâque contradictione Ecclesiæ. Quæ omnia aperta, & notoria testificatione non indigente probatione, exhibita; sine vllâ dubitatione demonstrant nonnisi vniuersæ Ecclesiæ esse hunc sensum, qui tot modis, tot formis, tot viis tam latè, fusèque per vniuersum Orbem Christum colētem exprimitur, vt

dubitari

dubitari non sinit eum esse à totâ Ecclesia Catholica receptum vsque ad vltimas mundi partes; in quibus scitur non alium haberi sensum, nisi emaculantem Virginem ab omni labe peccati originalis. Vnde superuacaneum est hîc dubitare de conclusione positâ, vel aliquid aliud velle in hac re addere.

DIVISIO III.

An sit de fide certum, Ecclesiam Romanam colere Immaculatam Conceptionem sub sensu Immaculatæ.

1. NOn disputamus an Ecclesia Romana putet de fide certam Immaculatam Conceptionem; sed an sit de fide certum, quod ipsa habeat hunc sensum Immaculatæ Conceptionis, non quidem cum certitudine fidei, sed cum certitudine infra illam fidei. Et ratio dubitandi est, quia Summi Pontifices, licet hanc veritatem sæpè repetierint in suis Bullis, & clarissimè in præsenti SS. Dominus Alexander, non videntur eam tradidisse sub terminis definientibus illam, quales esse solent, definimus, vel decidimus, vel tamquam fidei dogma tradimus; nec ex circumstantiis videtur quod hanc doctrinam tradiderint, vt de fide tenendam; & solùm videntur, & visi sunt hanc veritatem tradidisse per modum assertionis, non definitionis; atque adeò non sit tenenda de fide certa; neque enim omnia, quæ tradunt Summi Pontifices, & ipsa Concilia, sunt de fide certa, nisi illa, quæ continentur in Canonibus, & in expressis definitionibus, inter quas non videtur hæc numeranda. Contra verò veritas hæc videtur de fide certa, quia eam tradidêre Summi Pontifices auctoritate Apostolicâ signatè notata, vt vidimus de Sixto IV. & patet in Bullis eiusdem Sixti IV. in prima Extrau. *Grauenimis*, vbi ait. [Auctoritate Apostolicâ præsentium tenore reprobamus, & damnamus, scilicet (temeritatis, & erroris) dicentes (mortale Immaculatam Conceptionem Virginis tenere) ac motu, & auctoritate prædictis statuimus, & ordinamus.] Quod scilicet sint excommunicati, qui damnarent Immaculatam mortalis, aut hæresis; & similia verba habentur in secunda Extrau. *Grauenimus*; & Pius V. in Diplomate *super speculam*, ait. [Ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine statutũ felicis record. Sixti IV. Prædecessoris nostri super eâre, quod à Tridentinâ Synodo innouatum est, illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plenè & sufficienter expresso, & inserto habentes, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, & approbamus.] Et eamdem confirmationem adhibuit, deindè eadem auctoritate signat Paulus V. in Bulla *Regis Pacifici*. Quare res hæc videtur esse de fide.

2. Ad resolutionem autem Quæstionis aduerto, quod quando quærimus an sit de fide certum, Ecclesiam Romanam colere Conceptionem sub sensu Immaculatæ, non id quærimus de tali sensu extra cultum, sed de sensu in tali cultu; esto de reliquo non certum sit de fide, quod talem sensum habeat extra cultum; de hoc enim quid sentiendum videatur, dicendum est postea; nunc certum est nos merè quærere de sensu in cultu; nam Sanctissimus Alexander de sensu in hoc cultu videtur maximè loqui, & de eo vt sic ità statuo.

3. Prima Conclusio. Probabilius videtur quod modo sit de fide certum, quod Ecclesia Romana coluerit, & colat Immaculatam Conceptionem, sequens sententiam, quæ eam vt Immaculatam agnoscit. Probatur Conclusio primò quia illa doctrina, quæ traditur à Summis Pontificibus, vt doctrina absolutè vera, & indubitabilis, & quam tenere debent fideles sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, est doctrina tenenda de fide, & si non explicitè, saltem implicitè sub certitudine definitionis, vt sic videatur tradita, sed talis est doctrina, quam in hac nuperrimâ Bullâ tradit SS Dominus Alexander, & eamdem tradidisse declarat cæteros Pontifices antecessores suos: ergo huiusmodi doctrina est de fide. Maior patet, quia ei nihil deest, ad hoc vt censeatur de fide; nam sub talibus terminis decisiones de fide traduntur, quæ per excommunicationem scilicet fulminatam iis, qui contra sentiunt docentur fideles. Minor probatur, quia cum dixerit in ambabus Bullis Extrauagantibus Sixtus IV. Romanam Ecclesiam celebrare Conceptionem Virginis (& non nisi in hoc sensu Immaculatæ eam celebrare declarat Sanctissimus Alexander) addidit. [Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eum se nouerit incursurum.] Cum ergo quis diceret Ecclesiam Romanam non celebrare Conceptionem Virginis in hoc sensu, contrairet, hisce Bullis, & multis aliis eas confirmantibus & per consequens incurreret excommucationẽ signatam sub incursionem indignationis Dei & Beatorum Apostolorũ; id quod patet clariùs in nuperrima Bulla, vbi dicitur. [Constitutiones & Decreta à Sanctis Romanis Pontificibus edita in fauorem sententiæ asserentis animam B. Virginis in sui creatione, & corporis infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse, nec non & in fauorem Festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus,] In quibus hic sensus declaratur omninò tenendus, vt habitus ab Ecclesia sub pœna excommunicationis, vt liquet.

Probatur secundò Conclusio, quia in prima Extrauag. Sixti IV. declaratur vt erronea propositio, quæ traderet Ecclesiam Romanam celebrare festum dumtaxat de spirituali eius Conceptione, & sanctificatione, non ob aliam rationem, nisi quia clarum erat, & liquebat ipsum Pontificem instituisse Festum Conceptionis

ptionis Virginis, quæ non erat intelligenda spiritualis sola: ergo signum est, quod de fide erat, quod Ecclesia Romana celebraret Festum Conceptionis naturalis, & nisi ea veritas esset de fide, propositio ei contradicens primò, & contradictoriè, non posset notari vt erronea; illa enim propositio est erronea, quæ per consequentiam contradicit propositioni de fide; cum ergo dicta propositio, vt erronea sit notata à Pontifice, signum est manifestum, quod de fide Pontifex supponebat, vel declarabat esse, quod Ecclesia Romana celebraret Conceptionem naturalem, seu primam animationem Virginis.

4. Sed dices. Propositio, quæ decernit Conceptionem celebratam Virginis fuisse solam spiritualem, opponitur contradictoriè illi, quæ decernet esse celebratam naturalem; ergo si prima non est nisi erronea, secunda non est de fide, quia propositio contradictoria alicui propositioni, quæ est solùm erronea, nõ potest esse de fide; si enim esset de fide, quæ sibi opponeretur, esset hæretica, erronea.

5. Respondeo, esto propositio, quæ traderet solam spiritualem Conceptionem celebrari, opponi contradictoriè illi, quæ traderet celebrari naturalem; non tamen est contradictoria illi, quæ traderet celebrari Conceptionem Virginis sine vllo addito naturalis, & hanc fuisse de fide dicimus tempore Sixti, quæ causa fuit, vt ista alia de sola celebrata Conceptione spirituali, vel sanctificatione Virginis, dicta fuerit erronea, & non hæretica; nam per euidentem consequentiam concluditur, quod illi primæ opponitur; & nemo non videt, quod dicere, quod Ecclesia Romana celebrat Conceptionem Virginis non sit contradictoria propositioni, quæ traderet Ecclesiam Romanam celebrare solã Conceptionem spiritualem: vndè bene Pontifex istam vltimam erroneam dixit, & per consequens benè hinc intulimus nos, quod prima fuerit de fide tunc sic prolata; & cum modò ea declaretur expresè à Pontifice, quod intellecta, & intelligenda sit de Conceptione Immaculata, & secundum sensum Immaculatæ, benè dicitur, quod de fide sit certum, quod Ecclesia Romana colat Conceptionem Virginis secundum sensum Immaculatæ.

6. Probatur tertiò Conclusio, quia cum tot firmatis vicibus à Summis Pontificibus replicetur, & replicatum sit in innumeris Bullis sanctum, Ecclesiam Romanam celebrare Festum Conceptionis Deiparæ, & hanc veritatem repetant indubitanter, & vt quamdam Maximam, & Argumentum damnandi alias propositiones, vt erroneas, & ab omni veritate alienas, signum videtur esse manifestum, quod eam tradant, vel supponant vt principium quoddam de fide certum, vndè possit has consequentias damnatiuas erroris deducere; nam nonnisi ex principiis fidei eæ solent inferri, nec ab aliis benè inferrentur; nam in tantum doctrina aliqua datur vt erronea, in quantum repugnat si non immediatè, saltem mediatè fidei, & rei certæ de fide; cum ergo ex eo quod non benè sient aliquæ propositiones cum hac veritate, Pontifices inferunt aliquas propositiones, vt erroneas. Ad euidentiam videtur patere, quod veritas hæc, vndè inferuntur, sit de fide certa: Quod autem totum hoc verum sit, patet ex Extrauagantibus. *Graue nimis* Sixti IV. Et primò in prima. [Sane sicut accepimus, non nulli diuersorum Ordinum Professores ad prædicandum verbum Dei in diuersis Ciuitatibus, & locis, partibus Lombardiæ deputati, & non ignati, quod sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ semperque Virginis Gloriosæ Mariæ Conceptionæ Festum celebrat, & speciale, ac proprium Officium ordinauit, in eorum prædicationibus ad populum publicè affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, astante populi multitudine, omnes illos, qui tenent, & affirmant, eandem Gloriosam, & Immaculatam Dei Genitricem Virginem Mariam, absque peccati originalis macula fuisse conceptam, hæreticos esse, & ipsam Romanam Ecclesiam, solam spiritualem Conceptionem, seu Sanctificationem eiusdem Virginis Mariæ celebrare, ac huiusmodi eorum prædicationibus non contenti, confectos super his assertionibus Libros in publicum ediderint: ex quorum prædicationibus, & assertionibus non leuia scandala in partibus illis in mentibus Christi fidelium sunt exorta, & maiora exoriri formidantur in dies.] Et deinde hæc acta reprobat ex eo quod Ecclesia Romana celebrat hoc Festum. Eadem verba ibidem replicantur à Sixto in secunda Bulla *Graue nimis*, quibus tanquam quid manifestum, & certissimum tradit in Ecclesia celebrari Festum Conceptionis, & per consequẽs non nisi Immaculatæ, licet non enunciatiuè de se loquatur, sed de Ecclesia quæ hanc veritatem agnoscit, & de ea Sixtus ait ibidem. [Sanè cum sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ sempérque Virginis Mariæ Conceptione publicè Festum solemniter celebrat.] Quo vult significare, quod stante hac celebratione dicta, assertiones Aduersantium, non posse sine iusta damnatione consistere erroneatum & falsarum, plenarúmque scandalis: vndè veritas hæc celebrationis indubitata videtur, & relinquit omni genere dubitationis ablato, atque adeò omni certitudine prædita, absque eo quod illa fidei ei desit.

7. Probatur quartò Conclusio, quia sanctissimus Alexander in hac Bulla pro causali eorum, quæ decernit in ea, cáque primaria, ponit quod Ecclesia Romana celebrat Festum Immaculatæ Conceptionis sub sensu Immaculatæ, seu prout anima Virginis in primo instanti infusionis in corpus fuit ab originali præseruata: ergo omninò vt absolutè, & consequenter de fide, certum tradit huiusmodi propositionem. Consequentia probatur, quia in iis, quæ tradit absolutè Pontifex, vt Pontifex in Bullis in ordine ad docendum fideles, & quæ sunt pertinentes ad doctrinam, quæ sit principium; & caput aliarum doctrinarum, non approbat aliquid, quod sit aliquo modo dubium, vel nutet in fide; nam exponeret fideles periculo errandi cũ vniuersa itẽ Ecclesia, quod est impossibile contingere in doctrinis quas tradit Pontifex, vt cõmunis eius Magister; oportet ergo vt tale sit omninò certum de fide, dum præsertim quid primariũ sit in traditione doctrinæ; non enim potest existimari, quod Pontifex tale quid tradat, si non omni certitudine

tudine sit præditum. Quod autem hæc doctrina de celebritate Festi Immaculatæ Conceptionis ab Ecclesiâ Romana vsurpatæ, sit quid principale in hac Bullâ, & in totâ hac materiâ, patet, quia indè inferuntur omnes consequentiæ, & illatæ sunt à Pontificibus, & ex hoc Capite Sixtus IV. declarauit erroneas aliquas propositiones ei oppositas, & id ipsum confirmauerunt ceteri Pontifices, & in præsenti Bullâ expressè tradit Summus Pontifex, quod quia considerauit Ecclesiam Romanam colere, & seruare huiusmodi Festum, & super hanc materiam laudabile ordinauit Officium, indè ipse tanta decreuit, & voluit ab omnibus seruari.

8. Probatur quinto Conclusio, quia si quis negaret Ecclesiam Romanam celebrare Festum Conceptionis Immaculatæ, tanta interuenientе declaratione Pontificum, & sic expressa sanctissimi Alexandri, cum Doctores communiter temerariam hanc negationem censuissent ante hanc vltimam declarationem, dum nulla modo appareat tergiuersatio ad dicendum oppositum; omninò hæc negatio vel hæretica, vel erronea esset; nam indè dicta est temeraria, & non maiori censurâ notata, quia Aduersarij alioqui docti viri interpretationes aliquas adhibebant, quæ extenderent festiuitatem ad Conceptionem spiritualem Deiparæ, & ad Sanctificationem, quod nomen Conceptionis importaret, prout diceret primam animationem, & aliquam morulam temporis indeterminatam, in quâ sequeretur post originale sanctificatio eiusdem Dei Parentis, quæ interpretatio modò non potest adhiberi, cum Pontifex non meré sanctificatam dicat celebrari Virginem in suâ Conceptione, sed absolutè præseruatam ab originali, atque adeò omninò illud excludit non pro vno solo signo, sed pro omni imaginabili: alioqui non fuisset præseruata, sed incursa, & liberata. Id quod confirmatur, quia itidem signauit instans primæ animationis Sapiens Pontifex, & pro eo signato in primâ infusione animæ Virginis in corpus, declarauit eam gratiâ donatam. Quare penitus omnem tergiuersationem eludendi aliter hunc sensum Immaculatæ excluſit, & perconsequens vel hæreticè contradicentem aliquem, qui contra sentiret, ostendit, vel saltem erroneè, licet meo iudicio potius hæreticè, quia hoc, quod hic dicit Pontifex vt Doctor, & docens Ecclesiam in materiâ dogmatis dicit, & cum omni certitudine videtur hoc dicere, explicando sensum etiam suorum complurium Prædecessorum, tamquam indubitabilem, & vt principium aliarum conclusionum; quod certè non conuenit cæteris omnibus in hac Bullâ contentis; id quod est in causâ, vt censeam de fide esse in præsenti potius, quàm secundum fidem hæc veritas de Festo Conceptionis celebrato secundum hunc sensum Immaculatæ ab Ecclesiâ Romana, & Catholica, sicut & id, quod tradit de Officio Nugarolico, quod ab eadem fuerit ordinatum in expressionem eiusdem sensûs Immaculatæ in celebritate Conceptionis; quod confirmatur ex eo, quia, vt aliàs notaui in Confirmationibus certitudinis Immaculatæ suprapositis, Hispaniarum Ecclesiæ, medio Episcopo Placentino, misso à Catholico Rege nostro, tamquam ad Summum Doctorem Ecclesiæ, petierunt scire, & declarationem expetuere de sensu, in quo celebraret, & celebrauisset, & celebrare deberet Vniuersalis Ecclesia Festum Conceptionis in ea vniuersale. Quare cum vt Pontifex expostulatus esset de sensu Ecclesiæ in tali Festo, & vt pro tali instituto & in eodem censendus est docuisse Ecclesiam, atque adeò absolutam doctrinam fidei tradidisse; sed in hac re, sicut & in aliis hic positis commune iudicium expecto Doctorum virorum, & vltimum meum iudicium proferam in alio Opusculo, propter quod antequam hæc scripta typis committam, ea legenda complurib⁹ Doctoribus tradam, & eorum sensum de conclusis hi notabo, si habere potero complurium: nam aliquorum habui qui censent hanc veritatem esse de fide, & in hunc solum inclinant.

9 Post hæc autem scripta, inueni ante etiam Bullam Alexandri Sanctissimi alios viros doctos mecum sentire, nempe Neribergh de sanctitate Festi instituti Conceptionis, § 26. vbi ait. [Ex infallibilitate etiam Pontificum in ferendis censuris propositionum, colligitur pariter certissima Sanctitas Immaculatæ Conceptionis: quippe Sixtus IV. in Extrauagante *Grauè nimis*, pronuntiauit erroneam propositionem, quæ diceret hæresim sententiam negatiuam; vndè sic argumentari posset aliquis: De fide est, ex definitione Sixti, erroneam esse propositionem asserentem, opinionem piam esse hæreticam; ergo certum est, secundum fidem, post Sixti definitionem, contradictoriam talis propositionis, conclusionem esse Theologicam, euidenter deductam ex aliqua propositione, in se immediatè reuelata, siue de fide: cum idem sit apud omnes Theologos, esse propositionem erroneam, & esse conclusionem Theologicam, modo dicto, contradictoriam eius: Vndè rursus infertur, ergo post Sixti definitionem, certúmque secundum fidem est, hanc esse conclusionem Theologicam, opinio pia non est hæretica, illata scilicet ex aliqua propositione de fide euidenter, sed nulla est propositio eam inferens euidenter, quæ non faueat certitudini sententiæ piæ: certa ergo illa erit. Quod satis declararat ex eo quod Sixtus rationem condemnandi propositionem illam erroneam reddidisset: quia celebrat Ecclesiam Festum eiusdem Conceptionis: quoniam peruersus quidem error est dicere hæreticum id ipsum quod Ecclesia colit, & constituit obiectum Festiuitatis à se institutæ: at si aliud obiectum esset huius Festi, & non Immaculata Conceptio, nihil ad rem attineret; nec posset Pontifex, ex celebratione Festi inferre illam consequentiam, vt condemnaret errorem prædictum assertum, quo affirmatur hæresis dici sine peccato fuisse Conceptionem Virgineam: de quo etiam videri potest nostra Theoria §. 4. & cap. 7. in Exceptio. Concilij Trident. & epist 3. Dissertationum.] In quibus dum ait conclusionem Theologicam euidenter deductam ex aliquâ de fide esse quod pia sententia non est hæretica; & quod ea deducta sit ab istâ quod Ecclesia Romana celebret Festum Conceptionis: nam expressè habet quod Sixtus non habuit aliam rationem condemnandi propositionem illam quod esset

hæretica pia ſententia, niſi quod Eccleſia Romana celebrat Conceptionem Deiparæ : Vndè Neribergh apertè de fide eſſe cenſet quod Eccleſia Romana celebret & celebrauerit Feſtum Conceptionis Dei Parentis, quod modò volumus.

10. Eiuſdem ſenſus eſt Auctor innominatus de Cyriacis qui ſcriptione ſuâ oſtendit eſſe virum magnæ doctrinæ, qui ſic ſcribit. Diatribâ primâ. [In eadem naui verſantur, & circa fidem æquè naufragant qui contra expreſſa Pontificum decreta toties litterata & firmata vſu, per centum ſaltem triginta annos recepto in Vniuerſâ Eccleſiâ, negant nitorem Conceptionis Deiparæ piè ac probabiliter, atque adeò prudenter aſſertum eſſe obiectum idoneum Religioſi cultûs qualem Pontifices vigere in Eccleſiâ agnouerunt, iam à tanto tempore, & explicatiſſimè docuerunt Feſtum quod Romana Eccleſia de Conceptione Virginis celebrat eſſe de primâ animatione (id enim ſonat vox Conceptionis) & repulerunt aſſerentes hoc Feſtum non eſſe niſi de Sanctificatione ſubſequutâ Conceptione : Illi ergo Cyriaci qui poſt manifeſtâ ſenſus Eccleſiæ approbationem, contrariam tradiderunt, nec de ea repulſa curarunt ; ſed pertinaces inſtiterunt ſuo ſenſui, & Eccleſiâ in cultu Religioſo propoſito irreligioſè egiſſe dixerunt, quomodo ſint ab errore immunes?] Et paulò poſt. [Mandat eadem Eccleſia, columna, & firmamentum veritatis, vt omnes fideles de hoc Feſto ità ſentiant, & illud religioſè & abſque errore ad eum modum coli ſibi perſuadeat.] Vbi vult quod contra ſentientes de eo quod ipſa abſolutè declarauit (quod maximè eſt ſe celebrare Immaculatam) ſit res de fide tenenda.

Pro eodē facit quod contradicentes doctrinæ datæ à Sixto IV. vocas hæreticos, inquiens eadem Diatribâ 1. [Ex his infertur multos Cyriacorum fuiſſe, aut etiam nunc eſſe hæreticos : nam multi eorum etiam poſt Sixtum IV. inficiati ſunt eam propoſitionem moralem, *Pium eſt ac probabile Beatam Virginem eſſe conceptam ſine peccato originali*, quam tamen propoſitionem Pontifices ex cathedrâ loquentes (ideſt obligationem omnibus fidelibus ſic ſentiendi, & nullatenus ſugillandi ſic ſentientes) annuente Concilio Tridentino œcumenico, tradiderunt ; in quo docendi modo Pontifices non ſunt obnoxij errori.] Et rurſum. [Manifeſtè ergo Cyriaci iſti qui ſimile quid à Sixto traditum negantes, refragantur Pontificibus ex cathedrâ docentibus, atque adeò in hæreſis caſſes ſe induunt.] Ex quibus & ſimilibus dictis huius Auctoris, perſpicuè notatur eum de fide certum dare, non ſolum quod Eccleſia Romana ſolemnizat Feſtum Conceptionis vt immaculatæ, ſed per conſequens ad ipſum tradere de ceteris, quæ docent Pontifices in iiſdem Bullis in quibus agitur de tali celebratione : Quare cum ſimiles, & clariores doctrinas expreſſerit ſanctiſſimus Alexander in hac Bullâ, eas item de fide cenſendas hic Auctor aſſerit, & confirmat ea quæ nos decreuimus quęſtione primâ per vndecim Diuiſiones. Nec dubitamus quod alij Doctores in hanc eandem veniant ſententiam, cum plures à nobis conſulti ità aſſeuerauerint, alioqui ſi quæ ſtatuit & declarauit ſanctiſſimus Alexander in hac ſuâ Bullâ nutant, & oportet eum denuò conſulere, & rogare vt dicat an in iſtis dictis loquutus ſit vt Pontifex, vel ſub aliâ formâ, non firmâ, quæ ſi interceſſit, validè vrgebunt Aduerſarij quod hæc Bulla ſit ſuperuacanea ; quod valdè abſurdum eſt ſomniare, ne dicam aſſerere ; nam recurrere ad hanc tanquam doctrinam priuatam, eſt dictum replicatum, & ſemper damnatum.

Solùm obiicies, Pontifices etiam vt Magiſtri Eccleſiæ aliqua ſæpè docent Eccleſiam, non definiendo, ſeu merè aſſerendo, atque hæc talia ſæpè nonniſi probabilitate maiori pollent ; vndè quæ tradit de Eccleſiâ Romanâ in celebratione Conceptionis Virginis, æſtimanda ſunt dicta aſſertiuè, non definitiuè.

At nulla obiectio, quia cum hæc doctrina ſit tradita ad firmandam Conceptionem Immaculatam, eámque defendendam ex Feſto Romanæ Eccleſiæ, ſi ea per meram aſſertionem Pontificiam tradita fuiſſet, firmitatem aliam non potuiſſet adipiſci, niſi antiquam : vnum enim aſſertum Pontificium per merum aliud aſſertum nullam firmitatem tutam venari poteſt, ſed neceſſarium eſt definitiuum ; alioqui etiamſi procederetur in infinitum in iſtis confirmationibus aſſertiuis, & ſemper hæreretur in eodem. Nec rurſum ex his doctrinis poſſet Chriſtiana fides venari certitudinem, ſed dubitationem formidoloſam quæ omne pium exercitium frigeſcere faceret, cum liceret practicè dubitare de veritate rei cultæ. Et hæc ſatis ſint pro certiſſima veritate declarationis expreſſiſſimę ſanctiſſimi Domini noſtri, quod de fide inferatur eſſe quod Romana Eccleſia celebret, & colat Feſtum Conceptûs Deiparæ vt immaculatæ.

DIVISIO IV.

An ſit de fide Catholicam & vniuerſalem Eccleſiam ſentire Conceptionem Virginis fuiſſe Immaculatam.

1. POSITO quod ſtatuerimus de fide eſſe, quod Eccleſia Romana ſentiat Immaculatam fuiſſe Conceptionem Deiparæ, eáque præceperit ſub hoc ſenſu eam celebrari à cæteris omnibus Eccleſiis, videtur non inuenienda eſſe difficultas in definiendo quod hoc ipſum ſit dicendum de Eccleſia vniuerſali, & Catholica, & quod ſimiliter ſit de fide certum, quod Eccleſia Catholica ſentiat Immaculatam eſſe, & fuiſſe Conceptionem Dei Parentis, ſaltem in celebratione eius Feſti ; cum quicquid ſentit Eccleſia Romana, & docet cæteras Eccleſias, cenſendum ſit ſentire vniuerſam Eccleſiam Catholicam. Ex altera verò parte aliquis poſſet de hac re dubitare, an hoc ſit neceſſarium in præſenti ſenſu, in quo oporteret dicere, quod quando Sixtus IV. inſtituit Feſtum Immaculatæ Conceptionis, & per Extranagantem, *Graue nimis*, declarauit Eccleſiam Romanam ſentire in hac celebritate Deiparam

patam conceptam sine maculâ originali; temporibus ijdem fuisset verum dicere, quod Ecclesia Vniuersa Catholica hoc ipsum sentiret, cum de cætero videatur quod non statim cæteræ Ecclesiæ amplexæ sint hunc sensum.

2. In qua re ità discurrendum est, vt supponatur, quod in iis, quæ de fide tenendis censet Ecclesia Romana, quæ est Cõgregatio Cleri, & populi Romani sub Pontifice suo Romano, qui fuit Petrus, non Episcopus solius Romæ, Sed Episcopus omnium aliarum Ecclesiarum, eamdem auctoritatem habens in alias Ecclesias, quas habet Romæ; in iis inquam omnibus quidquid de fide censet sentiendum Ecclesiam Romanam, idipsum de fide esse tenendum, & teneri à cæteris omnibus Ecclesiis Reipublicæ Christianæ, & de facto censendum est esse de fide in Ecclesia Vniuersa Catholica, quia nusquam auditum est hoc monstrum; neque item fictum, quod in Ecclesia Romana aliquid sit de fide tenendum vt certum, & non sit similiter certum in aliis Ecclesiis; quod autem quidquid Romana Ecclesia censeat tenendum; tenere debeant, & teneant Vniuersæ Ecclesiæ particulares, & Vniuersa Catholica, licet id teneat non definiendo; liquet ex iis, quæ tradunt Doctores in materia de fide, & maxime temporibus nostris constat ex iis, quæ scita sunt de Ecclesia Babylonica, ex qua à Patriarcha Babylonico Legatus missus fuit, Adam nomen, vir doctus apud suos, & valdè pius ad Summum Pontificem Paulum V. vt eruditetur illa Ecclesia de credendis. Vndè monitus Paul. V. misit Româ aliquos è Societate Iesu, & alium doctum virum è Franciscana Familia, qui viserent illam Ecclesiam, in quâ inuenerunt sensum indubitatum ab immemorabili tempore ab eis seruatum, quod quidquid sentiret Ecclesia Romana, præsertim in credendis de fide, id omne esset de fide tenendum; vndè cum propter distantiam ab Vrbe Româ errores Nestorij, & Eutichetis in eam Ecclesiam irrepserint, nec ab eâ Legati missi potuerint Romam appellere, & doceri de veritate Catholicâ; statim ac sensêre Babylonij eos detestatam fuisse Romanam Ecclesiam, ij pariter detestati sunt. Ità autem scribit Frater Thomas Nouariensis de sensu auctoritatis, & infallibilitatis doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, apud illam Ecclesiam sentiri, prout legi potest in descriptione Sanctæ Mariæ Maioris, editæ ab Abbate Paulo de Angelis, pag. 215. vbi is notat in quadam Epistola ad Illustr. Dom. Petrũ Strozzam Pauli V. à secretis, se in concessu Babylonicorum Sacerdotum, & Præsulum interfuisse, eosque interrogauisse, & responsum accepisse in hunc modum. Creditisne Illustrissimi & Reuerendissimi Patres, Romanam Petri Sedem, in quâ in præsentiarum Paulus V. Pontifex Maximus sedet, supremam esse Christianorum omnium; cuius auctoritas tanta sit, vt quidquid in terris ligauerit, ligatum sit & in cœlis, & quidquid in terra soluerit, & in cœlis solutum sit, cuique aliæ omnes obedientes esse debeant? Omnes aperto capite dixêre, *Naam*, ideſt ità. Cuius in argumentum ipsi libros suos antiquos aliquot, in quibus hæc omnia continerentur, proferre parati erant; Quæro ego, Benedicitisne vos cuicumque illa benedicit, & cui maledicit, maledicitis? Responderunt etiam eisdem verbis. Vos quidquid illa de fide Christi Domini docet, & acceptat, docetis, & acceptatis? Ità inquiunt.] Et deinde refert eos dixisse. [Si hæc docent Nestorius ac Theodorus, quæ in Libello suo notat Pontifex, & nos illi diras, inquit, imprecamur, & excommunicationis, si iam illam non subiissent, pœnas, infligimus ac imponimus.] Et deindè refert. [Atque ità statutum est (scilicet in illo Conuentu) Sanctissimo Domino Nostro respondendum in hunc modum, se neque iis erroribus assentiri, nec aliis quibuslibet, in fide, quippe qui eamdem planè, quam Pontifex omnium Pater ac Magister in credendo Christianorum præscriberet legem, ac normam fidei perfectè sequi vellent.] Et rursum testatur. [Audiui concinentes alterno choro inter preces alias plus centum versiculis pro Romano Pontifice, à quibus cum quæsissem, & quid singulis annis tale quid facitarent, facere se dixerunt quotannis idem pro Sede Romanâ Apostolicâ, & Romano Pontifice, idemque sæpè aliàs in celebrioribus huiusmodi temporibus.] In Epistola item Eliæ Patriarchæ ad Paulum V. apertè dicitur ab eodem. [Et non obsistam, sicuti reliqui Hæretici contra præceptum Sanctorum Apostolorum, & Patrum Orthodoxorum, qui affirmauerunt, quod Sedes Romæ Magnæ teneret principatum, & ipsa est caput omnium Sedium, absit à me: Sed fateor quod Ecclesia Romana sit Mater Ecclesiarum, & qui hoc non ità fatetur, sit anathema.] Et deindè pergit agnoscere Babylonicam à Romana ortam fuisse, & ab ea pendere, inquiens. [Et Sedes nostra Babylonica non ex se electa est sicuti aliorum Hæreticorum, qui sine lege multiplicauerunt Patriarchas in mundo sine Sede Ecclesiæ Magnæ Romæ, sed ex præcepto Papæ, & ex Consilio Ecclesiæ Romanæ electa est Sedes Babylonis, & ità scriptum inuenitur in Annalibus apud nos, quod videlicet Patres Orientales Romæ ordinabantur; sed factum est postea vt cum mitterent homines propter confirmationem in itinere interficerentur, & cum diù hoc fecissent, omnes peribant; hoc autem Ecclesiæ, & Pontifici narrato, consilio inito decreuit, & dixit, ordinemus eis Patriarcham, & permittamus vt Patriarcham sibi eligant, ne in via intereant propter confirmationem.] Et deindè. [Sic itaque accepimus potestatem, & non à nobis ipsis aliquid fecimus.] Et alia plura in hanc rem ibi leguntur. Quæ omnia ostendunt cæteras Ecclesias, & vniuersum sequi sensum Romanæ directæ à Pontifice, & transfundentis sensum in alias.

3. Sed hac in re aduertendum præterea est, quod non solum in fide tenendis quidquid Ecclesia censet Romana, censet Vniuersa Ecclesia Catholica, sed etiam in iis omnibus, in quibus etsi non de fide, tamen magis probabiliter æstimet, & iudicet, & cæteris Ecclesiis mandet Ecclesia Romana, vt magis probabile æstiment id reuera, & taliter cæteræ Ecclesiæ & vniuersa Catholica sentiat, & id ipsum censendum est, & æstimandum de fide esse, quod sit magis probabile: Quare quando Concilium Viennense decreuit magis probabile esse, quod infantes in Baptismo recipiant habitus supernaturales infusos; de fide fuit, quod magis probabilis esset hic sensus, & certum est, quod

eo tempore Vniuerſa Eccleſia vt magis probabilem eam ſententiam amplexa eſt, & amplecti debuit, & cenſenda fuit ſtatim amplexata dictum ſenſum de maiori probabilitate, quod pueri in baptiſmo reciperent habitus ſupernaturales infuſos præter gratiam ſanctificantem. Quare quando Pontifex vnam aliquam ſententiam, vt Pontifex amplectitur, & eam docet Eccleſiam, etiamſi illam non decernat de fide, quemadmodum vſuenit in caſu noſtro, & aliis compluribus, nihilominus non propterea ea non eſt dicenda omninò Vniuerſalis Eccleſiæ, quia Vniuerſa Eccleſia ſentit id, quod ſentit Romana, eo modo quo ipſa ſentit, videlicet ſi certo de fide cum eadem certitudine, ſi cum maiori probabilitate (& certè illud ſentit cum maiori probabilitate, quod amplectitur; ſi enim magis probabile non ſentiret non amplecteretur, vel reijceret, vel actum ſuſpenderet) cum maiori item probabilitate cenſere deberet Vniuerſa Eccleſia, & de facto ſolita eſt cenſere, etſi quidem aliquando vna vel altera, aut plures Eccleſiæ particulares ab hoc ſenſu recederent, vel Schiſma interueniret, vel ſi Schiſma verè non eſſet, vt fortè contigit in ſenſu Græcorum, quod Spiritus Sanctus non procederet à Patre & Filio, ante deciſionem Concilij Florentini, id certè eſſet, quia iſtiuſmodi ſenſum cum maiori probabilitate Pontifex non faceret conſtare, neque præciperet Vniuerſæ Eccleſiæ ità tenendum.

4. Præterea ſciendum eſt, quod quando dicitur, quod quidquid Pontifex docet Eccleſiam, etiam in non certa fide tenendis & declarat Eccleſiam Romanam tenere, Vniuerſa item Eccleſia teneat; hoc intelligendum eſt, ſi ea, & vniuerſæ eius particulares Eccleſiæ benè ſe gerant, & regulariter loquendo præcisâ ignorantia, aut alia deflexione à recta regula; & rurſum quod quidquid tenet Eccleſia Romana, non aliter ſentiant de facto cæteræ Eccleſiæ, & quo ad ſpecificationem eiuſdem ſint ſensûs, licet non quoad exercitum, quia debent æſtimare eam non errare. Vndè quia aliqui ex noſtris Aduerſariis cenſuêre erraſſe, vel peccaſſe, ſequentes Eccleſiam Romanam in inſtitutione Miſſæ, & Sacrificij in honorem Conceptionis, damnati ſunt erroris, & erroneas declarauit eorum propoſitiones Sixtus IV. quod alij Pontifices, & Concilium Trid. itidem ſanciuerunt, ità ſentiendum eſſe. Vndè ſi in hac re noſtra aliquæ Eccleſiæ tempore Sixti IV. non celebrauerunt Conceptionem Virginis, quod mihi ignotum eſt, ſi ſcilicet non egerint tale Feſtum, vel in aliquibus earum auctum non ſit; non propterea dicendæ ſunt aliter ac Sixtum ſenſiſſe, videlicet, quod benè eſſent inſtituta Miſſa, & Officium in honorem Immaculatæ Conceptionis; eſto de reliquo alium ſenſum priuatum haberent, & ſiquidem celebrauerunt Feſtum Sanctificationis in ſenſu Maculatæ Conceptionis, deliquerunt loquendo ex obiecto, provt vidimus cum grauibus Doctoribus in Opuſc. 2. & fusè oſtendit Calderonius cap. 13. à num. 9. & alij apud ipſum cum Ciſmontana item Familia.

5. Vltimò aduertendum eſt, quod in materia diuini, & Sanctorum cultûs, quidquid tenet, & præcipit Romana Eccleſia cæteris Eccleſiis, id tenere & ſeruare cenſendum eſt omnes alias, citra deflexionem à recta regula, & Vniuerſam Catolicam ſequi in hac re cultum diuinum à Romana ſeruatum vel ſaltem illi contradicere non poſſe, neque repugnare eius ſenſui in hac re: eſto priuatæ perſonæ permittantur ab ipſa in alium ſenſum abire; & ratio eſt, quia in hac materia Eccleſia Romana, quia docet cæteras Eccleſias, & Vniuerſalem, non poteſt, errare; poſſet enim exponere errori, & traheret ad errorem Vniuerſam Eccleſiam in re grauiſſimâ, & quoad ſanctos mores, quod repugnat aſſiſtentiæ in ea promiſſæ Spiritus Sancti, vti communiter tradunt Doctores, & alibi fuſiùs oſtendemus. Quare ſaltem in hac materiâ certum eſſe debet quod quidquid ſentit Eccleſia Romana, illudque tradit ſentiendum cæteris Eccleſiis ſine vlla tergiuerſatione in contrarium, idipſum debeat dici, quod ſentiat cætera Vniuerſa Eccleſia.

6. His præmiſſis, Dico, quod videatur ſimiliter dicendum, quod modò poſt Bullam SS. Alexandri VII. nuper editam, de fide ſit Vniuerſam Eccleſiam in celebritate & ſolemnitate Conceptionis Virginis ſentire Deiparam Immaculatam fuiſſe in ſua Conceptione, neque peccatum originale actualiter contraxiſſe, ſed ab eo præſeruatam fuiſſe.

Probatur manifeſtè Concluſio, quia certum eſt Eccleſiam Vniuerſalem celebrauiſſe, & celebrare à tempore Pij V. Conceptionem Virginis, & rurſum certum eſt de fide, ex declaratione Summi præſentis Pontificis, quod celebrata fuit, & celebretur ſub ſenſu Immaculatæ; ergo ſimiliter certum eſt de fide, quod Vniuerſa Eccleſia ſentiat in celebritate Conceptionis Virginem fuiſſe ab originali præſeruatam. Nam idem eſt celebrari ſub ſenſu Immaculatæ ab Vniuerſa Eccleſia, & Vniuerſam Eccleſiam in hac celebritate ſentire Conceptionem Virginis Immaculatam. Maior patet ex ſenſu, & ſcientia Vniuerſæ Eccleſiæ conteſtatæ ab omnibus Doctoribus, & fidelibus ſcribentibus, & aſſentibus, vbique celebrari Feſtum Conceptionis Deiparæ. Minor patet ex verbis expreſſis Pontificis Sanctiſſimi præſentis dicentis. [Decreta & Cõſtitutiones editas in fauorem cultûs Conceptionis eiuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam, vt præfertur exhibiti, innouamus.] Vbi certum eſt ipſum declarare ab Vniuerſa Eccleſia, non in vna particulari, vel ſola Romana coli Conceptionem Virginis in hoc ſenſu. Quod autem modo de fide ſit hunc ſenſum haberi ab Eccleſia Vniuerſa, conſtat ijſdem argumentis, quibus id oſtendimus de Eccleſia Romana, quia eadem certitudine conſtat Eccleſiam Vniuerſam ſentire in celebritate Conceptionis Conceptionem Dei Matris Immaculatam: quo conſtat hunc ſenſum habere Romanam in eadem celebritate, ſed Romanam hunc ſenſum habere in dicta celebritate, eſt certum de fide; ergo certum de fide item eſt, quod Eccleſia Vniuerſa in celebritate Conceptionis ſentiat Virginem in Conceptu ab originali Immaculatam, & præſeruatam.

7. Secundò probatur Concluſio à priori, quia quidquid cenſet, & declarat ſentiri Pontifex in Romana Eccleſia, illudque in ea approbat, taliter ſentiri, non ſolum pro ea approbat, ſed pro Vniuerſa Eccleſia, & eo modo, quo ſentiri ait in Eccleſia Romana,

eodem

eodem debet censeri, quod dicat sentiri in Vniuersâ Ecclesiâ: nam Bullæ Pontificiæ, per quas hic sensus Pontificius, & declaratio eius habetur, non explicant magis pro Ecclesiâ Romanâ; quasi ipsa sic intelligat, & intelligere debeat, & non cæteræ, & ipsa Vniuersalis Ecclesia: quando ergo constat de fide esse certum ex declaratione Pontificis, quod Ecclesia Romana sentiat Immaculatam Conceptionem Virginis, de fide etiam censendum est, quod constet Vniuersam Ecclesiam ità sentire; nam si aliqua Ecclesia aliter sentiret, in hoc errarer, & semper verum esset dicere, quod Ecclesia vniuersa ità sentit, benè scilicet regulata & iuxta id tenens, quod debet sentire. Id quod potest patere in casu dicto de Babylonicâ Ecclesiâ, quæ sentiens, sicuti sentiebat Ecclesia Romana, licet materialiter errauerit, non propterea non erat in Ecclesiâ Catholica aggregata, nec ante recognitionem erroris poterat dubitari; v.g. quod vniuersa Catholica Ecclesia censuerit de fide vnam personam in Christo esse, & non duas, licet de cætero Babylonica in errore materiali putauisset in Christo duas esse personas. Quod dictum sit, vt ostendatur, quod etiamsi ante Pium V. non Vniuersa Ecclesia Catholica celebrauerit Conceptionem Immaculatam; nihilominus Vniuersa Ecclesia ità debebat celebrare, & si aliter celebrauit, ex errore sic celebrauit; & quamquam Pontifices non puniuerint aliter celebrantes, non propterea eorum celebratio & sensus, quem habuissent, oppositum sensui Romanæ Ecclesiæ non erat indebitus, & illegitimus, & repugnans sensui Vniuersalis Ecclesiæ, vt modò declarauit SS. Alexander, qui statuit semper in sensu Immaculatæ celebrauisse præsertim post Sixtum IV. Dei Ecclesiam, eamque Vniuersam, quæ scilicet rectè celebrauerit.

8. Probatur tertiò Conclusio: quia cum prius in Ecclesiâ Vniuersali, aliqui celebrarent sub nomine Sanctificationis, prohibitum fuit, vt alio nomine quàm Conceptionis, quis, aut quæuis Ecclesia vteretur; & scitum est omnes Ecclesias sub tali solo nomine celebrasse: Quare cum SS. Dominus in hac Bullâ clarè expresserit, quod secundum sensum Immaculatæ, & in fauorem huius sensûs, & ad ipsum explicandum mandata fuerit vsurpatio huius nominis; omninò declarauit hunc sensum seruatum, & seruari debere in Ecclesiâ Catholicâ, atque adeò declarauit expressissimè Vniuersam Ecclesiam in præteriro, & præsenti ità sentire in celebritate Conceptionis Virginis; & cum hæc sit expressa eius declaratio, nec aliquid plus requiritur ad hoc vt pateat, quod declaratio hæc sit certa de fide: cum hæ declarationes tunc sint propriæ Pontificis, quando eas ipse facit vt Pontifex, sine terminis dubiis, vel dubietatem admittentibus, & cum formâ omnimodæ certitudinis, nihil eis deest, vt censeantur factæ cum certitudine fidei; nam censentur factæ cum illa certitudine, quam habet vt possit tradere Pontifex, & Pontifices de sensu Vniuersalis Ecclesiæ, cuius ipse est instillator, & Magister, & introducens, atque adeò vt potens eas certificare, & vt certificans eas, scilicet vt summus certificator, atque adeò, vt de fide certificans: Et perconsequens manet certum, quod de fide constat ita esse, sicuti ipse declarat; Quare certum de fide manet Ecclesiam Vniuersam in dicto sensu esse.

9. Probatur quartò Conclusio, quia quicquid in hac Bullâ declarat Pontifex de sensu habito ab Ecclesiâ Romanâ, & ità illud declarat ab ea haberi vt simul declaret haberi ab Vniuersali Ecclesia; nunquam enim scitur in Ecclesia hoc monstrum, quod id quod dicit Pontifex sentiri in Ecclesia Romana, non simul declaret sentiri in Vniuersali Ecclesia, & in re communi Ecclesiæ Romanæ, & cæteris Ecclesiis, qualis est celebritas Festi Conceptionis.

10. Probatur quintò Conclusio, quia quando Pontifex confirmat hoc Festum Conceptionis celebratum, & celebrandum sub hoc sensu Immaculatæ, non confirmat illud pro sola Ecclesia Romanâ, vt contradistincta ab Ecclesiâ Vniuersali, sed omninò confirmat illud pro totâ Ecclesiâ Vniuersali; at in hac Bulla confirmat hoc Festum sub hoc sensu, vt celebratum, & celebrandum; ergo illud confirmat sub hoc sensu celebrandum ab Ecclesia Vniuersali; sed si confirmat illud vt sic, non sola Ecclesia Romana, sed tota vniuersalis celebrat, & celebrare debet sub hoc sensu; ergo omninò ea vniuersalis declaratur habere hunc sensum. Maior patet, quia quando Pontifex ait, [Constitutiones & decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præseruatam, necnon in fauorem Festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur exhibiti, innouamus, & sub censuris & pœnis in iisdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus.] In his inquam verbis, dum confirmat Festum sub sensu Immaculatæ, illud non confirmat pro sola Ecclesia Romana, sed pro tota Ecclesia Catholica; nam ad totam Ecclesiam pertinet, & directa est hæc confirmatio, & obligat vniuersas Ecclesias, quod nemo nisi impius negauerit. Minor probatur, quod scilicet, confirmet hunc sensum Immaculatæ, vt Festum eius sit celebrandum sub hoc sensu, quia iam declarauit supra in hoc sensu celebratum ab Ecclesia Romana, & secundum hunc modum & sensum ait, se velle rei fauere, dicens, [Volentésque laudabili huic pietati (quam supra explicauit, vt aliàs vidimus initio huius Appendicis) & deuotioni, & Festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultûs institutionem, nunquam immutato Romanorum Pontif. Prædecessorũ nostrorũ exemplo fauere, nec non tueri pietatem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, præueniente scilicet Spiritus sancti gratia à peccato originali præseruatam.] Vbi euidenter celebrationem hanc secundum sensum Immaculatæ confirmat, & apertè se loqui ostendit de vniuersali celebritate, non verò de sola particulari Romanæ Ecclesiæ, vt contradistinctæ ab vniuersali, vt diximus. Quare apertè decernit, declarat, &

confirmat hoc Festum vt sic celebrandum, & vt sic celebrari à tota Ecclesia Vniuersali. Quo posito, patet subsumptum, quod actus celebrationis secundum hunc sensum non sit restrictus ad solam Ecclesiam Romanam, sed ad Vniuersalem, & consequenter ea omnis sic celebrat, & habet ipsa tota Vniuersalis hunc sensum.

11. Sed dices, esto in celebratione tota Ecclesia Vniuersalis celebret, & celebrare debeat in hoc sensu ex hac Bulla, à qua non licet modò recedere, rem clarè explicante, extra actum celebrationis non est dicenda tota Ecclesia sentire, vel sentire debere secundum hunc eumdem sensum Immaculatæ.

12. Ad quod dico, quod nobis hoc sufficit pro nostrâ Conclusione, in quâ quando dicimus de fide, vel secundum fidem sit, quod tota Ecclesia Vniuersalis sentit, & sentire debet Virginem Immaculatè concepram; non propterea censemus, quod extra celebrationem tota Ecclesia sic sentiat; sed de hoc præscindimus, modò acturi de hac re in sequentibus.

13. Addò hîc secundò, Summum Pontificem non solùm confirmare celebrationem secundum hunc sensum, sed ipsum sensum absolutè ex citatis. Nam confirmare se ait decreta Pontificum Sixti IV. Pauli V. & Greg. XV. [Edita in fauorem sententiæ asserentis animam B. Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritûs sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præseruatam.] Vbi non loquitur de hoc sensu coarctato ad Festum, de quo deinde addit. [Necnon in fauorem Festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis secundum piam istam sententiam.] Sed de hoc sensu sermonem habet absolutè habito præciso etiam Festo, vt patet. Ex quo potest inferri, quod ipse ex hoc declaret sensum Immaculatæ absolutè esse totius Ecclesiæ, licet hîc non definiat quod sit de fide, vel secundum fidem tenendum, vt suprà notaui; sed per vim consequentiæ infertur, vt certo concludendum Theologicè; esto aliqui in oppositum velint opinari; quod an possint meritò asserere, videbitur infra, cum ipse Pontifex ad hæc addiderit, iam omnes ferè Catholicos hunc sensum fuisse amplexos, quo ostendit totam Ecclesiam ità sentire; nam si ad omnes Catholicos aliqui desint paucissimi, & ferè nulli in comparatione ad Vniuersam Ecclesiam; non videtur inde tolli, quod Vniuersa Ecclesia sic sentiat. Cui nostro dicto subscripsisse videntur nostri Aduersarij, qui loquentes de tali statu, in quo nunc est sensus de Immaculatâ, illum dicunt fore totius Ecclesiæ, vt apparet in primo Libellatore §. 3. qui voluit, quod si sensus & appellatio Immaculatæ Conceptionis absolutè concederetur Ecclesiæ, ea deueniret ad statum, in quo tota ipsa, exceptâ vnâ Familiâ, diceretur eum habere, verba eius alias notauimus in Confirmationibus certitudinis Immaculatæ suprà positis, quæ hîc aptè quadrant, & ostendunt Aduersarios pro hoc tempore nobis manus dedisse: Sunt autem sequentia. [Insensibiliter eò deueniret negotium (si scilicet præstaretur, quod iam præstitum est per SS. Alexandrum VII) vt Vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem Præseruationis, tamquam certam & ab Ecclesiâ definitam.] Et ex iam approbante & impellente, licet non definiente SS. Alexandro VII. tota Ecclesia habet hanc veritatem veluti certam, & ab Ecclesiâ quasi remotè definitam. Vndè iam tota potest dici habere hunc sensum, esto Fratres Prædicatores aliter sentiant; nam ipsimet Aduersarij fatentur, quod Vniuersa Ecclesia possit dici habere hunc sensum, etiamsi Fratres Prædicatores desint; cum ergo in præsenti constet nonnisi Fratres Prædicatores obstare huic sensui, si tamen modò obstant (puto enim saltem interius, complures iam non obstare in tantâ declaratione Pontificiâ) debet benè posse dici totam Ecclesiam sentire pro Immaculata.

14. Sed dices secundò, ex hac Bulla, & antecedentibus Pontificiis, non potest dici quod Ecclesia Catholica, & vniuersalis celebret, & sentiat Immaculatam Conceptionem: nam in hac Bullâ, neque est verbum, quod indicat eam sic celebrauisse, nec quod præcipiat sic celebrari; in reliquis autem Bullis nihil tale dicitur, aut præcipitur, & in præsenti non nisi præcedentes confirmantur à Pontifice, quoad sensum Immaculatæ; nam de reliquo etsi aliqua alia addantur à SS. Alexandro, non pertinent ad dogma, sed ad mandata, quibus præcipit obloquutionem contra Immaculatam, eámque in dubitationem, & disputationem ponere, & his similia.

15. At nulla est hæc obiectio, etsi enim neque hic Pontifex, neque priores in actu signato verè non dixerint Ecclesiam Catholicam sentire, vel celebrare Conceptionem Immaculatam: tamen tum priores Pontifices, tum ipse Dominus noster Alexander VII. in actu exercito declarauit hoc ipsum, & hoc ipsum itidem antecedentes Pontifices declarasse testatur. Nam primò, vt constat ex Bullâ hac maximè, Sixtus IV. declarauit dignum, quin potius debitum fuisse referre Deo gratias pro Immaculatâ Conceptione, & hoc ipsum debere sentire, & de facto sensisse ostendit Ecclesiam Vniuersalem, si in aliquem actum externi cultûs processit, nec iuxta oppositam sententiam potuit operari, esto aliqui contumaces & contra agentes ab eadem Ecclesiâ tolerati sint, vt rectè contra eos inuectus sit Catharinus à nobis alias citatus; id quod perspicuum est primò quia declarauit antiquitùs fideles secundum hunc solum sensum celebrauisse, nullâ facta mentione celebrationis legitimæ in oppositio sensu, vel in eo simplicis Sanctificationis etiam à S. Thoma approbato; quo ostendit, & ostendere intendit præsentem cultum, qui deindè traditur ab ipso vt totius Ecclesiæ, ab antiquo processisse. Et secundò idem ostendit, notans hunc cultum secundum sensum Immaculatæ auctum in omni ferè Ecclesia Catholica tempore Sixti, cum id ante Sixtum IV. testata sit multitudo Patrum in Basilæa, qui dixerût ex eo tempore ante Sixtum, [Tam per Romanam, quàm peralias Ecclesias 6. Idus Decembris antiqua, & laudabili consuetudine celebratur.] Et tertiò fatetur adhuc magis auctum ex Religioso Ordine, Confraternitatibus, & Indulgentiis concessis, & acceptis in Vniuersa Ecclesia, vt patuit ante Gregorium XIII. quando cuncta videbatur

batur conspirare in hoc sensu. Quartò dum tradit, & confirmat in fauorem Immaculatæ, vtendum nomine Conceptionis Missæ Sacrificio, & diuinis Officiis, neque ipse, neque Gregorius decimus-quintus; dubium esse potest quod loquantur de mera Ecclesia Romana, sed omninò patet eum loqui de Ecclesia Vniuersali, cui hoc præceptum datum est sub pœna excommunicationis ligante cunctos Præsules, Presbyteros, & Clericos Ecclesiæ Catholicæ Vniuersæ. Ac tandem sextò patet, quia hanc vniformitatem sensûs Immaculatæ, dum tradit se cupere in Christi grege, certè non loquitur nisi de Ecclesia Catholica Vniuersa, & complectente quemlibet Catholicam fidem, quem optat in hoc sensu fitmari dum ait. [Cupientésque in Christi grege vnitatẽ spiritûs in vinculo pacis, sedatis offensionibus, iurgiis, amotisque scandalis conseruare.] In quibus stultus est, ni impius, qui diceret Pontificem loqui de aliqua sola Ecclesia, vel de sola Ecclesia Romana, vt contradistincta ab Vniuersali, & Catholica. Quare ad euidentiam videtur constare concluſum; nec obiectionem vllum habere locum.

QVÆSTIO TERTIA.

De certitudine fidei concedendâ, vel negandâ sententiæ Immaculatæ Conceptionis.

PLura veniunt discutienda in hac Quæstione, & primò videndum est an possit dici sententia Immaculatę Conceptionis definita de fide. Id quod quæritur, vt ostendatur, nullum esse caput illam dicendi definitam de fide, & vt notentur capita, quæ reuerà nulliter possunt prætendi hoc ostendere; nec non vt aduertatur quis error sit eam dicere definitam de fide. Secundò discutitur an si hæc sententia non possit dici definita de fide, possit nihilominus æstimari sine definitione certa de fide. Tertiò quæritur quis error sit eam dicere certam de fide. Quartò controuertitur, an notare sententiam affirmantem maculam originalem in Virgine iudicio merè interno, illóque propalato, sit prohibitum sub pœna excommunicationis, vel mortale peccatum.

DIVISIO PRIMA.

An possit dici definita de fide sententia de Immaculata Conceptione Deiparæ, & quis error sit eam dicere definitam de fide.

1. POsse dici definitam sententiam de Immaculata Conceptione, persuaderi potest primò, quia dicitur eam terminasse Alexander V. de quo Bernard. de Bustis in Sermone quarto de Conceptione sic scribit, testante Salazario in testimoniis Patrum, sæculo 15. initio. [Petrus de Candia ex Ordine Minorum ad Pontificatum summum euectus, & Alexander V. denominatus, Immaculatam Virginis Conceptionem approbauit in 3. sentent. dist. 3. & existens in Pontificatu hanc opinionem dicitur terminasse in Ciuitate Pisarum anno Domini 1411. atque statuisse, vt ab omnibus teneri deberet: Vndè Magister Ioannes Varro in 3. dist. 3. inquit Sanctissimus Dominus Papa Alexander Quintus approbauit opinionem Minorum, quod ad Immaculatam Virginis Conceptionem attinet.] Huius item confirmationis Pontificiæ meminêre varij Doctores, & eam notant recentiores, quæ quidem scripto habita non est, sed solum viuæ vocis Oraculo, nec aliquid de hac re statuendo pro vniuersali Ecclesia; nam nihil tale profertur ab Auctoribus, sed certè magnum quid fuit, quod discussa sententia de Immaculatâ oretenus, à Pontifice approbata sit: sic relatis addit Salazarius de verbis citatis Varronis. [Quæ ego etiam in præfato Ioanne Varrone relegi. Ceterum existimandum non est prædictum Pontificem piam opinionem definiuisse, aut determinasse, sed tantum approbasse, aut sine iniuria fidei defendi posse auctoritate Pontificiâ sanxisse.]

2. Efficacius tamen persuaderi potest secundò hæc definitio Immaculatæ, ex damnatione

propo

propositionis 69 Michaelis Baij facta à Pio V. & Greg. XIII. quæ dicebat, [Nemo præter Christum est absque peccato Originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum &c.] Quare cum damnata fuerit hæc propositio, quæ est contradictoria sententiæ de Immaculata, videtur ipsa definita.

3. At maiori pondere rationis potest hæc Conclusio probari, ex eo quia eam fidei approbationem, & decisionem videtur habere hæc sententia, quam habet Canonizatio Sanctorum; sed Canonizatio Sanctorum putatur continere decisionem de fide; ergo similiter Immaculata Conceptio, cum eamdem habeat approbationem, quam solent habere Canonizationes sanctorum, similiter existimanda est habere definitionem fidei. Minor patet ex multitudine Doctorum, qui in præsenti hanc sententiam amplectuntur, quemadmodum & eam amplexi prius fuêre alij antiquiores, prout latè scribit Castellinus de Canonizatione Sanctorum, & alij in materia de fide. Maior probatur, quia summam approbationem, quam habet Canonizatio Sanctorum non est alia, nisi quod in ea probetur Sanctis cultus per Sacrificium Missæ Deo oblatum, & in vniuersa Ecclesia extensus, sed hic idem datur, & datus est per Bullam Sixti IV. quæ incipit *Cum præexcelsa*, Immaculatæ Conceptionis; ergo per hanc concessionem, & institutionem Missæ, & Officij ei dati, videtur habu isse Immaculata Conceptio eamdem approbationem ab Ecclesia, quam habet Canonizatio Sanctorum. Et cum hæc ab aliquibus pleno ore dicatur continere decisionem de fide, quod hic, vel ille Sanctus gratia sanctificante sit præditus, & mortuus sit in fide, spe, & Charitate: Similiter videtur continere decisionem de fide, quod Virgo fuerit Sancta in sui Conceptione, cum per institutionem Missæ, & Officij in honorem sanctitatis eius, pro tali signo appareat testata eiusmodi sanctitas, ac proinde Immaculata Conceptio. Id quod videtur expressius ab Alexandro VII. in præsenti, quando declaratum est, & definitum si non de fide, saltem secundum fidem celebrare Ecclesiam Romanam Festum Conceptionis secundum sensum de Immaculato Virginis Conceptu, & secundum eum offerre Sacrificium Missæ, & ordinasse, & vsurpare Officium Conceptionis, & olim dignè vsurpasse Officium Nugarolicum, in quo expressè Immaculata Conceptio frequentius iteratur, & conclamatur, quod item in præsenti iterum approbatur ab ipso Alexandro Sanctissimo Domino nostro.

4. Quod argumentum maiorem vim debet habere in sensu ipsorum Aduersariorum, qui volunt expressè Ecclesiam Catholicam non celebrare nisi certam, & indubitatam sanctitatem, nec posse celebrare non certam secundum fidem. Quare cum modò declaret Summus Pontifex Ecclesiam Romanam, & per consequens Catholicè celebrare Sanctitatem Virginis pro primo instanti animationis eius, hæc sanctitas relinquitur ex hoc ipso indubitata, & de fide, & si stat eorum dictum, omninò sequitur consequentia. Ex quo appareat, quàm futilibus assumptis sententia maculans Virginem, suum sensum confirmare tentat, cum tamen eiusmodi sua assumpta ità proferat, tamquam si essent dogmata fidei, prout affert illud præsens, & modo ex declaratione nuperrima Pontificis inueniuntur esse errores apertè damnati. Audiatur secundus Libellator sæpe reiectus, quemadmodum de hac re loquatur: Eius verba §. 23. registro. [Sed Ecclesiæ Sanctæ fixa est, & perpetua consuetudo colendi non nisi certam, & indubitatam sanctitatem, quod pro cõperto habent Sanctus Bernardus, Sanctus Ildephonsus, & Sanctus Thom. qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis Sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat; numquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam; hoc enim adhuc est indefinitum: atque ideò dubitationi subiectum: qui aliter dixerint, videant, quomodo Hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.] In quibus decernit non posse non esse certam, & indubitatam, & non definitam sanctitatem ab Ecclesia cultam, & propterea reijcit à cultu sanctitatem non definitam. Quare cum hæc sanctitas Virginis pro primo instanti declarata sit culta in Ecclesia Catholica ab Alexandro VII. ea iam ab Aduersarijs tradi debet vt certa, indubitata, & definita: Quid habent, quod dicere possint Aduersarij in hac re, apud quos hæc doctrina licet falsa adoleuit. Audiatur alius Libellator typis non datus, is in obiectis, quæ contra suam sententiam affert, hanc doctrinam primi Libellatoris esse Aduersarijs certam profitetur; sic enim ait. [Obijciunt quintò tritum illud & vulgare quod in ore omnium notatur, non coli posse quod sanctum non sit, neque festiua solemnia de aliquo celebrari quod felicitate non præstet, diuinitate non fulgeat, vt Sanctorum Festa nos monent: de quibus publicè celebrari solemnia Religio est, nisi prius ab Apostolica Sede Sanctorum albo sint adscripti, ac in fortunatorũ numerum coaptati: Cum ergo Ecclesia Catholica Festum Conceptionis celebret, Romanique Pontifices de solemnitate illa agenda decreta tulerint, euidentissimè colligitur Conceptionem Beatæ Virginis sanctam & ab omni labe peccati originalis immunem; ac proinde quod contendunt, ab omnibus Immaculata nuncupandam.]

5. Respondet autem is quatuor modis huic argumento, & in omnibus semper manet apud ipsum certum, quod Ecclesia colat sanctitatem certam; vndè digreditur ad eludendam vim argumenti, quod in celebritate hac Conceptio Virginis non colatur, sed solùm de ea gratiæ reddantur; vel secundò quod colatur sancta non in primo instanti, sed pro primo & proximo. Tertiò habet, quod obiectum cultùs primarium in hoc Festo sit mera Sanctitas Virginis, secundarium verò sanctitas pro primo instanti Conceptionis suæ, atque hoc posse esse opinabile. Et tandem quartò respondet tradendo, quod credita sunt in triplici specie, vel de fide, vel piè, vel opinabiliter credita, & ea primi generis, vel secundi vult esse obiectum cultùs Ecclesiæ, non verò tertii, qualis est Conceptio Immaculata: Quare semper vult obiectum primarium cultùs Ecclesiæ debere esse certum, vel de fide, vel alia proxima

certitu

certitudine præditum ; vndè in tertio modo respondendi habet de hoc primario obiecto, quod modò cóstat ex Alex. VII. esse Cóceptionem Immaculatam, in Festo Conceptionis in hæc verba, *Illud est certum certitudine fidei.* Et in quarto modo respondendi de dubijs obiectis (in quibus numerat Immaculatam) scilicet in comparatione cum certis. Quartus modus respondendi est, [Credita in triplicem classem debere distingui : quædam enim sunt fide credita, vt fidei articuli ; quædam piè credita vt Crucis inuétio, S. Michaëlis Appatitio: quędam opinione credita, vt opinabilia omnia quæ in Scholis diuersorum studio asseruntur. Hæc autem latissima differentia ad inuicem comparantur: primi enim generis omninò certitudine gaudent quæ ad secundam classem aliquâ certitudine pollent, quæ verò in vltimo gradu collocantur, omni prorsus carent & destituuntur.] Et de hisce vltimis habet. [Hæc obiectum cultus esse nequeunt, neque Religionis, quæ autem sub primo, & secundo gradu comprehensa sunt, hac dignitate potiantur.] Ex quibus aperte constat absolutum obiectum cultus apud Aduersarios semper fuisse certum, vel certitudine fidei, vel saltem apud alios ipsorum certitudine proxima illi fidei: Vndè modò constat, quod si velint consequenter loqui, debent dicere, quod decisa, & declarata Immaculata Conceptione, vt absoluto, & primario obiecto cultus secundum amplexatam sententiam ab Ecclesia, deberent dicere, quod remaneat hic sensus definitus de fide, vel proximè eis certus secundum alios ipsorum, quod secundum omninò recipimus, licet primum modò controuertimus, & de eo iam decisionem ponimus.

6. Prima Conclusio. Non est censenda definita de fide sententia de Immaculatâ Conceptione B. Virginis.

Hæc Conclusio debet esse certissima, quia eam confitentur vnanimiter omnes Doctores, & vniuersa Resp. Christiana, quæ hanc definitionem expetit, & expostulat à Summo Pontifice summis votis, quamque exorat vniuersa præsertim Hispania, & Hispaniarum Rex Catholicus Philippus III. exoptauit, & professus se maximè exoptasse, & pro cuius definitione fassus est, si oporteret, eas omnes expensas subministrare, quæ forte requirerentur à Summo Pastore ad conuocandum Concilium Vniuersale, nisi is vellet eam de fide sine Concilio definire, & propter eius definitionem impetrandam, si aduentu suo Romam, eam esset impetraturus, idem Rex Catholicus fassus est se non dubitaturum, ad Summi Pontificis pedes se prosternere omni animi demissione, ità enim dixisse scribit Salazarius in præfatione ad ipsum Philippum III. §. vltimo, inquiens. [Promittens si eius causa, si ità oportunum esset, Romam venturum, vt Conceptionis illius Immaculata puritas tanquam certum, & constans fidei dogma vbique gentium proclamari possit : atque ità seriò, & ex animo promittens, vt profectionem istam Virgo ipsa pro facta æstimet, atque in obsequij sibi omninò iam præstiti loco ponat.]

Quæ item vota simillima apparent, & sunt in Philippo IV. item Rege Catholico, votorum Patris piissimi dignissimo hærede, & Filio. Quo patet (vti sexcentis aliis argumentis euidens est) non esse locum controuersiæ de definitione quasi habitâ per Romanum Pontificem de Immaculatâ Conceptione.

7. Probatur autem Conclusio manifestè ex variis assertionibus, & declarationibus Pontificiis perspicuis, in quibus hanc veritatem non esse adhuc definitam de fide replicatur ; & primò in secunda Extrauag. *Graue nimis*, Sixti IV. in quâ dicitur, [Cum id non sit à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ Sede decisũ.] Et sermo ibi est de dicto, quod hæretica, & peccati mortalis rea ab aliquibus dicebatur sententia maculans Conceptionem Deiparæ. Quod ipsum confirmauit Alexander VI. qui hanc Bullam de verbo ad verbum recitat, & hanc veritatem supponit, vt certam, dicens. [Donec per Sedem Apostolicam aliter decisum, & ordinatum fuerit.] Et Pius V. in Bulla *Super speculam*, in idipsum venit, inquiens. [Quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata.] Cui subscribit Paulus V. in illa *Regis Pacifici*, addens. [Cum nondum id esset à Romanâ Ecclesiâ, & à Sede Apostolicâ decisum.] Et inferius. [Donec à Romana Apostolica Sede huiusmodi controuersia fuerit definita.] Et in Decreto Generalis Inquisitionis sub se edito. [Donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Apostolicam Sedem fuerit aliter ordinatum.] Quod ipsum iisdem verbis repetitum in decreto alio sub Greg. XV. qui scribens Philippo III. Regi Catholico profitetur se non definisse, neque definitum fuisse hunc articulum, sequentibus verbis. [Ne quid tamen noui tanta in re decernatur, in præsentia monet, tum negotij magnitudo, tum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplum ; Spiritus sancti enim voci auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in diuina sapientiæ Cathedra Christiano Orbi à Deo præfecti sumus. Quare cum nondum æterna sapientia Ecclesiæ suæ tanti mysterij penetralia patefecerit, ijs Dei, Romanorúmque Pontificum auctoritate debent fideles populi conquiescere. Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces Maiestatis tuæ, tantumque negotium iterum, accuratiúsque pensauimus, aliquod tibi, regnisque tuis solatium afferre cupientes. Tum autem valdè timuimus, ne veterator ille serpens, qui boni malique scientiam propriis Parentibus pollicens, maximis humanum genus miseriis cumulauit, ipsius pietatis armis abutatur ad Christianæ plebis pacem dirimendam. Quæ enim opinionum dissentio est, fieri potest animorum contentio, dum magnificum victoriæ genus plerisque videtur, vbi quid in controuersiam venit, de aliorum ingeniis triumphare. Quare dissidiorum semina extinguere cupientes, antequam asperior in istis Prouinciis pullulet zizanij prouentus, ingeniorum peruicaciam, libertatémque disserendi Pontificio decreto coërcendam censuimus. Ex eo, & ex dilectis Filiis nobilibus Viris Oratoribus tuis Comite Montis Regij, & Duce Alburquerque mentem nostram vberius cognoscet Maiestas tua. Cum enim nobis regiam petitionem elegantissime exponerent, luculenter

intelligere potuerunt, quàm inuiti refragemur, & quàm alacriter semper gratificaturi sumus tanto Regi, quem Europæ ornamentum, & Catholicæ Ecclesiæ gaudium esse arbitramur.]

10. Quibus Pontificiis dictis, expressissimè suffragatur tandem nuperrimè SS. Dominus noster Alex. VII. qui in hac sua Bulla professus est perspicuè de hac controuersia nullam prodidisse definitionem Pontificiam, dum dixit. [Cum à Romanâ Ecclesiâ, & Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus.] Atque hæc sufficiant pro re certissimâ; solum hic interrogari posset, quinam error esset existimare, vel pronunciare, quod Immaculata Conceptio sit in Ecclesiâ, vel fuerit definita de fide, de quo pono secundam Conclusionem.

11. Secunda Conclusio. Si quis diceret Immaculatam Conceptionem esse definitam de fide in Ecclesia, stultam, & erroneam propositionem effutiret.

Probatur Conclusio quod hæc propositio esset stulta, quia falsò, & nullo imaginabili fundamento potest hæc definitio ostendi vnquam facta; quare eam asseuerare nonnisi stulti hominis esset insciti crassissima. Quod autem rursum hæc propositio sit erronea, liquet manifestè, quia contradicit assertioni expressæ Pontificis, cuius interest has definitiones scire, & Ecclesiæ signare, & cum hoc asserat vt Pontifex, nonnisi erronea erit propositio quasi contradictoriæ suæ assertæ quæ tandem hæretica non videtur dicenda, quia eam non tradit Pontifex sub anathemate, vti moris est, nec sub terminis, quibus videatur tale quid voluisse definire de fide, & eiusmodi propositiones suis assertionibus contrarias in hac materia Sixtus IV. erroneas vocat; non hæreticas, vt patet in suis Extranag. Quare videntur hæ similem illis contradictionem continentes dicendas esse à nobis & simili, non alia censura; si tamen quis hæreticas esse velit, promat insignia expressa hæretici dogmatis, nec nos refragabimur eius dictis, qui in re non multi momenti immorari nolumus.

12. Solùm hic restat respondere primis argumentis, vndè videtur inferri definitam esse Immaculatam Conceptionem; & quoad decisionem, quæ dicitur facta ab Alexandro V. de hac re, fides est penes illos Auctores, nec consonat cum tot oppositis, & dictis, & factis Pontificiis, eorumque discussionibus post Alex. V. & omninò dicendum est eam approbationem non aliam fuisse, quàm assertionem approbatiuam maximæ probabilitatis perspicuæ talis sententiæ.

13. Quoad secundum argumentum allatum ex propositionibus Michaelis Baij damnatis à Pio V. & Gregorio XV. certum est eam propositionem includentem originale in Virgine, non fuisse damnatam præcisè vt hæreticam, sed vt vel hæreticam, vel erroneam, vel vt temerariam, aut suspectam, aut notâ simili affectam; atque adeò ex hoc liquet contradictoriam Immaculatæ Conceptionis non posse dici definitam de fide: nec item propositio impingens originale in Virgine, ibi damnata est; quam certe constat permultam fuisse eo tempore ab eiusmodi Pontificibus, sed disiunctiua sequens, quod mors, & afflictiones in Virgine euenerint, vel ex veniali, vel ex originali, quæ longè diuersa est ab illa Immaculatæ Conceptionis, etsi hæc ab illa posset inferri, vt aliàs videbimus in Opusc. de rationibus pro Immaculata.

14. Tertium item argumentum ductum ex eo quod Immaculata Conceptio cum videatur habere celebrationem Missæ, & Officij, æquiualere censetur Canonizationi Sanctorum, habet sufficientem, & adæquatam solutionem; nam Canonizatio Sanctorum in tantum sanctitatem virorum Dei potest relinquere definitam de fide, in quantum includit expressam, vel tacitam talem definitionem solitam de reliquo exprimi in Bullis; nam de reliquo hac præcisa, si in honorem alicuius sancti viri Missa celebraretur, non propterea de fide certum definiri censeretur, quod ipse mortuus esset in gratiâ: sed solum moraliter certum, quod confirmatur ex eo, quod dubia speculatiua non damnantur in Ecclesia in aliqua sententia, nec ipsa definitur, nisi ea omninò pateant soluta; & benè permittuntur, etiamsi de reliquo sit sententia in Ecclesia certa, ità vt non possit esse falsa, prout aliàs videbimus.

DIVISIO II.

An sit censenda, vel possit censeri aliunde de fide certa Immaculata Conceptio.

1. NOn patet quis sub hoc titulo idem controuerti, quod *prius*; nam longè diuersa est hæc quæstio à primâ; non enim est idem aliquid esse definitum de fide à Summo Pontifice, & esse absolutè de fide; multa siquidem possunt esse de fide, etiamsi non definita de fide à Pontifice, vtpote quæ habeantur in Ecclesia, vel ex scripturis, vel ex traditione, vel ex lumine aliquo superueniente, quod ei obuenerit; vndè ipsa agnouerit tum ex Scripturis, tum ex traditione, vel aliis reuelationibus, & miraculis, tam apertè constantibus, vt dubitari non possit de veritate aliquâ, vt reuelata, prout contigit in Synagoga initio Ecclesiæ; vel tandem ex aliquo sensu vniuersali, in quem venerit Ecclesia ex dictamine Spiritus sancti, quæ cum non possit vniuersè errare, ex hoc consensu tam vnanimi, tum Doctorum, tum Episcoporum, & fidelium, cum Summo Pontifice censeretur esse de fide tenenda, cum hic consensus vniuersalis horum omnium videatur æquialere definitioni Pontificis, & Conciliorum per supereminentiam.

2. Pro qua re sciendum est complura in certitudinem fidei prouenisse in Ecclesia decursu temporis, quæ vt talia non fuêre initio iudicata, & in hanc certitudinem prouenisse sine definitione fidei facta expresse à Pontifice:

tifice,sed quia ea in Scripturis Vniuersa Ecclesia post tempus agnouerit contenta, & ex iis ea intulerit, & de fide tenenda asseruerit; cuius rei habemus exemplum in sententia,quæ mille annos tradit conuersationi Christi Domini cum Sanctis in hoc mundo, vel ante, vel post iudicium,quæ aliquam probabilitatem testatur habuisse suo tempore Augustinus de Ciuit.Dei lib. 15. capite 15. & modo ea,vt hæretica habetur, cum ex scripturis pateat nullo modo dandam esse hanc moram inter iudicium & ascensum Sanctorum in cœlum; nec Sanctis vlla mora detur in terris simul cum Christo,neque alius eius aduentus agnoscatur per longum tempus in terras extra visiones aliquas particulares, & per modum transeuntis factas ab ipso Christo Domino in suo corpore, quæ omnia prius incerta ex sensu Ecclesiæ Vniuersalis declarata sunt certa fidei certitudine; sic notat Suares, in millenariis apertè 3.p.disp. 5. sect.8. & tom. 3. de gratia,habet, quod quamquam sententia de habitibus supernaturalibus concessis pueris in infantia baptizatis, fuerit in controuersia, tamen ab ipso dicitur in se considerata fuisse dogma fidei, & ab antiquissimis Patribus,vt talis agnita sine definitione Pontificis, & ante Concilium Trid. & aliud quodlibet, provt videri potest apud ipsum Suarem 3. tomo de gratia, lib. 1. cap. 2. n. 2. pro quo adducit Vegam; & tradit ibi doctrinam vniuersalem, quod multa sunt in Scriptura reuelata, & ex se certa certitudine fidei, quæ in controuersia fuêre, vel esse possunt, in discussionem posita, quæ deinde sanis intellectibus pateant ibi contineri; quod si non contingit, statim percipi ab omnibus, id certè decursu temporis obtinetur, & tunc nemo dubitare potest;quod si Vniuersa Ecclesia deueniat ad huiusmodi sensa, quidquid sic vniuersaliter amplexatur certitudinem fidei, quam in se primo tempore habuerit,per longum decursum ostenditur, & patefiat ex isto vniuersali consensu Ecclesiæ,id quod sua proportione animaduerti potuit in controuersiis habitis cum Hæreticis diuersis temporibus;nam ante Decisiones Pontificum, & Conciliorum, Doctiores Viri aliqui, Hæreticorum assertiones priuato nomine hæreticas pronunciabant, quia sensum Vniuersæ Ecclesiæ callebant, provt S. Augustinus contra Pelagium egit; cum satis certus esset de sensu totius Ecclesiæ, in quo maximè fundabat veritatem peccati originalis in posteris Adæ, & propterea eum improbabat hæresis ante definitionem Conciliorum, & veritatem originalis, vt de fide certum agnoscebat. Sic S.Cyrillus vt de fide certum dabat ante Ephesinum Concilium Maternitatem Dei in Virgine ex hoc ipso consensu, etiamsi de reliquo noluerit hæresis nomine, & excommunicatione mulctare Nestoris sententia inconsulto Pontifice,provt rectè aduertit Baronius.Id quod clarius apparuit in controuersia Nominis *IESV* adorandúmne esset, vel non;de quo cum agitaretur Quæstio Romæ apud Theologos, B. Ioannes Calpestranus ex Vniuersæ Ecclesiæ sensu,vel præsentito,vel cognito ante omnem decisionem, cum frequenti populo venit in Sanctam Vrbem, illúdque populo Romano præbuit adorandum, nullâ ratione repugnante Nicolao Pontifice, & aduertente sensum inceptum Vniuersalem Ecclesiæ videri præire suam decisionem,quem non nisi veneratus est, nec ea die quæstionem decidi voluit, & modo sine vlla definitione,vt certum habetur Nomen eiuscemodi adorandum omninò esse, tum voce, tum scripto editum.

3. Secundò certum esse debet, quod sæpè ex traditionibus immemorabilibus in Ecclesiâ, potest aliquo tempore haberi vt certum de fide aliquid quod antecedenti tempore positum fuisset in controuersia, & sine vlla definitione Pontificis illud agnosci ab Ecclesia, vt habitum per illas, & sic haberi in Ecclesia, vt de fide certum; cuius rei potest esse manifestum exemplum in sensu Patris Arriagæ, qui putat de fide esse modò in Ecclesiâ Dei, quod B. Virgo sit assumpta cum corpore in cœlum ex approbatione, & agnitione scilicet traditionis habitæ ab Apostolis. Quæ doctrina potest item valere in aliis receptis ab Ecclesiâ, vt ex traditione Apostolicâ traditis: sic ante expressas decisiones Pontificias,vndè habeatur Scripturas Sacras has,vel illas esse Canonicas, & de fide credendas,nisi ex traditione.Nec has traditiones esse Apostolicas primò decreuit, nisi sensus Vniuersalis Ecclesiæ præcesserit.Quare si semel consensus Vniuersalis Ecclesiæ non potest certitudinem fidei præstare suis assensibus,multa quæ de fide fuerunt ante Decisiones Pontificias, mutasse censendum esset circa hanc certitudinem, & præcipuè, quod aliqui libri essent Canonici, vt dixi, in quibus certitudo fidei complurium credendorum fundatur. Similiter veritas Sacramentorum, quis neget, ante decisionem Florentini, & Tridentini, quod certa fuerit de fide; nec aliud maius caput talis credibilitatis fidei habere potuit, quàm ex consensu Vniuersalis Ecclesiæ,& sic de sexcentis aliis.Vndè propterea dum in Symbolis dicitur, *Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam*, annuitur certitudo fidei quæ agnoscitur,& in eius vniuersalibus sensibus inuenitur, alioqui non esset tamquam particularis articulus hîc explicitè tradendus fidei populorum, omniúmque fidelium; nam principia fidei maximè ex traditione habentur, & traditio tota pendet, & habetur ex sensu Vniuersalis Ecclesiæ, & propter hoc specialissimè omninò est præstanda fides certa sensui Vniuersalis Ecclesiæ, alioqui ferè omnia nutabunt. Nutabit quod Sanctus Petrus Romæ habitauit, & Sedem suam sibi fixit, & ibi Caput Ecclesiæ constituit, sicuti aliqui Hæretici modò finxerunt; & ex hoc sexcenta ex fide nutabunt, quæ non nisi ex sensu Ecclesiæ Vniuersalis constant, & ex eo habent suam infallibilem certitudinem.

4. Tertiò sciendum quod aliquid posset incipere esse de fide tenendum in Ecclesiâ,si Deus per peculiares frequentes reuelationes,& miracula aperta, & manifesta, eaque valdè multa, & sine tergiuersatione visa vt à Deo operata, aliqua veritas confirmaretur. In tali enim casu dubitari non potest, quod posset incipere esse de fide aliquid, quod prius tale non esset;nam non aliter fundata est Ecclesia, & agnitus est S. Petrus, vt Caput Ecclesiæ, eiúsque prædicatores Apostolici Principes eius; nam alioqui vndè constare potuisset Principibus Sacerdotum, & Hebræis præsertim in variis Orbis

partibus Synagogam cedere debere, & cessisse Ecclesiæ Christi, & sicuti hæ reuelationes, & miracula fuêre sufficientia ad hæc fidei dogmata fide tenenda; ità si modo euenirent, præsertim in remotis à Pontifice partibus ad aliquid tenendum de fide, ibidem sufficerent. Sic scimus in variis Orbis partibus incæpisse fidem Catholicam ex eiuscemodi reuelationibus nouis, & sequentibus miraculis; sic quinto sæculo scitur, quod Christus Dominus in monte Oliueti, vndè ascendit in cœlum, apparuit, & ex tali apparitione, & miraculis, complures ex Gentilibus conuersos esse, narrat Baronius. In Indiis etiam simile quid euenisse dicitur, & in Iaponia nuper tale quid euenisse paucis ab hinc annis viri fide digni scripsêre ex Hispaniâ ex relationibus ad ea Regna allatis. In vitâ Venerab. Annæ Mariæ à S. Ioseph scribitur, quod ipsa diuinitùs transferebatur à Salmantica in quâ Monialis claustris Monasterij clausa viuebat, ad Indicas oras, ibique prædicabat fidem Christi Gentilibus, quos monuit vocare Patres Franciscanos sui Ordinis ad se baptizandos, & fide imbuendos, sicuti testatus est eius Confessarius Prouincialis Patrum Reformatorum ex eadem Franciscanâ Familiâ, qui eius vitam scripsit, & notauit eodem tempore ad Philippum III. Regem Catholicum, nomine illorum populorum postulationem missam Madritum, vt eiusmodi Prædicatores ad se mitterentur, provt videri potest.

Quæ dicta sunt, vt pateat, quod Ecclesia Dei fidem extenderit, & extendat peculiaribus reuelationibus, eaque si signa habeant diuinarum, quæ sufficienter ea, vt talia demonstrent, sicuti fuêre à Deo adhibitæ ad fidem plantandam, ità si complures sint, & sufficienter confirmatæ per vniuersalem Ecclesiæ sensum, qui eas haberet vt diuinas, dubitari non posset, quod certitudinem fidei præstarent obiectis, præcisè ex hoc solo quod vt diuinæ ab Ecclesiâ haberentur vniuersâ, quæ non posset in hunc sensum venire, nisi ex sufficientibus signis. Et vt hoc pateat, si pluries eueniret in variis Ecclesiæ Templis, id quod contigit Messanæ circa celebrationem Missæ, vel de Defunctis, vel de Confessore non Pontifice, mortuo S. Alberto in ea Ciuitate, & conclamante populo, vt in eius honorem Missa secunda diceretur; Clero autem contendente eam esse canendam, quæ de Defunctis: si inquam eueniret, quod sicuti ibi Angeli sunt auditi cecinisse Introitum sancti Confessoris non Pontificis, qui incipit, *Os iusti meditabitur sapientiam*: Ità canerent decisionem veritatis supernaturalis, & aliquam Antiphonam in casu nostro, de quo agimus, Immaculatam Conceptionem exprimentem, vt re enarratâ in Vniuersâ Ecclesiâ, ea illam vt diuinam agnosceret; quis negare poterit, quod ex isto sensu Ecclesiæ vniuersali colligeretur veritas certa de fide? Quo patet, quod ex diuinis Reuelationibus item instructa Ecclesia, eius indè sensus vniuersalis profectus, & eas, vt diuinas attestans, posset obiectis supernaturalibus præstare certitudinem fidei.

5. Quartò. Item supponendum est, quod si ex dictamine Spiritus sancti Vniuersa Ecclesia itidem veniret in eumdem sensum, vel adminiculo omnium dictorum capitum, quæ concurrerent, vel omnia, vel aliqua ad causandum hunc consensum, vel totum mota à Spiritu sancto simili modo, quo ducti sunt primi decem Patres Societatis IESV, Spiritu sancto afflati in Fundationem Societatis eiusdem conspirasse, & ex tali impulsu motos fuisse declarauerunt Pontifices, ità vt Suarius velit temerè id modò negari à quopiam, & eiusmodi pronunciationem esse censurâ notandam, necnon etiam eo modo, quo solet dici, *Vox populi, vox Dei*; quam propositionem confirmant Pontifices in Bullis Canonizationis Sanctorum, & propter quem populi consensum, & acclamationem sanctitatis alicuius viri maximè mouentur Pontifices ad sanctos Canonizandos; ex omnibus hisce modis si impelleretur Ecclesia Vniuersa ad aliquod iudicandum, pertinens ad supernaturalia, existimandum est, quod posset dare certitudinem fidei alicui propositioni, vel dogmati: quæ doctrina est Valentiæ tom. 4. disp. 2. quæst. 1. p. 2. laudata à Cismontanâ Familiâ in Armam. pag. 175. & 176. cuique subscribunt Recentiores Velasqu. Vega, & Neribergh, aliqua frequentissimè, & sumpta est ex antiquioribus Suario, Corduba, Valentia, Morales, Canisio Vasquez, Salmerone, Catharino, Bellarmino, Vincentio, Iustiniano, Ioanne Pineda, citatis ab Ægidio; quibus addit Cismontana dicta Mirandum in tr. Hisp. cap 81. & sequentibus; in Latino verò pag. 24. Franciscum de Torres ab initio lib. 3. Ioannem Guerrerum in suâ informatione, disc. 18. Hieronymum Aznar cap. 20. de purisl. Conceptione, Trucmium lib. 1. de miraculis Beatiss. Virg. cap. 2. & in Chron. Seraph. ad an. 1494. Adrianum Moërbecium in Scala purpurea, tom. 2. serm. in Festo Concept. pag. 127. Vuading. in Legat. sect 2. orat. 8. §. 7. pag. 230. D. Serran. Acernens. Episc. lib. 2. cap. 11. pag. 168. Et loco omnium registranda sunt quæ signanter dixerit pro hac re Valentia tom. 4. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. [Propter hæc iudicia fidelium Sedis Apostolitæ facillimè fieri potest, vt tota prorsus Ecclesia, nullis exceptis, persuadeat sibi veram esse hanc sententiam, id quod ipse arbitror aliquando futurum, etiamsi fortè hæc sententia expressè quidem nunquam definiretur: quod si acciderit, eo ipso redderetur secundum fidem certa.] Sed semper eueniret, tacitè confirmante Pontifice.

6. Quibus suppositis, censeri posse videtur alicui in præsentiarum sententiam Immaculatæ Conceptionis inueniri in eiusmodi statu, & peruenisse propterea ad certitudinem fidei, ex eo quod Summus Pontifex declarauit hanc sententiam amplexari ab omnibus ferè Catholicis, & Ecclesiam Catholicam vniuersam secundum eam celebrare Festum Conceptionis Deiparæ; itavt arithmeticè non videatur deesse huic sensui, nisi aliqui ex vna Familia, propter quod addidit Pontifex illum verbum, seu particulam exceptiuam, *ferè*; nam de reliquo exceptis aliquibus à populo paucissimis, eiusmodi Familiæ deuotis, eisque communiter mulieribus; neque vnus mediocriter doctus solet annui in vno Regno, qui contrariæ subscribat sententiæ, & post Bullam Alex. VII. quicumque Catholicus abhorrebit ab isto numero omnium Catholicorum segregari, qui

omnes

omnes dicuntur in Immaculata recenseri. Quare videtur hic rationabiliter dici posse, quod hæc sententia peruenerit ad statum sententiæ, quæ posset dici esse Vniuersæ Ecclesiæ, omniúmque Catholicorum, si non physicè, saltem moraliter: nam ad hoc vt vna sententia dicatur omnium Patrum, non est necesse vt arithmeticè omnes nullo excepto in idē veniāt, etsi ex ducentis Patribus desint sex, & octo, & decem, adhuc opposita sententia dicitur omnium Patrum; quemadmodum sententia de inculpatione Deiparæ dicitur omnium Patrum, licet ferè tredecim alibi nos numeramus, qui veniale ei impingunt. Sic omnes Sancti dicuntur resurrecturi in die iudicij, licet aliqui multi iam resurrexisse existimentur à compluribus Doctoribus. Et variæ sententiæ in Ecclesia Dei olim dictæ sunt esse sententiæ Vniuersæ Ecclesiæ, licet aliqui, imò aliquæ paucæ Ecclesiæ in comparatione ad vniuersam dicerentur oppositum sentire; sicuti cum Cornelio Romano Pontifice Vniuersa Ecclesia prohibebat baptizari denuò baptizatos ab Hæreticis, licet Chartagine septuaginta duo Episcopi cum Cypriano Martyre sentirent in oppositum, qui certè traxerunt suas Ecclesias in sui ipsorum sensum, vel ab eis tracti sunt. Quare certum esse videtur, quod ad hoc vt Vniuersa Ecclesia censeatur vnanimiter amplexari aliquam sententiam, parum interest, si aliquis paruus numerus huic vniuersitati desit, qualis videtur esse hic paruus vnius Familiæ non vniuersim conuenientis in eodem sensu; nam cum in hac Familia homines absolutè docti, & de reliquo communis doctrinæ cum iis, qui Doctorum gradu in Vniuersitatibus dignè insigniti sunt, vix soleant recenseri in quolibet Regno, in quo ipsa degit, triginta vel paulò amplius; vt degentibus in hoc Regno scimus huius Familiæ alumnis, & ex iis fortè quarta, aut tertia pars in Immaculatam inclinat, & fortè plures partes, si vnusquisque posset liberè sine timore alicuius notæ in suo Ordine quidquid sentit, aperire; redigeretur numerus contradicentium huic sensui vix ad paucos homines in tota Europa, qui communem doctrinæ laudem excederent; qui certè numerus ad illum solius Ordinis S. Francisci, diuisi in varias Classes, Conuentuales, Obseruantiæ, Tertij Ordinis, Reformatorum, & Capuccinorum, valdè minor apparet; cum Patres Franciscani in vno hoc Regno habere solent duas, & tres Prouincias, & in vnaquaque docti Viri numerantur complures, & sic in cæteris Regnis, & Prouinciis Vniuersæ Europæ, Indiarumque. Quare comparatus numerus hominum doctiorum istius Ordinis oppositam Immaculatæ sententiam amplectentis, cum illo Doctorum vnius solius Familiæ Franciscanæ in Vniuerso Orbe Christiano, apparebit is pauciſſimus; & certè comparatus cum hominibus doctis Vniuersæ Ecclesiæ, erit nullus, cum parum pro nihilo reputetur. Quapropter concludi videtur quod is non tollat, quominus hæc sententia dicatur ferè ad oculum Vniuersæ Ecclesiæ, ac proindè ex vnanimi fidelium consensu ità confirmata, vt peruenerit ad certitudinem fidei, id quod confirmare possunt ipsa Aduersariorum dicta, quæ nupertimè prodiēre in Libello primo supplici oblato pro tuendo quodam decreto, in quo titulus Immaculatæ Conceptionis vitabatur imprimi. vbi §. 3°. dicitur. [Intensibiliter eò deueniret negotium, vt Vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem Præseruationis tamquam certam, & ab Ecclesia definitam.] Vndè ad euidentiam concluditur, quod Aduersarij, quorum nomine hic Libellus porrectus, est, censeant quod si Vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum hanc amplecti sententiam agnosceretur, ea posset censeri tunc certa, & ab Ecclesia decreta ac definita. Quare solum restaret videndum, si ad hunc statum res peruenerit, & eius ad hoc peruentione cognitâ, iam secundum Aduersariorum ipsum assertum deberet posse dici certa, & ab Ecclesia definita hæc sententia Immaculatę Cōceptionis. Vndè notetur, quod hæc controuersia, quæ modò fieret, an in hoc inueniatur statu sententia Immaculatæ, non est extra metam controuertibilitatis de ea: eius autem decisio primò valdè mihi difficilis est ad partem affirmatiuam, tum quia SS. Dominus noster in Belgio dicitur totis auribus audiuisse, quod in aliquibus conclusionibus vna esset typis edita, in qua tueretur iam esse de fide certum, Deiparam fuisse sine macula in sui Conceptione, id quod prius ità sentiendum esse voluit Almainus de Potest. Eccl. cap. 16. Clithouaeus super Damasc. lib. 3. cap. 2. Titelm. Ioan. 2. quibus adhæsisse Parisienses habet Suar. in 2. To. 3. p. disp. 3. sect. 6. *Initio*. Et de reliquo valdè complura obstant, quæ non sinunt vllo modo eam dici posse de fide, vel secundum fidem.

Ad decisionem autem plura essent examinanda & stabilienda prius firmiter, & non merè opinabiliter; nam ex principiis opinabilibus non potest inferri conclusio certa, & primò videndum esset an Vniuersæ Ecclesiæ sensus esset sufficiens caput, quod posset præstare, & præstaret de facto illi sensui, cui ipsa tota inclinaret certitudinem fidei; & secundò deberet esse certum, quod ità sufficeret ad hanc certitudinem præstandam, vt non esset necesse ad certitudinem fidei dictam habendam, quod fideles, & docti viri haberent hoc iudicium dictum veluti directum, videlicet quod quando Vniuersa Ecclesia abit in vnum sensum, ex hoc ipso præcisè rei amplexatæ proueniat quod sit tenenda de fide, esto adhuc non cognoscatur quod sit de fide, quia non reflexit Ecclesia & fideles, quod ipsa in hunc statum venerit. Secundò debet firmari an præterea requiratur iudicium reflexum quo fideles agnoscant in aliqua re supernaturali Ecclesiam conuenisse, vel certitudine iudicij, vt quando res in Scripturis eluxerit, vel cum iudicio; quod obiectum in quo consentit Ecclesia sit magis probabile. Tertiò item debet firmari an hoc iudicium magis probabile sufficiat, vel requiratur aduerti, vt certa res, & obiectum in quo iudicando fideles concurrant, vel omnes Doctores. Solum huic resolutioni videtur opponi quod huius quæstionis resolutio non placebit SS. Alexandro, quia hæc causa est deuoluta ad ipsum.

7. Sed re profundius consideratâ, animaduerti perspicuè nulla ratione Summum Pontificem velle posse, quod saltem re non decisâ, non proponantur rationes, & ponderentur ad

videndum, an vel in communi, vel in particulari hoc caput sit sufficiens ad dandam certitudinem fidei huic asserto, & quale illud debeat esse, & sub quibus circumstantiis; nam hoc esset tollere viam ad discernendas veritates fidei, quod absit nolle Pontificem, cum maximè magnâ ratione hæc veritas in præsenti casu videatur discutienda, quando controuerti potest; an verè ea modo subsit sub tanto capite certitudinis, dum tot instantiis requiritur à populo Christiano, vt remaneat certa secundum fidem, & debet rectè constare, an tale caput, tam præcipuum sit aptum ad talem dictam certitudinem causandam; ex hac enim certâ cognitione, Sanctissimi Pontifices possent vel admittere petitionem, vel differre ex rationabili causâ, si tanta vis non esset huic principio, danda saltem ex vi ipsius, & vi cuius maximè requiritur certitudo fidei in Immaculatâ. Id quod in præsenti Bullâ maximè videtur habere locum, in quâ Vniuersa Ecclesia expressissimè decernitur celebrauisse, & celebrare secundum hanc sententiam Festum Conceptionis, & rursum omnes ferè Catholicos huic sensui suffragari Ex his enim declaratis apertè à Summo Pontifice statim apparet, & consurgit decidenda hæc quæstio, an hæc duo sufficiant ad dandam ipsi certitudinem fidei, esto hoc nolit decidere ipse Pontifex; qui non propterea potest existimari, quod nolit tale quid examinari à Theologis, à quo maximum lumen solet sumi propter certam cognitionem venandam similium, & huiùs veritatis.

8. Præterea vidimus, quod etiamsi decideremus, quod hic sensus Vniuersalis Ecclesiæ, & omnium fidelium det certitudinem Immaculatæ, non propterea hæresis, vel peccati mortalis damnaremus maculatam sentientes, & eiusdem hæresis, & mortalis ream talem sententiam; nam qui dicunt & decernunt de fide esse in Ecclesiâ Alexandrum VII. vel quemlibet alium antecedentem, aut subsequentem Summum Pontificem, ab omni Ecclesiâ cognitum, vt talem esse verum Pontificem, vt Episcopum Romanum totius Ecclesiæ Pastorem, qui ità dicunt, & decernunt; non propterea hæresis, vel mortalis peccati notant oppositum sentientes, vel sententiam oppositam notant hæresis, vel peccati mortalis, & sic in similibus, in quibus controuertitur, an aliquid sit de fide, & vtrinque sunt diuersæ sententiæ inter Theologos, vt patet in innumeris materiis, in quibus hæ controuersiæ frequentissimè exagitantur. Ex eo ergo pariter, quod nos decideremus quod ex hoc capite vniuersalitatis sensûs Ecclesiæ de Immaculatâ Conceptione, prouenerit ipsi certitudo fidei, non propterea dicendum est, quod nos ex hoc deberemus censeri, vel videremur censere, vel vllo modo neque directè, neque indirectè damnare hæresis, aut mortalis, aut impietatis sententiam oppositam; quia quando concluderemus eiusmodi sensui aduenisse certitudinem fidei, hoc non diceremus aliter, ac opinabiliter, & iuxta probabilitatem, & efficaciam rationum, non verò absolutè; nam nullo modo cum hac decisione diceremus, vel vellemus, quod in Ecclesia Dei modò hæc veritas sit de fide, sed solum dubitare ex obiecto posse hoc inferri opinabiliter, quod nos neque poterimus in hac re concludere, sed oppositum, propter limitationes tradendas huic vniuersitati sensûs Ecclesiæ circa Immaculatam Conceptionem, quæ non sinunt eam habere conditiones rei certæ de fide. Quare tutissimò rem discutiemus, & ex maiori reuerentiâ debitâ mandatis, seu meris placitis Sanctissimæ Sedis pro vtraque parte rem differemus, & aliis doctis viris à Sancta Sede præsertim deputandis, & ipsi Sanctissimo Pastori decisionem rei relinquemus: aduertentes quod etiam sine decisione Pontificis, vna veritas perueniat propter consensum Vniuersalem Ecclesiæ ad certitudinem; ad id non peruenit vnquam saltem sine tacito eius consensu, & placita conniuentia, quæ est quædam tacita definitio.

9. Deuenientes ergo ad hanc quæstionem aduertimus, quod posset omninò negari, quod vniuersalis sensus totius Ecclesiæ sit sufficiens caput, nullo obstante alio in contrarium, ad dandam certitudinem fidei alicui sensui; nam multa videntur in Ecclesiâ Vniuersâ recepta, quæ non habent certitudinem fidei ex hoc vniuersali eius sensu, quale est, quod Sancti Canonizati regnent in cœlo cum Christo, quod Sancti Petri Reliquiæ Romæ inueniantur; & sic de similibus aliis communiter in Ecclesiâ Vniuersâ receptis, quæ tamen ex hoc vniuersali sensu certitudinem hanc non venantur. Quibus adde quod si Ecclesiæ traderetur hæc certitudo fidei, videretur Summus Pontifex non esse solus Iudex, & trutinator harum decisionum, sed præter ipsum, & etiam ipso renuente, vel contrasentiente, haberi posse certitudinem in aliqua veritate ex Ecclesiæ sensu vniuersali.

10. At contra videtur omninò tradendum Vniuersæ Ecclesiæ, eiúsque sensui vniuersali, quod possit dari, & de facto dederit multis veritatibus certitudinem fidei, quia ex sensu Patrum, eorúmque declaratione in illud *Christi* Domini, *& Porta Inferi non præualebunt aduersus eam*, habetur quod Ecclesia non potest deficere vi quacumque ab Inferno posita, & hic defectus ab eâ abnegatur non solùm in voluntariis, sed in intellectualibus erroneis, & consequenter à Christo Domino exprimitur, quod ipsa tota, & Vniuersa nunquam inueniri possit quod erret, vel sit vnquam erratura in veritatibus supernaturalibus, etiam pertinentibus ad intellectum. Quando ergo certum est, quod Ecclesia in aliqua controuersia possit venire in aliquem sensum sine definitione expressa Pontificia, in ea dicendum videtur, quod si tota veniat, omninò debitis consideratis possit præstare, & de facto præstet alicui parti, quàm amplectatur certitudinem, & infallibilitatem fidei, essent allegandi in hoc loco Patres, & sensu Doctorum, & expositorum; sed hoc negotium aliàs in peculiari Opusculo de hac re fusius est agendum; & modo satis sit hoc argumentum præbilasse, & notasse eius magnam vim ex Sacra Scriptura detractam; nam etsi quis responderet forsan quod non esset absurdum Vniuersam Ecclesiam in aliquo non pertinente ad salutis necessitatem errare, is ex compluribus capitibus videtur stultè loquutus, qui saltem infamiam Ecclesiæ non videret inferre, cum maximè si admitteretur error sic Vniuersalis in Ecclesia in non necessariis

ad

ad salutem, appareret quod hoc vniuersali consensu non posset Pontifex dirigi, & moueri ad definitiones fidei, quod est falsissimum, & aliàs, vt dixi, maximè discutiendum.

11. Probari deindè potest secundò hæc veritas, quia de facto ad censendum de fide certum Beatissimam Virginem non commisisse veniale, non aliud requisitum est, quàm constare, quod hunc sensum habuerit Vniuersa Ecclesia, non enim aliud de ea decernit Concilium Trid. dicens, *Excepta B.V. Maria, quemadmodum de ea vniuersa tenet Ecclesia*: Vndè omnes Theologi ex hoc deducunt hanc veritatem esse de fide certam. Signum ergo est manifestum, quod vniuersalis sensus Ecclesiæ sit sufficiens ad inducendam certitudinem fidei in aliquam veritatem etiam præscindendo ab expressa definitione Pontificis; quare si sensus Ecclesiæ circa hanc nostram veritatem videtur, & apparuit prouenisse, inferri posse videtur, quod ei accesserit fidei certitudo; non enim dici potest, quod veritas de venialibus exclusis à Virgine non sit de fide, neque quod ea illata sit ex consensu vniuersali, cum eam ab illo euidentissime Tridentinum certam habeat, & declaret, quod aliàs latiùs discutiemus, & ostendemus; non enim quicquam valet, quod dicitur veritatem hanc fuisse definitam in Concilio Claromontano; nam nihil tale extat in eiusmodi Concilio, vt benè notat Neribergh in except. Concilij Trid. cap. 1. aduertitque malè pro hac citatione laudari Vegam, qui Caluino hanc citationem Claromontani tribuit, & improbat, non laudat; & rursum habet ex Suario, quod Tridentinum hanc veritatem directè non definiuit, sed eam supponit certè ex solo Ecclesiæ vniuersæ consensu; cui paritati difficile posse responderi videtur?

12. Tertiò hoc ipsum videtur patere, quia quemadmodum aliæ veritates, vno tempore dubiæ, progressu temporis factæ sunt certæ de fide ex isto vniuersali consensu Ecclesiæ, prout dicebamus de immediatâ cœli morâ Beatorum in cœlo post iudicium sine vllâ Christi cum Sanctis, qui ex hac vitâ discesserunt in mundo, & aliis similibus, & ex sensu Arriagæ de Assumptione Virginis in cœlum: ità perspicuum est, quod videatur valere paritas circa hanc veritatem.

13. Quartò probari potest idipsum à fortiori, quia non videtur quod circa hanc rem maiorem habeat auctoritatem Concilium Vniuersale, quàm habeat Vniuersa Ecclesia; cum certè Concilium sit quoddam minus Ecclesia, cum se habeat Concilium vt quid incluſum, & Ecclesia Vniuersa vt includens: ergo si Concilium vniuersale dat veritatibus fidei certitudinem, similiter dici debet, eam posse dare Vniuersam Ecclesiam.

14. Quintò hoc ipsum videtur patere, quia si veritates fidei censentur habere posse certitudinem fidei à Conciliis vniuersalibus legitimè congregatis; (in quibus traditur vt certum quod habeant Patres votum decisiuum) etiamsi desint in eorum numero plures, qui cum multo maiori parte non sentiant, & prout scribit Salazar. de certitudine piæ sententiæ cap. 43. §. 5. & vbi declaret quod ad Pontificem solum spectet declarare, si talis definitio Concilij legitimè peracta sit, & fidelibus reliquis proponat declarata huiusmodi esse de fide tenenda. Si ergo certitudo fidei propositionibus de supernaturalibus enunciantibus prouenit ex sensu etiam non omnium Patrum, sed maioris partis Concilij; quanto magis ea illi accedet, quæ habeat sensum totius, & Vniuersæ Ecclesiæ; id quod confirmatur, quia eatenus habent hanc vim decisiuam in definiendo, & dando certitudinem Patres in multo maiori numero in Concilio, vel quia repræsentant Ecclesiam, vel certè in quantù sunt virtus Concilij; quanto ergo maiorem vim, si non æqualem, debet habere in hoc ipso vniuersæ sensus Ecclesiæ. Audj, Lector, Salazarium dicto §. 5. [Aio igitur Episcopos in legitimo Concilio sub obedientia Pontificis manentes, & directionem ab ipso acceptam per omnia sequentes in declaratione sensûs Ecclesiæ Vniuersalis decisiuam, & definitiuam sententiam habere: vt quod omnes, aut plures ibi dicunt, ac sentiunt, is totius Ecclesiæ, aut maioris partis illius sensus infallibiliter censeri debeat. Ratio est in promptu, quia Episcopi in Concilio Generali congregati ex ipsius Christi institutione gerunt vices totius Ecclesiæ, & illius vicem portant, ità vt tota Ecclesiæ fides ad illos redacta sit: ergo quidquid ipsi ritè ac legitimè pronuntiant, in nomine Ecclesiæ pronuntiant, & ex consequenti, quidquid omnes, aut eorum pars maxima dicit, id tota Ecclesia, aut maxima illius pars dicere, ac sentire infallibiliter putanda est.

Sed contra hanc positionem sic argumentari libet. Id quod tota Ecclesia, vel maior illius pars tanquam verum in materiâ fidei reputat, non potest esse falsum, vt in superiori §. dicebamus: ergo dogma illud, quod maxima Episcoporum pars eo modo suffragiis suis declarauit, ante approbationem Summi Pontificis habet veritatem infallibilem, ac per consequens ante illam definitum, & determinatum iam est: ergo Pontificis approbatio vltetius necessaria non erit.] Vbi respondet, vt affirmamus, quod requiritur confirmatio Pontificis propter duo, scilicet vt per ipsum constet legitimè processisse Concilium, & illum ipsum publicare.

15. Sextò hoc ipsum videtur concludi magna perspicuitate in omnium Theologorum sententia, & in omni veritate, quia Concilia cum votis omnium Patrum, & illo etiam Pontificis, non sunt aliquid plus, neque dant, vel dare possunt maiorem certitudinem, quàm veritatibus supernaturalibus dat Vniuersa Ecclesia cum ipso Pontifice; ergo si prima dant certitudinem fidei, si non adæquatam, saltem inadæquatam, vt explicat benè Salazar. loco cit. quis dubitare potest quod saltem eamdem certitudinem infallibilem præstet veritatibus eisdem Vniuersæ Ecclesiæ sensus, qui includit illum Pontificis, seu votum eius, etiam ante, & in priori ad definitionem, quam ipse faceret. Anteced. videtur manifestum ex ipso lumine rationis; & quia non potest censeri, quod minor assistentia Spiritûs sancti sit circa hoc Vniuersæ Ecclesiæ, & maior sit illa, quæ adhibeatur ab ipso Spiritu sancto Conciliis: ergo si saltem habent æqualem assistentiam, non poterunt Concilia maiorem auctoritatem habere

ad

ad certificandas veritates supernaturales infallibiliter, quàm vniuersa Ecclesia.

Septimò probari posse videtur hæc veritas, quia si per impossibile Pontifex discreparet à sensu totius Ecclesiæ Catholicæ in aliquo iudicio veritatis supernaturalis, haberetur certè vt suspensus de Hæresi, neque eius definitionibus esset adhibenda fides; quippe qui appareret proditor potius quàm magister. Signum ergo videtur manifestum, quod sensus Vniuersæ Ecclesiæ dat infallibilem certitudinem veritatibus, à se amplexatis: nam si talem eis non daret, posset ipse discrepare à sensu totius Ecclesiæ, quod nemo dicit de Pontifice non suspecto de hæresi, quo confirmatur id, quod suprà dicebamus, quod maiorem, vel æqualem auctoritatem in hoc habet Ecclesia comparata cum Concilio, quod definierit vnam veritatem cum voto, non cum confirmatione dictatorum à Concilio. Nam graues Theologi dicunt, quod sine confirmatione Pontificis, Concilium non habet infallibilem firmitatem, & potest Pontifex illud non confirmare, quia liberè illud confirmat, & quando ei placet: sed ab Vniuersa Ecclesiâ nemo dicit, quod posset ipse discrepare. Quare omninò videtur tenendum, quod Vniuersa Ecclesia præstet infallibilem certitudinem veritatibus supernaturalibus à se amplexatis.

16. Octauò probari hoc ipsum potest, quia si Ecclesia Romana vniuersa, prout distinguitur à cæteris Ecclesiis, non potest deficere à fide, sicuti non potest deficere à fide Vniuersa Ecclesia, prout rectè notat Suarius, tract. de fide; atque hoc, quia Ecclesia Romana est electrix Summi Pontificis, & cum eo debet docere de credendis Vniuersam Ecclesiam Catholicam; vndè si transferretur Sedes Romani Pontificis ad aliam Vrbem, prout aliqui putant tempore Antichristi futurum, (quod ego non arbitror esse sufficienter probabile) quia Roma vniuersa comburetur, tunc ibidem transferretur hæc indefectibilitas à fide, multo magis dicendum est, quod Ecclesia Vniuersa non possit errare in suis sensibus, cum ipsa per suum sensum vniuersalem debet esse potior directrix Pontificis in ordine ad certas definitiones fidei: nam si hoc haberet ipsa, vt posset errare, non posset esse eius directrix in ordine ad tales definitiones, vti liquet ex re ipsa: Omninò ergo dicendum videtur, quod Vniuersa Ecclesia in iis, ad quæ inclinat vnanimi consensu fidelium, non potest deficere ex peculiarissimâ assistentiâ Spiritûs sancti, quàm in hoc debet habere. Si enim Spiritus sanctus promissus est sanctis in actu martyrij, seu quando sistuntur ante Reges, & Præsides in testimonium fidei Christi; itavt quicquid de diuinis in tali actu loquantur ex dictamine Spiritus sancti prouenire censeatur, iuxta illud. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: Vndè præcepit pro tempore Dominus, vt nolint Christi Confessores ante talem actum cogitare quid sint dicturi, dicens, *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*: Vndè præstita fides est S. Luciæ proferenti ex violatione Virginû inuoluntariâ, non amitti Virginitatis aureolam, sed duplicari coronam, quia in tali actu ex dictis Christi recensita est hoc dixisse ex dictamine Spiritus sancti: quanto magis Spiritus sanctus censendus est loqui in Vniuersa Ecclesia in vnum sensum conueniente, quæ constatur ex innumeris Sanctis, multisque ex iis in actu Martyrij sæpè degentibus, & in hoc sensu vnanimiter permanentibus, in quibus certè ipsa debet intelligi habere assistentiam Spiritus sancti; Et rursum cum hoc priuilegio non debet intelligi vnquam priuata ipsa in vniuersum, si membra eius in aliquo tempore eo gaudent; quo argumento vtuntur Pontifices in Bullis Canonizationis Sanctorum ad probandum Sanctos dignè definiri in cœlo degere, ex eo, quia si Dominus promisit duos vel tres in suo nomine congregatos, habituros eum in medio sui, qui non sineret eos errare, multominus denegaturum suam præsentiam multis in Ecclesiâ congregatis, quâ fulti, non sint in errorem lapsuri, atque adeo certam hinc habendam Canonizationem Sanctorum; quanto magis hoc dicendum est, quando in vno sensu vniuersa conueniat Ecclesia in ea, vt sic dicendus est assistere Dominus IESVS, non sinens eam errare.

17. Nonò. Quis non videt nonnisi ex directione, & dictamine Spiritus sancti posse prouenire, quod Ecclesia Vniuersa tota conueniat in vno aliquo sensu, quæ prius distracta fuerit in diuersos sensus, propter diuersas rationes oblatas præsertim sumptas ex variis capitibus Sacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, rationum, & aliarum auctoritatum, iuxta illud signum veræ Ecclesiæ, in quâ vnus est spiritus; quando ergo videtur, quod Vniuersa Ecclesia circa aliquem sensum, in quo prius sibi relicti Sacri Doctores erant diuisi, in idipsum conueniat; omninò hoc censendum est euenire ex vi Spiritus sancti, qui vnum spiritum illi communicat, & communicare potest; nam nulla talis communitas vnquam scita est, quæ in vnum intellectualem sensum conueniat, in quo erat prius acerbè diuisa, nisi superiori & diuinâ virtute. Cum ergo Ecclesia videatur vniuersa conuenire in vnâ quadam sententiâ, censendum est quod hoc non possit euenire nisi operâ Spiritus sancti; & per consequens comprobatur ex hoc, quod tale quid proueniat ab eo, & pateat, quod errori subesse non possit, & quicquid ab Vniuersâ Ecclesiâ post varia discrimina vniuersè complectatur, omninò infallibilem certitudinem obtineat?

18. Decimò. Hoc ipsum videtur patere, quia quando in hanc vnitatem sensûs tota Ecclesia progreditur maturo consilio, subtili, & longâ discussione, ex nullâ humanâ passione, Doctorum suorum omnium consensu, Prælatorum omnium, & Præsidum Ecclesiarum impulsu, Cleri vniuersi acclamatione, & perpetuâ directione, inuitatu, & frequenti discussione Summi Pastoris, peracto negotio hoc sedulò, & per sæcula, non potest intelligi, neque per vmbram imaginari quod Spiritus sanctus permissurus sit, quod sic sancte, prudenter, consideratè, & debens sequi; & sequens hortationem, & allectionem summi Magistri, incidat in errorem; quando si quis alius error in Ecclesiâ aliquando pullulauerit, ex oppositis causis irrepserit; & id contigit quia aliqui immaturo consilio, breui vel nulla discussione, &

inter

intermissione passionum humanarum, meliorum Doctorum relicto iudicio, vniuersaliori Præsulum contempto consensu, nec vlla acclamatione multitudinis Cleri, nedum communis sensûs populi Christiani; & super omnia, quia in eo aliqui recesserunt à sensu, doctrinâ, & directione Pontificis; quod signum est manifestum, quod aliter progrediendo, seu dicto modo non potest Ecclesia Vniuersa timere vllius erroris, & certa esse posset certitudine fidei de iis assensibus in materia reuelata, quas ipsa vniuersim præstaret ex obiecto pollere certitudine fidei, dum maximè ad eos præstandos impelleretur ex Scripturis, & ex communiter acceptata, & legitima interpretatione earumdem Scripturarum, ex antiqua traditione directa, & ex valde probabilibus, & multiplicibus rationibus.

19. Probari etiam potest vndecimò hæc doctrina tradita, quia Summus Pontifex in Ecclesia Vniuersa est constitutus Iudex, & Arbiter in illa, & ideò data est illi potestas definiendi, vt decideret dubia in illa, & componeret diuersos sensus fidelium in vnum; quando ergo ea in vnum conueniret, & certè ex operâ Spiritûs Sancti, vt vidimus, non indigeret in hoc arbitro & iudice, nec eum absolutè loquendo deberet adire ad decidendam controuersiam, quam non haberet, Vndè eum respiceret vt iudicem, & arbitrum, qui semper debet diuidere, seu discernere inter duo.

Neque, dicas quod deberet, & indigeret Ecclesia eum adire, vt id quod dubium reputaretur ab vnoquoque fidelium, imò ab omnibus collectiuè sumptis, ipse pro certo firmaret; nam posset is vel legitimè, & sine suspitione hæresis recedere ab eo, quod vniuersim Ecclesia sentiret, vel non; primum dici non potest, quia temerarium saltem esset ab eâ recedere, & Pontifex non posset decidere verum, id quod in sensu Vniuersalis Ecclesiæ est temerarium, vt liquidè constat; neque secundum dici potest, quia si Pontifex non potest ab hoc sensu recedere, nulla prorsus est necessitas ad eum recurrendi, quasi subesset periculum erroris; neque potestas ei data ad definiendum debet intelligi ei data propter talem definitionem præstandam, cum ea in tali casu non sit necessaria, & aliundè præstetur; vnde liquet Vniuersam Ecclesiam ex se habere, vt positis ponendis, quidquid ipsa senserit vniuersim, de fide teneri debeat certum.

20. Duodecimò. Id ipsum confirmari potest, quia tenetur Pontifex sequi iudicium Vniuersæ Ecclesiæ, etsi aliter facit, peccat mortalissimè (imò vt vidimus, aliter esset suspectus de hæresi) non potest ergo ipse arbiter circa ea, quæ amplectitur Vniuersa Ecclesia; nam nullâ maiori, & digniori, certiori, & adæquatiori regulâ potest dirigi in cognoscendo veritates de fide tenendas, nisi ista, quæ cæteras omnes comprehendit: Ergo cum teneatur vti optimâ regulâ, atque hæc sit ipsa Ecclesia, ipse non esset prima regula respectu totius Ecclesiæ vt sic; itaut si contrariaretur ipsi Ecclesia, deberet ipsi cedere, sed contra: Vndè pro certo habendum est, si contra ipsam iudicia promeret, mortalissimè peccaret, nec operaretur vt Pontifex, & magister, sed vel vt hostis, vel vt alienus ab Ecclesia, & ab eâ sequestratus, vt patet; & per consequens circa talia non posset ipse esse arbiter, cum arbiter non est in eo, in quo debet sequi necessariò iudicium alterius; & ille alter potius dicendus est talis iudicij arbiter; & sic cum Vniuersâ Ecclesiâ in tali casu esset primus, & proprius arbiter veritatum dubiarum; & quidquid ipsa iudicaret, certè esset ità firmum, quemadmodum firmum esset id quod decideret Pontifex.

21. Decimo tertiò hoc ipsum ostendi potest, quia si Concilium Vniuersale legitimè congregatum à Summo Pontifice, & cum præsentia Pontificis, & voto eius circa res statuendas de fide sine vllâ controuersia, præstat certitudinem fidei iudiciis à se præstitis circa recontrouersas in Ecclesia, & non requiritur alia eius confirmatio talium iudiciorum: si Vniuersa Ecclesia cum voto Pontificis in vnius veritatis iudicio conuenit vt potè vt sic, & ab ipso censenda sit & à Spiritu Sancto, & in ipso Spiritu Sancto congregata, non potest habere minorem auctoritatem in dando certitudinem fidei suis iudiciis; quàm habeat Concilium. Quare si ipsum præstat suis iudiciis certitudinem fidei, & ipsa itidem illud præstabit; id quod patet, quia Concilium cum Pontifice, vel repræsentatiuum est Ecclesiæ, vel stat loco Ecclesiæ; ergo non potest intelligi habere maiorem vim, quàm habeat tota Ecclesia in se ipsa; nam typon non est, neque potest esse maius prototypo.

22. Decimo quartò. Perspicua videtur fieri hæc veritas, quia si quis posset dici deesse ad certitudinem fidei præstandam ab Vniuersâ Ecclesiâ, maximè esset votum, seu vox Pontificis, & quia ea non potest dari controuersiis in fide sine eius voto, & consensu, sed is omninò includitur in sensu Ecclesiæ in vnum concurrentem ad aliquam veritatem controuersam; ergo nihil obest, neque deesse potest ad hanc certitudinem præstandam, si Vniuersa Ecclesia ad idem concurrit iudicium. Sequela patet, nam non potest assignari, aliud quod obsit in hac re: Minoris Sequela item videtur patere, quia non potest vna controuersia venire in eiusmodi statum, in quo Vniuersa Ecclesia in eumdem sensum concurrat, nisi annuente Pontifice, vel saltem conniuente; nisi enim concurreret in eiusmodi sensum, non sineret eam, quæ non nisi pederentim in talia iudicia vniuersaliter concurrit ad tales assensus præstandos: Quare omninò eos probaret, & approbaret, si non expressè, saltem tacitè, & sic nunquam aliqua veritas posset dici ab Vniuersa Ecclesiâ venari sibi certitudinem fidei, nisi mediâ approbatione Pontificis; quod erat ostendendum.

23. Decimo quintò. Hæc omnia videntur confirmari ex eo, quia in Concilio Tridentino exagitatum fuit à compluribus Patribus, vt Concilio eidem daretur titulus repræsentantis Vniuersam Ecclesiam; & quamquam in antiquis inuentum fuerit simulem titulum datum esse vni cuidam Concilo, nihilominus replicatis eiusmodi Patrum, valdè plurium instantiis, vt ei non daretur talis titulus, non quia ipsi non conueniret, sicuti de facto illum ei attribuunt Theologi, qui scripsêre post Concilium, prout videri potest apud Salazarium

loco suprà citato ; sed quia poterat hic titulus videri omnia ea tradere Concilio , quæ essent propria Vniuersæ Ecclesiæ, & inclinari ad sensum, quod Concilium esset supra Pontificem, & indè etiam venire in illud , quod independenter à Pontifice posset ipsum definire controuersias fidei ; & ad tollendam occasionem eiusmodi erroris , cum maximè eo tempore sub nomine opinionis exagitabatur , an Concilium esset supra Papam : & Suarius , & Bellarminus etiam suo tempore , vt quid opinabile hoc iudicium de Concilio supra Papam tradiderunt , quod modo à Theologis extra controuersiam est , & ex sensu Ecclesiæ videtur haberi , quod veritas hæc peruenerit ad certitudinem fidei , & de fide esse censet Arriaga, & alij ; quod confirmat , id , quod dicimus vnam sententiam fieri certam certitudine fidei ex sensu Vniuersalis Ecclesiæ deuenientis post tempora in hanc certitudinem; nam nusquam, & nunquam inuenitur definitum Concilium non esse supra Papam , & Parisienses contra sensisse refert Suarius tract. de fide.

24. Decimò-sextò. Hoc idem videtur patere ex eo, quia in Symb. Apostol. ipsemet Pontif. profitetur se credere in Ecclesiâ Catholicam,& in Niceno dicit, *Credo in vnã sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Ex quo videtur inferri manifestè, quod ipse etiam Pontifex hauriat credenda ex sensu Vniuersæ Ecclesiæ, in quam profitetur se credere ; ni autem eius sensus esset tenendus de fide , non posset ipse fateri se credere in illam , quemadmodum rectè habet Catholicus , qui dicit se rectâ fide tenere quæ tenet eadem fide Pontifex Romanus ; & nonnisi quia ipse id quod vt Pontifex existimat credendum de fide, tenendum sit, & sensus eius fidelibus declaratus, esse potest aliis regula certitudinis fidei : Ità ergo dum Pontifex ipse , & omnes fideles fatentur se credere in Ecclesiam Catholicam , signum est manifestum, quod eius vniuersalis sensus continet, & præstat certitudinem fidei veritatibus à se amplexatis, & capitibus talis certitudinis.

25. Decimo-septimò. Videtur hoc ipsum liquere, quia quod hic numero homo sit Pontifex, vel quod sit putatus Pontifex, & de fide sit , quod quidquid decernit de fide , de fide certum sit habendum , totum hoc prouenit à sensu Vniuersæ Ecclesiæ ; & ni ipsa vniuersa recognosceret hunc talem hominem, vt suum Pastorem, decreta eius non essent tenenda de fide certa ; vndè aliqui , licet meo iudicio parùm , vel nihil probabiliter censent, quod ni Pontifex Bullam aliquam condat , quæ acceptetur ab Vniuersâ Ecclesiâ , non intelligitur de fide Pontifex, sed licet hoc non sit necesse, vt aliis Doctoribus melius videtur , certè necesse est vt Pontifex Romanus vt talis recognoscatur in Vniuersâ Ecclesiâ , & ea ipsam acceptet , & non renuat acceptare pro tali ex aliquâ probabili ratione : Quare patet , quod ipsa præstat, & complet certitudinem fidei, quod sit hic Romanus Pontifex, vel quod putatus verè decernat de fide esse quod fidelibus tradit tenendum de fide iuxta sententiam Theologorum, qui hoc secundum putant esse de fide , non primum : Vndè videtur liquere, quod si ipsa est radix credibilitatis de fide veri Pontificis , vel putati , ea certè Regula debet esse, quæ posset præstare certitudinem fidei, sicut in vno hoc determinato sensu , ità & in aliis.

26. Decimo-octauò. Confirmari videtur efficaciter eadem veritas in casu , quo consurgeret aliquod dubium de aliquâ electione Romani Pontificis ; nam certè is esset verus Pontifex , qui ab vniuersâ Ecclesiâ existimaretur talis ; hoc enim ipso is verus Pontifex esset tenendus, vel esset ille , qui est putandus vt talis ; ni autem ipsa posset præstare in dubiis certitudinem fidei , non posset hanc peculiarem certitudinem dare, cum ergo istam præster , consequens est , quod eamdem poterit præstare suo vniuersali consensu omnibus aliis , quæ in Ecclesiâ pro aliquo tempore essent controuersa : Quod autem Ecclesia vniuersa hoc præstiterit, patet in Innocentio III. quem S. Bernardus ostendit fuisse verum Pontificem eâ maximâ ratione , quia vt talem eum recognouit vniuersalis , & Catholica Ecclesia, & sic in similibus casibus.

27. Decimo nonò. Hæc veritas videtur constare pro tempore , quo mortuus est Romanus Pontifex, nec alius est loco prioris electus, & præsertim si electio differtur in annos, sicuti semel contigit , quando per tres annos Dei Ecclesiâ non habuit Summum Pontificem ; in tali enim casu negari non potest , nec debet, quod Ecclesiâ Dei maneat sine infallibili regula fidei, & quemadmodũ stat,& conseruari potest vera Dei Ecclesiâ in fide infallibili , ità opus est , vt in ea sit aliqua regula infallibilis fidei ; sed hæc non potest esse alia ab vniuerso sensu eius : ergo hic vniuersalis sensus debet omninò æstimari talis regula infallibilis , quæ possit præstare certitudinem fidei. Quod autem defuncto Pontifice , non possit non manere in Ecclesiâ Dei aliqua regula viua credendorum de fide, patet quia si eiusmodi tempore hæreses suscitarentur , non possent ex compesci , & destrui per vniuersalem consensum Ecclesiæ; esto non possent per Concilium Generale, cum non esset quis , qui posset illud legitimè congregare, & verba Christi de Spiritu sancto assistente ad non permittendum errorem in eâ, militant etiam pro tempore, quo Ecclesia maneret sine Pontifice electo.

28. Vigesimò. Id ipsum concludi videtur manifestius pro tempore Antichristi, quo certè Ecclesia Dei non poterit non stare , & non habere Regulam infallibilem fidei , quæ erit omnibus modis oppugnata,& maximè indiga, apparebit aliqua viua regula, quæ non erit probabiliter Summus Pontifex , vtpote qui vel latebit omninò , & non poterit fungi munere suo propter summam tyrannidem Antichristi; vel nullus erit , quia qui erit ab eo inuentus, occidetur , & occidetur item quinis alius , qui loco illius eligetur : Quare in tot necessitatibus nisi ipsa sit sui ipsius membrorum regula, non poterit sincera fides Catholica illibata seruari , & multi errores pullulare poterunt sine vlla regula, quæ eos posset auertere , vel recognoscere , attenta præsertim versutia Antichristi pollente scientia Dæmoniaca. Quæ regula maximè itidem necessaria erit ad agnoscendum Antichristum , & interpretanda signa, quæ eum demonstrabunt, quales enim litteræ Nominis eius, quæ eum manifestabunt, prout

scribit

scribit S. Ioannes in Apocalip. Hoc autem non potest certò constare, nisi ex sensu vnanimi Ecclesiæ, vt liquet; vndè iam patet Ecclesiam eo tempore præstituram certitudinem fidei de existentia Antichristi, quod est euidens indicium, apud se etiam nunc residere eiusmodi potestatem præstandi certitudinem fidei in eo, quod ipsa vnanimiter in suis membris amplectitur. Quæ omnia videntur efficacissimè persuadere, quod in vnanimi fidelium Catholicorum sensu resideat positis aliàs ponendis, certitudo fidei, & perconsequens si Immaculatæ Conceptionis sensus esset, vel futurus erit sensus vniuersæ Ecclesiæ, is omninò sit insigniendus certitudine fidei

20. In quibus sic enucleatis, non video neque in Theologis, contradictionem alicuius momenti; & communiter hæc doctrina videtur potius supponi, quàm in controuersiam poni apud Theologos, in materiâ præsertim de infallibilitate Conciliorum Oecumenicorum; Sed si quid in hac re dubij esset, & melius dicendum, vel in dictis corrigendum, ego omnem hanc doctrinam subiicio sensui Doctorum, & præsertim Ecclesiæ Magistro Summo Pontifici Romano Antistiti, cuique sensum in omnibus sequor; Neque per hæc dicta volo eximi quempiam ab eius præcepto de non damnanda sententia maculante Conceptionem Virginis, & omninò volo eiusmodi hominem contra asserentem excommunicatum; & assertionem eius, quæ hanc sententiam damnaret hæresis, mortalis peccati, impietatis, & contumaciæ accusandam, & peccaminosam mortaliter; licet hîc non definiam an iudicium internum, quo quis eam damnaret, ipsum sit damnandum mortalis; de hoc enim infra disputationem subtexam. Nec item hæc omnia, quæ dixi, profiteor ea dicta ex absolutè meo iudicio, sed ea tantum proposui doctioribus, & Ecclesiæ Sanctæ, Sanctaque Sedi ponderanda, vt per ea iudicium proferatur de hac Doctrina, an possit admitti, quod sensus Vniuersæ Ecclesiæ præstet certitudinem fidei sensibus à se amplexatis, nec hos discursus factos volo probabilitate donare; merè enim eos proposui, vt diiudicetur de iis; & si in eis sincera veritas inuenitur, valeant ad firmandam quo modo possunt certitudinem Immaculatæ Conceptionis; si verò ij de veritate nutent, vel ipsi contradicant, non videar eos adhibuisse ad absolutum iudicium etiam meum priuatum, quod in hac re penitùs suspendo, & vellem, exoróque Doctores Theologos, vt de hoc puncto maximè sua placita depromant, vt si ea ad hunc sensum sine difficultate videantur inclinare, de hac re peractum esse negotium, censeatur, cum semel concluso, quod Ecclesiæ vniuersæ sensus præstet hanc certitudinem fidei, dum Summus Pontifex testatus est omnes ferè Catholicos sentire Virginem esse Immaculatè conceptam; vel subdi possit, quod hic eiusdem Vniuersæ Ecclesiæ sensus in hac materia, & res vltimò concludi, vel si adhuc non possit dici intercedere Vniuersæ Ecclesiæ sensum, cum facile is intercessurus sit post promulgationem Bullæ supremæ Pontificiæ, ex eo quod nemo Catholicus vir, vel ferè nullus videatur posse vltra repugnare extra Dominicanam Familiam; breui hoc constante, certitudo fidei possit consurgere in Immaculato Conceptu: atque hæc pro primo puncto notato.

30. Post hæc, eadem breuitate percurrenda sunt sequentia puncta, nam ea alibi fusius sunt probanda in vltimo Opusculo de hac materia, in qua vltimò pensabitur tota certitudo Immaculatæ Conceptionis, & secundum videtur facile liquere, quod scilicet ad hoc vt Vniuersa Ecclesia dicatur, & censeatur in vno sensu conuenire, non sit necesse vt omnes Catholici arithmeticè illum amplexentur, sed sufficit si ex centum partibus eius nonaginta v. g. vel nonaginta quinque partes sint pro tali sensu, ità vt paruus numerus fidelium ex doctis, & indoctis promiscuè solum desit, qualis esset quinarius respectu centenarij: Nam talis numerus secundum quamlibet sententiam omninò videtur non obstare vniuersitati sensûs Ecclesiæ, neque sicuti minor obstat, & non obstitit aliquoties in decisionibus Conciliorum, provt communiter in hac re sentiunt Doctores, & videri potest apud Salazarium loco citato, qui solum requirit cum quampluribus Doctoribus valdè maiorem partem Ecclesiæ, quales essent v. g. ex viginti partibus Ecclesiæ, si deessent quinque, nam quindecim essent valdè maior pars, vt patet: Hoc autem assertum probant complura, & primò quia hæc vniuersitas debet intelligi morali modo, & quemadmodum in vna Ciuitate centum millium hominum, si desint duo vel tres mille, non propterea non censetur tota Ciuitas adesse spectaculo in omni rigore, si omnes præter tres mille deessent; Ita id ipsum in Ecclesiæ Vniuersitate iudicandum est, & in re nostra dubitari non potest, quod neque hæc proportio posset inueniri in Ecclesia Catholica, quæ mille millia centena hominum posset numerare pro Conceptione Immaculatæ Virginis, & vix triginta, aut quadraginta millia hominum pro opposito sensu, qui est minor minori illo trium millium respectu centum mille millium: Nam Dominicana Familia vix creditur peruenire ad viginti millia hominum, & in quolibet Christiano, & Catholico Regno vix mille numero homines notantur, qui sentiant Virginem cum maculâ in Conceptione, vndè valdè multum auximus numerum, dum dedimus opposito sensui quadraginta millia hominum. Quare ex hoc capite Vniuersæ Ecclesiæ, sensus stare videtur manifestè pro Conceptione à culpa immuni Sanctissimæ Matris.

§1. Tertium Punctum hîc notatum volo quod ad hoc vt vnus quidè sensus dicatur esse Vniuersæ Ecclesiæ, qui præster certitudinem fidei obiecto suo, est quod non sit necesse vt sit alius, quàm maioris probabilitatis, non ille, quem vnusquisque fidelis haberet cum omnimoda, & infallibili certitudine, id quod ad euidentiam ostenditur, quia caput infallibilis certitudinis in casu nostro est collectio sensûs omnium fidelium in Ecclesia, ergo impossibile est, quod supponat sensum distributiuum fidelium includere certitudinem fidei; nam talis antequam haberet caput vndè certitudinem hanc posset habere, diceretur habere hanc certitudinem, & consequenter ex hoc capite illam non haberet, & perconsequens non haberet, quam supponimus aliundè non habere, atque

ità sentit, & hanc rationem confirmat Salazar. dicto capite.

Id quod confirmatur, quia quemadmodum sensus communis Theologorum vnanimiter conuenientium in vnum sensum, dat veritatibus certitudinem Theologicam, ità vt temerariè dicantur propositiones sibi oppositę, etiamsi eiusmodi sensus distributiuè sit ductus ex rationibus probabilioribus, & cum formidine actuali oppositi: Ità similiter rectè sensus similis omnium fidelium poterit dare certitudinem sibi proportionatam fidei, etiamsi distributiuè in quolibet fideli, includat formidinem actualem oppositi; quando autem formido omnis actualis excluderetur, & solùm remaneret in distributione sensuum particularium, sicuti censeri potest euenire, vel facilè euenturum post Bullam præsertim SS. Domini nuper proditam, multo potiori iure benè diceretur, quod posset præstare certitudinem concluſam, si non adæquatam, saltem inadæquatam, dum reflexio supra talem consensum ab ipsâ Ecclesiâ non fuit habita, provt modò subdemus.

32. Quoad quartum punctum pro certo debet remanere, quod hæc certitudo saltem inadæquata, & inchoata proueniat huic tali sententiæ, etiam antequam reflectatur ab Ecclesiâ, quod ipsa in suis membris vnanimiter venerit in vnum sensum, quia reflexio hæc debet esse posterior, & tempore etiam longo annorum debet hoc constare, animaduersis sensibus fidelium in vniuerso orbe degentium; quod non statim probè tenetur, vt patet; & cum caput istus certitudinis non sit hæc reflexio, sed assensus vnanimis fidelium, ipsum omninò dicendum est interesse, & dare sensui dicto signatam certitudinem ante talem reflexionem, licet ea non cognoscetur statim, nisi postquam sciatur hæc vnanimitas sensûs, & animaduertatur à Theologis, quod ea superuenerit eiusmodi amplexatæ sententiæ ab omni Ecclesiâ, & ante hanc reflexionem debitè factam non cognoscitur obiectum esse de fide certum.

33. Quæ omnia si rectè applicentur sententiæ de Immaculatâ Conceptione, ego, vt dixi, hic non decido, sed solùm assero, & enixè precor sacros Scriptores, vt super hac re scribentes puncta hæc in communi examinent, & fixment, vt ex iis possit agnosci, an possit colligi, quod certitudo fidei iam sit quasi magna ex parte inuecta Immaculatæ Conceptioni, vel parum illi desit, quidve illi desit, vt si quid desit, ei possit comparari; nam cum Summus Pontifex declarauerit omnes ferè Catholicos hanc sententiam complexos fuisse, & complecti: videndum, an per hoc declarauerit, vel aliàs constet Vniuersam Ecclesiam esse in hoc sensu; nam illud *ferè*, si solum, vt videtur, numerum arithmeticum notauit, qui verè non includit mathematicè omnes, & ad hunc merè non expletum hæc particula est apposita; & de reliquo ex tot mille millibus fidelibus saltem centenis, desit sola centesima pars, vel etiam ducentesima, vel tricentesima, videtur liquere, quod non desit numerus, qui necessarius est ad constandam Vniuersam Ecclesiam, & per consequens iam constare videtur quod Vniuersa Ecclesia dicenda sit stare in hoc sensu Immaculatæ Conceptionis Virginis Gloriosissimæ: Quo dicendum est, quod si certitudo fidei non est inuecta in hunc sensum, parum illi deest, & solùm desit, quod pateat, & vndique possit dici ex recto examine, quod Vniuersa Ecclesia sit huius sensûs, & propalari debeat Vniuersam Ecclesiam hunc sensum esse amplexam, quod verè mihi videtur deesse ad hanc certitudinem fidei; vel saltem secundum fidem inueliendum Immaculatæ Conceptioni. Vndè omnibus votis optarem, vt ad expressionem huius sensûs, & comprobationem huius veritatis, & vt Summus Pontifex id comprobaret ac declararet, & omnes Ecclesiæ particulares cum vniuerso Clero, & populo directo à suis Præsulibus, & Principibus Christianis, & Catholicis definitionem Pontificiam de hac re expostularent, vt hoc habito, Summus Pontifex non haberet quid expeteret ad rei vltimam definitionem; & expressum sensum vniuersalem totius Ecclesiæ Catholicæ aduersantibus proponeret, qui ne expresse ipsi soli viderentur à Catholicâ Ecclesiâ se velle sequestrari in hoc sensu, in eumdem non finerent sponte concedere; quod si non agant definitione, & declaratione Pontificis quod tota Ecclesia ità sentit, provt contigit in sensu de venialibus omnibus negatis Deiparæ, certum de fide traderetur à Pontifice etiam ex suppositione, provt egit Concilium Tridentinum, quod Deipara immunis fuit ab originali, & ab eo præseruata per gratiam, & speciale priuilegium obtentum ex meritis Christi.

34. Ne tamen in hac re suspensum relinquam Lectorem de eo, quod verè sentiam, & ne quis imputare velit huic generi scriptionis meæ, quod aliquid sentiam, & quod verè non sentio, subdo tandem aliqua, quæ certiora mihi videntur in hac re. Et primum mihi certum esse videtur, quod nullâ ratione dicenda sit hæc veritas Immaculatæ Conceptionis, vel censenda certa de fide in Ecclesiâ Catholicâ, provt solet hæc propositio intelligi communiter; nam per hunc modum dicendi intelligeretur præsertim apud non valdè doctos, quod per actum fidei infusa, & supernaturalis esset credenda, & crederetur modò de facto à fidelibus Immaculata Conceptio, quod æstimo esse falsum, & probari potest ex communissimo sensu Doctorum, qui huic veritati non assentiuntur, vt vni ex veritatibus fidei, neque putant ei assentiendum esse hoc modo; nam etsi possit euenire, vt aliqui fideles, qui reuelatam haberent hanc veritatem cum signis credibilitatis debitæ, quod ea esset habita, & manifestata ipsis à Deo; in tali casu ipsi tenerentur saltem quoad specificationem, & quoad exercitium elicerent actus fidei circa hoc mysterium; hoc tamen extendere ad alios fideles esset quid vanum, & falsum.

35. Certum etiam mihi esse videtur, quod etiamsi constaret Theologis, & ij conuenirent in dicendo, quod sensus Immaculatæ Conceptionis cum assensu conueniente ad assensum sententiæ magis probabilis, & notabiliter magis probabilis, esset sensus totius Ecclesiæ, qui a existimarentur tantum pauci respectu tantæ Vniuersitatis sentire oppositum, non propterea eiusmodi Immaculata Conceptio esset dicenda

cenda vel censenda certa de fide, iuxta modò dicta: nec hoc ipso teneremur fideles ad assensum fidei Catholicæ supernaturalis, sed deberet discuti inter ipsos, an in eadem Ecclesia communiter existimaretur quod hic sensus vniuersalis eius esset sufficiens ad Immaculatam Conceptionem tenendam de fide. Et hoc affirmatiuè concluso, Vniuersitas Ecclesiæ eam inciperet habere vt certam de fide, & de fide tenendam communiter, & tunc existimarem rem fore certam certitudine fidei proximè & adæquatè non solum ex obiecto, sed etiam quoad nos, & tunc fideles obligarentur, licet Doctores rem habere de fide certam, & deberent docere indoctos in eo statu, quod etiam ipsi tenerentur habere rem de fide; nisi enim fiant hæ reflexiones, semper res esset dubia; nam de facto nunc ex defectu talium reflexionum multa dicentur à Theologis non esse de fide certa, quæ tamen communi sensu Ecclesiæ recipiuntur vt vera, non solum ex sensu & sententia magis probabili vniuersorum fidelium, sed ex sensu certo excludente omnem opinionem, & formidinem actualem, qualis est maximè sensus, quod Virgo nata sit Sancta, qui à grauioribus etiam Theologis non agnoscitur de fide certus adæquatè, modo isto vltimo explicato, nec non etiam aliqua alia, quæ certò recepta sunt ab Ecclesiâ Vniuersâ, vt liquet de Apparitione S. Michaëlis, de Præsentatione Deiparæ in Templo, de Stigmatibus S. Francisci, & S. Catherinæ Senensis, de Conuersione S. Augustini celebrata ab Ecclesiis, & similibus. Et quamquam dici posset, quod plurima ex his non sunt capacia certitudinis fidei, vtpote non deducibilia ex reuelatis, quæ sola sunt capacia certitudinis de fide, quod non conuenit Immaculatæ Conceptioni, quæ ex Scriptura Sacra, ex traditione, ex multitudine reuelationum particularium, & miraculorum innumerorum potest venari certitudinem fidei, accedente sensu vniuersali Ecclesiæ: Qui plures textus Scripturarum interpretaretur vnanimiter de emaculatione Deiparæ ab omni peccato, & ex dictis Patrum, & festo, & celebratione eius per plusquam duodecim sæcula in Ecclesia Græca vsurpata, veritatem hanc posset vt certam deducere, etsi vt sic certam deduceret, tunc dici posse videretur, quod veritas Immaculatæ Conceptionis esset de fide tenenda diuina adæquatè, & vltimò credenda, & tunc esset dicenda absolutè de fide; quæ omnia cum in præsenti non constent, necessaria est decisio Summi Pontificis ad eam de fide certam reddendam, provt in Ecclesia Dei solent dici, & nominari certa de fide absolutè; & propterea maximè est rogandus Summus Pontifex vt hanc veritatem in examen postremum & rigorosissimum quamlibet trutinam reponat, & ad definitionem dignetur curam habere, & adhibere; facili enim negotio, & breuiori, & quod repentè omnium fidelium siue sapientum, siue insipientum ora claudet, poterit rem ad desideratum finem adducere, absque eo, quod contra tenentes quidquam obloqui possint, post tot examina, post tot antecedentes decisiones, post tam longam moram discussionibus datam, post tantam in eodem sensu Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ persistentiam in eo, quod semel in hac re Spiritu Sancto certè inspirante assumpsit vsurpandum in celebratione Festi, & sentiendum in modo celebrationis, quemadmodum in hac Bulla notauit SS. Pontifex Alex. VII. æternâ memoriâ dignus.

36. Sed contra hæc concluſa obiicies primò: Si necesse essent hæ reflexiones dictæ in Ecclesiâ vniuersâ, vt hic sensus Immaculatæ euenire deberet certus de fide absolutè loquendo per hoc caput vniuersalis sensus Ecclesiæ posset euenire, & apud aliquos eodem tempore altercaretur de hac eius certitudine; & aliqui elicerent in tali materiâ actum fidei supernaturalem; aliqui verò alij possent de tali certitudine dubitare, nec possent elicere actum fidei supernaturalem, quando de reliquo esset obligatio rem credendi de fide absolutè; consequens est falsum, quia quicquid debet credi ab vno fideli, debet item credi ab alio fideli, ergo. Sequela prob. quia ponamus quod Ecclesia Vniuersa dictas reflexiones faceret, & cognosceret ipsam Vniuersam sentire Conceptionem Immaculatam, & hunc suum sensum deductum ex Scripturis, traditionibus, reuelationibus, & miraculis sufficere ad rem habendam de fide: adhuc semper sapiens de reliquo Familia oppositum sentiens, contradiceret huic sensui, negaret hunc sensum esse Vniuersalem, ipsâ demptâ; & rursum item reuerer fateri eum esse sufficientem ad rem dandam de fide certam, provt modò videtur sentire, & asserere. Minor item Sequelæ, seu absurditas dicti, quod de fide tenenda, & quæ tenerentur de fide ab aliquibus, non possent licitè in dubium verti ab aliis Catholicis videtur patere, quia quod de fide certum habetur ab aliquibus, est infallibilis certitudinis, nec potest licitè cadere sub dubium in Ecclesia Dei.

37. Respondeo primò nego Sequelam Maioris, quod ex obiecto licitè posset tali sensui repugnare Religiosa, & docta Familia tanto, & tali sensui Ecclesiæ, etsi modò repugnat, ideſt quia Immaculata Conceptio non adhuc videtur peruenisse ad hunc statum; si enim ad illum ipsa viderit peruenisse, credendum est, quod vltro & sponte suâ cedet Vniuersæ Ecclesiæ sensui, qui reflexè suum sensum diceret indubitanter esse vniuersæ, cúmque esse sufficientem ad rem subscribentem, vt de fide certam absolutè loquendo; etsi qui essent proterui, vt in Apostolatu defecit Iudas, non propterea tota Familia existimanda est ruitura in sensum oppositum sensui Vniuersalis Ecclesiæ, & sic nullum argumentum.

38. Respondeo secundò, & ad Sequelam dico aliqui dubitarent, & opponerentur licitè sensui Vniuersalis Ecclesiæ neque sequutæ illicitè concedo sequelæ: & ad Minorem dico quod est absurdum aliquos posse dubitare licitè de re certâ de fide concedo, illicitè nego; & sic nego Consequ. & in tali casu ad Summum Pontificem pertineret declarare sic tenentes excommunicatos, quemadmodum vsuenit in omnibus, articulis fidei, negatis ab Hæreticis, ante expressam definitionem Pontificis, in quibus non sunt habiti vt Hæretici, & excommunicati ij, qui tergiuersarunt hæresim, non talem adhuc declaratam à Summo Iudice; hoc enim totum pertinet ad Pontificem animad-

uertere; nam Ecclesia vniuersa non habet potestatem iurisdictionis, & coërcitiuam, sed ea solum residet in Pontifice, & locum eius tenentibus, vt liquidò constat: hæc enim residet in personâ indiuiduâ, atque adeò non in vniuersitate, quæ conflatur ex viris, & mulieribus conflantibus vnam Ecclesiam, quæ vt sic non habuit à Deo eiusmodi iurisdictionem; in qua re discurrendum est sicuti in cæteris de fide tenendis, quæ ab aliquibus in dubium verterentur, quemadmodum contigit per sæcula in hæresi Arrianorum, & Pelagianorum, & aliis complurib⁹, vt videri potest apud Baronium per duodecim fere sæcula, & post ipsum in aliis Historiographis Ecclesiasticis.

39. Obiicitur secundò. Si sensus Vniuersalis Ecclesiæ cum reflexionibus eius iam explicatis, redderet Immaculatam Conceptionem certam de fide absolutè loquendo, vt diximus; deberet idem modo censeri de fide certa Præsentatio Virginis in Templo, quæ ex traditione inuentâ in Ecclesiâ celebratur in Ecclesiâ; & non est ratio, quare sensus vniuersalis eius non sufficiat ad eam de fide tenendam. Consequens videtur falsum, quia & olim dubitarunt de hac re graues Theologi, neque ea in Ecclesiâ numeratur communiter vt certa de fide, neque quæ veniat in hunc numerum?

40. Respondeo. Nego sequelam, quia etsi Præsentatio Virginis celebratur ab Vniuersa Ecclesia, multi ex fidelibus imo fortè maior pars eam ignorat, cum non celebretur ità solemniter, nec sub obligatione abstinendi à seruilibus, & cum onere assistendi sacrificio Missæ: nec item scitur factam esse reflexionem in Ecclesia, quod ipsa vniuersa sit in sensu, quod Virgo in statu pueritiæ in Templum sit translata, & oblata Deo à parentibus; & multominus facta est discussio, quod hic eius sensus sit sufficiens ad eam tenendam de fide; & siquidem ad hoc peruenirent hæc veritas; nego quod non esset censenda, vt de fide certa; nam in tali casu constaret Ecclesiæ, quod Apostoli eam tradiderint, vt de fide tenendam, & quod hæc veritas non esset vt vnum de scitis ex euidentiâ rei, quod per traditionem habitum sit; nam si vt tale quid traditioni subiacuerit Præsentatio Virginis, non posset cadere sub certitudinem fidei; nam non deduceretur ab Ecclesia, neque haberetur vt quid reuelatum, seu illatum à reuelatis, & sic non esset, neque posset esse de genere credibilium de fide. De facto autem existimari rectè potest, quod Præsentatio Virginis habeatur in Ecclesia ex traditione fundata in euidentia rei, non verò in reuelatione; vndè etsi eam negare temerarium esset, non tamen esse posset hæreticum, quia traditiones, quæ fuerunt reuelatæ, sunt illæ, in quibus, & à quibus præstari potest certitudo fidei in obiectis: Vndè traditio, quæ attulit Ecclesiæ S. Petrum moratum fuisse Romæ, ibique mortuum, non præstitit illi de fide tenendum, quod ibi mortuus sit, neque quod ibi fuerit sepultus, & ibidem inueniantur eius Reliquiæ, quia hæc non habuit Ecclesia ex traditione, quæ aliquid acceperit, & tradiderit ex reuelatis; nam actus fidei omninò debet supponere reuelationem obiecti credendi, vel in indiuiduo, vel in specie, aut in genere, & quæ tale obiectum continuerit vno ex his modis, vt constat ex materia de fide, & docetur à Theologis in his, quæ deciduntur de fide à Pontifice. Vbi aduertes, quod multa sunt in Ecclesia Dei, quæ habentur ex traditione certissima meritò fundata in hac euidentia rei, vt de Cathedra S. Petri de qua celebrat Festum Ecclesia, de altari ligneo in quo ipse celebrauit sacrificium Missæ, & alia sexcenta, quæ Romæ signantur, & aliis locis, vt licet aduertere similiter in sancta Domo Lauretana, & aliis quamplurib⁹. Deueniendo ergo ad Præsentationem Virginis, credendum est, quod ea innotuerit, & tradita sit Ecclesiæ & Patribus, quia Apostoli & homines Apostolici sciuerint ex senioribus Hebræis, vel alia scriptura, quod B. Virgo fuerit à suis parentibus præsentata ac Deo consecrata in Templo, & hoc narrarint fidelibus, vel etiam ipsi fideles in lege Moysis hoc sciuerint, vel quia erant sacerdotes in Templo, aut Leuitæ, aut etiam rerum Templi conscij; & cum hæc Præsentatio in Templo non multis ante annis facta fuerit, omninò debet censeri, quod hæc cognitio prouenerit ex ipsa facti euidentia; & per consequens liquet, quod non potest satis constare in Ecclesia, quod ea sit de iis, quæ possint de fide teneri, cum nulla scriptura eam innuat, neque Patres eam tradant, vt quid reuelatum; quod non potest habere locum in Conceptione Immaculata, quæ nonnisi ex reuelatione potuit, & potest dignosci, & haberi vt certa, vt cuique perspicuum est.

DIVISIO III.

Quis error sit asserere certam de fide Immaculatam Conceptionem.

1. TRADERE absolutè certam de fide sententiam Immaculatæ Conceptionis, significat eam de fide teneri, vt certam à fidelibus, vel fideles esse communiter obligatos ad eam tenendam de fide certam, & reuelatam à Deo; atque hoc est manifestè affirmare manifestam falsitatem, de quâ dubitari non debet; quia neque eius assertores eam vt sic tenendam censent, nec ipsi cum hac certitudine assensum eiusmodi illi tradunt. Esto enim aliqui supra citati hoc asseruerint, tamen communiter sunt reiecti, neque de hac falsitate debet esse, vel est controuersia; quia est manifestum apud omnes Doctores eiusmodi sensum de tali certitudine reprobari communissimè. Solùm hîc petitur, primò an si quis hoc dicat, an sit excommunicatus, & incurrat pœnas contentas in Bullis Pontificiis de hac materia: Secundò peti hic potest, an qui sic loqueretur, esset censendus hæresim, vel aliquid erroneum, aut quid temerarium asserere ex aliqua decisione Pontificis: Et tertiò an verè aliquod vnum ex his asserere credendus sit, licet non ex aliqua declaratione Pontificis, sed ex iudicio rationabili Theologico: Et quoad primam quæstionem, sciendum est nullam inueniri excommunica

municationem in iure, neque in Bullis Pontificiis, quæ contra sic asserentes prolata sit sub talibus præcisis terminis; sed quia lata sub aliis terminis, quæ videntur æquiualere illis, sub quibus verè lata est excommunicatio; ideò videtur, quod qui diceret sententiam de Immaculata Conceptione esse de fide tenendam ab omnibus fidelibus; ità vt ij obligentur communiter ad præstandum fidei assensum circa illam, omninò dicendus sit excommunicatus; quia dum quis ità diceret de fide hanc sententiam, pro hæretica datet oppositam, & per consequens contraueniret præcepto Pontificio, ne ea damnaretur hæresis, vel peccati mortalis, aut impietatis. In qua re est distinguendum, quod posset quis ità asserere Immaculatam de fide tenendam merè opinabiliter, & ex suo proprio sensu, & discursu, & in hoc sensu dicendum, quod non propterea sit excommunicatus, quia quando tenetur aliquid esse de fide opinabiliter, non propterea oppositum censetur hæreticum, & sic de fide voluit Suarius præsentem Pontificem in Ecclesiâ esse talem hominem, sed non propterea contrariam sententiam esse censuit; neque recensitus est eam tradidisse, & propalasse vt hæreticam, & sic in similibus, prout notauimus supra. Quando ergo quis ità diceret de fide tenendam Immaculatam Conceptionem, scilicet opinabiliter, non propterea esset censendus oppositum tradere, vel velle notare hæresis, vel mortalis, aut impietatis, & per consequens non incurreret excommunicationem, neque contraueniret præcepto Pontificio. At quando diceret ità de fide esse Immaculatam Conceptionem, vt vellet hoc non esse in controuersiâ, & negaret esse fidelem, qui contra sentiret, dubium esse posset, quod in excommunicationem incurreret; quia hoc ex circumstantiis, quæ possent addi, tantumdem esset, ac dicere huiusmodi hominem contra sentientem desicere à fide, quod est dicere talem incidere in hæresim, quod veritum est à Pontificibus asseri; absolutè autem dicere Immaculatam esse de fide tenendam, non contrahit excommunicationem, vt in sequenti resolutione patebit fusiùs.

2. Quoad secundam quæstionem Respondeo, quod si quis assereret hanc sententiam de Immaculatâ esse de fide tenendam, ità vt obligentur fideles ad eam sic tenendam, non propterea esset censendus neque hæreticus, nec erroneus, nec temerarius, aut incidere in hæresim, vel in errorem, aut temeritatem ex aliquâ declaratione Pontificis: nullus enim Pontifex notauit hoc dictum, nec hæresis, nec erroris, nec temeritatis; quod probatur manifestè, quia neque fidelem censurantem hæreseos, vel peccati mortalis, tenentes maculatam, & propositionem sic censurantem vllus Pontifex notauit vllâ censurâ, licet excommunicationem tulerit contra sic asserentes; meræ scilicet contumaciæ, & inobedientiæ eos incusans, cum tamen qualificantes hæresis, vel peccati mortalis Immaculatum, & qualificationem huiusmodi expressè damnauerit vt erroneam, & ab omni veritate aberrantem; sic enim habet Sixtus IV. de censurantibus Immaculatam. [Item motu, & scientiâ, & auctoritate similibus simili pœnæ, & censuræ subiicientes eos qui ausi fuerint contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum peccato originali fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum id non sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.] De censurantibus autem Immaculatam ait. [Huiusmodi assertiones Prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet qui affirmare præsumpserint, eos qui crederent, aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati maculâ in suâ Conceptione præseruatam fuisse, propterea, alicuius hæresis labe pollutos esse, vel mortaliter peccare, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falsas, & erroneas, & à veritate penitùs alienas auctoritate Apostolicâ reprobamus, & damnamus.]

3. Quo patet manifestè, quod qui assereret de fide esse omnimodè certam sententiam de Immaculatâ, nullo modo incideret in qualificationem hæresis, vel erroris, aut temeritatis declaratæ ab aliquo Pontifice, prout item patet de Alexandro item VII. qui neque talem qualificationem notauit aliquâ censurâ, sed merè eius assertionem prohibuit ex mero præcepto Pontificio sub pœnâ excommunicationis, & aliis pœnis, quæ solent imponi inobedientibus, & contumacibus, & resistentibus præceptis Ecclesiasticis: Quo liquidò constat, quod cum contra propositionem qualificantem erroris Immaculatam Conceptionem amplectentes, erroneè loquentes declarauerint Pontifices, & erroneas propositiones dixerint, quæ hæresis, & peccati mortalis accusarent sententiam de Immaculatâ Conceptione, ostenderunt, quod hæc qualificatio incusans assertionem maculæ in Virgine, & etsi non debita esset, & pro certa, non posset dari; atque adeò ab ea abstinendum sub pœna excommunicationis, ne rixas, & discordias excitaret; nihilominus non erat digna censura, neque hæresis, neque erroris, neque temeritatis arguenda. Nam si digna fuisset tali censura, quemadmodum qualificatio oppositæ sententiæ de Immaculata declarata est erronea, & ab omni veritate aliena; ità hoc ipsum dum venerit in comparatione cum ista in eadem Bulla contenta qualificatione de sententia maculante Conceptionem, fuisset hæc secunda dicenda item erronea, vel temeraria; quam notam, neque vllam aliam dedêre vnquam Pontifices eiusmodi qualificationi, seu modali; quod signum est; quod eiusmodi qualificatio vel suam probabilitatem haberet, vel saltem non posset argui vllius censuræ; si enim aliqua censura potuisset argui, non prætermisissent Pontifices eam illi impingere ad deterrendos similiter qualificantes sententiam de maculata Conceptione, sicuti id egerant, & deterruerant qualificantes sententiam de Immaculata; quod signum est manifestum quod sententia de Immaculata erat sententia, quæ putabatur vera à Pontificibus; vndè erroris damnarunt, qui eam improbabant, & à veritate eos alienos declarauerunt. Contra verò sententia, quæ maculabat Virginem, non putabatur vera ab iisdem Pontificibus, atque illam, etsi non damnauerunt, & damnari prohibuerunt; nihilominus noluerunt damnatio-

nem

nem eius censurare sub nomine damnandæ doctrinæ: Quare non infregerunt, neque diminuerunt penitùs eius veritatem, nec potest dici, quod ex declaratione Pontificum, si non damnanda, saltem sit falsa hæc modalis, & qualificans propositio quę diceret hæresim esse sensum de Maculatâ Conceptione; nam pro falsa eam nunquam dedêre Pontifices, sed solùm pro contumaci, & transgrediente mandatum ipsorum, qui sæpè veras propositiones vetant asseri propter alias iustas causas, & sic Pius II. vetuit censurari alterutram ex sententiis tradentem, vel negantem Sanguini Christi in triduo vnionem ad personalitatem. Similiter Paulus V. vetuit censurari sententiam de prædeterminatione physicâ, nec non illam, quæ eam negabat, & tamen ex obiecto vna ex illis est vera, & Ecclesia modo fortè inclinat, & declarauit in vnam ex his inclinare, & habere pro falsa oppositam, & multæ sententiæ rectè prohibentur scribi præcisè ex eo, quod alicubi afferunt scandalum, etiamsi passiuum, & non propter aliud prohibentur ibidem asseri, quia excitant turbas, nec propterea iudicantur, & arguuntur vt falsæ. Sic v. g. alicubi asserere aliquam Diuam fuisse vicem alterius Vrbis, excitat, ibi turbas, cum de reliquo censeatur veritatem stare pro eâ ex attestatione grauiorum, & antiquiorum Doctorum, & benè prohiberetur sub præcepto ibidem tale quid asserere, & sæpè aliqua veritas non declaratur expresè, cum non sit necesse, quia ex eius declaratione diminueretur deuotio fidelium alicubi, quæ non excitaretur ità maior alibi. Sic Messanæ asserere Sanctissimam Dei Genitricem nullam ei Vrbi Epistolam misisse, rectè posset prohiberi etiam sub anathemate, ne turbæ excitarentur; nec tamen propterea Pontifex, si id prohiberet, sensum hunc negantem, qui etiam negaret probabilitatem isti sensui, vere improbaret vt falsum, cum plures docti viri ei suffragati sint, quamquam in oppositum rectè alij censuêre; & censendum videtur, quod suâ probabilitate gaudeat hic sensus ex auctoritate præsertim Lucij Flaui Dextri: Et quemadmodum quælibet magna Vrbs, quæ similia haberet fundamenta illis, quæ habet ad hoc sentiendum Ciuitas Messanensis, ea defenderet, nec respueret vllâ ratione eis vti ad similem fauorem adscribendum sibi factam à Sanctissima Matre. Ità sinatur cum suâ probabilitate sibi adscribi à Ciuitate Messanæ, cui Deus alia potiora det testimonia ad idem comprobandum, veritate stante pro tantâ Virginis gratia, & patrocinio Deiparæ erga illam. Quod ostendit, quàm malè ibidem hæ. Messanensium sententia improbaretur, & sine præiudicio aliter sentientium, & contrariæ assertionis vt falsæ posset prohiberi sub anathemate dictum, quod illi suam probabilitatem auferret.

4. Verum quidem est, quod in tè nostrâ dum Pontifices numquam improbauêre vt censurabilem, neque pronunciauêre vt falsam propositionem hæreseos, vel peccàti mortalis notantem sententiam de Maculato Concepto, satis ostenderunt, vt notauimus, quod eam non iudicarunt dignam censurâ; & rursùm quod qui hoc dicerent, possent habere probabilia argumenta id asserendi; nam si hæc non vidissent eos potuisse ea habere, iam vidissent hanc propositionem esse saltem temerariam, & per consequens eam debuissent declarare vt talem, ne fideles incideren in errorem intellectûs, cum præsertim ex excommunicatione latâ non prohiberentur ij, qui interius iudicarent maculantes Conceptionem Deiparæ, esse notandos hæretico sensu; & ni error serperet, debuissent eum notare fidelibus; quod cum non egerint, signum est quod putauerint, quod ex obiecto posset prætendi probabile, quod de fide esset immunitas Virginis ab originali, & hæresim esse contrarium sensum; ex eo videlicet quod Ecclesia celebrat & sentit, cum Missæ & Officij institutione Immaculatum Conceptum, & in Scripturis, & ex traditione habetur Virgo omni prorsus culpa libera; & verè negari non potest, quod valdè probabiliter ea argumenta quæ probant Virginem immunem à venialibus, eadem omnia inferunt immunitatem eius ab originali: Et quemadmodum de fide constare potuit, & ante definitionem Tridentini Virginem immunem à venialibus, ità potest existimari probabile, vel saltem prætendi probabile, quod certitudinem fidei habeat Immaculata Conceptio, non quidem absolutè talem, sed opinabiliter, & ex obiecto, nec obligantem vnumquemque fidelem ad assensum veræ fidei, & quoad omnes ipsos, prout solet dici in similibus.

5. Quo patet manifestè, quod qui de fide diceret certam Immaculatam Conceptionem, non incideren in vllum errorem intellectûs declaratum à Pontificibus; nam si error non est hæreticam dicere, vel peccati mortalis ream sententiam maculantem Conceptionem; multo minus error erit, & censurâ digna propositio, quâ diceretur de fide Immaculata; nam hæc secunda licet videatur æquiualere primæ, formaliter non est eadem, & cum prohibita sit secunda, & prohitio sit pensanda quantum ex verbis sonat, dum erroris non potest insimulari prima, neque item erroris vllius insimulanda est secunda. Quę ratio à fortiori cócludit, quod diximus in prima quæstione quod qui de fide diceret esse Immaculatam Conceptionem, dum ex circumstantiis non videretur notare oppositam hæresi, aut peccati mortalis, non incideret in excommunicationem; nam verba pœnalia sunt accipienda quantum sonant; & dum verba prohibent, eadem verba secundum illud, quod sonant seu important ex suo primo significato, sunt intelligenda prohibita, non secundum significatum illatum: Et secundum est quia diuersæ operationes intellectus, & diuersæ enunciationes sunt, Immaculata Conceptio est de fide, & maculata est hæretica; ideò dum prohiberur secundum, & non primum; secundum dictum incidit in excommunicationem, non verò primum. Et ratio pro hac re adduci potest, quia Pontifices voluêre auertere iniuriosum dictum, quo contrariè sentientes Immaculatæ Conceptioni offenderentur rationabiliter, dum vt hæretici, vel peccantes mortaliter infamarentur; & huic verbosæ iniuriæ ipsorum voluit prospicere, eámque ab ipsis auertere. Atqui quando diceretur Immaculata Conceptio de fide credenda ab omnibus fidelibus, non proferretur iniuria contra ipsos, neque ij notarentur ex vi verborum vt hæretici directè; proindè qui hoc dicerent,

rent, non essent censendi incurrere excommunicationem, cum pœnalia sint restringenda secundum Regulas Theologiæ moralis. Atque hæc pro resolutione secundæ quæstionis dici possunt; in qua sicuti & in primâ nihil item decido, sed remitto iudicium Doctoribus, quos consulam, eorúmque expectabo iudicium, & illud hîc subdam.

6. Quoad tertiam, verò quæstionem, an hæc propositio præscindendo à declaratione Pontificum, & pensando Theologicam doctrinam, sit digna censura; si aliquis vellet esse ità de fide Immaculatam Conceptionem, vt ad eam amplectendam teneâtur fideles inclinare, aduertendo scilicet eam modò teneri ab Ecclesia Vniuersâ, videtur dicendum quod dum neque hæresis, nec peccati mortalis, nec impietatis arguerentur contra tenentes, nec ipsi fideles si eam non amplecterentur, dicerentur hæretici, vel peccare mortaliter; nam hoc esset eos peccati mortalis, & hæreseos accusare, quod est vetitum, & falsum; non propterea eiusmodi dictum esset dignum aliqua censura Theologica, quia posset prætendi habere probabilitatem illi datam ex tot rationibus, & ex illis notatis hîc num. 2. Quare non esset dicenda neque hæretica, neque erronea, neque temeraria Theologicè: etsi hoc censuit ità esse Suar. in 3. par. 2. tom. disp. 3. sect. 6. *in fine* dum contra Castrum dicentem esse hæreticum, qui alterutram sententiam pronunciaret esse de fide, quia diceret certum, quod Ecclesia dicit incertum, ait. [Sed hæc sententia non placet, quia is non errat in iis, quæ Deus reuelauit, nec Ecclesia dicit esse reuelatum à Deo, aut esse de fide hoc esse incertum; sed solum docet ità esse ex ipsa rerum euidentia, præcipitque ità edoceri ad scandala, & schismata vitanda: esset ergo ille temerarius, & inobediens (temerarius quidem practicè, non speculatiuè) non tamen hæreticus.] Si inquam hoc verum fuit tempore Suarij, multo magis verum erit in præsentiarum, quando huic sententiæ de Immaculata tanta accreuit certitudo, & vt ipse Suarius habet loco eodem paulò ante. [Quod in vno tempore est probabile, decursu temporis posse improbabile fieri.] Vndè si fuit probabilis sententia maculans Conceptionem, decursu temporis potuit fieri improbabilis, & falsa, nec obesse in præsenti certitudini fidei oppositæ sibi sententiæ.

7. Non nego tamen hîc, quod etiam in doctrina practicè temerarium dicerem eum, & temerariam practicè propositionem illam, quâ quis assereret absolutè hæreticos, & peccatum mortale committentes eos omnes qui Conceptionem Immaculatam tenerent; nam Doctores communiter omnes censent huiusmodi fideles in hæresim non incidere, neque peccatum mortale committere, cum sint complures ex iis viri docti, & timorati, virtutéque præditi, & temerè quis diceret tale quid de eis, esto putari possit ex obiecto. Summi item Pontifices dum prohibent eos hac nota inuri, certè putant nulla ratione eosdem in hæc peccata incurrere, & temerè in hac re quis opponeretur iudicio Summi Pontificis Summi Magistri in Ecclesiâ: Quod si hæresis, vel peccatum mortale esset Maculatam Conceptionem tenere, certè ad eum pertineret de hac re fideles monere, & à tanto malo auertere.

DIVISIO IV.

An Censurare vt speculatiuè temerariam sententiam maculantem Conceptionem Virginis merè actu interno, sit peccatum Mortale, post Bullam Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII.

1. COMMVNITER peccatum mortale æstimatum est ante Sanctissimum Alexandrum censurare vt temerariam opinionem maculantem Conceptionem Virginis, & alibi nos ità subscripsimus; sed attenta Bulla Sanctissimi Alexandri, & consideratis aliquibus rationibus, potest modò hæc resolutio innouari, & in cõtrouersiam reponi; primò quia non per hanc Bullam sententiæ dictæ ablata sit omnis probabilitas, nec ei datum est à Sanctissimo Alexandro quicquid illi dedere Summi Pontifices antecedentes, & is solum vetuerit censurari de peccato mortali. Primum potest rei difficultatem facere: quod censurare per censuram temeritatis solius, non sit semper & vniuersaliter peccatum mortale: nam Theologi inter se pugnant de talibus Censuris circa hoc vel illud obiectum, & sensum huius vel illius Auctoris, nec tamen censetur peccare mortaliter quando res est dubia, & discurrunt merè probabiliter: sic tempore Clementis VIII. diuisi erant Doctores, & aliqui cum Suario volebant esse de fide quod hic numero homo esset Pontifex, contra Vasquez, qui contendebat non esse de fide; quare prima sententia pro hæresi dabat, negare esse Pontificem eum qui eo tempore regnabat: si ergo eo tunc non peccabant Theologi censurantes propositiones vel erroris, vel temeritatis, vel etiam hæresis; ità multo minus in casu nostro qui est merè internus, & speculatiuè controuertitur, & datur decidi hæc quæstio, ità vt Doctoribus saluetur indemnitas ab omni peccato, pro qua re Doctorum iudicium expecto; nam audio plures scribere super hanc Bullam.

2. Difficultas autem peculiaris circa has censurationes videtur habere locum in hac materia ex eo quia circa Immaculatam propter ea quæ modò decreuit Summus Pontifex de Immaculata, & connexis eius, videntur apertè eam duxisse ad tertium gradum saltem certitudinis fidei, & per consequens hinc inferri quod censurabilis sit saltem temeritatis sententia opposita, scilicet maculans Conceptionem Deiparæ: & regula eiusmodi propositionum, vt sæpè diximus, hoc persuadet. Nec obstat quod Sanctissimus Pontifex prohibuerit eam notari hæresis, peccati mortalis, & impietatis, quia cum ei nullam reliquerit speciem probabilitatis, & quæ cæteri Pontifices in aliquem eius fauorem dixerunt, omnia prætermisit

misit asserere, sicuti ij soliti erant, scilicet ei nullum præiudicium velle facere, vel dare ei libertatem, & facultatem vt quilibet eam complecteretur, & similiasmeta probibitio ne censuraretur non ostendit quod ea in se non sit censurabilis, quemadmodum sæpè probauimus, sed quod ex aliis causis quamquam censurabilis fuerit aliqua propositio, quam tamen Pontifices noluerunt, & prohibuerunt ea censurari, ex his duobus capitibus an possit speculatiuè censurari dicta propositio iudicent Doctores; ego æstimo dum res est dubia inclinando ad non admittendam censuram, & expectandum iudicium ipsius, cum maximè optatum sit vt eæ particulæ probibitiuæ censurationis prætermissæ fuissent: nam Aduersarij iis vtuntur, vt dicant rem recensisse integram pro maculatæ Conceptionis sententia nec vident quantum hoc diploma egerit; itavt existens quod Pontifex sit rem alterius declaraturus, vel permissurus quod Doctores in hac re liberè scribant quod sentiunt.

3. In hac re alia quæstio potest exagitari, an si quis temeritatem agnosceret in maculantem Conceptionem, non tamen eam propalaret, sed solum quasi metus relator amico, & citra periculum scandali; & nolens inferre iniuriam Immaculatæ, tuum iudicium exprimeret, an esset excommunicatus. Dicam quod Theologus mihi suggessit dum hæc meditarer scribere pro incursione excommunicationis, sugessit inquam, quod is incideret in excommunicationem, quia hæc propalatio iudicij interni proprij, æquiualet censurationi absolutè de sensu maculatæ Conceptionis; nam idem videtur significare, *ego æstimo hanc sententiam esse temerariam*, ac ista alia, *illa sententia est temeraria*; sev reuera nemo dubitare debet, quod sint diuersæ, cum prima pertineat ad secundam intentionem Logicam, & secunda ad primam.

4. Et sic assertioni contradicenti it respondeti potest, quod finis latæ excommunicationis contra censuram Maculatæ Conceptionis fuit, & est, quod ex eâ scandala oriebantur, & oriuntur in Ecclesiâ; contra verò si quis nullo studio contentionis, & merè refert amico se esse in sensu quod temerariè quis emaculationem non concedat Virgini, non propterea talè iudicium se inducere ad proferendam absolutè hanc assertionem, quod verè vt temerarius sit, & habendus sit sensus Maculatæ Conceptionis, nec quod absolutè peccet mortaliter, qui hunc sensum haberet, sed hoc ipse teneret ità esse ex obiecto, & defendi de reliquo posse à docto viro, quod nulla temeritas certa, & firma inueniatur in dictâ sententiâ, & merè probabiliter se sentire, quod in tali obiecto sit temeritas; hic certè non incideret in excommunicationem, quia hinc nunquam posset oriri scandalum; nam illud proferens, non intenderet firmare sensum Maculatæ Conceptionis, vt temerarium apud alios, sed merè se haberet veluti relator sui interni iudicij amico qui non vteretur tali ratione ad excitandas lites, vel contentiones in aliis, & metus relator sit de hac re; nam quando fraude, & ad has excitandas quis exprimeret suum iudicium, non est dubitandum quod in tali casu per æquivalentiam diceretur loquelâ censurare maculantes Conceptionem Deiparæ, atque adeò incidere in excommunicationem.

5. Præterea, vt aliàs vidimus, sæpè vna sententia potest esse temeraria, & Summus Pontifex ex iustis causis potest præcipere, vt temeraria non asseratur, provt contigit Barcinonæ, vbi damnata est etiam ex mandato Pontificis sententia, quæ asserebat dimissum esse à personâ Verbi sanguinem Christi fusum in cruce extra eius corpus, & tamen Pius II. propter lites inter Franciscanos, & Dominicanos, vetuit hanc sententiam censurari. Quando ergo Pontifex hic præcipit neminem censurare maculationem Conceptionis Deiparæ, non propterea sequitur, quod de facto talis censuratio ex se non sit probabilis, & ex se, & obiecto interius receptibilis in intellectu sine peccato. Quando ergo eam quis amico sincerè, & ad nihil contendendum, vel contra imprimendum in conceptum aliorum, simpliciter declararet suum probabile iudicium ei, qui non diffameret illud, & nulla ratione declararetur, æquivaleret absoluto censuranti maculationem Deiparæ, atque adeò non esset excommunicatus.

6. Tertiò. Quis non videt, quod ante Bullam Alex. VII. in præsentiarum regnantis, imò etiam post Bullam eius, si quis aduersans Immaculatæ, pacificè, & cum amico colloquens, diceret sincerè se esse pro veritate in eo sensu, quo vellet Virginem maculatam in sui Conceptione, & ad hunc sensum moueri ex rationibus, scripturis, & auctoritate Patrum; quia ità sibi videretur, at de reliquo nihil tale asserturum apud alios, & Pontificis iussis semper obsequuturum, cum nihil in isto homine contumaciæ inueniretur, nec directum mandatum Pontificis ipse transgrederetur, nec ex tali dicto posset oriri Scandalum, quia totum hoc secretum esset & interior sensus probabilis est ab Ecclesiâ permissus, nullo modo suum tale iudicium exprimens incideret in excommunicationem.

7. Quartò. Nemo est, qui dicat, quod si modò, vel antiquo tempore, Patres Prædicatores dicerent, vel dixissent ex se, vel petiti, quod ipsi communiter tenerent maculatam Conceptionem Virginis, quod propterea essent excommunicati, cum res hæc esset nota omnibus, & meram relationem facti contineret, non expressionem dicti, quod attestaretur vt veniunt: In quâ attestatione excommunicatio debet censeri annexa propter scandala, quæ ex eâ orta sunt, & oriuntur; potius autem sedat scandala expressio vnius Doctoris, qui non assueueranter affirmat B. Virginem originale contraxisse, sed amico solùm notificat secretè, & sincerè se ità sentire propter rationes in intellectu suo discussas; sed de reliquo obedire se Pontifici, nec vnquam enunciaturum verbo, vel scripto, quod Deipara contraxit originale: In hoc enim nulla inueniretur contumacia requisita ad excommunicationem, & apparet diuersa hæc duo esse obiecta, & vnum mereri excommunicationem, non verò alterum.

8. Quintò. Id ostenditur ex Libellatoribus aliquibus anonymis, qui plurimis ab hinc annis tempore Innocentij X. obtulerunt duos libellos, in quibus ex parte Dominicanæ Familiæ Sacræ Congregationi Generalis Inquisitionis

sitionis Rom. declaranerunt expresè Fratres Prædicatores sentire pro maculata Conceptione, & propterea olim eius sanctificationem voluisse celebrandam, eámque celebrati, non verò Conceptionem, & alia similia in his; nec tamen quis toto hoc tempore eos propterea excommunicatos aduertit, sic Libellator primus dixit. [Vndè Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam, vtebantur voce Sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis.] Et Anonymus secundus §. 3. [Ante decretum Fœl. Record. Greg. XV. de Officio recitando sub nomine Conceptionis, retentâ à Dominicanis voce sanctificationis, ex nominum distinctione inferebatur opinionum distinctio.] Vbi de sententiâ est sermo quæ impingit, & impinxit maculam Immaculatæ Conceptioni, & de variis eius conditionibus agitur sine vllâ notâ, dum merè relatiuè de sensu contrario agitur, qui sic translatus non trahit excommunicationem.

9. Sextò, hoc ipsum perspicuum fit, quia si quis temporibus præteritis, vel præsenti petierit à sentiente maculatam, ân ipse sentiret Conceptionem maculatam, & ipse dolens affirmaret ità se sentire, quia alioqui non esset suis aliquibus gratus, vel ex alio capite simili, hic æstimandus non esset excommunicatus, quia manifestasset iudicium suum de maculatâ Conceptione, quod de reliquo amplecteretur vi, & sine vllâ contumaciâ, imò cum voluntate aliquâ oppositâ; nam excommunicationes feruntur contra eos, qui grandi adhæsione connectuntur cum aliquo obiecto prohibito sub eiusmodi graui pœnâ; non verò contra illos, qui tam pauca voluntate, imò cum quasi contræria alicui obiecto adhærent; imo cum velut quadam morali coactione. Rursum tali obiecto directè non est annexa, nec lata excommunicatio; sed ad summum indirectè, nec eiusmodi propalatio proprij iudicij, videtur æquiualere absolutè assertioni, & diffamationi eiusdem obiecti. Quare si vni ex his excommunicatio est inflicta, non est inflicta alteri.

10. Septimò probatur positum, quia quando quis merè propalaret se aliquo modo sentire Conceptionem Virginis maculatam, non deberet intelligi, quod hunc sensum haberet, vt probabilissimum; sed per hæc verba posset intelligi illum habere, vt probabilem, & pro probabiliori posset habere sensum oppositum, vel saltem pro æquè probabili; hîc autem nullo modo potest æstimari excommunicatus. Ergo excommunicatio non caderet supra merè manifestantem iudicium de maculatâ Conceptione, quod haberet interius. Maior patet. Minor probatur, quia non præiudicaret vllo modo cum his indiciis Immaculatæ Conceptioni, dum absolutè ei non contradiceret, quia eam vt probabilem haberet in iis, quæ internè reuolueret, & propalaret: Vndè non posset is dici absolutus assertor maculatæ Conceptionis, cum Immaculatæ probabiliter adhæreret, sed potius esset assertor eius; ac proindè non excommunicatus, si iudicium explicatum modo dicto exprimeret.

11. Octauò. Quod dicimus, confirmatur ex casu hæresis à fortiori, quia si amico quis manifestet peccatum internum hæresis, vt ab eo auxilietur, & resipiscat, non propterea incidit in excommunicationem: Ergo mera manifestatio iudicij non æquiualet semper assertioni hæreticæ: Ergo similiter in casu posito, non semper manifestatio iudicij, quod Virgo sit concepta in originali, contineat temeritatem, æquiualet assertioni, & diuulgationi absolutæ, quod ipsa sit sic concepta, & per consequens mera manifestatio iudicij dicti, non subiacet excommunicationi. Antecedens est manifestum, nam talis manifestatio amico, & sancto, aut docto viro est digna, & meritoria, nec prohibita ab vllo iure, & de se apta ad remouendum hominem ab hæresi. Illa autem alia est prohibita, & mala, quæ dirigitur, vel ad confirmandam falsitatem hæresis, vel ad eam inducendam in aliis, aut etiam directa ad explicandum festum quasi bonum hæretici hominis, vel quid simile, sola est subiacens excommunicationi, & æquiualens exteræ hæresi. Quoad euidentiam ergo patet nostra Conclusio, quæ propalationem iudicij dicti affert, & ità describit, vt ostendat non æquiualere assertioni absolutæ de aliqua re.

12. Confirmatur hæc veritas manifestè, quia si quis petat ab amico, an hæresim internè amplexus sit, vt ab ea eum abducet, & ille tamquam amico reuelet secretum cordis, & peccatum hæresis internum illi reuelet, quis dicet hunc incidere in excommunicationem, & dum aliquo modo velit obsecundare amico in re bona; nam si incidit in excommunicationem, peccare sentiendus est mortaliter; atqui eiusmodi homo nullo modo peccat; cuius enim generis est peccarum istud, & quod præceptum est cælandi amicum bonum, tale peccatum? quis vnquam hoc asserat nisi erroneè? manifestatio ergo iudicij hæretici, quod quis habeat, nullo modo ex se potest dici, quod debeat esse intrinsecè mala, atque adeò de naturâ suâ semper, & in omnibus casibus trahere excommunicationem, & præsertim in dictis modò à nobis: Verum quidem est quod non debet negari, quod quando hæresim quis amplectitur in mente, & hac sua manifestatione iudicij hæretici vellet trahere alios ad eamdem hæresim, vel in confirmationem eiusdem illud propalaret, vel contrietatem sui sensûs exprimere vellet contra Ecclesiam; certum est quod excommunicationem traheret in manifestantem illud, & idem à pari dicendum est in manifestatione iudicij, quo quis temerariam æstimaret sententiam de maculatâ Conceptione, & illud proderet exterius amico, vel ad tale iudicium abigendum, & Confessori confitendum, & ab amico ad hoc trahendum, & persuadendum, vt diximus de peccato hæresis; in hoc enim actu nullo modo per hoc esset excommunicatus; vel etiamsi fortibus rationibus conuictus, quod maculatâ sententia sit abiecta à Doctoribus omnibus, & ab Ecclesiâ, & habeat proprietates temeratiæ, eam diceret interius temerariam, & amico fideli, & prudenti, nec propalanti suum secretum diceret secretè, temerarium apud se esse hunc sensum (præsertim æstimans, quod contrariè sentientes non peccarent, quia non sunt prohibiti expresè

projcere talem sensum, sed solum quia ex obiecto sententia temeraria esset peccatum) hic non incideret in excommunicationem certissimè; nam hæc prolatio non æquivaleret absoluto iudicio subdito excommunicationi causæ scandali inter fideles; nec prohibito ab Ecclesia propter aliam causam, nisi quia Ecclesia adhuc de hac re non definiuit, eamque præuenire in hac re solum secretò in ordine ad vnum familiarem, non videtur posse trahere excommunicationem.

13. Sed dices, si vera est hæc doctrina, erit & alia, quod si quis interius amplectitur sententiã de Conceptione maculatâ, si rationibus coniectus æstimaret sententiam de Immaculata temerariam, posset illam eidem propalare, vt temerariam à se iudicatam, nec incidere in excommunicationem; nam non interuenit periculum scandali, & dum Ecclesia non definiuit de re, posset ipse iudicare tantas, & tales rationes abijcientes sensum Immaculatæ, vt ea temeraria posset iudicari ex obiecto.

14. At nulla obiectio, primò quia cum Ecclesia istam censuram reiecerit & damnauerit, non merè prohibuerit propter scandalum, excommunicatio cadit super merè iudicantem externè temeritatem in sententia amplexata ab Ecclesia, & cum ea solemnizantem Festum: nam cum is deberet iudicio Ecclesiæ se submittere, dùm iudicium contrarium exprimeret, & illud propalaret, non ex ignorantia inuincibili: in hac propalatione peccaret mortaliter, nec haberet regulariter; vndè posset excusari à casu in excommunicationem, nisi quando propalaret amico tale iudicium ad illud abigendum, vel quid simile, vt suprà notauimus. Quid autem in hac re sentiendum sit nihil statuo, optarem Sanctissimi Patris mentem explicatam vel iudicium Doctorum quod expecto.

15. Controuerti hîc etiam debet, an saltem à Sixto IV. vsque ad S S. Alexandrum. in excommunicationem incideret, qui merè scripto maculatam tenentem censuraret temeritatis, vel similis: Et ratio difficultatis est quia asserentes in Bullis excommunicantur, non scribentes, & licet asserere applicatum scriptum est etiam scribere, imò maxime scribere. Ex alia parte quia sunt restringenda: & in hac materiâ Pontifices distinctionem egerunt inter assertionem verbo vel scripto; videtur quod dum excommunicatio non expressa est in Bullis non cadit supra scriptionem; nam scriptio non venit necessariò sub nomine assertionis. Sic habes apud Pium V. quod vetuit linguâ vulgari scribi de Conceptione Virginis disputando, concessit autem id fieri Latino sermone in disputationibus publicis; & ratio differentiæ in hoc casu est quia periculum scandali magis vrget in expressione sensûs contra Immaculatam verbo, quàm scripto: quod non solet accendere mentes hominum, eásque inclinare ad contradicendum ijs qui contra sua sensa scribit, quam ad lites gerendas cum iis qui verbo secum contendunt. Tertiò persuadet hoc factum ipsum Pontificum qui communiter scriptionem non subderunt excommunicationi: Et Sixtus ipse IV. quem ipsi sequuti in primâ sola Extrauagante, scriptionem censurantem subdidit excommunicationi, non verò in secunda, quæ sola cum sit apposita in corpore Iuris, fecit primam incognitam, & forte excusantem à peccato propter hanc incognitionem, & quia etiam ipse non posuerit saltem clausulam, noluit scriptioni quæ de facili vsurpatur totam pœnam associare, & cæteri Pontifices similiter egêre. Gregorius XV. scriptionem prohibuit etiam priuatam circa assertionem de Virgine maculata, & multo magis improbauit eam censurantem. Quare videtur quod à se ipsa non remanebat censuræ credita nulla nisi illa Pij scripto. Vndè circa tempus præsens non habet locum hæc quæstio, & multo magis pro tempore hoc quo sactum Alexandri Sanctissimi regnantis diploma vulgatum est, qui cum confirmauerit omnes tres Constitutiones Sixti IV. vt vidimus, & Sixtus IV. iam has scriptiones damnauerat, ipse etiam in hoc casu eam damnauit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVARTA.

De Celebratione Festi Immaculatæ Conceptionis sub sensu maculatæ in originali.

LICET hæc Quæstio ante hanc Bullam potuerit institui, cum temerarium fuerit, saltem post decretum Pij V. de Celebratione Festi Immaculatæ Conceptionis mandata vniuersæ Ecclesiæ, asserere, quod Ecclesia Romana in Conceptione Virginis celebrauerit sub vtraque sententia dante, vel tollente maculam Deiparæ; ipsa enim semper celebrauit sub sensu Immaculatæ; ac posito quod Vniuersa Ecclesia celebrauit in isto sensu, benè potuerit institui quæstio de tali celebratione: Nihilominus cum Aduersarij semper obstinatè contenderint ante Bullam Domini nostri Alexandri, Ecclesiam vniuersalem non celebrauisse determinatè secundum sensum Immaculatæ, volentes frustrari eum fauore, quo eum prosequuti fuêre Summi Pontifices, Ecclesiáque Romana; non habebat hæc quæstio tantum locum, cum putarent Aduersarij ante Gregorium XIII. sibi licitam fuisse celebrationem huius Festi sub nomine Sanctificationis, sub quo iste sensus Immaculatæ videbatur posse benè annecti; & post Greg. XIII. idipsum voluerunt, putantes nomen Conceptionis mutauisse significationem, & æquiuasuisse nomini Sanctificationis. Quapropter sub his terminis non vidi quæstionem agitatam de celebratione Festi Conceptionis sub sensu maculatæ in originali: Nunc verò cum iam certum sit, & declaratum fuerit expressè à SS. Alexandro, quod Ecclesia Romana, & item vniuersalis celebret Conceptionem sub sensu Immaculatæ, quippe quæ celebrat animam SS. Virginis pro instanti suæ creationis, & infusionis in corpus fuisse gratia donatam, & ab originali præseruatam; congruè potest quæri, an si quis obstinatus, & proteruus hoc probè tenens, nollet celebrare sub isto sensu, sed vtens verbis in Ecclesia vsitatis in Missa, & Officio, celebraret in sensu maculatæ, an hic sic sentiens, & celebrans in actu isto celebrationis, peccaret mortaliter, vel minimè; Et rursum secundò potest quæri, an si non in sensu maculatæ celebraret, sed in sensu præscindente ab eo, quod fuerit, vel non fuerit maculata, celebraret, an peccaret item mortaliter, vel potius venialiter, aut nec mortaliter, nec venialiter. Quo dignoscetur apertius qualis celebratio sit vsurpanda omninò in hoc nobilissimo Festo, & quantum debeat Ecclesia tanto Pontifici, qui manifestissimè eam docuit quomodo debeat in posterum celebrari, nulla alia persuasione, vel tergiuersatione admissa, sed prohibita in campum Ecclesiæ descendere: Vndè ponimus hîc nos pro his duobus controuertendis duas Diuisiones, in quibus latè discurremus super vtrumque punctum.

DIVISIO PRIMA.

An sit peccatum mortale celebrare Festum Conceptionis in contrario sensu ab eo Vniuersæ Ecclesiæ, qui est præseruationis Virginis ab originali, eiusque emaculationis ab omni peccato.

NOS quærimus hîc an sit peccatum mortale habere sensum incursus Deiparæ in Originali, cum sententia negatiua videatur approbari à Summis Pontificibus, & ab Alexandro VII. qui vetat in suâ Bullâ hoc affirmari de sententia maculante Deiparam in suâ Conceptione: Sed quæstio est an si quis qui esset in sensu talis maculationis Virginis, celebraret Festum Conceptionis cum hoc sensu, & absque eo, quod illum deponeret, sed seruaret dum laudaret Conceptionem Virginis gloriosam, dignissimam, sanctam, contra sensum quem non definitiuè, sed assertiuè amplexa est Romana, & Vniuersalis Ecclesia, peccaret notabiliter ità sentiens. Et ratio dubitandi est pro parte negatiuâ, quia Ecclesia non definiuit adhuc hanc veritatem de fide, atque adeò videtur reliquisse liberum cuique iudicare de Deiparâ, quod fuerit, vel non fuerit in sui Conceptione maculata; & per consequens cum non appareat, quare in celebratione eiusmodi sensum debeat celebrans deponere; videtur quod eo retento, & applicato celebrationi, non peccet saltem mortaliter, quia non potest ostendi præceptum, quo vrgeatur ad hunc statum positiuè amplectendum emaculationis Deiparæ.

2. Præterea hoc ipsum videtur liquere, quia esto sensum emaculationis huius de Virgine amplexa sit Romana, & Vniuersalis Ecclesia, & secundum eum celebret Conceptionem eius Immaculatam, non tenetur sub mortali eiusmodi Festum celebrare positiuè, & si quis relinquat eius celebrationem ex hoc mero capite, nisi aliud vrgeat scandali vel contemptûs, non videtur obligari sub mortali ad illud celebrandum. Posito ergo quod non tenetur sub mortali celebrare, neque videtur teneri positiuè habere hunc sensum; nam si eum teneretur habere, maximè esset in celebratione, & propter celebrationem; si ergo sub mortali non tenetur quis celebrare Conceptionem Virginis, quæ est quid principalius ab Ecclesia receptum, & volitum, multo minus sub mortali tenebitur ad sensum emaculationis Dei Genitricis, quæ est quid accessorium, & ad summum merè requisitum propter celebrationem.

3. Ex alia parte videtur omninò sub mortali teneri quempiam celebrare Conceptionem Virginis sub sensu eius emaculationis, saltem posito quod eam celebret; nam mortale videtur esse celebrare aliter, ac celebrat Ecclesia, & recedere ab eius sensu vniuersali in eiusmodi celebratione: Nam esto Ecclesia non possit præcipere actus internos absolutè, potest tamen eos præcipere, prout sunt coniuncti, & connexi cum externis: cum ergo externè colat Ecclesia, & præcipiat coli secundum modum, & sensum, quem ipsa colit, qui est notatus, vt patet ex Bullis variis Pontificiis, & non sub aliis modis qui aliter coleret, vtique coleret sub modis prohibitis sub anathemate, & per consequens peccaret mortaliter si coleret in diuerso sensu. Quòd autem coli diuerso modo, seu sub sensu non emaculationis, sed Sanctificationis Virginis prohibuerint Pontifices, patet, quia vetuit vsurpari nomen Sanctificationis Gregorius XV. & hoc ipsum confirmauit Alexander VII. non nisi quia sensum alium ab illo emaculationis afferebat: Quare omninò vetuerunt Pontifices eiusmodi sensum in celebratione Conceptionis Dei Genitricis, & quia illum sub anathemate consequenter vetuerunt, peccatum mortale erit celebrare Conceptionem Mariam cum sensu maculationis eius.

4. Pro solutione autem huius quæstionis, recensendi sunt varij modi celebrationis huius Festi, & primus modus esse potest, si quis in oblatione Sancti Sacrificij, vel in recitatione Officij Conceptionis, vel in assistentia ad idem Sacrificium, ità esset distractus, vt nihil cogitaret de emaculatione, vel maculatione Deiparæ in sui Conceptione. Vel secundò si ità cogitaret, vt suspenderet actum iudicij si fuerit Virgo emaculata in Conceptione vel non: Tertiò, si ità celebraret, vt intenderet celebrare sicuti celebrat Ecclesia Romana, vel Vniuersalis. Vel quartò intenderet celebrare, sicuti celebrauerunt olim antiqui celebrantes, & & aduersantes Conceptioni Immaculatæ. Vel quintò si ità celebraret, vt quamquam sciret Ecclesiam sub verbis vsurpatis in Missa, vel Officio sentire Immaculatam Conceptionem, ipse eam renueret sentire Immaculatam mentiens, & internè quasi contradicens sensui volito & intento ab Ecclesia retento suo peculiari oppositio sensui Ecclesiæ. Vel Sextò si ità festum, & celebritatem ageret, & vsurparet verba vsurpata ab Ecclesiâ ad sensum emaculationis, iis vtendo sub aliquibus restrictionibus, & acceptionibus propriis mentalibus, sub quibus non mentiretur, sed æquiuocatione vteretur; vndè in Oratione si diceret, *Conceptionis eius votiua solemnitas*, pro Conceptione intelligeret non illam naturæ, sed spiritualem, vel Conceptionem prout importat morulam temporis post instans animationis, vel merè carnalem in sensu alienissimo ab intento ab Ecclesia, & contradicente illi, qui Deiparam prorsus emacularet ab originali, & sic de aliis verbis Vel Septimò quando ità celebraret, vt sub æquiuoco celebraret, non habens sensum maculantem Virginem, sed præscindentem ab eo, qui illam macularet, vel emacularet; & de reliquo interpretaretur verba Ecclesiæ in alio sensu ab intento; vt si quis præscindens ab emaculatione vel maculatione Deiparæ, pro Conceptione intelligeret merè carnalem, vel Conceptionem eius spiritualem, quæ scilicet illam constitueret in gratiâ Dei, siue in primo instanti Creationis animæ eius, siue in posteriori, nihil determinans de vtrouis, si scilicet in primo, vel secundo instanti fuerit sanctificata, & sub omnibus istis modis

modis cum possit inueniri celebrans Cõceptionem Virginis; potest quæri de eo, si peccet, vel non peccet mortaliter in variatione celebrationis vsitatæ, & requisitæ ab Ecclesia: Nos autem hic quæstionem restringimus ad quartum, & posteriores modos; nam primus modus non habet peculiarem difficultatem ab eâ, quæ est in inquisitione, quomodo peccet qui sit distractus in recitatione Officij, & similibus; & secundo modo decisio est habenda post posteriorum decisionem: Et quoad tertium modum non est difficultas; nam certum esse debet, quod benè celebraret quis, qui celebraret secundum eum sensum, quem vsurpat Vniuersalis Ecclesia. Pro posterioribus ergo modis resolutio remanet danda, vti fiet in sequentibus, vt subdimus.

5. Prima Conclusio. Peccant mortaliter omnes illi, qui celebrant Festum Conceptionis Virginis sub sensu maculante Deiparam in Conceptione.

Probatur Conclusio primò, quia qui celebrant Conceptionem Virginis sub sensu contrario illi, qui in Ecclesiâ habetur, in tali celebratione peccant mortaliter, sed qui celebrant sub sensu maculante Virginem in Conceptione, celebrãt in sensu contrario illi qui in Ecclesia habetur; ergo peccant mortaliter. Maior patet, quia tenentur fideles celebrare Festa sub sensu habito ab Ecclesia: nam Ecclesia habet potestatem præcipiendi, vt sub hoc, vel illo sensu celebrentur; eius enim munus est instituere, & præcipere festiuitates non profecto in sensu, qui libeat cuicumque fideli, ergo in sensu ab Ecclesiâ præscripto, & declarato: Contrauenire autem huic præcepto, seu huic præscriptioni, & vsurpationi eius, est contrauenire iussis, seu consuetudinibus Ecclesiæ, quæ habent vim legis in re graui; ergo qui contra hanc præscriptionem, & vsum Ecclesiæ operantur, peccant mortaliter. Minor probatur, quia expressè in Bulla Alexandri Domini nostri declaratur in titulo, Constitutiones, & Decreta Pontificia præcipientia, & confirmantia Festum Conceptionis, illud confirmauisse secundum sensum sententiæ asserentis animam B. Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à peccato originali præseruatam fuisse. Quare expressè patet ex tali Bullâ sensum, in quo celebrat Ecclesia Conceptionem Virginis esse exclusiuum originalis: Quare qui celebrarent in sensu inclusiuo originalis, celebrarent sensu contrario illi, in quo celebrat Ecclesia, & celebrauit à tempore Sixti IV. vsque ad præsens; nam in hac Bulla expressè hoc indicatur in ipso titulo per euidentem consequentiam, dum dicitur, antiquas Constitutiones & Decreta Pontificum edita fuisse in fauorem sententiæ emaculantis Deiparam ab originali, & certè in celebratione Festi eius præcipuè, quia ea edita fuêre ad instituendam, vel confirmandam, & approbandam talem celebritatem. Patet secundò hæc veritas Minoris; quia explicitè dicitur talem fuisse, & per consequens esse nunc consuetudinem secundum hunc sensum celebrandi Conceptionem eamdem: nam hæc dicitur consuetudo antiqua fidelium in principio dictæ Bullæ, quæ deinde explicatur continuata; & confirmata ex iussu, & Bullis Pontificiis. Verba Bullæ sunt. [Sanè vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ, & priuilegio intuitu meritorum IESV-CHRISTI eius Filij humani generis Redemptoris à maculâ peccati originalis præseruatam immunem.] Post quæ declarat expressè in hoc sensu celebratam fuisse Conceptionem Virginis, nam subditur immediatè. [Atque in hoc sensu eius Conceptionis festiuitatem solemni ritu colentium, & celebrantium.] Et deindè notat numerum horum cultorum secundum dictum sensum post Bullas Sixti IV. Et tertiò auctam refert hanc pietatem post erectas Religiones, & Confraternitates, & publicatas Indulgentias, & hunc sensum esse omnium fere Catholicorum, certè specialiter in cultu Conceptionis Deiparæ: Quo iterum confirmatur nostra Minor, quæ item dilucidè constat ex eo quod ad hunc sensum vsurpandum in cultu Festi dicitur præscriptum nomen Conceptionis, & prohibitum aliud nomen: nam ait Sanctissimus Dominus de Gregorio XV. [Mandans insuper in fauorem eiusdem sententiæ, vt in Sacro-sancto Missæ Sacrificio, ac diuino Officio celebrandis tam publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicumque debeant.] Et tandem patet, quia reprehendit Pontifex eos, qui ad alium sensum quærunt extorquere sensum Ecclesiæ, qui non sit ille Immaculatæ Conceptionis, & expressè tradit se innouare Bullas suorum Prædecessorum, editas in fauorem Festi, & cultûs secundum sententiam piam Immaculati Conceptûs, dum ait. [Nos considerantes quod sancta Romana Ecclesiâ de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter celebrat, & speciale, & propriam super hoc Officium olim ordinauit, iuxta piam, deuotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanauit, volentésque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundum illam exhibito (in Ecclesia Romanâ post ipsius cultûs institutionem nunquam immutato) Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo fauere, nec non tueri pietatem, & deuotionem hanc colendi, & celebrandi Beatiss. Virg. præueniente scilicet Spiritus sancti gratiâ à peccato originali præseruatam; cupientésque in Christi grege vnitatem spiritûs in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgiis, amotisque scandalis, conseruare, ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam nobis instantiam, & præces; Constitutiones, & decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipuè Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. edita in fauorem sententiæ asserentis animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse, nec non in honorem Festi, & cultûs Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus.]

6. Vbi

6. Vbi patet multotics replicari à Pontifice Festum Conceptionis celebrari in Ecclesiâ sub sensu Immaculatæ Conceptionis, & vltimò innouari, & confirmari Constitutiones Prædecessorum Pontificum in fauorem, huius cultûs exhibiti Virgini secundum piam istam sententiam. Quare non est dubium, quod celebratio Festi huius in Ecclesiâ, modò sit in hoc sensu Immaculatæ, & latè res est hæc probata suprà à nobis disp. 2. diuis. 3. & 4.

7. Nec dici potest Ecclesiam non posse prohibere, nec præcipere actus internos; nam hoc intelligitur per se & directè, non verò prout ij necessarij sunt ad constitutionem actuum externorum humanorum debitè regulandorum secundum regulas supernaturales. Sic quãdo præcipit orare Christiano modo, omninò debet intelligere præcipere aliquem actum internum, qui actionem faciat Christianam, & non merè naturalem, & communem cum Infidelibus; Sic quando præcipit susceptionem alicuius Sacramenti, consequenter præcipit voluntatem aliquam internam illud suscipiendi, vel saltem prohibere censetur voluntatem non suscipiendi fructum Sacramenti.

8. Ex quo conficitur secunda probatio, quia peccare mortaliter nemo negabit eum, qui celebraret Appatitionem Sancti Michaëlis cum sensu contrario, quod Sanctus Michaël nullo modo apparuerit in Ecclesia Christi, vel si celebraret Inuentionem Crucis Christi, cum iudicio contrario, quod Crux Christi non sit inuenta; nam in re graui contraueniret iussis Ecclesiæ, & cultui ab ipsâ præscripto, quod nemo negat esse peccatum mortale; sicuti in re graui contrauenies præcepto sui Superioris, peccat mortaliter. Id quod confirmatur, quia quemadmodum prohibita censentur sub mortali Officia aliqua antiqua, vel partes eorum, vt pote non vndique congruentes sensui Ecclesiæ, & Summorum Pontificum; prout eas prohibuit Pius V. dum dixit in Bullâ appositâ Reformationi Breuiarij, quæ incipit, *Quod à nobis postulat*, in hæc verba. [Alij enim præclaram veteris Breuiarij constitutionem multis locis mutilatam, alij incertis, & alienis quibusdam commutatam deformarunt.] Et de his statuit. [Statuentes Breuiarium ipsum nullo vnquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omninò detrahendum esse.] Si inquam merè addere, vel diminuere aliquid de Breuiario, nemo negabit esse mortale, quia sub pœnâ excommunicationis præcipitur nihil de eo immutari, cum deformius sit eo sensu colere, qui sit contrarius sensui recepto ab Ecclesiâ, nemo non videt, quod sine dubio erit mortale.

9. Probatur tertiò Conclusio, quia mendacium exercere in Missæ Sacrificio, & diuinis laudibus, sine vllo dubio peccatum mortale est propter magnam irreuerentiam, quæ fit Deo, cum quo fit sermo, & ad quem sermo, & diuinæ laudes diriguntur: Sed si quis colat Conceptionem Virginis, eámque celebret vt Immaculatam exterius, & iuxta sensum datum ab Ecclesiâ verbis, & interius eam maculatam sentiat, & affirmet vt sic non laudandam, imò vituperandam censeat, mendacium apertum, & summæ irreuerentiæ committet; ergo peccabit omninò mortaliter ità celebrans. Maior videtur ex se ipsâ patere, quia in re graui mentiri, peccatum mortale est, & mentiri Deo ipsi, certè mortale est, quasi homo ità agat cum Deo, ac si ipse non videat mentis suæ sensum, & sicuti in re manifestâ mentiri Regi, est irrogare illi grauem iniuriam; ità Deo mentiri in omni re, quæ sibi notissima, & enidentissima est, non est nisi graue, & mortale peccatum, est imò de suâ ratione Sacrilegium, vt liquet. Quod autem quis sentiens maculatam Conceptionem, eam dicat Immaculatam, mentiatur, nemo est, qui non videat; Quare omninò liquet peccatum mortale esse celebrare Conceptionem Virginis cum sensu maculatæ.

10. Sed dices mendacium est mentiri Deo, sed qui celebrat Conceptionem maculatam, dicens illam immaculatam in sensu contradicente suo sensui, sed æquiuocando de Immaculatione, nec sumpta hac voce, sicuti sumitur ab Ecclesiâ, & sic non mentitur.

11. At nulla Responsio, quia nostra Conclusio est de eo, qui profert verba Ecclesiæ in sensu Ecclesiæ, & contrariatur merè in interno sensu, & de tali homine decisum est, quod peccet mortaliter. Rursum qui æquiuocat in re graui, vbi non debet æquiuocare, & exterius mentitur, præsertim apud iudicem apud quem debet sinceram veritatem proferre, mortale est regulariter loquendo; multo ergo magis hæc æquiuocatio male exercita cum Deo, peccatum erit mortale iuxta aduertentiam S. Petri *Act.* 5. vbi dixit Ananiæ, *Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri &c.* Et deindè. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Vt ostenderet grauitatem peccati mendacij Dei, esse maiorem, & Sacrilegium.

12. Probatur tertiò Conclusio, quia ante hanc Bullam SS. Alexandri peccatum mortale erat celebrare Festum Conceptionis sub sensu maculatæ contrario illi, cum quo celebrabat Ecclesia, multo ergo magis in præsenti peccatum erit mortale. Antec. probatur ex sensu Doctorum antiquorum, & recentiorum communiter. Pro quo recensendus est primò Salmeron doctissimus vir, vnus ex duobus, qui nomine Pontificiorum Theologorum interfuêre Concilio Tridentino qui de hac re sic pronunciauit lib. 2. in epist. ad Rom. disp. 52. inquiens. [Nemo ergo credat contrarium celebrari ab aliis celebrantibus de Sanctificatione, atque ab Ecclesiâ Romanâ celebratur, alioquin esset Schisma horrendum, & intolerabile.] Si autem Schisma eiusmodi esset, certè omninò peccatum mortale esset; nam mortale absque dubio est Schisma eiusmodi, & sic deforme ab Ecclesia committere. Pro eodem etiam sensu scripsit Catharinus lib. 3. pro Immaculatâ Conceptione, vbi ait Officium Sanctificationis non fuisse contrarium Officio Conceptionis, sed de secundò habet. [Magis exprimere Præseruationis prærogatiuam, quod non exprimit vox ipsa Sanctificationis, licet non repugnet.] Et subdit. [Quod & valdè notandum est, ne quis putet ab Ordine nostro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi Conceptionis, quod si esset, minimè esset ferendum, nec Spiritus Sanctus id permitteret in cultu Dei.] In quibus verbis dum contra dictamen Spiritus Sancti ait Catharinus esse

celebrare

celebrare in contrario sensu ab eo, quæ celebrat Ecclesia Romana, & non esse tolerandum, pro intolerabili, id tradit etiam Catharinus, atque adeò omninò mortale; si enim veniale esset, vtique ferendum posset diu, non verò absolutè non ferendum.

Pro hoc sensu item rectè pronunciauit Calderonius cap. 14. n. 14. qui scripsit. [Si quæ Diœcesis, aut Ordo vellet admittere Festum aliquod Ecclesiæ Romanæ, non poterat sub alio motiuo, aut sensu, quàm sub quo Ecclesia Romana celebrare, neque aliud sibi subiectum sacri cultûs fingere; hoc enim ad substantiam pertinet cultûs, in quo iure diuino, naturali suppositâ Ecclesiæ institutione, tenetur vnus quisque Ecclesiæ, conformari, sicuti tenetur rectè iudicare de sensu, & iudicio Ecclesiæ, cui tamen refragaretur, & quodammodo etiam damnaret, qui alium sensum & obiectum eiusdem Festi comminisceretur, & Officio diuino misceret. Ex quibus liquidò constat longum esse discrimen inter facultatem non celebrandi aliqua Festa Romana, aut noua instituendi, & facultatem celebrandi alio sensu, & mente, quàm quibus Ecclesia ipsa celebrat, & celebrandũ proponit, & ex illâ hæc minimè possit inferri.] In quibus dum dicitur celebrationem in alio, & contrario sensu ab illo Ecclesiæ repugnare iuri diuino & naturali in materia certè graui, omninò adstipulatur esse quid peccaminosum mortaliter, non solùm venialiter. Id ipsum habet idem auctor maiori cum asseuerantiâ, loquens de tempore post Greg XV. ait num. 18. [Si quis intelligeret sub nomine santificationis eam, quæ facta est post contractum in primo instanti vitæ peccatum originale, & hunc sensum priuatum sacræ actioni misceret, illicitè ageret, & in Ecclesiæ iura peccaret.] Vbi dum loquitur de læsione Iurium Ecclesiæ in re graui, nonnisi mortale peccatum induit.] Et nu. 22. [quantam autem iniuriam irroget Ordini Dominicano Libellator, nemo non videt, cum ei tribuat Officium & sensum cum mente Ecclesiæ Romanæ pugnantem, atque prohibitum, vt satis superque ex dictis liquet.] Dum ergo agnoscit hanc diuersitatem sensûs esse prohibitam, & iniuriosam Ordini Dominicano, vtiq; de noxâ loquitur graui, & mortali ex genere suo; nam si loqueretur de veniali, id facile posset amoueri, & iniuriam depellere.

Idem confirmat, & sonat Cismontana Familia in Arm. Seraph. pag. 367. n. 120. dicens. [Cæterum præter antiquam, & legitimam consuetudinem habemus Apostolicam legem expressam, non quidem præcipientem, Præseruationis mysterium teneri vt certum Fide diuinâ, sed prohibentem interpretari sensum Festi de sola spirituali Conceptione, vel Santificatione, & consequenter declarantem Festum celebrari ab Ecclesiâ Catholicâ in honorem B. Virginis à peccato originali præseruatæ. Art 2. num 8 q. 10. 11. col. 58. Quam legem, & Officij specialis institutionem attendens Illustriss. Cathar. hunc titulum Parti secundæ suæ disputationis ad Concil. Trident. apposuit. *Pars secunda, in qua ostenditur, omnes fideles teneri ad celebrandum diem festum immaculatæ Conceptionis B. Virginis sub ipsomet Immaculatæ Conceptionis titulo, & iuxta sensum Pontificio decreto expressum.* Non erat quidem tunc præceptum celebrandi; sed non celebrandi aliter, vel alio sensu, quàm à Sede Apostolicâ concessum, aut permissum esset; quod transgrediebantur nonnulli ex celebratoribus sanctificationis, quantumvis concessionem, & approbationem Sedis Apostolicæ, & nominatim Iulij III iactent, quod iam num. 26. reiectum est. Postquam autem fœl. record. Pius V. festum Conceptionis ex libero obligatorium fecit, & Gregor. XV. aliud nomen præter Conceptionem prohibuit, omnes tenentur ad celebrationem sanctæ vel Immaculatæ Conceptionis iuxta diuersas recitandi formulas ab Ecclesiâ legitimè approbatas: nam consuetudo eadem est, tam sub dictis nominibus, quàm sub aliis à sensu Ecclesiæ non discedentibus, qui si peruertatur, iam consuetudo in abusum migrabit.

Quod autem Aduersarij ægrè ferunt, consuetudinem Ecclesiæ strictè, & rigorosè sumi, & sanctorum Patrum auctoritati dissertè præferri; abstineant, oramus, ab iâ, & indignatione; cum quod in nobis reprehendunt, à D. Thoma didicerimus, 3. p. q. 68. artic. 10. & 2. 2. q. 10. art. 12. cuius verba sunt. [Dicendum est, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ in omnibus imitanda est; quia & ipsa doctorum Catholicorum doctrina ab Ecclesiâ auctoritatem habet: vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quàm Augustini, vel Hieronymi, vel alterius cuiuscunque Doctoris.] Nec loquebatur Angelicus Doctor de consuetudinibus Ecclesiæ sub præcepto stabilitis, sed absque determinatione, vsu tantum receptis: subdit enim: [Hoc autem Ecclesiæ vsus nunquam habuit, quod filij Iudæorum parentibus inuitis baptizarentur. Imò non solùm Romanæ Ecclesiæ consuetudines, sed particularium Ecclesiarum, insignium, multorúmque Doctorum sententiis præferendas esse fatetur.] Caiet. 3. p. q. 74. art. 3. propter auctoritatem (inquit) Spiritus sancti gubernantis Ecclesiam; nam ob similes particulares consuetudines, venerabiliter sustinent Theologi, plures Sacerdotes consecrare eandem hostiam. Quæ etiam videtur mens D. Thomæ, qui 2. 2. q. 93. art. 1. ad 3. ait, diuersas Ecclesiæ consuetudines in cultu diuino in nullo repugnare veritati, ac proinde seruandas esse *Quis enim ferat*, (verba sunt Concil. Mileuit. 11. cap. 8.) *orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem*? Hæc ad idem pertinent.

15. Probatur quartò Conclusio, quia deficit grauiter, imo notabiliter, & in summo gradu in celebratione Festorum communium toti Ecclesiæ, peccat mortaliter; sed qui celebrat Festum Immaculatæ Conceptionis in sensu contrario maculatæ, deficit grauiter, notabiliter, & in summo gradu in celebratione Festorum communium toti Ecclesiæ; ergo qui celebrat Festum Immaculatæ sub sensu maculatæ, peccat mortaliter. Maior patet, quia qui deficit in summo gradu in celebratione Festorum, ità maximè in re principali Ecclesiæ, & in præcepto principali eius, quod reducitur ad tertium præceptum Decalogi, quod iubet vt Sabbata, seu Festi dies sacrati Deo sanctificentur; qui autem in summo, &

magno gradu deficit in principali præcepto Ecclesiæ, & re eius principali, & maximè pertinente ad cultum diuinum, peccat mortaliter, vt patet; ergo qui taliter deficit in tali materia Festorum, omninò peccat mortaliter. Minor item manifesta est, quia qui celebrat in sensu contrario maculatæ Conceptionis, omninò tollit, & destruit, quod ipsa ponit, & opponitur Ecclesiæ mandatis, & sensui, valdè deficit, & non videtur magis posse deficere; nam destruit, & tollit sensum eius ex diametro, in quo maximè fundatur celebratio Festorum. Quare non apparet quomodo quis possit à mortali peccato excusari, si ità contrariè celebrat.

16. Probatur quintò Conclusio, quia certum est, quod fideles in celebratione Festorum, & cultu publico debent sequi sensum Ecclesiæ, vt saltem ei non contradicant sub peccato mortali; sed qui celebrant in sensu maculatæ, non sequuntur sensum Ecclesiæ, & ei contradicunt; ergo peccant mortaliter. Maior patet, quia in cultu publico debent sequi fideles institutionem Ecclesiæ, non sensum proprium; neque enim ij debent, vel possunt præscribere cultum, & celebritatem publicam, & omninò si Ecclesia vnum quid præscribat, ipsi non possunt nisi sub mortali ei contraire; nam alioqui iniurij ei essent grauiter, & impiè se gererent contra Magistram veritatis, si celebrarent in sensu contrario illi, qui est Ecclesiæ, & melius iudicarent quàm illa, atque adeò auctoritatem sibi ascribant decernendi quod melius sit agere quod ipsi iudicant, quàm quod Ecclesia vsurpat, iudicat, & præcipit; hoc enim esset eam depellere de suo gradu, eámque maximè conculcare, & in opprobrium reddere, quod certè est peccatum mortale, & in hac re non aliter se gererent in hac, quàm Hæretici, qui passim eam vituperant, & se melius agentes, quàm ipsa in rebus spectantibus ad diuinum cultum blaterant. Vndè non apparet quomodo possint à peccato mortali excusari.

17. Probatur sextò Conclusio, quia qui celebrat in sensu contrario illi, qui est Ecclesiæ, exponit se maximo & euidenti periculo erroris colendi scilicet sanctitatem in Virgine mendacem, quæ ab eâ scilicet expulerit originale peccatum, quod verè non expulit, & sic exponit se periculo inhonorandi Virginem, dum inclinat intellectum positiuè ad eam æstimandam peccatricem, hoc est in genere suo peccaminosum mortaliter, saltem post quam Ecclesia Vniuersa eam colit, & celebrat, vt ab originali præseruatam; ergo qui sic colit, peccat mortaliter. Maior probatur manifestè; nam nullum potest excogitari maius periculum erroris in hac re, dum quis in cultu publico nolit sequi sensum Vniuersæ Ecclesiæ, & ei vult contraire, quæ nunquam in aliquo simili erranit, vel saltem difficillimè potest errare, quod dico ad conuincendos Aduersarios, cùm de reliquo ipse cum aliquibus paucis possit errare facillimè; & in hac materiâ constat suos commilitones sæpè sæpiùs erranisse erroribus iam damnatis ab Ecclesiâ. Quare apertè patet posse optimè æstimari quod ac illimè ij possint falli in hoc sensu, & consequenter eos sequi, relicto, contradicto sensu Ecclesiæ, & manifestè se exponere magno periculo erroris, quod in re graui peccatum mortale esset, dum tale quid quis videns & volens in hoc periculum, se implicat, & eligit, & non vult vllo modo vitare.

18. Confirmatur totum hoc, quia sicuti Summus Pontifex, si modò coleret Conceptionem Virginis in sensu contrario ab illo, quo eam colit Ecclesia Vniuersa, peccaret mortaliter, dum ipsi suæ Ecclesiæ contrairet; ità pariter, & omnis alius fidelis. Antecedens autem patet, quia dum ipse declararet, vt Pontifex secundum sensum Immaculatæ Ecclesiam colere Virginis Conceptionem, & se ei fauere, vt Doctor Ecclesiæ, & ipse deinde vt priuatus Doctor, & persona particularis contra sensum Ecclesiæ pronunciaret, vel iudicaret, contemptui certè haberet sanctam Ecclesiam, & postponeret iudicium Pontificis iudicio priuati Doctoris, quod certè dicit enormitatem iudicij, nec potest excusari à peccato mortali, vt liquet; quæ ratio militat pro quolibet fideli, qui in praxi vellet colere cum sensu contrario sensui Ecclesiæ, Pontificis, vt Pontificis. In re enim tam graui colendi sanctitatem mendacem in cultu publico nemo non videt, quod non debet quis tutissimæ parti se opponere, eique contraire.

19. Probatur septimò, quia in cultu publico debet quis sequi doctrinam, in quâ non potest inueniri, & in quâ nunquam in simili est inuenta falsitas; & omninò peccat mortaliter, si ei contradicat, agnoscens quod in ea, vel non possit esse falsitas, vel nunquam non fuerit; sed talis est doctrina, & sensus Ecclesiæ in hoc sensu: ergo peccat mortaliter, qui in hac re sequitur sensum contrarium sensui Ecclesiæ; & Maior argumenti est manifesta, nam in supernaturalibus veritatibus amplectendis, amplecti falsum de se est quid difforme mortaliter, vt patet. Minor patet, quia in in Ecclesiâ, quæ pertinent ad cultum Dei, nunquam inuenta sunt falsa. Sic Eusebius Pontifex epist. 3. ad Episcopos Tusciæ ait, *in Sede Apostolicâ extra maculam semper est Catholica seruata Religio.* Et Marcus Papa in Epist. ad S. Athanas. in Actis Concilij Nicæni, provt citatur in Decr. 24 q. 1. cap. 14. dicitur, [Nos, & vos, illósque absque vllâ in posterum titubatione vnum sentire optaremus, & sancta Ecclesia Romana, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & B. Petro Apostolo opem ferente, & in futuro manebit.] Sic Hieronymus in epist. ad Damasum, provt habetur Canone 24 q. 1. cap. 14. [Si autem hæc nostra confessio, quæ certè non erat de articuculis, & definitis de fide, Apostolatûs tui iudicio comprobatur quicumque me culpare voluerit se impium vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.] Et idem Marcus Papa in Epist. ad Athan. [Hæc Apostolorum vera traditio, hæc est vera charitas, quæ prædicanda est, & præcipuè diligenda, & fouenda, ac fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta, & Apostolica Mater Ecclesiarum omnium Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erasse probatur, nec Hæreticorum nouitatibus depra-

uanda

uanda ſuccumbit.] Quo conſtat peccare mortali ter eos, qui in cultu Religioſo, & ſupernaturali ſequuntur ſenſum errori expoſitum, poſtpoſito illo qui ab errore eſt alieniſſimus.

Probatur octauò Concluſio, quia mortale omninò peccatum debet cenſeri, non ſolùm contraire ſenſui Eccleſiæ in cultu ſacro, ſed etiam receptis eius conſuetudinibus, in quibus etiam non ſit ſenſus in eis incluſus definitus de fide. Sed qui celebrant Conceptionem maculatam Virginis, celebrant in ſenſu contrario ſenſui conſueto, & conſuetudine recepto in Eccleſiâ; ergo qui ſic celebrant, peccant mortaliter. Maior argumenti patet ex communi doctrina Doctorum provt de ea teſtatur Neribergh de Sanctitate inſtituti Feſti Conceptionis, vbi ait. [Maximam vim mihi videtur habere ratiocinatio illa Antonij Cordubæ lib. 1. qu. 24. quia omnes Sancti atque Doctores hoc docent.] Vbi plura alia legenda eſſent quæ ſcripſit Corduba, & ego legi, & cum non regiſtrauerim cuncta, aduerti debet me malè notaſſe locum Neribergh qui in hoc Autore diligens eſt; his citatis duabus lineis, animaduertet in Corduba, vel in ipſo Neribergh quæ pro re faciunt: ſæpè occurrunt hæc Doctorum loca perlegere, & non notata non poſſe inuenire. Corduba in fonte legendus eſt, ſed ſtudioſus Lector hoc agat; nam cogimur quamprimum hæc typis admittere, & fracti viribus corporis, & temporis anguſtiis preſſi, alia ſunt agenda, quæ impediunt ne tranſcribamus integrum dictum huius Auctoris. Id quod confirmat S. Thomas paulò ante citatus 2.2. q. 10 & 3. p.

Quemadmodum ergo dicendus eſſet peccare mortaliter, qui contra hanc conſuetudinem baptizaret filios Iudæorum inuitis parentibus; ita ſimiliter eiuſdem peccati reus dicendus eſt, qui contra conſuetudinem Eccleſiæ per ſæcula celebrantis Conceptionem Virginis immaculatam eam celebraret vt maculatam; Vndè benè ſubdidit Neriberg. [Vbi nota quod non ſolum quæ Eccleſia mandat (provt in caſu noſtro contingit) atque determinat, dicit eſſe tenenda, ſed ea, quæ abſque determinatione recipit in vſum, imò & ea, quæ non recipit, cauenda ſunt.] Quæ doctrina confirmatur ex S. Auguſt. Epiſt. 118. cap. 5. dicente. [De eo, quod vniuerſa Eccleſia facit, quin ità faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.] Si autem inſolentiſſima inſania eſt deprauatio conſuetudinis Eccleſiaſticæ, quis non videt, quod peccati mortalis reum facit deprauantem, qui tam longe alienatur à recto dictamine rationis in re graui.

Probatur nonò Concluſio, quia ſi quis celebrauiſſet Feſtum S. Rochi, & S. Conradi in alieno ſenſu, & contrario illi, quo conſueuit eorum feſta celebrare Eccleſia, antequam hi ſancti à ſummis Pontificibus declararentur, vt ſancti expreſſè, certè peccauiſſet mortaliter cum feciſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ; ergo à pari, qui celebraret feſtum Conceptionis Deiparentis in ſenſu contrario illi conſuetudini eiuſdem Eccleſiæ, peccaret mortaliter. Conſequ. patet à pari, imò à fortiori, quia feſtum Conceptionis fuit multo antiquius celebratum in Eccleſiâ feſto S. Rochi, quod incæpit celebrari anno 1414. ſine vllâ expreſſione, & voluntate declaratâ Pontificis: nam Patres Baſilienſes anno 1439. Feſtum ſacræ Conceptionis Virginis, vt antiquum declarauerunt. Antecedens patet, quia ſecundum omnium Doctorum aduertentiam, conſuetudo Eccleſiæ fuit ſufficiens ad Canonizationem horum Sanctorum; & quemadmodum peccat mortaliter, qui ſanctos Canonizatos non vult colere & colat in diſtorto ſenſu ab illo Eccleſiæ; Ità qui non coluiſſet S. Rochum, & S. Conradum in ſenſu conſuetudinis Eccleſiæ, ſed in alio ipſi contrario, omninò, etiam peccaret mortaliter. Quod autem feſtum S. Rochi introductum ſit ex merâ conſuetudine Eccleſiæ, patet ex Martyrologio, quod hoc declarat, & Baronio in notis ad idem Martyrologium, qui narrat à Patribus Concilij Conſtantienſis inuocatum fuiſſe ad peſtem propulſandam, & honores ei traditos Sanctis debitos. Vndè ait, virtutes eius anno 1414. innotuiſſe Patribus Concilij Conſtantienſis, quorum decreto ad populſandam ingruentem luem eidem honores ſanctis debiti, ſunt impenſi: nam & ſolemni pompâ eius imaginem, omni comitante populo, per Vrbem detulerunt; quo facto, illa peſtis mox euanuit. Indè verò exemplum ſumptum eſt, vt vbique locorum eius venerandæ Imagines, Altaria Sacella, ac denique Templa erecta ferint. Tranſlatum eius corpus Venetias fuerunt anno Domini 1485. Et addit Neribergh his verbis de ſanctitate inſtituti feſti Conceptionis §. 16. in hæc verba. [Atque hodie penè vbique terrarum, ſingulis annis annuâ feſtiuitate, Miſſa celebratur die illo Notandum eſt cœpiſſe conſuetudinem colendi ſanctum Rochum ab anno 1414. tunc ſcilicet cum iam conſuetudo colendi Immaculatam Conceptionem, antiqua erat in Eccleſiâ Romanâ, pro vt teſtantur Patres Concilij Baſileenſis, quod paulò poſt fuit congregatum, nimirum anno 1439. Qui Patres in ratione hiſtoriæ omninò ſunt credendi; nam in decreto ſuo dicunt inſtituere celebrationem de ſancta Virginis Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias, ſexto Idûs Decembris, antiqua, & laudabili conſuetudine celebratur. Cur igitur tam antiqua, & laudabilis conſuetudo circa ſanctitatem Immaculatæ Conceptionis, vim maiorem habebit quàm recens conſuetudo circa ſanctitatem priuati hominis.]

22. Probatur decimò Concluſio, quia ſi celebrari poſſet ſine peccato mortali Conceptio Virginis ſub ſenſu maculatæ in primo inſtanti animationis, & ſanctificatæ poſt tale inſtans, vel celebraretur Conceptio Virginis celebrata ab Eccleſiâ, vel non; neutrum dici poteſt: ergo non poteſt celebrari ſine peccato Conceptio Virginis in ſenſu maculatæ. Sequela patet, Minor probatur quo ad primam partem, quia Conceptio celebrata ab Eccleſia ex declaratione ſanctiſſimi Alexandri eſt Conceptio quæ dicit animæ creationem, & infuſionem in corpus; Sed hæc ex Aduerſarijs eſt maculata vt ſic, nec celebrabilis, ergo non poteſt celebrari dicente Cypriano ſerm. 113. de Sancto quodam, [Quid eſt hoc Fratres, quando natus ſit ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem eius hodie celebramus: ſed illum non celebraremus etiam ſi noſſemus, illo enim die

die traxit, originale peccatum, isto autem die vicit omne peccatum.] Et sic patet prima pars dilemmatis. Secunda probatur, quia si non celebraretur Conceptio celebrata ab Ecclesia, ergo celebraretur alia festiuitas cultu publico sine consensu, imò cum opposito sensu Ecclesiæ, & sic omninò committeretur mortale peccatum in tali celebratione contra placitum Ecclesiæ. Vbi locum habet id quod aduertitur, quod celebratio sanctificationis Virginis quæ surrexerit à peccato, teste Catharino, fuit inuecta ex æmulatione festi Conceptionis Immaculatæ numquam ab Ecclesiâ instituti, esto permissi ad vitandum maius malum; & omninò abrogati per decretum Gregorij XV. testatur autem hoc Catharinus in disp. de hac re, colum. 109. ex Cism. Familia, in Arm. pag. 273. parte 2. sic scribens. [Ecclesia Nativitatem celebrabat, in quâ sanctificatio in vtero celebrabatur, sicut testatur B. Bernardus, sic Sanctificatio Beati Ioannis Baptistæ honoratur, dum eius celebratur Natiuitas; numquam ergo celebrauit sub nomine Sanctificationis, sed dies ille infestiuus in Ecclesiâ transibat.] Et deinde. [Festum autem sanctificationis post modo superfluo est introductum, (atque adeò illegitimè continuatum; nam sine vllâ facultate Pontificis celebratum fuit) ad æmulationem versus Ecclesiam, quæ sub nomine Conceptionis celebrabat.] Vndè Anonymus sæpè impugnatus dixit, quod ad fugiendam æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam vtebantur voce Sanctificationis.

Probatur vndecimò Conclusio, quia celebrare in cultu publico cum mendacio, est peccatum mortale: sed si quis non celebraret Immaculatam Conceptionem pro vt præcipit Ecclesia, committeret mendacium solemne; ergo peccaret mortaliter: Maior patet, quia mendacium in sermone cum Deo, & cultu Diuino, est mentiri Deo; sed mentiri Deo est peccatum mortale: ergo mendacium in sermone cum Deo, & cultu Dei est peccatum mortale. Id quod perspicuum est ex Concilio Misenit. 2. cap. 8. quod dixit, *Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem.* Minor autem quod celebrare in sensu maculatæ sit mendacium, attentis verbis quæ vsurpat in hoc festo Ecclesia, patet: quia dum ipsa laudat Conceptionem Virginis stantem pro primâ suâ animatione, eam omninò laudat, non quia peccaminosa in originali, sed vt ab eo [illegible]ena, & sancta & expresse cum dicat eam sanctam; si dicatur sancta cum ipsa intelligatur peccato originali fœdata, iam mendacium apertè committitur, & verba non conformantur sensui. Id quod conuincitur ex ipso Catharino, qui omninò supponit quod si celebraretur in sensu maculatæ Conceptio Virginis, medacium committeretur, nam ait parte secunda citatâ [Quod, & valdè notandum est, ne quis putet ab Ordine nostro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi Conceptionis.] Vndè ibidem notat quod Religio Dominicana quæ celebrabat tempore Bandeli hoc sensu, mutauit Officium Bandelicum in aliud, in quo sanctitatem præcisè Virginis coluit sine contrarietate sensûs maculatis Deiparam. Et rursum notat quod valdè pauci ex suis celebrauerunt in sensu Bandeli, & refert Patres Gallos, & Transalpinos celebrasse in sensu Conceptionis Immaculatæ, dicens lib. primo disp. pro Immaculata Conceptione. [Quem ritum iam communiter omnes Ordines, vt par erat receperunt (scilicet celebrandi sub sensu Immaculatæ) nostro dumtaxat excepto, qui etiam in hoc diuisus est; nam in toto Christianissimo Regno sub eo nomine absque scrupulo Fratres nostri eam celebrant solemnitatem.] Et in disp. ad Patres Conc. Trid. parte secunda. [Quin & ipse noster Ordo secum minimè constat, nam Transalpini Fratres nostri Ordinis sapientissimè concedunt, & morem Vniuersalis Ecclesiæ sequuntur sub nomine Conceptionis celebrantes, inter quos tamen non desunt doctissimi Patres, & Magistri qui in lectione B. Thomæ Italis non cedunt.] Et rursum. [Nolo tamen latere quemquam quod & si nostri celebrent in Italiâ de Sanctificatione, nihil tamen contrarium veritati eos celebrare, quod multi nesciunt.] Vbi celebrantes sub sensu maculatæ contrarium veritati celebrare contendit & supponit, atque adeo mendacium committere.

23 Probatur duodecimò Conclusio, quia qui celebraret in sensu Maculatæ Conceptionis, eodem modo se haberet, ac sè habuissent Patres Dominicani Senis, si non obediuissent Pontifici quando Leo X. eis præcepit vt celebrarent sub sensu Immaculatę, sicuti celebrabat ex voto Ciuitas Senensis: sed Patres Dominicani si non celebrauissent sub sensu Immaculatæ, sed maculatæ, eo tempore peccauissent mortaliter; quod omninò peccatum vitauêre obsequentes mandato Pontificis; ergo peccaret mortaliter, qui modo celebraret sub maculatæ. Maior patet, quia eodem modo tenentur nunc omnes celebrare sub sensu Immaculatæ, sicuti antea illi Patres Senis; nam par præceptum extat modò pro omnibus fidelibus, aç pro Fratribus Dominicanis, Senis eo tempore degentibus fuit datum. Minor item certa est quod tunc Patres Dominicani degentes Senis, si non celebrauissent Immaculatam Conceptionem peccassent mortaliter, quia Calderonius pro titulo Immac. Concep. cap. 13. n. 16. ex Catharino refert sequentia. [Fratres Prædicatores qui in Vrbe Senensi, & toto eius Dominio degebant, tamdiù ante Catharinum celebrabant Festum sub nomine Conceptionis; cum enim ea Vrbs anno 1520. vouisset Festum Conceptionis ab omnibus in suâ ditione degentibus celebrandum: renuebant Dominicani, ortum est dissidium inter eos, & Senenses. Res delata est ad Summum Pontificem, nempe Leonem decimum, qui expedito diplomate iussit, vt Dominicani Senensibus conformarentur, celebrarentque Festum Conceptionis, vt illi vouerant: Quod ipsi fecerunt, Pontifici obsequentes. Ità refert oculatus testis Ambrosius Catharinus in prefatione ad Capitulum Generale sui Ordinis, & in Libro de hac Controuersia.]

[Hic non est silentio prætereundum Dominicanos illius ditionis ex præcepto Sedis Apostolicæ, centum & amplius annis ante Decretum Gregorij XV. celebrasse Festum Immaculatæ Conceptionis, & quidem iuxta Officium Nugarolicum, hoc enim tunc temporis erat in Breuiario Romano, & ab omnibus fre-

quentaba

quentrabatur, qui Festum Conceptionis vouerant. Quare, cum Pontifex iusserit vt Dominicani Senis degentes Festum celebrarent, quod vouerant Senenses, præcepisse eis vsum Officij Nugarolici, dubitandum non est. Nunc videat, quid agat Libellator noster, qui ex præcepto vtendi nomine Conceptionis à Gregorio, etiam Dominicanis, impositio, argumentantur, cum sub ea voce aliquid indifferens ad vtramque sententiam intellexisse, ne præiudiciũ inferat Sectatoribus affirmatiuæ, sibiq; sit contrarius; cum hoc præiudicium iam fuerit ante centum annos illatum Dominicanis Senensibus à Leone, præceptumque impositum vtendi nomine Conceptionis, non vtcumque, sed Conceptionis Immaculatæ; Atque id tandem discat vtile esse argumentum, optiméque cohærere, quis priuatim sensiat Virginem in peccato Originli conceptam fuisse, & tamen præcepto Ecclesiæ Conceptionem eius vt Immaculatam colat. Nam, & Leo non interdixit Dominicanis illis ad sensum suæ sententiæ, sed poterant ij ipsi, qui in die Conceptionis in Templo Immaculatam celebrabant, eodem die in Gymnasio publicè Maculatam defenderent, & tamen non erat sibi contrarius Leo, qui hoc permittebat, & illud iusserat. Nedum sic Gregorius præcipiens nomen Conceptionis iis, quos ne priuatim quidem aduersus Immaculatam musitare permittit. Hæc lector expendat, & iungat iis, quæ diximus capite præcedenti.]

24. Sed objcies 1. Dicta hæc omnia probare intentum in iis, quæ præcipit Ecclesia, vel consuetudini vniuersali committit, nullà factà permissione sensùs oppositi, & sic ità celebraret Festum Immaculatæ Conceptionis; vt non admitteret teneri à fidelibus Virginem maculatam; verũ esset quod peccaret mortaliter, qui in sensu maculatæ celebraret, cum ergo sensum maculatæ ipsa permittat Ecclesia, nulla est ratio quare denegetur fidelibus hic idem sensus retentus in celebratione, & perconsequens nullâ ratione is peccatum mortale induceret in celebratione.

25. Sed hæc obiectio prorsus nulla est; nam esto Ecclesia permittat sensum maculatæ Conceptionis extra cultum publicum, nullo modo eum permittit in cultu publico: esset enim omninò sibi contraria, & permitteret aliquid contrarium illi quod ipsa præcipit, & decernit, vt rectè factum, & faciendum ab omnibus fidelibus: Rursum hæc permissio nunquam in celebratione fuit concessa, aut audita similis ab Ecclesia nec haberi tentata: Monstrum est enim quoddam, horrendum hoc in ea fingere, vt à se volitum, & permissum: nec potest iustificari nisi ex eo quod admitterentur publicæ celebrationes in Ecclesia de sensibus opposiris, & rursum consuetudines celebrationum oppositarum quæ omnia sunt apertè repugnantia. Et rursum si hæc permissio si modò esset concessa ab Ecclesia, doberet constare, cum contra constet oppositum, & præterea cum expresè hæc permissio fuerit prætensa antiquis temporibus, & nunquam etiam in illis habita: apparet manifestè quod temerariè vel erronee in præsenti possit dici durare, dum prohibita sit celebratio sub ratione Sanctificationis absolutè, ne dum Sanctificationis cum delectione maculatæ præsuppositæ. Quibus adde quod non valet id quod permittitur in priuato fidelibus sentire, liceat item in publico cultu exercere; nam permissum est Arianis suas rationes proponere in Concilio pro sensu negatæ Deitatis Filio Dei, sed non propterea eo tunc poterat permitti in cultu publico eadem negatio exprimi; & sic de similibus, vbi non per extensum hanc obiectionem reijcimus, quia ex dictis ea ab ipso Lectore satis vt falsum continens reperitur.

26. Obijcies secundò. Olim permissa fuit celebratio sub hoc sensu maculatæ, ergo & modò permissa est, cum Sanctissimus Pontifex Alexander nihil aliud egit quàm confirmare antecedentes Bullas Pontificum.

27. Respondeo nego Antec. vt probaui Opusculo hoc antecedenti secundo, latè, & demonstrat Calderonius item cum Cismontana Familia, & aliis.

Respondeo secundò, esto permissa, permissa certè fuit vt permittuntur meretrices, & de facto Dominicana Religio ad eam extirpandam relegauit Officium Bandelicum quod sic celebrabat.

Respondeo tertiò, esto olim permissa fuit; modò talem permissionem abrogauit sanctissimus Alexander VII. declarauit Ecclesiam in sensu Immaculatæ celebrare, & debere celebrari Conceptionem Deiparæ etiam in sensu, & placito antecessorum suorum: Sic de Sancto Conrado scitur quod sine canonizatione solemni sanctus sit nominatus ab Vrbano VIII. in indulto pro Cappucinis qui fuit recentior viginti quatuor annis sancto Roccho, & sic habitus sanctus merè per consuetudinem: quam in cultu infringere certè mortale erat, saltem si vniuersalis fuisset in totâ Ecclesiâ consuetudo celebrandi eius Festum. Pari ergo ratione id ipsum est dicendum in celebratione sanctæ Conceptionis Virginis, cum sensu contrario illi quem consuetudo seruauit Ecclesiæ.

Probatur, secundò Conclusio, quia peccaret mortaliter, qui contraueniret consuetudini Ecclesiæ de non dandâ communione in vtraque specie Laicis, & certè peccaret mortaliter qui Laicis Sanguinem, & Corpus Domini ministraret, vel sumeret sub specie vini: ergo pariter qui contrairet consuetudini Ecclesiæ Vniuersali de Conceptionis Deiparæ celebratione in contrario sensu ab illo Ecclesiæ; omninò item dicendum est quod peccaret mortaliter: Consequentia patet ex paritate rationis, & Antecedens est manifestum ex definitione Martini V. in Concilio Generali Constantiensi in Bullaquæ incipit, *Inter cunctas*, vbi præcipitur interrogari suspectos de hæresi de aliquibus, & dicitur. [Vtrum credat quod illud quod Sacrum Concilium Constantiense Vniuersam Ecclesiam repræsentans, approbauit, & approbat in fauorem fidei, & salutem animarum, quod hoc est ab vniuersis Christi fidelibus approbandum, & tenendum: & quod condemnauit, & condemnat esse fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum.] Et infra: [Item vtrum credant quod consuetudo communicandi

perſonas Laicales ſub ſpecie panis, tantum ab Eccleſiâ Vniuerſali obſeruata, & per ſactum Concilium Conſtantiæ approbata, ſit ſeruanda; ſic, quod non liceat eam reprobare aut ſine Eccleſiæ auctoritate ſuo libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppoſitum præmiſſorum, tamquam hæretici, vel ſapientes hæreſim ſint arcendi, & puniendi.] Vbi patet quod in errorem vel inobedientiam hæreticalem dicitur incidere omnis ille qui approbatas ab Eccleſiâ conſuetudines ſequendas, & vſurpandas, & praxi donandas negaret, & ſentiret contra talem vſurpationem & vſum: Quare à pari multo magis erraret & peccaret grauiter, & mortaliter ille qui in caſu noſtro dum Vniuerſa Eccleſia Catholica celebrat ſub ſenſu Immaculatæ Conceptionem Virginis, & ſub hoc ſenſu debere celebrari declarat & præcipit; ipſe tamen velit in contrario ſenſu celebrare, & ſub illo maculatæ de facto celebret: Nam non eſt ratio quæ pro genere dicto concludat, & non inferat pro ſpecie hac noſtra, cum Concilium Conſtantienſe declaret ſic ſentientes habendos, & tractandos tamquam hæreticos, vel ſapientes hæreſim, & ab Eccleſiâ ſeparandos & puniendos.

29. Probatur 13. Concluſio ex alio pari, quia celebrare feſtum Paſchatis, illudque celebrauiſſe poſt introductam vniuerſalem conſuetudinem in Eccleſiâ in alia die à deputato ab Eccleſiâ, certè peccatum mortale fuiſſet, & eſſet: ergo multo magis peccatum mortale erit in ſenſu maculatæ celebrare ſanctiſſimam Conceptionem Virginis contra conſuetudinem Vniuerſæ Eccleſiæ: Conſequentia perſpicua eſt, quia ſi meræ circumſtantiæ Feſti Paſchalis celebrandi in Eccleſiâ mutatæ in conſuetudine eius, mortale cauſarent peccatum, quanto magis illud cauſaret ſubſtantia celebrationis alia, & contraria illi quam inuexit vniuerſalis conſuetudo in ea. Antecedens patet ex Concilio Nicæno quod præcepit ſtato vno die celebrandum Paſcha, vt conſtat ex Niceph. lib. 8. cap. 25. & legitur in Piſſanis actis Nicæni tom. 2. Concil. Venetæ edit. lib. 4. & patet ex Epiſtola Conſtantini Maximi ad Alexandrinos, cuius ſenſus confirmatus eſt à Concilio ipſo, atteſtante quod, *Communi omnium iudicio placuit*, & titulus Epiſtolæ fuit, *Conſtantinus Auguſtus Eccleſiis, & Epiſcopis qui à ſancto, & Magno Concilio Nicæno abſunt.* Et ſic habet. [Modus ille eximius decorúſque ſeruandus eſt, quem omnes Eccleſiæ totius Orbis partes vel verſus Occidentem, vel verſus Meridiem, vel verſus Septentrionem incolentes ſeruant, ac nonnullæ etiam quæ in locis ad Orientem ſpectantibus habitant; idcircò omnes in præſentia hoc rectè ſe habere arbitrati ſunt, ipſéque etiam in me recepi, veſtram ſapientiam facile aſſenſuram, vt quod in Vrbe Româ, in Italiâ, in totâ Africâ, in Ægypto, in Hiſpania, Galliâ, & Britanniâ, in Lybiâ, & in vniuerſâ Græciâ, & in Dioceſi Aſiaticâ, & Ponticâ, in Ciciliâ denique; vna & conſentiente ſententia, conſeruatur, hoc à vobis quoque lubentius animis approbaretur: illud ſedulò reputantibus non ſolùm in locis quos modò citaui maiorem Eccleſiaſticum numerum exiſtere, ſed etiam ſanctiſſimum inſtitutum eſſe, vt omnes communi conſilio id ratum cupiant, quod accurata, & recta ratio poſtulare videtur.] Et infrà. [Nec enim in re tam ſanctâ, ac ſolemni, vlla diſſentio debet exiſtere, imò verò hanc ſequi ſententiam, cui nullus à fide alienus error, nullum vitium admixtum ſit, & multò maximè habeat commendationem.] Ex quibus apparet eo tempore pro graui deformitate habitum celebrationem vniuerſalis Feſti mutati de die in diem; vndè infertur non minus laborare celebrationem quam quis vſurparet in noſtro hoc Feſto contra conſuetudinem vniuerſalem totius Eccleſiæ.

DIVISIO II.

An ſit peccatum mortale, vel quod celebrare Immaculatam Conceptionem in ſenſu præſcindente ab eo, quod fuerit Immaculata, vel maculata.

ROSSET quis celebrare Conceptionem Deiparæ alio modo à dicto, videlicet non ſentiendo contrariè Virginem in eâ fuiſſe originali infectam, ſed in hoc præſcindentem ab eo, quod fuerit in primo inſtanti Conceptionis ſancta, vel non ſancta, licet eam ſanctam poſitiuè ſentiret fuiſſe poſt morulam temporis alicuius. Id quod poſſet euenire dupliciter, primò ſcilicet, quando quis in hac præciſione merè ſpeculatiuâ ſenſûs Immaculatæ, vel maculatæ celebraret, & coleret hoc feſtum iuxta ſenſum Romanæ, & Catholicæ Eccleſiæ; vel agnoſcens illum Immaculatæ eſſe Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ, ipſe eum nollet habere, nec celebrare ſecundum eius ſenſum; & hoc ſecundum poſſet euenire merè negatiuè, vel poſitiuè. Merè negatiuè eſſet, quando cognoſcens hunc eſſe ſenſum vniuerſalis Eccleſiæ, ipſe neque eliceret volitionis, neque nolitionis de tali celebratione, ſed merè proferret verba, quæ vſurpat Eccleſia, & ſtaret in iſtâ præciſione ſine elicione alicuius actûs: nam ſi eliceret aliquem, quo vellet ſtare in iſta præciſione, iſte actus eſſet actus æquiualens nolitioni celebrationis iuxta ſenſum Eccleſiæ ſi non phyſicè, ſaltem moraliter; quia quando quis expreſsè non vult videre Miſſam, hic actus moraliter æquiualet quo quis vult ſtare in præciſione de nolitione, vel volitione Miſſæ; & ex vi huius tranſgreditur præceptum videndi Sacrum eo modo ac per actum expreſſum nolendi videre Miſſam; nam eodem modo ex vi cuiuſcumque ex his actibus ponitur actualis non viſio Miſſæ, & per conſequens præcepti tranſgreſſio: Quæſtio ergo præſens eſt & militat, tum in eo, qui vult ſtare in præciſione de colendo Conceptionem Virginis iuxta ſenſum Eccleſiæ, tum maximè in eo, qui expreſsè & directè non vult celebrare, & abiicit à ſe celebrationem iuxta ſenſum Eccleſiæ, & de vtroque quæri poteſt an peccet mortaliter.

2. Et

2. Et ratio dubitandi pro hac re est, quia non videtur quis obligari sub præcepto ad celebranda Festa cum scientiâ de sensu, quo celebrat ea Ecclesia, & perconsequens qui præscinderet dicto modo, se haberet sicut nesciens; & quemadmodum nesciens non peccaret mortaliter, si proferret verba celebrationis; ità neque qui elicere nollet vllum actum circa celebrationem: Ex aliâ verò parte cum præceptum celebrationis sit positiuum, & de celebratione peculiari secundum sensum Immaculatæ, qui voluntariè nollet, vel suspenderet actum celebrationis, contraueniret tali præcepto positiuo, & perconsequens peccaret mortaliter. Quo loco suppono, quod contrauenire voluntariè præcepto positiuo per negationem positionis actûs præcepti sit peccatum mortale, siue hoc possit interuenire sine vllo actu positiuo, siue non, non enim hîc decido sine vllo actu positiuo posse committi peccatum mortale, & suppono quod semper saltem moraliter (ego existimo, quod semper physicè) quâdo quis voluntariè omittit actum præcepti, elicitur actus, quo positiuè quis nolit præceptum adimplere, vel nolit facere actum volitionis illud adimplendi, quod in idem recidit; & in tali casu positiuo dubitari non debet, quod inueniatur peccatum mortale, si materia præcepti est in re graui.

3. Pro resolutione quæstionis aduertendum est, quod sicuti annuimus Diuisione antecedente, dupliciter posse intelligi esse præceptum in Ecclesiâ celebrandi Festum Conceptionis sub sensu Immaculatæ, vel in specie, & quo ad specificationem, vel quoad exercitium, præceptum esset celebrandi Conceptionem Immaculatæ sub sensu Immaculatæ; quando quis posito quod celebret Conceptionem hoc modo debeat celebrare, sed non sit necesse quoad exercitium sic celebrare, vel quando tenerentur fideles celebrare aliquod festum sub præcepto quoad exercitium, ita vt si non celebrarent actu, peccarent mortaliter; sic tenentur fideles celebrare quoad exercitium festa sub præcepto obseruanda instituta, qualia sunt Resurrectionis, Natalis Domini, Pentecostis, & hoc modo certum est non esse præceptum in Ecclesiâ vniuersali celebrandi Festum Conceptionis; licet illud sit pro Regnis Hispaniæ; in quibus ex concessione Pontificis hoc præceptum ex licentiâ Innocentij X. ab Episcopis Hispaniæ datum inuenitur; sic enim notat Neribergh per Bullam concessisse Innocentium X. Regi Catholico, scilicet, [Nos dicti Philippi Regis erga eamdem Beatissimam Virginem Mariam deuotionis affectum summoperè in Domino commendare, ac eius desiderio huiusmodi fauorabiliter annuere volentes de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, consilio, quoad festum Conceptionis prædictæ Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantum obstaculum dictæ Constitutionis nostri prædicti prædecessoris Apostolicâ auctoritate tenore præsentium remouemus.] Quibus notatur, quòd cum in Regnis Hispaniæ ex præcepto Episcoporum erat hoc Festum præceptum, & per Bullam Vrbani hæc præcepta super festa amplexata ab Ecclesiis videbantur annullata, retentum fuit ex licentiâ Pontificis statuentis non obstare Constitutionem sui Prædecessoris; atque adeò ex eius assensu confirmato hoc Festo cum præcepto, quod seruaretur quoad exercitium. Quo posito non discutitur hîc an sub præcepto obligentur fideles colere Conceptionem sub sensu Immaculatæ, cum nullum exret vniuersaliter tale præceptum illud colendi quoad exercitium, sed extat tale præceptum quoad Ecclesiasticos tum sæculares, tum Regulares in Missis & Officiis colendi Immaculatam Conceptionem. Nam Pius V. præcepit non alia Officia, & Missas celebrari, nisi signata in suo Breuiario reformato, & cum octauo Decembris designet huic Festo Missam & Officium, certè Officium est præceptum; Itàvt obliget vnumquemque ipsum vsurpare; & sic quoad exercitium quantum ad Officium dici debet, quod ex præcepto debeat coli sacra Conceptio. Quæstio ergo est non determinatè eam restringendo ad exercitium, sed siue determinatè solemnitatis dictæ quoad exercitium, vel quoad specificationem, an quando quis obligationem habet colendi Virginis Conceptionem; vel quando non ex præcepto eam colit; sed quia ità placet Ecclesiæ, & sub pœnâ venialis aliquis debeat eam colere ex eius præscripto; an teneatur quis ità eam colere sub sensu Immaculatæ, vt si præscindere velit per actum aliquem positiuum siue volendi siue non volendi celebrare, peccet mortaliter.

Pro quo, Dico probabilius videri quod hic etiam nolens vel non volens celebrare Conceptionem sub sensu Immaculato, peccet mortaliter.

Probatur Conclusio primò, quia in tantum ex dictis quis peccat mortaliter, quia coleret in sensu maculatæ, quia contrauenit præcepto, & obligationi, quam habet conformandi se modo celebrandi, quo celebrat Ecclesia Vniuersalis, & transgreditur in hoc præcepto affirmatiuo de colendo eo modo, quo colit Ecclesia Vniuersalis; sed siue nolit siue non velit celebrare sicuti celebrat Ecclesia Vniuersalis, non conformat se illi, & transgreditur eius præceptum affirmatiuum; ergo sic colens non sub sensu Immaculatæ peccat mortaliter. Maior patet ex dictis, nec Minor indiget probatione; nam quando aliqua res positiua est præcepta, tunc præceptum est affirmatiuum, & istud transgreditur omninò per actum quo quis nolit ponere id quod per ipsum præcipitur. Sic transgreditur quis præceptum audiendi Missam, confitendi tempore determinato, si eliciat actum, quo amplectatur negationem assistentiæ Sacro, vel Confessionis peccatorum, & similium.

5. Probatur secundò Conclusio, quia si quis non velit vel nolit colere in eo sensu, quo colit Ecclesia Annunciationem, Visitationem, & Assumptionẽ Virginis in Cœlũ debet censeri peccare mortaliter; ergo qui vult non colere, sicuti colit Ecclesia Conceptionem Virginis, peccat itidem mortaliter. Consequentia patet, quia in tantum non colens modo dicto Assumptionem Virginis, peccat mortaliter, quia non se conformat Ecclesiæ in re graui, in quâ debet se conformare, & transgreditur eius præceptum, quod æstimatur tacitè inclusum

in

in præcepto colendi, sicuti colit Ecclesia, quod censetur in Ecclesiâ inueniri inclusum in illo, in quo Pontifices præcipiunt cultum hunc, vel illum, quod saltem se extendit ad celebrantes, posito quod celebrant, vt scilicet celebrent, sicuti Ecclesia celebrat. Nam nemo non videt, quod graviter discordat à lumine rationis supernaturalis, quod fideles celebrent festa instituta ab Ecclesiâ cum oppositione, vel repugnantiâ, & contumaciâ expressâ ad non volendum, vel nolendum celebrare eo modo & sensu, quo ipsa celebrat. Nam discordare ab isto modo & illum nolle, vel non velle vsurpare est quid graue, & magni momenti, peruertitque mores, & auctoritatem Ecclesiæ, eique magnam facit injuriam: Quare omninò, qui hoc modo ei opponitur, debet censeri peccare mortaliter.

6. Probatur tertiò Conclusio, quia si quis posset sine peccato mortali colere Conceptionem Virginis, & recitare eius Officium in sensu alio ab illo Immaculatæ, posset modum hunc cultûs sui propalare præciso scandalo, cui vellet; & quærere vt alij similiter facerent, & quantum in se est, posset omnem operam adhibere, prout illam Aduersarij adhiberent ad suum sensum intrudendum in omnes fideles, vel in magnam partem fidelium, & sic eos auertere à sensu, in quo nunc est Romana, & vniuersalis Ecclesia; si scilicet præceptum non esset de silentio de hac re: Quare licitum esset ei contradicere, & velle sensum Ecclesiæ ab ea ipsa exterminare in sacris Officiis, quod videretur cedere in summam eius ignominiam, & valdè absonum, & discordans graviter à lumine rationis supernaturalis, & non vacans culpa mortali: ne ergo hoc dicatur, rectè dici debet peccare mortaliter, & omninò grauem culpam esse, hunc sensum contrarium habere in celebratione sacri Officij Conceptionis Deiparæ.

QVÆSTIO QVINTA.

De sensu venialiter peccaminoso, vel licito in sententia affirmante originale in Deiparâ.

IN hac disputatione venit controuertendum de sensu maculante Virginem in sui Conceptione, an scilicet dici possit, vel sit peccaminosus aliquo modo, vel licitus, & amplexabilis sine vllo peccato veniali; ad quod resoluendum tres sunt habendæ diuisiones, & in primâ videndum an amplecti aliquam sententiam possit esse, & quomodo veniale, loquendo in generali, in secundâ an in casu nostro amplecti sententiam dictam affirmatiuam, possit dici esse veniale; & in tertiâ soluendæ sunt obiectiones, & controuertendum an ex vi huius Bullæ possit hæc sententia inuri hac notâ veniali, & absolutè in præsenti sine controuentione vllius decreti Pontificij possit tali notâ inuri.

DIVISIO PRIMA.

An & quando possit interuenire veniale peccatum in electione alicuius sententiæ siue Philosophicæ, siue Moralis, siue Theologicæ.

1. DVBITARI non potest, quod in electione alicuius sententiæ etiam Philosophicæ possit interuenire veniale, quando scilicet aliquis vnam eligeret ex voluntate ostentandi ingenium, vel vt gratum quid faceret Mœcenati, vel amico adulationis causâ, aut alio simili vano motiuo; nàm hi fines venialiter malè omninò vitiant actum voluntatis, qui solet interuenire, & in quo consistit electio huius, vel illius opinionis; nam quamquam iudicia opinatiua ex se considerata non sunt peccaminosa, & quando eliciuntur, nullo interueniente actu voluntatis, non sunt vllius malitiæ capacia, neque peccaminosa dici vel esse possunt: nihilominus peccaminosa esse possunt ratione voluntatis, quæ potest inclinare intellectum ad hoc potius iudicium opinatiuum, quàm aliud: vndè iudicia iniustè damnatiua alicuius rei procedentia à mala voluntate iudicis contra reum, & elicita ex vi voluntatis auersæ contra reum, quæ ex inordinata passione inclinetur ad illum damnandum contra ius, peccaminosa certè dicuntur, &

& sunt non ratione sui, sed ratione voluntatis in ea inclinantis liberè, & ex mala & prava affectione, & quando ea non sunt æqua, & probabilioribus rationibus nisa, secundum quas debet Iudex iudicare iuxta veram sententiam, non solùm sunt peccaminosa vtcumque, sed peccaminosa contra iustitiam, & absolutè iniusta, & falsa etiam practicè; quamquam alioqui fundata in rationibus probabilibus ex eo, quod Iudex quando habet pro reo rationes probabiliores, debet omninò inclinare intellectum ad dicendum iudicium pro eo, nec illud inclinare ad iudicium oppositum, fundatum in rationibus minus probabilibus, provt vera sententia proclamat; esto aliqui meo iudicio valdè improbabiliter oppositum putent; etsi eorum sensus amplecteretur in Tribunalibus, Vniuersa Respublica peruerteretur, & Iudices possent tyrannidem exercere in homines, qui ad sua accurrerent iudicia, fortunas vnius iniustè deuoluendo ad eos, quos vellent; & rei alicuius criminis possent frequentissimè vita priuari extra omnem æquitatem seruatam in iudiciis, & cum omni rigore Iuris, quod summam iniuriam includit; nam summum ius, summa iniuria.

2. In decidendis item casibus conscientiæ si quis amplectatur sententias improbabiles, peccare etiam mortaliter eas inclinantem, & iuxta eas operantem, nemo est, qui nesciat, si materia est practica, & hæc electio est reducenda ad praxim; & siquidem aliquis nollet eiusmodi suos sensus ad praxim reducere, peccare eum saltem venialiter, nemo erit, qui refragetur, cum admittet errorem in suo intellectu circa res sæpè ordinatas, vel ordinandas ad finem supernaturalem: In quo nemo est, qui non videat aliquam deordinationem in hoc inueniri; nam si deordinatio inexcusabilis peccati est illa mendacij, quâ quis aliquid manifestat alteri contra sensum, quem habet interius, etiam si de reliquo malum non afferat illi, imò sæpè bonum, quia mens debet conformari cum dicto, & dictum cum mente hominis; quanto magis aperta malitia constabit in eo, quod videt aliquid irrationabiliter iudicari tale, & tamen illud velit iudicare aliter, ac ratio sibi dictat esse ipsum iudicandum, & nolit conformare operationes sui intellectûs cum veritate, sed amet amplecti falsitatem, attentis iis, quæ ipse cognoscit.

3. Quibus adde ex hac ratione, quod non solùm videtur peccatum veniale adhærere sententiis improbabilibus, si scilicet improbabilitas earum elucet in intellectu adhærentium iis in materia morali naturali propter eamdem rationem, & quia admittere voluntariè hos errores in intellectu est sternere viam ad errores voluntatis, quia voluntas in electionibus dependet ab intellectu benè dispositio per cognitionem veritatum præsertim practicarum: Quare intellectus deprauatus per errores in se residentes est aptus natus ad inclinandam voluntatem ad aliquid deuians à rectâ ratione, cum omnis peccans dicatur ignorans, ex communi dicto: propter ergo hanc malam dispositionem, quæ deriuatur in voluntate, perspicua est deordinatio quæ apparet esse in errore intellectûs, & in electione sententiarum improbabilium versantium circa agibilia moralia.

4. Et tandem notati itidem ex eodem capite debet deordinatio, quæ inuenitur in electione sententiarum improbabilium in materiâ etiam purè speculatiuè; vt si quis videns improbabilem esse sententiam, quæ sentiret corpora non constare ex materiâ & formâ, vellet eligere illam, quæ agnosceret in corporibus vnam indiuisibilem substantiam, vel corpora quædam indiuisibilia, quæ ipsæ conflarent, vel alias similes; quod detur vacuum in naturâ; quod quantitas constet ex indiuisibilibus; quod cœlum constet ex quatuor elementis, & his similia: Nam admittere errorem in intellectu, vel ei se proximè exponere sine vllâ rationabili causâ ex mero beneplacito, est operari contra lumen, & dictamen rationis, & inuertere vsum rerum debitum, malèque vti potentia naturali sic nobili, quod certè saltem veniale peccatum est. Quare dubitari non potest quod electio in genere sententiarum improbabilium sit saltem veniale.

5. Nec dicat quis hoc loco, quod in intellectu, & eius actibus non est malitiâ, esto in eo sit, & possit esse falsitas; quare non videtur posse agnosci in assensu hoc, vel illo intellectûs qualicumque, peccatum veniale; nam si aliquid afferret hæc ratio, persuaderet non esse peccatum mortale discredere obiectis fidei, cum eiusmodi discredentiæ sint actus intellectûs.

6. Neque item valebit hîc obijcere, quod quemadmodum sine peccato potest quis applicare oculum ad videndum aliquod obiectum aliter ac ipsum est, provt aliter videtur baculus in aquâ scilicet distortus, ità possit intellectus applicari ad cognoscendum falsum: Nam longè est diuersa ratio de potentiâ sensitiua, & de intellectiua, vt sequenti Diuisione latè videbimus; cum intellectus sit directiuus voluntatis, & oculus eius & nemo non negabit, quod etiam sæpè applicare potentias sensitiuas ad aliter cognoscenda aliqua obiecta peccatum veniale sit: Quare vt certum manear in omnibus materiis tum naturalibus, tum moralibus, tum supernaturalibus, peccatum veniale esse saltem amplecti sententias improbabiles, cognitas vt improbabiles, loquendo per se ex obiecto suo.

7. Pressius tandem vertendo ad rem nostram, omninò veniale peccatum esse in Theologicis speculatiuis admittere intellectu sententias improbabiles, manifestum videtur; tum quia militant in hac materia rationes adductæ, tum quia in ea fortiores sunt, quia in istis errare periculosius est, & enormius, & amplecti opiniones improbabiles in Theologia omninò damnatur, si non cum censuris temeritatis, & erroris, ac hæresis, saltem venialis culpæ, & operari secundum eas præsertim in materia Sacramentorum, peccatum mortale censetur à Theologis. Vndè si quis baptizet sine substantia aquæ quæ probabiliter sit aqua, peccat mortaliter: Si quis conficit Sacramentum in Eucharistia sine substantia panis quæ probabiliter talis sit, peccat mortaliter, & sic si quis vngit sine oleo in Chrismate, & Extrema-Vnctione peccat mortaliter. Quare omninò debet esse certum quod in Theologicis amplecti sententias improbabiles, etiamsi materia sit speculatiua, peccatum veniale est;

Vndè dum constat Reuisoribus librorum aliquas sententias esse improbabiles tenentur eas repellere à Typis, & auctores eas solent carpere, & auertere fideles ab inclinatione ad ipsas, easque nituntur à Theologiâ penitùs remouere: Sic Societas IESV maximè studuit, & studet sententias hasce improbabiles etiam in Philosophicis omninò à suis alumnis auertere non solum in Theologicis; vndè indicem instituit harum opinionum, quæ videbantur communiter vt improbabiles iudicari, & S. Pater Ignatius non solum improbabiles, tales apertè cognitas, sed etiam nouas, quæ eiusmodi improbabilitatem possent olere, repulit è Societate IESV, quæ maximè studiis Theologicis vacat. Vndè in Constitutionibus par. 3. cap. 1. §§. 18. habet. [Idem, quo ad eius fieri possit, dicamus omnes, iuxta Apostolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec scriptis libris.] Et deindè. [Imò & iudiciorum de rebus agendis diuersitas, quæ mater esse solet discordiæ, & inimica vnionis voluntatum, quantum fieri potest euitari debet; vnio verò, & conformitas mutua diligentissimè curanda est, nec quæ ei aduersantur, permittenda: quo iuncti inuicem fraternæ charitatis vinculo, melius, & efficacius possint se diuino obsequio, & auxilio proximorum impendere.] Et in examine eorum qui admittuntur in Societatem cap. 3. §§. 11. scribit. [Interrogetur, an habuerit, vel habeat conceptus aliquos vel opinionis ab iis differentes, quæ communius ab Ecclesia, & Doctoribus ab eadem approbatis tenentur: Et si quando huiusmodi opiniones animum subierint; num paratus sit ad iudicium suum submittendum, sentiendúmque, vt fuerit constitutum in Societate de huiusmodi rebus sentire oportere.] Et p. 4. cap. 14. initio. [Generatum illi præligentur Libri qui in quauis Facultate solidioris ac securioris doctrinæ habebuntur; nec illi sunt attingendi quorum doctrina, vel auctores suspecti sint.] Et par. 3. cap. 1. §. 1. in declarationibus inquit. [Nouæ opiniones admittendæ, non sunt, etsi quid aliquis sentiret quod discreparet ab eo quod Ecclesia, & eius Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni Societatis debet subiicere.]

8. Atque his, vt certis suppositis id quod in hac re controuersiam aliquam potest habere est, an in eiusmodi sententiis Theologicis cognita opinione magis probabili, possit quis Theologus, & doctus vir præsertim, amplecti minus probabilem sine peccato etiam veniali; vel dicendum sit, quod non solùm amplecti improbabilem, sed etiam minus probabilem sit peccatum saltem veniale, si cognita sit eiusmodi probabilitas maior in opposita sententia, & videtur item omninò dicendum, quod non possit peccare peccato amplecti minus probabilem in hoc casu; quia ipsum lumen supernaturale rationis dictat, quod intellectus noster, dum potest, & quantum potest, debet niti assequi veritatem, & quantum potest appropinquare ad cognoscendas veritates supernaturales dignissimas scitu, & conductiuas ipsius ad lumen veritatis æternæ; Cum ergo via ad assequendas has veritates Theologicas melior, dignior, & conformior lumini rationis supernaturalis sit illa, quæ vtitur rationibus magis probabilibus deductis ex motiuis præcipuè supernaturalibus, quàm ea, quæ vtatur, minus probabilibus; nam potius aptæ sunt primæ, quàm secundæ rationes ad assequendam veritatem; ergo probabilioribus magis debet vti intellectus noster, quàm minus probabilibus. Et per consequenter congruit lumini, & dictamini rationis supernaturalis, vt inclinet ad sententias magis probabiles, relictis minus probabilibus; nam rationum magis probabilium vsus non tendit ad aliud, neque requiritur ad aliud nisi ad inclinandum intellectum ad assensum secundum eas, & secundum quod eæ ipsum inclinent; videlicet ad assensum, ad quem ipsæ propendent, & quem rationabiliorem esse ostendunt.

9. Secunda ratio Theologica & potissima, quæ ostendit Theologos debere sub pœna peccati saltem venialis inclinare intellectus doctorum virorum ad eligendas sententias magis probabiles, & quæ vt tales cognoscuntur, quia Theologia necessaria est in Ecclesia Catholica, vt rectè ostendit, & concludit S. Tho. 1. p. qu. 1. art. 1. in corpore, ad hoc vt fidem veram seruet intactam ab erroribus; nam si ea deesset in Ecclesia per discursus distortos hominum ignauorum, & minus rectam eorum intelligentiam; necnon etiam quia non benè perpensis articulis fidei, nec benè discussis controuersiis; quæ circa ipsos nasci solent decursu temporis, ea facile esset defectura; ideò necessariam esse Theologicam scientiam concluit S. Thomas, & cum eo communiter Theologi. Sed si Theologis fas esset, relictis sententiis magis probabilibus, amplecti minus probabiles, exponeretur fides Catholica casui in varios errores; nam amplexâ vnâ sententiâ minus probabili, sequeretur amplectenda alia item minus, & minus probabilis, & sic deueniretur facile in electionem sententiæ falsæ, & improbabilis; absque eo quod Theologi sequentes minus probabilem in vna materia traherentur ex connexione eius cum alia ad sententias minus probabiles, quæ cum errore coniunctionem haberent: Sic patet apud Doctores, & nos peculiari Opusculo ostendemus latè in re nostra; quod quia nostri Aduersantes voluêre amplecti hanc sententiam maculantem Virginis Conceptionem, inciderunt, in sensus temerarios, & erroneos, quos Pontifices declarauêre vt tales: Quare certum est, quod si liceret Theologis eligere sententias minus probabiles, relictis probabilioribus, & valdè magis probabilibus, ad similes errores sibi viam sternerent, & cum hoc esset, vel esse posset in maximum præiudicium fidei Catholicæ, negari non potest vlla ratione, quod eligere has sententias sit ad minus peccatum veniale; si scilicet cognoscatur ab eligente hæc maior probabilitas, & præsertim si est valdè maior, & clarè cognita eiusmodi maior probabilitas: Nam si hæc non cognoscatur, vel non appareat valdè maior, sed appareret probabilitas similis cum paruo excessu, & ferè insensibili, esto possit eximi à peccato veniali, cum sæpè parum pro nihilo reputetur: Cui doctrinæ certè non video quid possit congruâ ratione opponi.

DIVISIO

DIVISIO II.

An sit peccatum veniale sentire Conceptionem Virginis fuisse in peccato originali.

1. DVæ quæstio sit an sit veniale peccatum sensus Conceptionis Virginis in peccato originali, ea fit in præsenti, & pro hoc determinato tempore post Bullam Alex. VII. Et rursum hæc quæstio sit de hoc sensu, qui haberetur de Virgine, quantum est ex obiecto suo, & consideratis, & benè & aptè perpensis quæ in hac materia considerari debent ab intellectu benè disposito: Nam si is sit male dispositus vel ex ignorantia, vel ex aliquâ vehementi passione occupatus, absque eo quod ab eo se trahi is non intelligeret ex ignorantia inculpabili; De eo vt sic quæstionem non instituimus, sed eam in medium afferimus, attentis iis, quæ in Ecclesiâ nunc pro certis communiter habentur in hac materiâ, & consideratis iis, quæ deberet aduertere intellectus benè dispositus tum aptè, & piè à voluntate directus, nec non etiam sufficienti acumine, & propositione sciendorum eruditus. In tali ergo casu controuertimus an existimandum, & iudicandum sit, quod quis loquendo per se, & ex obiecto, si adhæreat sententiæ maculanti Virginem in sua Conceptione, dum liberè illi adhæsioni incumberet, peccet venialiter: Id quod dicimus, quia posset euenire, quod intellectus sibi relictus ex se ipso sic ferretur in eiusmodi iudicium, nec locus fuisset voluntati eumdem intellectum auertendi ab eo; in tali enim casu eiusmodi iudicium circa controuersiam non potest esse peccaminosum, neque venialiter. Nam vt tale sit, absque dubio oportet, quod ipsum steterit sub arbitrio voluntatis constitutæ in indifferentia libertatis suæ, quæ vt sic inclinaret potius ad ipsum, quàm ad oppositum emaculans Virginem ab omni culpâ originali.

2. In hoc ergo sensu institutâ quæstione, ratio dubitandi pro parte negatiuâ esse potest, quam suggessit quidam doctus vir; quia si electio huius sententiæ peccatum esset, cum res in materia graui sit, deberet esse mortale; sed mortale non est, ergo peccatum nullum est, neque mortale, neque veniale. Maiorem ipse probabat ex eo quod in re graui deficere mortale sit. Minorem probabat, quia Summi Pontifices, & ipse Alexander VII. à notâ peccati mortalis eximit eiusmodi sententiam; quare cum ea peccati mortalis non possit argui, neque venialis argui posse rectè infertur. Id quod posset confirmari ex eo quia si aliqua ratio esset, quæ posset persuadere electionem huiusmodi sententiæ esse peccatum veniale, eadem concluderet esse mortale; nam hæc talis ratio deberet esse; quod hic sensus v. g. esset temerarius, vel scandalosus, & quid simile; quæ ratio inferret esse mortale: Quare valet Assumptum, quod si peccatum esset, mortale esse deberet, & vndè cum mortale esse non potest sustineri, nec veniale esse dicendum est.

3. Contra autem Veniale esse videtur amplecti hanc sententiam maculantem Virginem peccato originali quia si à veniali esset exempta, Summi Pontifices, & vltimo Alexander VII. dum eam à peccati mortalis notâ eximit, eam eximisset absolutè à notâ peccati in genere, non autem à notâ in specie peccati mortalis: Quare videtur voluisse annuere saltem se nolle prohibere quod ea inureretur notâ venialis, atque hoc non nisi quia æstimauit meritò in hanc notam incurrere, vel saltem posse rationabiliter de hoc dubitari; & cum expresè pateat ipsos Pontifices noluisse vnquam eiusmodi sententiam eximere ab insignibus venialis, signum videtur manifestum, quod eam non agnouêre liberam ab hac notâ, & perconsequens optimè posse quemlibet iuxta hunc sensum iudicare huiusmodi sententiam venialiter peccaminosam. Si de reliquo præsertim adsint rationes sufficientes ad hoc comprobandum; cum indè constet Pontifices non prohibuisse quin hæc nota possit huic sententiæ impingi; nam meritè prohibetur eam notare hæresis, impietatis, aut peccati mortalis, non verò venialis. Quod autem eam amplecti veniali modo culpa possit accusari, ex hoc ipso videtur persuaderi, ex quo Ecclesia oppositam sententiam amplexa sit; quare dedecens videtur, si non moraliter, vt vetatur dici, saltem venialiter eam abijcere, contraria amplexata. Quibus declaratis, licet quæstionem resoluere sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio. Posita hac Bullâ Sanctissimi Pontificis Alex. VII. dicendum est veniale peccatum esse amplecti sententiam dantem originalem culpam Deiparæ, perpensis perpendendis.

4. Probatur Conclusio primo, quia amplecti sententiam improbabilem, relictâ probabili, certè in materiâ præsertim Theologicâ, & supernaturali, non vacat veniali culpa, sed sententia tradens Virgini culpam originis est improbabilis, & contrà probabilis opposita cum certa probabilitate; ergo eam amplecti, peccatum veniale est. Maior est perspicua, quia amplecti, & inclinare voluntatem ad iudicium improbabile relicto probabili, est aliquid discordans à lumine rationis, quod dictat voluntatem debere impellere intellectum ad verum, vel certum, vel saltem quod ex rationibus tale elucet: Id quod vrget magis in materiâ Theologica in qua lumen supernaturale dictat, quod quis discurrens in materia supernaturali non sinat se impelli sine ratione sufficienti, omnibus pensatis ad aliquod iudicium de re supernaturali, quod non elucet vt verum, & ipsum exponat irrationabiliter periculo erroris, & non nisi discordat à tali lumine sinere impelli se ad tale iudicium, sed discordare à tali lumine veniale saltem peccatum est, ergo amplecti in materia præsertim Theologica sententiam improbabilem, non vacat veniali culpa, vt patet. Id quod confirmatur, quia vnaquæque naturalis potentia applicanda est ad connaturalius suum obiectum, & lumen naturale dictat, quod si ea applicari debet à voluntate, ad tale obiectum sit applicanda, sic voluntas non debet applicare præsertim habitualiter potentiam

visiuam ad videndum obiectum aliter ac est, si hoc sit in sua potestate; & veniale certè esset velle videre res aliter ac sunt, & audire aliter ac sunt, & sic de similibus; quia nos vti debemus potentiis ad exercendos suos naturales actus, non verò innaturales per se loquendo; præsertim ex habitu, & perpetuo; quale esset amplecti vnam quamdam sententiam, quæ ità solet amplecti, vt quoties occurrat de tali obiecto discurrere, intellectus eamdem sententiam amplectatur, & simili modo versetur circa tale obiectum; nam alioqui liceret inuertere ordinem naturalem rerum, quod per se patet esse malum, & discordans à lumine rationis. Id quod vrget quam maximè in applicatione potentiæ intellectiuæ, quæ innaturaliter applicata ad suum obiectum, potest voluntatem trahere ad aliquod malum morale, cum ipsa dirigi debeat ab intellectu, qui si feratur in obiectum sibi innaturale, in errorem incidet; & error intellectus solet voluntatem impellere, & in eâ causare directionem, seu deordinationem ad malum.

5. Neque dicas posse voluntatem sine peccato applicare baculum in aquâ distortè repræsentatum, nec non cœlum medio quodam vitro diuersis coloribus affectum, & sic de similibus; ergo similiter potest sine peccato intellectum applicare ad apprehendendum aliquod obiectum aliter ac ipsum est, & ad actum veluti innaturalem ipsi omnibus pensatis: Ne inquam hoc dicas, nam diuersa est ratio in baculo distortè repræsentato in aquâ, qui non potest videri distortus, & voluntas non inclinat potentiam visiuam ad videndum illum distortè, sed posito quod ante oculum sit baculus in aquâ, ità debet videri: quod non contingit in iudiciis rerum non euidentium, ad quæ ex voluntate potest propendi, & inclinari intellectus, vt potius vnum, quàm aliud eliciat iudicium, quod ipsum valet in interpositione vitri triangularis inter oculum & cœlum, & alia obiecta. Nec instes quod non sit veniale applicare vitrum ad aliter videnda aliqua obiecta ab eo, quod sunt; & quod similiter veniale non sit applicare intellectum ad cognoscenda obiecta aliter ac sunt: Nam primò hæ falsæ, si licet dicere visiones non sunt aptæ natæ proximè ad impellendam voluntatem ad malum, quales sunt errores intellectus, vt liquet. Vndè non valet inferre, quod si primum liceat, licebit item secundum. Præterea hæ falsæ visiones possunt admitti, quia est intellectus, qui eas corrigat, & vitare possit errores, qui ex eis possent oriri, non sic errores permissi in intellectu, non supponunt alium intellectum, qui ipsos possit corrigere. Tertiò hæ falsæ visiones possunt admitti, & potentiam visiuam ad eas applicari, quia non deficit potentia visiua, dum eas exercet, sicuti deficeret intellectus ad falsum propendens, quia ipsa non debet non videre obiectum, sicuti sibi per species naturales repræsentantur, quod non est simile in intellectu, qui in irrationabile obiectum ferretur, ac iudicaret de eo defectuosè. Ex quibus constat apertè quàm perspicuum sit, quod amplecti sententiam improbabilem, relictâ certo probabili, sit saltem veniale, dum maximè eiusmodi iudicia versentur circa materiam supernaturalem, in quâ errare errore iudicij falsi conducere potest ad aliquod malum morale voluntarium, quale esset negatio cultûs debiti alicui Sancto, si scilicet iudicaretur is non debere coli per iudicium sententiæ improbabilis electæ in casu, quo is de reliquo existimaretur rationabiliter colendus priuatè, vti solet euenire in sanctis viris adhuc non Canonizatis, sed dignis aliquo cultu priuato, & sic in similibus casibus.

6. Minor verò argumenti primò propositi patet quoad vtramque partem, & primò prima quod sententia de Immaculato Conceptu sit certò, imò certissimè & indubitatè probabilis; nam vel hæreticum, vel erroneum esset ei probabilitatem negare, dum ea declarata sit propria, & amplexata ab Ecclesiâ Romanâ; nam eam de probabilitate delicere esset infamare de manifesto errore Romanam Ecclesiam, quæ non probabilem amplexa fuerit sententiam. Secunda verò pars Minoris patet ex dictis Opusc. 2. latissimè, vbi ex Suario, Cismontanâ Familiâ, Calderonio, Velasquez, Vegâ, Neribergh, & aliis ostendimus, magnam eius improbabilitatem, quam hîc etiam ostendemus ipsi prouenisse ex iis, quæ in hac Bullâ statuit & præcipit Summus Pontifex: Quare ad euidentiam saltem constat, quod in horum Auctorum sententia, saltem veniale sit sententiam maculantem sactam Virginis Conceptionem.

7. Sed dices, ad summum amplecti sensum de maculato Conceptu Dei Genitricis dici posse esse veniale, quando quis eius improbabilitatem videns ad eam inclinat; sed qui huic sententiæ adhæret, non adhæret ei, nisi quia eam vel magis probabilem, vel saltem probabilem iudicat; fatuus enim esset, si quis eam improbabilem iudicaret, & tamen ei adhæreret. At hæc Responsio si aliquid solidi afferret, excusaret Hæreticos, & omnes illos, qui amplectuntur sententias improbabiles; eas enim vt tales non amplecterentur; sed ideò eas amplectuntur, quia non solùm eas sæpè arbitrantur probabiles, sed etiam probabiliores oppositis de fide, vel secundum fidem certis. Quare dicendum est, quod quia in se cùm improbabilis sit sententia de macula Conceptionis Virginis affirmata, etsi ea improbabilitas non eluceat alicui intellectui ità clarè ex eo quod ipse ex peculiari auersione ad oppositam attendit, & vult inclinare magis ad aliam, & in rationes alias; certè videt quantum sufficit ad improbabilitatem eius, & ex pertinacia, vel ex alio capite simili adhæret propriæ sententiæ vt probabili, reiecta cognitione improbabilitatis suæ; cuius cognitionis reiectio iam ostendit visam improbabilitatem; vndè falsum est quod qui cognoscit improbabilitatem alicuius sententiæ, ei non adhæret; quoniam certum est quod dixit saluator de Iudæis: *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent*: Deinde in hac re nobis sufficit, quod ex obiecto censendum sit esse peccatum veniale adhærere sententiæ maculanti Virginem in Conceptione, si quis habeat intellectum benè dispositum, nec determinatum ad hoc iudicium, neque vlla alia peculiari affectione tractum ad tale quid sentiendum; is enim

enim ex magno pondere rationum, & auctoritatis S. Ecclesiæ, si non inclinat in piam sententiam, & summè rationabilem, non posset intelligi quomodo non deficiat venialiter amplectendo oppositam. Atque hæc pro primâ ratione, stante improbabilitate sententiæ de affirmata macula Dei paræ.

8. Probatur secundò Conclusio, quia posito quod certum sit, Ecclesiam Romanam & Catholicam amplexam esse, & amplecti sententiam emaculantem Dei Genitricem ab omni peccato etiam originali, certum etiam est quod sententia opposita æstimanda sit minus probabilis, & hoc ipso quod ea est sententia Ecclesiæ Romanæ, certissimè est etiam magis probabilis, & illa, quæ dat maculam Virgini, minus probabilis, & vt sic declarata si non in actu signato, saltem in actu exercito, præsertim facta per tot sæcula tam multiplici discussione ponderis rationum pro vtraque parte, & semper apud omnes Pontifices inuenta statera præponderante ad piam sententiam. Posito ergo quod æstimanda sit magis probabilis sententia puram Conceptionem enuncians, & asseuerans, malè saltem venialiter quis operaretur internè, si cognita maiori probabilitate sententiæ piæ, vellet adhærere, & adhæreret minus probabili sententiæ; nam discordat à lumine rationis in discursibus de rebus supernaturalibus velle vti, & inclinare ad minus probabiles, relictis magis probabilibus; nam data via meliori ad assequendam veritatem supernaturalem, malum apparet eam relinquere, & velle petere per aliam deteriorem, & quæ rationabilius creditur nos ducere ad falsitatem: Certum est autem quod qui in supernaturalibus iudiciis procedit amplectendo rationes magis probabiles, & iudicium magis probabile, meliori viâ procedit ad assequendam veritatem Theologicam, quæ est magis propinqua veritati fidei, quàm qui ea procedit, quæ ducit per media, & iudicia minus probabilia: nam Ecclesia Catholica processit & soluta est processisse ad determinandas res fidei, vsurpando & adhibendo discursus magis probabiles, & iudicia magis probabilia, & nullâ ratione eos postponendo, vel non anteponendo minus probabilibus: Quare credendum est hanc esse meliorem viam, cùm ea sit ab Ecclesia vsurpata, relictâ reliquâ. Et quemadmodum deficeret Ecclesia, vel eius Prælati, si hanc viam relinquerent; ita etiam Doctores Ecclesiæ, & intellectus benè dispositus si aliter ageret, omninò esset dicendus deficere saltem venialiter. Vbi notandum est, quod si quis cohiberetur in Concilio, vel in Consultatione, in qua esset decernendum, an aliquid sit de fide tenendum, & quis haberet rationes sibi apparentes magis probabiles propter vnum iudicium, & vellet adhærere in dando iudicio rationibus minus probabilibus, nemo est, qui diceret eiusmodi doctorem non peccare mortaliter, cum ex se exponeret Ecclesiam errori alicui. Quo patet hoc agere esse de se malum etsi non semper tàm nociuum Ecclesiæ in communibus iudiciis, certè ex se discordans à recto lumine rationis supernaturali, cum maximè in Ecclesia sensus collecti ab vniuersa Ecclesia sit regula veritatis Theologicæ, vt Doctores notant.

9. Probatur Tertiò Conclusio, quia rectum lumen rationis præsertim supernaturale dictat, quod in sententiis Theologicis ea sit amplectenda, quæ constaret certissimè esse probabilem, dum reliqua non ità certum esset esse probabilia; nam ipsummet lumen rationis dictat, quod homo fidelis debeat procedere in electione sententiarum Theologicarum, eligendo eam, quæ appareat probabilior, & proximior veritati, nec ei debet adhærere, quam cognoscit facilius posse subesse, vel de facto subesse periculo erroris: Nam hoc esset non magis amare vitationem erroris, sed amplecti, & eligere maius periculum erroris, quod ex se ipso patet abhorrere à recto dictamine: Sed quàdo in casu nostro certissimum est, quod sententia emaculans Virginem ab Originali sine vllo dubio, & cum certitudine fidei, vel secundum fidem sit saltem probabilis ex tot Bullis Pontificiis, ità vt vel hæreticè, vel erroneè deficeret à fide, qui sententiam emaculantem Virginem ab originali contra sensum Pontificum negaret esse probabilem, & certum est quod tantâ certitudine non est certum, quod opposita sententia sit probabilis: nam communiter omni probabilitate modò dejcitur, & vniuerso fidelium & Doctorum consensu constat non constare eius probabilitatem ità certo, quemadmodum constat de probabilitate oppositæ, ergo in eam inclinare hoc cognito saltem veniale peccatum est.

Probatur quartò Conclusio, quia prout modò res iacent, huiusmodi controuersiæ, si decidendum esset de fide quid in hac re esset sentiendum, non possent excusari peccati mortalis, qui adhibiti in Concilio, & Consultatione proferrent iudicium, quod Virgo maculata fuerit originali in Conceptione sua, dum hoc iudicium tenderet ad definiendum de fide, quod Virgo esset maculata originali, cum certum sit in præsenti, quod non sunt capita definiendi contra Immaculatam atque adeò qui suo iudicio deberet esse causa definiendi quod non esset definiendum de fide, vtique peccaret mortaliter ei adhærendo; ergo qui tantum malum non ageret, sed remotè ad illud disponeret assentiendo Maculatæ Virginis in Conceptione suâ, saltem venialiter peccaret. Id quod à fortiori vrget in homine docto, qui haberet maiorem vim ad inducendum hunc errorem ex conditione sua.

10. Probatur quartò Conclusio, quia quemadmodum peccasset saltem venialiter, qui quando Concilium Viennense definiuit probabiliorem fuisse sententiam, quæ tradebat infantibus baptizatis habitus supernaturales infusos, eâ quæ illos negabat; tenuisset, & amplexus fuisset sententiam negantem eiusmodi habitûs. Vndè post tale Concilium omnes Doctores recesserunt à sensu negatiuo, & ad affirmatiuum accesserè. Vndè tandem de fide definitum est, & sine difficultate, quæ sciatur in Historiis Concilij Trid. quod infantes baptizati recipiant habitus supernaturales infusos: Ità cum ex Bullâ hac Alexandri VII. citra omnem controuersiam maneat certum, & declaratum saltem in actu exercito à Pontifice, quod sententia emaculans Virginem sit magis probabilis; peccant venialiter, qui adhuc vellent amplecti, & tenere, quod Beata Virgo fuerit originali peccato affecta.

11. Probatur quintò Concluſio quia qui adhuc putarent Virginem maculatam originali, ſaltem internè Schiſma quoddam, ſi non mortale, ſaltem veniale facerent ab Eccleſia Romana, & Catholica, dum vellent ſentire oppoſitum illius, quod ipſa ſentit tanta pietate & ardore cum tanto examine, & diſcuſſione, & cum iudicio tot Pontificum ſemper in idipſum proferentium, & incitantium fideles ad huiuſmodi ſenſum, & præcipientium cultum Immaculatæ iuxta hunc ſenſum, ità vt, provt viſum eſt, peccent mortaliter, & peccarent fortè item mortaliter, qui contra eiuſmodi ſenſum celebrauerit; vel celebret Conceptionem dictam. Hoc autem aliquale Schiſma ab Eccleſia Romana, & Catholica eſſe ſaltem veniale quis ambigat affirmare, dum nulla poteſt ſuppetere rationabilis cauſa illud agendi, & conſeruandi; nam ſi aliqua eſſet rationabilis cauſa contradicendi ſenſui Eccleſiæ, ea eſſet inſimulanda alicuius erroris, vel non ità benè geſti; hoc ergo cum ſit blaſphæmum dicere, certè conſtat hoc aliquale Schiſma peragi, vel conſeruari ab aduerſatiè ſentientibus ſine rationabili cauſâ, atque adeò ſaltem veniale in hoc ſenſu perſiſtere, vel in illum venire. Vndè eſto quis Catholicus aliter ante hac ſenſerit, ſaltem nemo de nouo in mundum prodiens, & in fide Catholica educandus, huic ſententiæ nomen det, cũ videat ſe Schiſma hoc ſeruare vel alere.

Ad argumentum autem in contrarium initio propoſitum numer. ſecundo, dici & reſponderi debet primò negando ſequelam quod ſi peccatum mortale non eſt maculare Virginem originali; neque item veniale ſit; ſi enim peccatum eſſet, de genere mortalium deberet eſſe: nam minor euidentia dehonorationis Virginis requiritur ad conſtituendum mortale in ſenſu de eius maculatione, & cum ea tanta non ſit, non inducit mortale; cum autem ſufficiens ſit propter efficaciſſimas rationes probantes falſitatem eius & improbabilem facientem ſenſum de maculata; ex hoc iſto benè aduertitur veniale in hac maculatione deducta ex meris improbabilibus rationibus: Et benè hic veniale tantum tribuitur huic ſenſui, ex obiecto ſuo, quia adhærere improbabili obiecto extra veniale non eſt, vt vidimus.

Reſpondeo ſecundò, aliqua peccata eſſe de genere ſuo venialia, nec valet inferre, ſi mortale non eſt, nullum eſt, ſed poteſt eſſe veniale, nec conniuentia Pontificia à veniali liberat maculãtem Conceptionem Virginis, quia plura permittuntur etiamſi mala, & mala non leuia, ne grauiora contingant. Id quod confirmatur ex eo quia videtur quod Sixtus IV. vidit aliquos poſſe notare peccari venialis ſententiam de Immaculata, & cohibuit eos ſub pœnâ excommunicationis; nec tamen id egit circa illam quæ Virginem ab originali emaculauit: Vndè ex vi ſuarum Bullarum, & ceterorum Pontificum, qui notaret venialis ſententiam maculantem Virginem, non eſt ab eo vel vllo Pontifice de hoc dicto reprobatus vlla ratione; ſic in ſecunda Extrau. *Grauè nimis*, ſtatuit Sixtus IV. aſſertiones Prædicatorum eorumdem & aliorum quorumlibet qui affirmare præſumerent eos qui crederent aut ſentirent, eamdem Dei Genitricem ab originali peccati macula in ſuâ Conceptione præſeruatam, propterea alicuius hæreſis labe pollutos, vel mortaliter peccare, ſeu eiuſmodi ſermones audientes alicuius peccati reatum incurrere. Quod de veniali debet intelligi ſignificatum, vt patet, quaſi voluerit Pontifex excommunicare dicentem veniale eſſe emaculare Virginem ab originali: Vbi vide quod poteſt aliquid ſimile notari venialis peccati, etiamſi à culpâ mortalis eximatur.

DIVISIO III.

Soluuntur obiectiones, quæ poſſunt fieri contra peccatum veniale attributum ſententiæ maculanti Deiparam culpa originali.

1. OBIICIES primò contra aſſertum veniale ſententiæ de maculato Conceptu Virginis, quia cognitâ vnâ ſententiâ probabiliori, & probabiliſſimâ, poteſt quis amplecti ſententiam minus probabilem, & cognitam vt minus probabilem: Ergo etiamſi ſententia eximens Deiparam à culpâ originis ſit probabiliſſima, dum probabilis eſt, & æſtimatur ab Aduerſariis ſententia tribuens illi originale, non eſt ea inſimulanda venialis, cum neque veniale ſit amplecti ſententiam minus probabilem.

2. Reſpondeo primò, concedo Antecedens, & nego Conſequ. quia modò ex declaratione Pontificis ſaltem in actu exercito, ſententia dicta non eſt cenſenda probabilis, cum maximè ante hanc declarationem Doctores eam vt improbabilem abſolutè tradidêre à Suarij etiam tempore.

3. Reſpondeo ſecundò, & concedo practicè poſſe amplecti ſententiam minus probabilem, relictâ probabiliori, iudicando ſecundum eam poſſe quemlibet operari, & dirigi in ſuis actionibus, vt ſcilicet reddat, vel non reddat aliquod pretium, ſi probabile ſit non eſſe obligationem reddendi; nego autem poſſe amplecti iudicio abſoluto, & omnibus penſatis ſpeculatiuè loquendo. Nam in ordine ad praxim dictat ratio, vt licitè quis poſſit vti ſententia minus probabili, & ſecundum eam operari; cum difficile ſit in humanis diiudicare de maiori, & minori probabilitate opinionum, vti deberet, ſi ſecundum probabiliorem ſententiam eſſet operandum; quæ ratio non militat in ſpeculatiuis, & ſpeculatiuè loquendo in iudicio dando de veritate rei ſpeculatiuâ, in quâ omninò eſſet vitandus error, & dictat ratio quod ſit vitandus, cognitâ probabilitate maiori vnius iudicij ſupra aliud; atque adeò quod ſit amplectenda ſententia probabilior, non verò minus probabilis in comparatione illius: Vbi aduertendum eſt, quod quando quis vtitur ſententiâ minus probabili in ordine ad praxim, non propterea relinquit abſolutum iudicium de veritate ſpeculatiuâ obiecti: nam qui tenet v.g. eſſe reddendum aliquod pretium ex probabiliori ſententiâ, ſi non reddit, quia videt eſſe probabile, licet minus,

non

non debere reddere, non propterea illud debet relinquere, sed contingit cum eo aliud iudicium, quod sit probabile oppositum, & ipsum admittendo vt sic, secundum eum operatur, quod secundum in casu nostro non habet locum; & sicuti defectus aliquis esset relinquere iudicium speculatiuum de debendo reddere, etiamsi non reddat, posito quod in illo agnoscatur maior probabilitas; ità in iudicio speculatiuo de maculandâ, vel non maculandâ Virgine, non vacat defectu, cognitâ maiori probabilitate de sententiâ non maculante eam postponere maculanti.

4. Respondeo tertiò, concedendo iterum Antecedens, & negando Consequentiam, in iudiciis speculatiuis, quorum vnum sit certũ, & secundum finem probabile, reliquum verò sit incerto probabile, & dum de reliquo Ecclesia vniuersa, & Romana adhæret vni, & non alteri, & inuitat ad vnam certò probabilem sine vllo dubio probabilitatis suæ.

5. Obiicies secundò. Licitum fuit à tempore Sixti IV. adhærere sententiæ maculanti Virginem, & perseuerauit licitum esse ei adhærere vsque ad tempora Gregorij XV. cum Pius V. Paulus V. & Gregorius ipse XV. dixerit; nam Pius V. in Bullâ, *Super speculam*, scripsit. [Liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse iudicauerit.] Et Paulus V. in decreto Inquisitionis, quod incipit, *Sanctissimus Dominus noster*, addidit. [Quamuis in Constitutione Fæl. record. Sixti IV. super Conceptione Beatiss. Virg. Mariæ (pro submouendis inter Christi fideles scandalis, & rixis, & contentionibus, edita, à sancta Tridentina Synodo innouata; & deindè in aliâ Constitutione Pij V. super eadem re, quam similiter Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus, pœnarum pro efficaciori eorum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & asserendi etiam vtramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali; dum tamen neutra veluti erronea aut hæretica damnatur.] Et Gregorius XV. [Cum relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem.] Cum antecedentibus ipsissimis verbis, & consequentibus Pauli V. sed huic decreto quoad hoc non est per Bullam præsentem derogatum, vt non liceat sentire, sed solùm vt non liceat asserere Beatam Virginem in peccato originali conceptam; ergo manet quod liceat sentire ità, & per consequens non sit peccatum veniale hoc ipsum sentire.

6. Respondeo primò, negando fuisse absolutè licitum, re consideratâ ex obiecto suo ex tempore Sixti IV. & deinceps seu perpensis perpendendis sentire Virginem in peccato conceptam, posito quod Ecclesia Romana celebrauit emaculationem eius omnimodam, & præseruationem ab originali cum eius confirmatione per Bullam; nec idem est dicere quod fuerit per ipsum & eius constitutionem relicta facultas vtramque partem tenendi; & sentiendi, ac licitum fuisse amplecti vtramque sententiam; nam prima verba solum indicant permissionem Sixti, & reliquorum Pontificum. Secunda verò dicunt positiuam approbationem; permitti autem potuit veniale malum ex obiecto tale, quia credebatur ex parte subiectorum adhærentium sententiæ de maculatâ Virgine, de facto non ita esse, atque adeò benè potuisse dici, quod libera fuit facultas illis temporibus sentiendi maculam in Virgine, non verò licitum eo tempore ex obiecto tale quid fuisse. Vndè non potest à fortiori & ex tali capite inferri, quod modò licitum sit, & non veniale peccatum tenere Virginem in culpâ originali conceptam.

7. Respondeo secundò, esto Antecedens, quod licuerit ante Paulum V. sentire Virginem in originali culpâ conceptam, negatur post ipsum eo modo licitum remansisse tenere hunc sensum, cum is post ipsum à probabilitate deiectus sit teste Suario. 3. p. tom. 2. disp. 3. decursu enim temporis quicquid probabile erat, fit sæpè improbabile, vt omnes Doctores aduertunt; & Gregorius XV. licet hoc ipsum liberæ facultatis datæ ad opinandum in quamlibet partem retulerit de Sixto IV. ei tamen detraxisse videtur dum expressè in sensu de Immaculatâ sub nomine Conceptionis celebrandum esse Festum eius mandauerit; & siquidem Fratribus Dominicanis concessit agere de hac materiâ, nunquam tamen concessit iis hunc sensum; nam in Bulla de hac re solum dixit, [Singulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, & de cætero in quibuscumque priuatis eorum colloquiis, seu Conferentiis inter se dumtaxat, & non inter alios, & cum aliis de materia eiusdem Conceptionis Beatiss. Virginis differere, & tractare absque vllo pœnarum in dictis Decretis contentarum incursu, liberè & licitè possint, & valeant auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & impartimur.] Per quæ verba non fecit Pontifex, neque declarauit licitum Fratribus Prædicatoribus, neque sentire, neque ore proferre Virginem Deiparam fuisse in originali conceptam, sed solùm de hac materiâ, sed de hac sententiâ posse ipsos loqui inter se, & non cum aliis, vel disputandi gratiâ: vel melius veritatem cognoscendi, & discussionis potius causa, quàm decisionis contra sensum Ecclesiæ. Quibus adde quod dixit licitum esse de hac materia loqui sine transgressione præcepti Ecclesiastici, & incursionis in excommunicationem; nam dixit licitum esse, absque vllo pœnarum in dictis decretarum incursu, de re agere, quod non ostendit licitum à se declarati tale colloquium, & eiusmodi assertio: ad quam permissionem Pontificiam sufficiens fuit quod non esset manifesta hæresis, & peccatum mortale sentire Conceptionem Virginis maculatam, quod vltro concedimus. Aduersariis, imò concedimus item eo tempore neque veniale fuisse apertè ei sententiæ assensum præbere: prout vltimo respondemus huic obiectioni, & dicimus quod mutatæ sunt circumstantiæ à Gregorio vsque ad Alexandrum, & post Bullam maxime Alexan. Sanctiss. Domini Nostri qui hæc priuata colloquia interdixit, nec Fratribus Prædicatoribus illa indulsit, nec alicui indulgere, vel futurum esse vt indulgeret ostendit, quemadmodum se indulturum annuit in sua Bullâ Gregor. XV. mutatæ autem sunt circumstantiæ

negarunt hanc Bullam vmquam editam, & quoniam sua dicta summâ solent asseueratione & firmitate tradere, in eorum certa acclamatione obiecit fortè fictionem Bullæ Vuadingo priuatè, præsente eiusmodi Cardinale: At Vuadingo non obmutuit, neque veritati rei reliquit lucem afferre, monumenta eius expressa seruata in Archiuiis Franciscanorum Patrum depromens, & Catharinum attestans qui citat has Bullas, & Tridentino interfuit, prout in Opusc. 2. præcedente ostendimus: Quare esto, obiectionem hanc fecerit Paulus V. non propterea rei veritas non eluxit, nam Vuadingus si de fictione huius Bullæ conuictus fuisset, eam typis suæ Legationis non commisisset, neque Aduersarios Bullâ hac vt ficta agnita, fortiter arguisset. Quare nulla est hæc relatio Cardinalis Susannæ qui nullum huius testificationis suæ reliquit autenticum monumentum, neque testem non suspectum, ad fictionem huius Bullæ comprobandam: & rectius item egisset Anonymus si nec testem alium huius relationis adhibuisset; nam is quem adhibuit valde suspectus est, & ipso vno hoc dicente nutat hæc relatio, quæ si veritatem attulisset, certè ea tempore Pauli notissima fuisset, nec potuisset eo tempore non buccinari ab Aduersariis. Quæ omnia persuadere possunt quàm futiliter hæc Extrauagans prima Sixti IV. reiici quæratur, quæ alioqui firmissima manet ex aliis adductis Opusc. 2. præcedente latissimè. Rursum si Paulus V. hoc obiecisset Vuadingo, & Vuadingus rem pro certo supponens non obstitisset Pontifici, non propterea causa cognita & decisiua quicquam in hac re protulisse Paulum V. constat; vnde non tollitur quin rationes eam probent efficaciter, vt de sui veritate non dubitare faciant; quas legere potes loco citato, & rursum alias quas subdo, ex eo quod modo controuertam.

3. His suppositis licet hîc controuertere an certum maneat ex hac Bulla sanctissimi Alexandri, Constitutionem hanc Sixti esse canonicam, & meo iudicio videtur satis relinqui certam, ex eo quia cum expressè ipse in hac Bulla pluries vsurpet in plurali Bullas Sixtianas pœnales, & pœnas varias infligentes transgressoribus: ex alia parte solus scrupulus pullulare possit, quod sicuti Tridentinum Constitutiones Sixtianas pœnales approbauit, & nihilominus sustinetur ab aliquibus, quod hac pluralitate non exprimatur, nisi vna Constitutio Sixti; ità idem dicendum sit de vsurpatione nominis pluralis Constitutionum Sixti à sanctissimo Alexandro positarum in hac Bulla, non pro pluribus eius Constitutionibus, sed solùm vna pœnali, posse stare. Sed dicendum est maximè firmari veritatem duplicium Extrauagantium Sixtianarum incipientium, *Graue nimis*, ex hac nobilissima Bulla sanctissimi Alexandri, qui pœnas quas innouat, non dicat contentas in Constitutione, seu statuto Sixti IV. sed in Constitutionibus eiusdem Pontificis: manifestum ergo est quod ipse agnoscit has pœnas contineri saltem in duabus Constitutionibus, & cum certum sit quod in prima Extrauagante Sixti nullæ pœnæ contineantur; remanent quod aliæ duæ Bullæ editæ ad minus sint continentes has pœnas, quæ certe aliæ non sunt nisi dictæ duæ Extrauag. *Graue nimis*. Quod autem pœnæ dicantur impositæ à Sixto IV. in suis saltem Bullis duabus ex sensu Alexandri sanctissimi, patet pluries ex hac Bulla; qui primò ait, [Præter pœnas & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas.] Et deindè. [Præter pœnas quibus eos subiecit Sixtus IV.] Scilicet in dictis Constitutionibus: Ex quo remanet confirmata apertè prima Bulla, *Graue nimis*, à sanctissimo Alexandro, in quâ damnantur ij qui dixerant vel dicerent Ecclesiam Romanam celebrare tantum Conceptionem spiritualem Deiparæ, vel eius solam Sanctificationem, & nulliter Aduersarij contendebant hanc Bullam non esse autenticam.

4. Id quod secundò Probatur apertiùs, quia si verè non agnouisset sanctissimus Noster Dominus has duas Constitutiones, *Graue nimis*, vt Sixtianas, non potuisset pœnas & censuras citare contentas in Constitutionibus eius, dum de hac re lis erat magna, & Aduersarij contenderent vnam tantum esse, fortiter à commilitonibus nostris agitatis, & præsertim à Cismontanâ Familiâ, Calderonio, Velasquez, Vega, Neribergh. Quare cum hac lite pendente ex sensu Aduersariorum, dum ipse Pontifex eas Constitutiones non Constitutionem nominauit aut statutum, vel quid æquiualens: vel æstimandus esset absurdissimè ignarus huius controuersiæ, vel quod verè senserit & iudicauerit Constitutiones has ambas esse autenticas, & proprias Sixti; nam si taliter non iudicasset, vel debebat vti nomine singulari Constitutionis & decreti, aut statuti, vel hæc nomina vitare si dubius de re fuisset; & debuisset dicere sicuti semel hic dixit, nominatis pœnis impositis à Sixto IV. non nominando Constitutionem, vel Constitutiones eius.

5. Probatur tertiò id ipsum, quia Paulus V. & Gregorius XV. quemadmodum & Alexander VII. cum voluerit confirmare primam Extrauag. *Graue nimis*, & innouare pœnas eius nunquam vocarunt eiusmodi confirmationem veluti confirmationem Constitutionum, & statutorum Sixti IV. sed merè statutum & Constitutionem Sixti IV. Ergo cum per Aduersarios hîc sanctissimus Alexander loquutus sit, vt ipsi volunt, de vnâ solâ signatâ Constitutione, in quâ solâ pœnæ à Sixto IV. essent inflictæ transgressoribus, non debuisset eam signare sub nomine Constitutionum, sed Constitutionis, si eam solam agnouisset editam à Sixto IV. cum continentia pœnarum. Sic videri potest in Bullâ Alexandri VI. litteras quidem nominasse hanc Constitutionem, & contenta in literis non in Constitutionibus contentas nominauit dicens. [Dum siquidem à fœl. recor. Sixto Papa IV. Prædecessore nostro litteræ emanarunt tenoris sequentis.] Et in fine. [Præinsertas litteras & omnia & singula in eis contenta decernimus inuiolabiliter obseruari debere.] Paulus item V. in Bulla, *Regis Pacifici*. Extrauagantem dictam Constitutionem appellauit dicens. [Hanc verò Sixti Prædecessoris Constitutionem œcumenica Synodus postea innouauit.] Et Gregorius XV. addidit similiter. [In Constitutione fœl. recod. Sixti IV. super hac Conception e Beatæ

Virginis Mariæ pro ſubmouendis ſcandalis.] Quare cum contra Sixtianas pœnales Conſtitutiones in plurali, & non in ſingulari nominarit ſanctiſſimus Alexander, ſignum eſt quod agnouerit duas ipſum edidiſſe cum inflictione pœnarum & cenſuratum.

6. Probatur quartò quod concluſimus, quia hic ſanctiſſimus Dominus addidit, [Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes quempiam aſſerere quod propter hoc contrariam opinionem, tenentes videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant.] Vbi notat non vnam fuiſſe Conſtitutionem, ſed plures in quibus præcepit Sixtus non eſſe notandam hæreſis opinionem oppoſitam: Nam ſi in vna tantum id præcepiſſet, non dixiſſet Sixti IV. Conſtitutionibus, ſed Conſtitutioni inhærentes; non enim eſt vſus Pontificum citare dicta à Prædeceſſoribus ſuis vna Conſtitutione nominando & vſurpando nomen Conſtitutionum ſed Conſtitutionis. Sic vt vidimus, Paulus V. & Gregorius XIII. nec non etiam Pius V. agens de contentis in vna Bulla, non appellauit eam nomine Conſtitutionum, etiamſi Sixtus plures ediderit Conſtitutiones, videlicet tres de hac ſcilicet materia, benè enim diceretur quod Sixtus plures edidit Conſtitutiones de tali materia: at non benè dicitur quod vnum quid quale eſt pœnale, tradiderit in Conſtitutionibus, ſi in vna tantum id expreſſit. Sic hic vel ille Pontifex qui confirmauit Societatem Iesv, etiamſi plures de eadem Societate ediderit Bullas, non propterea dicitur in ſuis Bullis confirmauiſſe Societatem in ſuis Conſtitutionibus abſolutè, niſi adderetur quod eam confirmauerit in Bullis, quas pro illa edidit. Et ſic ſi Concilium Tridentinum, & ſanctiſſimus noſter Alexander nominaſſet pœnas in Conſtitutionibus Sixti contentas ſignando Conſtitutiones de Conceptione Virginis tractantes, benè id dicerent, ſi in vna tantum pœnæ continerentur; non verò ſi abſolutè notarentur pœnæ in Conſtitutionibus abſolutè nominatis contentæ, ſi in vna ſolùm continerentur, vt patet ex ſimilibus modis loquendi iuxta ea quæ aduertimus Opuſc. præcedenti in ſimili.

7. Confirmatur hoc ipſum, quia in Extrauagante notata, & acceptata ab Aduerſariis, ſecunda ſcilicet, *Graue nimis*, vna tantum pœna ſolius excommunicationis mulctantur aſſerentes peccatum mortale eſſe, vel crimen hæreſis incurrere, qui tenent maculam originalem in Virgine: cum ergo ſanctiſſimus Dominus non dixerit pœnam in Conſtitutionibus Sixti contentam, ſcilicet cenſuræ: ſignum eſt quod notauerit tum illam fulminatam cenſuram & excommunicationem in prima, tum aliam in ſecunda Bulla, quod vlterius patet, quia non niſi vnam eam appellat Sixtus in ſecunda, *Graue nimis*, dicens [Simili pœnæ ac cenſuræ ſubiicientes.] Et ſi duplex pœna poteſt inueniri, ea inuenitur in prima, *Graue nimis*, quæ ab Aduerſariis fictitia dicta eſt, vbi dicitur, [Excommunicationis ſententiam, & æternam maledictionis pœnam eo ipſo incurrant.] Quod ſecundum non inuenitur in ſecunda, *Graue nimis*, atque adeò videri poteſt ex hoc ipſo notari debere vt incluſam primam *Graue nimis*: Quæ huiuſce pluralis pœnæ multiplicitatem ex parte contineat: Neque dicas pœnas varias in ſecunda, *Graue nimis*, intelligi eas quæ incurruntur per enunciationem variarum propoſitionum, vel per edictionem librorum; nam hic Pontifex non loquitur niſi de tenentibus Immaculatam, & improbantibus maculatam, dum loquitur de ſui inhærentia ad Conſtitutiones Sixti IV. merè ſermonem habendo de improbantibus graui crimine tenentes maculatam. Vndè ſupponit plures Bullas, in quibus vna pœna repetita potuit dici duplex, ſeu bis fulminata: & ratione duplicis fulminationis dicta in plurali, cum vna ſola fuerit, ſcilicet excommunicationis latæ ſententiæ. Quæ omnia addita dictis ſuprà, rem hanc clarè oſtenſam relinquunt. Solùm poteſt hîc obiici quod non memini notauiſſe in antecedentibus, videlicet quod Paulus V. & Gregorius XIII. & Pius V. non meminêre niſi vnius, *Graue nimis*, neque alterius meminerunt, & rurſum loquentes de Tridentino, non niſi hanc determinatè ipſum innouaſſe & confirmauiſſe notauerunt; & ipſi non niſi hanc vnam determinatè confirmauerunt ſemper: Quare videtur quod neque Tridentinum, neque modò ſanctiſſimus noſter Dominus aliam quàm dictam, *Graue nimis*, notatam ab aliis confirmare voluerit, & ſolam eam citaſſe.

8. Sed aperta eſt Reſponſio, quia tempore Concilij Tridentini Patres eius pleniorem cognitionem habuêre de Conſtitutionibus Sixti IV. cum in eo inuenirentur Patres Franciſcani qui tanquam iudices in eo præſidebant, & has plures Sixtianas Conſtitutiones oſtenderunt; quæ in ſuis momentis conſeruauerunt & earum tenores fideliter expreſſos, nec erant incognitæ Dominicanis, & præſertim Catharino Dominicano, qui in hac re multum ſtuduerat & ſcripſerat, & pro Immaculata pugnabat. Cæteri verò Pontifices Tridentino poſteriores cum in corpore Iuris poſitam, & omnibus perſpicuam, ſolum ſecundam, *Graue nimis*, inueniſſent quæ in ſubſtantia idem continebat quod prior, non curarunt ambas inſerere, atque adeò elegerunt vnam plenè cognitam ſolùm ponere; at cum de re noſtris temporibus controuerſia eſſet exorta, & validæ rationes oſtenderent primam eſſe autenticam: ſapientiſſimè ſanctiſſimus noſter Dominus noluit huic primæ, *Graue nimis*, præiudicare ſecundam; tantam citans & confirmans; ſed iuxta Concilij Tridentini confirmationem has ambas Bullas citauit, & confirmauit. Quo expulit omnem dubitationem, quam quis vellet contra primam, *Graue nimis*, inuehere.

9. Nec quiçquam probat contra veritatem huius Bullæ, quod poſt clauſulam vltimò poni ſolitam, aliqua verba Doctrinæ & mandati noui ſubdantur, vtpote non ſolita ſubdi, ſed præponi: nam rationabiliter hoc actum eſt, quia Pontifex voluit ità ligare oblatrantes contra Immaculatam Conceptionem, vt ab excommunicatione noluerit eos poſſe abſolui, ſi in eam inciderent, niſi ex ſuâ licentiâ & beneplacito, & propterea addidit, *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis in contrarium*: At verò tali inabſolubilitati excommunica-

tionis

tionis cum noluerit subdi eos, qui contra Aduersarios Immaculatæ Conceptionis inuecherentur eos erroris, vel peccati mortalis insimulantes: sed simplici excommunicationi absolubili à quolibet Confessario: proinde post prima dicta & post deiectionem priuilegiorum, sin pliciter addit ad hoc significandum: [Pari damnatione & censuræ subiicientes illos, qui prædicare, docere, aut alias verbo, vel scripturâ affirmare præsumerent, hæreticum fore credere eamdem Virginem Gloriosam à peccati originalis maculâ præseruatam non fuisse, & ne de præmissis aliqui valeant ignorantiam allegare, volumus quod locorum Ordinarij &c.] Scilicet Bullam hanc promulgent. Quo patet noluisse Pontificem hanc excommunicationem reseruare, præsertim à priuilegiatis, & ratio est quia prior incursus in excommunicationem est incursus cum errore in fide & contemptu Ecclesiæ, & Pontificis, non verò posterior. Quo patet quantum Sedes Apostolica semper præposuerit nostram sententiam sententiæ Aduersariorum, ipsique præiudicauerint, ipsamque depresserint: Quod potest addi alibi dictis. Id quod etiam patet manifestè ex Bulla secunda, *Graue nimis*, in quâ hæc excommunicatio non infligitur cum reseruatione tenentibus Immaculatam, & censurantes eos qui maculatam Virginem volunt.

10. Id etiam quod dicunt non solere tradi doctrinam à Pontificibus post verba, *Non obstantibus &c.* falsum est, & videri potest in Bullis pro Societate Iesv editis, in quibus pluries hæ doctrinæ continentur post verba, *Non obstantibus*. Vndè videat Anonymus in quantis erret, & semper in irritum loquatur cum suis Commilitonibus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Præcepto obligatorio ad publicationem huius Bullæ, an ea esset facienda Populis à singulis Prædicatoribus Diœcesum.

1. IN hac Quæstione varia sunt exagitanda quæ concernunt ad publicationem huius Bullæ, quæ fortè in aliquibus Diœcesibus facta non est sicuti præcipitur à Sanctissimo Alexandrò. Quare controuerti debet an hæc vel illa publicatio sit necessaria, & quibus personis, & sub quibus pœnis hanc vel illam personam afficientibus. Maximè autem debet hîc quæri an hæc publicatio directè debeat extendi ad populos; nam etsi communiter viderim Theologos huius Diœcesis Panormitanæ, nec non vicinorum Episcoporum censuisse quod hæc publicatio directè sit facienda populis mediis Prædicatoribus, vel aliis personis æquiualentibus ipsis per literas; à me consulti duo docti viri vnus magis, alter nihil anceps se esse in eo sensu, vt putarent sufficere vt hæc Bulla nota quidem fieret singulis Prædicatoribus, vel aliis personis illis æquiualentibus; non autem esse necessarium ex vi præcepti Pontificij. Quod ipsi hanc Bullam promulgarent immediatè & publicè populis, & per consequens quod Episcopi non tenerentur attendere an ipsi hanc secundam promulgationem exequerentur erga populos. Pro qua re sunt recitanda verba Pontificis, & rectè attendenda; Sanctissimus enim Alexander sic scribit. [Vt autem hæc nostra Constitutio & præmissa omnia ad eorum omnium quorum interest notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ priuationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda, præcipimus, & mandamus omnibus & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis ad quos quomodolibet spectat & pertinet; quatenus eiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtûs Prædicatoribus, & aliis quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari & publicari faciant, ne quis in posterum quo quomodo ignorantiam de præmissis possint prætendere, aut se contra præmissa valeant excusare.] Niti autem visi sunt hi docti viri in eo quod initio huius clausulæ dicitur quod præceptum quod hîc datur non habeat alium finem, nisi quod hæc Bulla, & specialiter omnia contenta in eâ perueniant ad cognitionem eorum quorum interest. Quare non videtur directa eius publicatio ad omnes personas Christum colentes, sed ad eas quæ circa hanc materiam debent disserere, & quibus Bullæ pertinentes ad materias Theologicas conuenit, vt innoteſcat, vel ad similes. Vndè concludere videntur quod non oporteat ex vi præcepti Pontificis Episcopos inuigilare & mandare vt Prædicatores, vel aliis qui ipsorum vicem suppleant, contenta in hac Bullâ prædicent populis; & absolutè omnibus Christum colentibus: Nam scripsit ad me Primarius vir Doctus, quod si populis voluerit publicari Pontifex hanc Bullam, addidisset, vt soliti sunt addere alij Pontifices, quod ij de re præceptâ dissererent, vbi solet conuenire hominum multitudo, vel publicè coram fidelibus sermocinando: quod cum non addiderit Summus Pontifex, videtur rectè concludi quod hæc publicatio non sit ex præcepto extendenda populis immediatè à Concionatoribus contentâ in Bulla audituris pro se afferre

possunt (non vidi tamen , nec audiui tale quid eos afferre) similem clausulam iisdem prorsus verbis expressam inueniri in Bullâ Pij V. de materiâ Conceptionis Deiparæ, quæ incipit, *Super speculum Domini* , quæ non videtur arctasse Episcopos ad sui publicationem vniuersalem, sed solum ad viros doctos ; nam ibi non præcipitur specialiter nisi non scribere , neque disputatiuè loqui in publicis conuentibus de eiusmodi materiâ, quod non pertinebat ad populi scientiam. Cum ergo ea Bulla non fuerit publicanda vniuersalissimè, sed mere viros Doctos , & ad eos qui munere concionandi fungerentur ; ità ex hac dum Pontifex iisdem verbis loquatur hîc , ac loquutus sit Pius V. in suâ videtur manifestè concludi , quod hac eadem clausulâ vtens Sanctissimus Alexander , noluerit hanc publicationem vniuersalem , qualis videtur ex verbis inferri.

2. Ex alia verò parte hæc assertio videtur valdè nimis arctare hanc publicationem Bullæ, quam alioqui maximè generalem voluisse, constat sanctissimum Dominum nostrum, dum publicatam voluit à Prædicatoribus Diœcesis , vel cuiuscunque districtûs ; non enim hoc potest videri scripsisse nisi vt hi populos de contentis in Bulla , & de Bulla monitos facerent. Et absolutè quando præceptum datur de monendis Prædicatoribus ad hoc vt publicetur Bulla , ridiculum videtur quod in vna Ciuitate , in quâ erit fortè non nisi vnus Concionator , hæc Bulla publicari præcipiatur , per hoc quod Concionatori vel duobus aut tribus hominibus doctis intimetur & innotescat. Id quod confirmari potest ex eo quod maximè intenderit Summus Pontifex quod hæc Bulla innotesceret apud omnes fideles quos sciuerat summè gauisuros de hac nobili , & suâ optatissima Constitutione: Quare non potuit merè velle præcipere vt decem, vel viginti , aut quadraginta personis innotesceret in grandium etiã Ciuitatum Episcopatibus ; fac enim præceptum restringi ad Prædicatores magnæ Diœcesis Panormitanæ, quæ præter Panormum, Thermas , & aliquas alias quatuor Terrulas in suo districtu habet, alias non habet,excepto quadragesimali tempore hæc Diœcesis non solet habere, sicuti & in cæteris , non nisi paucos Prædicatores , & extra Panormum nullus recensetur Concionator in anno , nisi vnus è Societate Iesv in Ciuitate Thermarum, & Panormi extra tempora Quadragesimæ vix perueniunt ad decem. Quare Sanctissimi Alexandri VII. Bulla quæ in fine Aduentûs Panormum appulit , si publicata fuisset octo vel decem Concionatoribus , iique si rem siluissent , debuisset censeri satisfactum præcepto Pontificio. Id quod similiter dici posset de Archiepiscopatu Neapolitano qui magnus est ex sola Neapolitana Vrbe , quemadmodum Panormitanus ex Panormitanâ ferè ducentorum mille hominum, vel vt aliqui dicunt, centum sexaginta aut septuaginta millium,quod nullo modo dici potest à sana mente.

3. Neque dicas expectandum fuisse in eiusmodi publicatione tempus Quadragesimale; nam ad summum si Bulla hæc publicata fuisset omnibus Concionatoribus , si non fuissent plus quàm triginta aut quadraginta, loquendo de iis qui sæpiùs in Hebdomadâ, vel tota Hebdomadâ concionarentur in vrbe, & toto Diœcesis districtu , & omninò absurdum videtur quod publicatio Bullæ eiusmòdi esset dicenda congruè facta in Diœcesi & Ciuitate Panormitanâ , si quadraginta solum personæ ex eâ Bullam sciuerint produsse de iis & illis contentis in ipsa.

4. Ad resolutionem autem quæstionis sciendum est quod ratò in Bullis hæ publicationes præceptæ sint , cùm eæ sufficienter intelligantur publicatæ per affixionem in Campo Floræ, & in valuis S. Petri Romæ , nec alia publicatio sit necessaria in foro externo: Quando ergo Summi Pontifices aliam publicationem mandant , hoc efficiunt vt ostendant se premere multo magis in particulari obseruatione , & quia res præceptæ pertinent ad Communitatem: nam si præcepta sua concernant ad paucos , sufficit illa publicatio Bullarum quæ fit Romæ : nam inde nuntiæ litteræ monent principaliores viros , dum præsertim ad Episcopos soleant mitti à suis Agentibus Romæ : Quare omninò dicendum est quod quando eiusmodi publicationes mandantur in Bullis , ostenditur quod Pontifices velint quod contenta in eis à communitate fidelium in particulari sint rectè obseruanda , & omninò ab eis sint exequutioni mandanda , si contineant aliquod præceptum Pontificium: Quare si quomodo contenta in Bullis sint obseruanda à particularibus hominibus , omninò videtur censendum, quod præcepta quæ mandantur publicari pro ipsis ,& ipsis immediatè sint existimanda debere publicari , & hoc intendere Pontificem quando ait & præcipit vt fiant publicari. Præcipit autem Pontifex maximè hanc publicationem, vt fideles ignorantiam quo quomodo allegare non possint , & interius non solum exterius astricti, & scientiâ habitâ ad præceptorum suorum obseruantiam, ea adimpleant & seruent ad vnguem : id quod si interueniat in casu nostro , vel in hac aut illâ Bullâ sic præcipiente , pensandum est ex contentis in Bullam iniungentibus obseruantiam exequutioni mandandam à populis.

5. In particulari item sciendum ,in hac materia in primis Bullis Sixti IV. nunquam hanc clausulam positam : benè autem eam positam ab Alexandro VI. in renouatione & confirmatione secundæ Extrau. *Grauc nimis*, in eadem Bulla de verbo ad verbum recitata, non eodem modo , nec absolutè , sed in eo quod præcepit Bullam dictam Sixti publicandam toties quoties expediret, his verbis. [Quo circa vniuersis & singulis Patriarchis &c. in virtute sanctæ obedientiæ , & sub excommunicationis pœna districtæ præcipiendo mandamus, quatenus ipsi , & quilibet ex eis , vel per se, vel per alium, seu alios prædictos , vbi & quando expedire cognouerint , & quoties sub hoc requisiti fuerint solemniter publicari faciant , auctoritate nostra litteras ipsas ac in eis contenta inuiolabiliter obseruari.] Et transgressores excommunicatos præcipit publicari vt incursos in excommunicationem in Ecclesiis videlicet , dum maior ibidem ad Diuina conuenit multitudo populi. Post hæc Pius V. confirmans eandem Bullam , *Grauc nimis*, prohibuit

prohibuit in conuentibus multitudinis de hac materia agi, vel scribi Idiomate vulgari, deindè clausulam huius Bullæ isdem verbis ponit cum hac differentia, quod in excommunicatione minatà dicitur & additur hîc quod non inuenitur in hac præsenti; videlicet [si in his quæ mandamus se negligentes exhibuerint.] Et rursum mutatio alia inuenitur in fine clausulæ; nam in Bulla Pij V. dicitur, [Publicari faciant, & ne quis inposterum quoquomodo ignorantiam de præmissis ipsis prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare, volumus; & similiter eadem auctoritate decernimus & mandamus quod præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus &c.] Scilicet affigantur in locis solidis, vbi illud *& ne*, continuatur cum præcepto affixionis, in Bullâ verò sanctissimi Alexandri continuatur sine conionctione, & cum clausula præcedenti, & assignatur id quod dicitur pro causa mandati publicationis præceptæ, videlicet ne quis possit allegare ignorantiam. Quibus præscriptis licet resoluere quæstionem.

6. Ea autem videtur resoluenda concludendo sicuti concluditur, quod ex dictis videatur omninò præceptum datum Ordinariis locorum, vt faciant populis per Prædicatores singulos Bullam nuperrimam publicari, ità vt non sufficiat eius cognitionem merè dare aliquibus Doctis, vel Primatibus viris Ecclesiasticis.

7. Probatur Conclusio primò, quia expressè præcepit Pontifex quod non solùm Prædicatoribus singulis intimetur, vel tenor Bullæ innotescat, sed quod publicari faciant Ordinarij hanc Bullam certè ab ipsis, quibus insinuanda, & publicanda dicitur: Quare debent ipsi Concionatores eam publicare, & cum publicatio regulariter loquendo à Concionatoribus, soleat fieri in concionibus habitis ad populum, videtur quod in concionibus debeat ea publicari: verum quidem est quod si eam publicauerint in Missæ Sacrificio, vel alio tempore, possint hoc agere Concionatores dicti.

8. Sed dices, Pontifex dum præcipit quod Ordinarij insinuent, & publicent hanc Bullam Concionatoribus, videtur quod dum dicit & addit, *insinuari & publicari faciant*, videtur intelligendum quod velit solum hoc ipsum magis declarare per sequentia verba, & non præcipi in ipsis aliquod aliud præstandum ab ipsis Concionatoribus: cum præsertim, vt aduertitur à Docto viro citato, dicatur insinuari quod non videtur conuenire Concionatoribus respectu Populorum. Sed verè hæc responsio & interpretatio videtur valdè violenta, quia facere rem aliquam publicari, dum imponitur & additur personæ cui supponitur publicata, non benè explicatur vt nihil aliud addat; nam respectu eius aliud est publicari & facere publicari, & gratis omninò dicitur quod hæc verba quæ aliud sonant sint nugatoria; id quod patet ex ipsa naturali verborum significatione, qua velit exprimi quod aliqua res fiat vt pluribus innotescat; & rursum fiat, vt iisdem plures operam suam ponant, vt cæteri ex communitate eam probè sciant: Nam benè dicitur quod eam insinuent & publicent talibus determinatis, & rursum faciant ab eis scilicet rem publicari. Vbi aduertendum est quod verba prænotata extra sensum Aduersariorum nugatorium duos alios sensus possunt facere. Primus est quo interpretetur illud *publicari faciant*, vt verbum, *faciant*, ad Prædicatores, ita vt voluerit per hæc verba significare quod Ordinarij locorum hanc Bullam publicent Concionatoribus, & ipsi Concionatores faciant publicari, vel vt verbum *faciant publicari*, referatur ad ipsos Ordinarios, vt scilicet significent quod ipsi debeant facere vt publicetur hæc Bulla, siue per Prædicatores, vti solet fieri commodius, vel alio modo sibi benè viso. Qui sensus est magis naturalis, & ex eo benè ostenditur, & credi debet quod si Episcopi præsertim qui non haberent Concionatores in suis Diœcesibus, quod sæpe accidit, benè possint hanc Bullam publicare per alios Sacerdotes, vel in Sacrificio Missæ, vel alio modo.

Probatur secundò Conclusio, quia expressè in vltimis verbis ostenditur Pontificem ideò dare hoc præceptum; ne quis possit ignorantiam excusare; si ergo nulla est obligatio hanc Bullam promulgandi populis; posset sine peccato haberi hæc non promulgatio & excusatio Populorum: quare nulliter ad negandam & tollendam à Populo excusationem obseruantiæ huius Bullæ Pontifex hoc præceptum posuisset, cum ipsum non conferret ex obligatione ad tollendam hanc excusationem, quam non habere locum supponit Pontifex, si publicetur Bulla, & modo quo ipse tradidit; quod stultè & temerè diceretur de Summo & sic sapiente Pontifice. Et patet hoc ipsum ex his quæ diximus in Propositione rationum pro vtraque parte.

9. Probatur tertiò Conclusio, quia si quis nos cogeret ad dicendum quod sufficeret publicatio huius Bullæ ex vi eius, si solum fiat Primatibus Ecclesiasticis, vel Concionatoribus, maximè esset quia dicitur in Bulla quod hæc publicatio præcipitur, vt perueniat cognitio ad omnes eos quorum interest: Sed hæc verba nihil prorsus faciunt, vel cogunt nos existimare debere quod Pontifex cognitionem huius Bullæ intenderit habendam tantum à quibusdam è doctis viris Ecclesiasticorum: nam verba ipsa nihil tale sonant, imò oppositum, quia non dicunt, publicentur contenta in hac Bullâ iis quorum interest, sed solùm in eis assignatur causalis, quare debeat fieri hæc publicatio in hæc verba. [Vt autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia, quorum interest notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ &c.] Per quæ significatur quod ad hoc vt cognitio huius Bullæ peruenire possit, & habeatur maiori cum congruitate, seu modo magis congruo, & facili, præcipitur vt publicetur omnibus, ad quos pertinere debet hæc cognitio: in quibus exprimitur quod etiamsi maximè & solùm intendatur vltimò cognitio Bullæ habita à Primatibus viris & Doctoribus in qualibet Diœcesi, imponitur præceptum quod fiat publicatio eius à Prædicatoribus directa ad populos; imò ex his verbis ostenditur quod valdè multis debeat fieri hæc publicatio, quia dicitur quod publicatio fiat omnibus vt possit peruenire cognitio ad eos quorũ interest, quia multi hi sunt, etsi multi non essent, non diceretur quod hoc fit vt con-

gruentius peruenire possit ad ipsos hæc cognitio; nam aliquibus paucis poterat præscribi danda cognitio huius Bullæ. Et patet manifestè quod dicimus, quia cognitio huius Bullæ debet ferè omnes Christianos viros attingere; nam iis omnibus est prohibitum ne in dubium reuocent, vel obloquantur de Immaculatâ Conceptione; & rursum ne vt Hæreticos vel impios, aut peccantes mortaliter notent illos qui maculatam Conceptionem Virginis asseuerent: Etsi quidem potest dici quod hæc cognitio non interfit sciri à valde Idiotis hominibus & mulieribus infimæ plebis; certè etiam multorum ex illis magis capacioribus, conuenit scire in Bullâ contenta, & rursum multitudo hominum secularium doctrinâ excellentium, nec non mediocris litteraturæ, vel discursûs, omninò debet hæc scire; quia ad eam pertinet obseruantia eorum, quæ hic præcipiuntur, nec non doctrinæ ibidem contentæ: Vndè omninò ad hoc vt hæc multitudo cuius interest hæc cognitio possit benè doceri & moneri de contentis in Bulla, oportet sentire quod hîc præcipiatur eius publicatio, quæ directè fiat populis, vti diximus, per Prædicatores singulos.

10. Probatur quartò Conclusio, quia ponamus quod Ordinarij locorum non alter publicent hanc Bullam, quàm faciendo vt ea innotescat vel legatur à decem vel viginti hominibus doctis, vel etiam pluribus, si publicatio debeat fieri solùm Prædicatoribus, ità vt non teneantur ij publicare Bullam in conuentu publico populorum: Certè in Ciuitate, centum millium hominum hæc Bulla non posset dici publicata nisi ad summum propter homines doctos: nam certum est quod non propterea ea innotesceret, vel posset regulariter innotescere, & obligare ad seruanda in ea contenta, propter talem minimam publicationem attenta tanta multitudine in eiusmodi Ciuitate certioranda & monenda de ea, & sic innumeri ad quos spectaret eius obseruantia, & quorum propter hoc maximè interesset, de ea erudiri, possent se excusare de cognitione mandatorum in Bulla: Cum ergo Pontifex talem publicationem præceperit, quæ eiusmodi excusationem rationabilem adimat, sequitur necessariò quod hæc debeat esse illa, quæ dirigatur immediatè ad publicos fidelium Conuentus: & in hac re se gerat Sanctissimus Pontifex ac solent se gerere Principes sæculares, qui in iis præsertim quæ sunt seruanda à magna multitudine suorum subditorum, & de nouo mandantur ab eis promulgantur per publicos præcones. Ecclesiæ autem Præcones & tubæ sunt Concionatores, in Rostris ad populos sermonem sacrum habentes; Diuina & Ecclesiastica præcepta declarantes multitudini.

Probatur quintò Conclusio, quia expressè Pontifex mandat non solum publicari Bullam & Constitutionem suam, sed omnia in ea contenta, quæ reducuntur ad valdè multa capita pertinentia ad dogma & doctrinam, nec non etiam ad obseruationem eorum quæ præcipit seruanda sub graui pœna excommunicationis, aliisque iniunctis, & iniungendis pœnis; omninò ergo voluit Pontifex quod cum ea contineantur in Bulla, quæ plurimis in locis & Diœcesibus non potest Typis dari, cum ibi Typi non sint, omninò debeant fieri nota per publicos Præcones Ecclesiæ ad populum verba facientes, & omnia contenta in Bullâ declarantes; nam alioqui non possent vlla ratione dici hæc particularia capita, & singula sufficienter publicata multitudini; si tales docti viri & Concionatores publicè ea non enucleent & exponant. Ad summum enim si hoc non fiet, à multis, sed neque omnibus quorum interest, inculpabiliter ignorabuntur, & non tenebuntur ad eorum obseruationem, paritate etiã ducta à similibus. Neque dicas singulos fideles quorum interest obseruare mandata omnia quæ continentur in hac Bulla, audito quod prodierit eiusmodi diplomata Pontificium, teneantur sub præcepto adire Doctores vt ipsos doceant de contentis: nam hoc est inauditum & intolerabile, & dum tantam obligationem inducit, & ex alio capite tenerentur Concionatores in Ecclesiarum Conuentibus talia explicare, ne darent occasionem tantæ multitudini peccandi: Et quis non videt nisi fatuus, quod oporteret vt concurrerent populi ad domos istorum Doctorum ad hanc hauriendam notitiam, & similes adhibendas diligentias moraliter difficillimas & impossibiles.

11. Probatur sextò Conclusio, quia expressè Pontifex in hac sua Constitutione profitetur se velle vitare scandala, eáque quantum fieri potest amouere ne suboriantur, & notat hæc suboriri, quia plura dicerentur & affirmarentur à fidelibus, quæ non essent affirmanda & dicenda, à nullo fidelium genere: Cum ergo hæc dicta communiter horum malorum causæ sint communia populis, scandala maiora & quæ magis intendit impedire summus Pontifex, sunt illa populorum; maxime hæc publicatio est intelligenda præcepta, quæ ad ipsos populos dirigatur: ij enim debent scire, & doceri de contentis in Bullis apud quos, & in quibus vitanda sunt scandala. Quare cum hæc publicatio non sit nisi illa quæ fit frequentibus Conuentibus fideliũ à Prædicatoribus, vel similibus; hæc est hic præcepta, non priuata sola facta ipsis per litteras, vel internuncium, aut priuatum sermonem.

12. Probatur septimò Conclusio, quia hæc publicatio videtur seruata à Doctis Ordinariis in nostra Sicilia, qui per vniuersas suas Diœceses præceperunt Concionatoribus vt in Concionibus ad populum ea omnia quæ continerentur in Bulla populis explicarent; & Doctus Episcopus in puncta ipsemet præcepit redigi, vel redigit ipse, eáque tradidit eisdem Prædicatoribus, vt ea sigillatim omnibus explicarent. Et quia vnus quis ex Concionatoribus hoc exequi renuit, qui in primate Ecclesia antiquæ Ciuitatis concionabatur tempore Quadragesimali, eum amouit à prædicatione; nec vlla ratione finit eumdem ad nostra redire, etiamsi variè commotus fuit vt sententiam mutaret, id quod ostendit quod populis debebant omnia quæ in Bulla continerentur exponi, & Episcopo incumbit hæc cura pœnis etiam coërcendi transgressores Pontificiorum mandatorum, & consequenter hîc mandari hanc explicationem conuentibus populorum. Quare stet non satis esse Ordinariis loci si

Prædicato

Prædicatoribus, vel aliis multis Doctis viris in suis Diœcesibus, vel strictibus notificent Bullam, & in eâ contenta, sed debent hæc ipsa præcipere, & exequutioni mandare vt reipsa Populis hæc talia omnia notificentur, & explicentur.

13. Hoc principali dubio & quæstione dissolutâ, aliquæ aliæ possent hic fieri quæstiunculæ, & vna esset præcipua, an sicuti præceptum habent in hoc diplomate Pontificio Ordinarij locorum curare, & re ipsa efficere vt contenta in illo publicentur populis per Prædicatores: ità hoc ipso vel absolutè Concionatores ex hoc eodem præcepto Pontificio teneantur hanc publicationem facere; Ad quod respondetur quod hîc directè Præceptum Pontificium intimatum est Ordinariis locorum, sed Concionatores si monniti ab ipsis non exequerentur talem publicationem, non propterea huic præcepto contradicerent directè loquendo, quia non est factum ipsis, & sic non incurrerent pœnam prohibitionis ingressûs in Ecclesiam, quam incurrerent, si non obedirent Ordinarij loci: sed tenerentur ex præcepto Pontificio facto Prælatis, & potestate eis tradita à Summo Pontifice, vt eis ipsi Concionatores etiam Regulares obedirent; Vndè graviter peccarent si non obedirent, provt in similibus, & ex capitibus vniuersalibus est certum; non tamen ex vi præcepti hîc directi ad ipsos Concionatores; licet posset dici, quod etiam ex vi huius præcepti facti Ordinariis loci, consequenter tenerentur etiam ipsi obedire, quia ex vi huius præcepti Concionatores subduntur potestati Episcopi; & cum Episcopus mandet hanc publicationem, tenentur & ipsi obedire; sed in tali casu peccarent, quia debentes non obedirent Ordinariis ipsis, non quia immediatè, sed mediatè præcipit, sed consequenter inuehit præceptum, vt ipsi Prælato imperanti hanc publicationem obedirent. Præterea posset hîc quæri an omnes Prædicatores teneantur hanc publicationem facere; vel sufficiat si eam exequutioni mandent duo vel tres; si scilicet per illos facta sit sufficiens. Ad quod videtur respondendum, quod ij Prædicatores qui monitisunt hanc publicationem facere, omnes tenentur obedire, nec ad ipsos pertinet diiudicare si duo vel tres alij sufficienter diplomata Pontificis publicauerunt: Nec Ordinarij loci debent in hac re eximere aliquem, cum Pontifex singulis vult Bullam notam fieri, & à singulis vult illam publicari; & certè omnes omninò requiruntur ad vniuersalem hanc publicationem peragendam.

14. Tertiò quæri hîc potest, an si in aliqua Ciuitate Diœcesis non sint Concionatores, debeant & teneantur Ordinarij locorum committere publicationem aliis Doctis viris; nec videtur dubium quod teneantur, quia tenentur ad publicationem faciendam per eos, quos iudicauerint: Cum ergo deficientibus Concionatoribus, debeant alij supplere eorum locum; tenebuntur ipsi mandare aliis vt hoc munus exequatur.

15. Quartò quæri potest, an si aliquis Episcopus, vel Ordinarius loci, vel per incuriam, vel quia tantam obligationem non agnouerit, hanc publicationem adhuc non egerit in sua Diœcesi, vel Ciuitate sibi subditâ, teneatur eam facere etiamsi elabatur longum tempus annuum, vel maius. Respondeo teneri, quia præceptum non fuit affixum tempori, & sic semper potest impleri, & ei satisfieri; vndè si ei non satisfiat, semper manet obligatio ei satisfaciendi.

16. Sed dices, quantum tempus moræ ad istiusmodi publicationem faciat reum & transgressorem Pontificij decreti Episcopum non efficientem publicari hanc Bullam. Hîc responderi debet iuxta ea quæ solent præcipi in similibus: Et videndum primò quantum tempus requiritur ad hoc vt aliquod diploma Pontificium obliget ad sui obseruantiam; nam vltera mare habitantes solent æstimari tardius obligati ad obseruantiam Præceptorum Pontificiorum, & eorum diplomatum, quàm habitantes in Italia, & sic Episcopi vltramontani non tenentur tam citius has publicationes facere, & sic de similibus.

17. Quintò quæri potest, si Episcopus substantiam Bullæ egerit publicari; quanto tempore potest morari ad efficiendum quod Prædicatores hanc Bullam prædicent. Ad quod Resp. quod ni scandali aliqua proxima occasio subesset, propter quod vitandum hæc Bulla maximè facta est: potest Ordinarius loci expectare tempus Quadragesimæ, vel illud in quo Concionatores soleant in hac, vel illa Ciuitate, vel Oppido concionari, & extra istud si moraretur vno vel altero mense, non æstimo quod peccaret mortaliter, nisi in annum, & aliquid plus excederet mora: nam moraliter loquendo hæc tanta mora (nisi iuxta subsit causa!) videtur ostendere & facere Prælatum contumacem & repugnantem præceptis Pontificiis, quæ tanto tempore non curat exequutioni mandare. Similia his potest quis ex se facile soluere.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Priuilegio prætenſo obloquendi contra Immaculatam Conceptionem Virginis totaliter abolito per Bullam Sanctiſſimi Domini N. Alexandri VII.

ACTVM quàm maximè eſt pro Immaculato Conceptu ex hac Bulla dicta vt aboleretur omne priuilegium, quod quis prætendere poſſit habitum liberè loquendi in materia Conceptionis Virginis, & enunciandi, vel ſcribendi illam, vt originali affectam, vel ſaltem in dubium eius veritatem reuocandi: Id quod vt pateat, videndum ex quo capite poſſit aliquis temerè dictitare, quod eiuſmodi Priuilegio gaudeat, quod non videtur poſſe eſſe aliud, niſi quod Gregorius XIII. conceſſit poſt Decretum editum in fauorem Immaculatæ Fratribus Prædicatoribus, quod de hac materia poſſint liberè, & licitè inter ſe loqui; & cum eiuſmodi Priuilegium hic in Bulla nominatum non ſit, & priuata ſola colloquia de hac re videantur prohibita eodem modo ac illa, quæ prohibuit Gregorius XIII. quemadmodum durauit; nihilominus apud Fratres Prædicatores eiuſmodi Priuilegij vſus, ità videri poſſet alicui non rectè, & audaciter inferenti, quod ſaltem apud ipſos adhuc duret, & cum pro ſuis aliquos ſuos familiares aliqui intelligebant, poſſet aliquis exiſtimare perditè, quod hæ obloquutiones ſaltem ipſis ſint licitæ. Quod cum falſiſſimum, & temerarium ſit, eſt hîc diſcutiendum, & eius falſitas, & temeritas demonſtranda, ne cum periculo animarum ſuarum aliqui hallucinentur, & cæci cæcis ducatum præſtent, & ambo in foueam cadant: Id quod nullâ ratione dico, quia audiuerim aliquem ex ſapientibus Patribus Prædicatoribus in hunc ſenſum veniſſe, & in hac re minus obſequentes ſe oſtendiſſe mandatis æquiſſimis Summi Pontificis: Imò potius, vt infra notabo, eorum obſequentiſſimam obedientiam in hoc ſenſu potero notare in Primate aliquo eiuſmodi illuſtriſſimi Ordinis; & controuerſiam, & reſolutionem huius rei trado, ne in poſterum decurſu temporis obedientia præ humanâ fragilitate fiat laxior, & quia nemo de hac re ſcribit, aliquis audax erumpat in hæc dictata, & interpretationes temerarias.

Vt autem hanc quæſtionem diſſoluam firmius, noto quod quando Gregorius XV. prohibuit poſſe aſſeri Beatam Virginem conceptam in peccato originali, ſicuti fecerat paulò ante Paulus V. eius prædeceſſor voluit hanc prohibitionem extendi non ſolùm ad publicos conuentus, ſed ad quoſcumque priuatos, & colloquia quælibet priuata; ſed notauit hoc interdictum ità à ſe fieri, vt exciperet ab hac prohibitione eos, quos ſancta Sedes Apoſtolica voluiſſet excipere, eiſque indulgere; cum valdè durum eo tempore videbatur ſentientibus fortiter contra Immaculatam, ſic repentè, & ab inexpectato ora claudere, vt ne quidem inter ſe de hac re poſſent ſermonem habere, quicquid in corde haberent propalantes; verba Gregorij in eo decreto hæc fuerunt. [Neque etiam in ſermonibus priuatis audeant aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit Concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiuâ aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen quibus à ſancta Sede Apoſtolicâ fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum, per hoc tamen Sanctitas ſua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem ſtatu & terminis in quibus reperitur, præterquâ quoad in ſupra dicto felicis recordationis Pauli V. & hoc ſuo Decreto diſpoſita.] Poſt hoc decretum conceſſit Gregorius Patribus Prædicatoribus de ſancta Eccleſiâ benemerentiſſimis loquendi licentiam de hac materiâ eiuſcemodi Bullâ, quam hîc Regiſtro, & de qua iudicium ferendum eſt; an per Bullam SS. Alexandri nuperam ei derogatum ſit, ea fuit tenoris ſequentis. [Motu proprio & ex certâ ſcientiâ ac maturâ deliberatione noſtris omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cætero in quibuſcumque priuatis eorum colloquiis ſeu conferentiis inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materiâ eiuſdem Conceptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis diſſerere & tractare abſque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu liberè & licitè poſſint & valeant, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus & impartimur. Decernentes Fratres præfatos à quoquam quavis auctoritate, deſuper moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe aut debere; ſicque & non aliter per quoſcumque iudices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.]

Quâ Bullâ Regiſtratâ aſſero ei derogatum omninò eſſe per nuperam Alexandri SS. & omninò abolitam pro Fratribus Prædicatoribus facultatem loquendi aliquid etiam inter ſe ſolos contra Immaculatam Conceptionem, neque vllo modo poſſe vti eo Priuilegio, quod eis, eo tempore conceſſit Gregorius XIII.

Probatur Concluſio manifeſtè, quia omninò

iſta

ista Bulla Alexandri derogauit illi Gregorianæ; ergo Priuilegium per primam concessum, omninò abolitum est. Antecedens patet, quia prohibuit vniuersaliter hosce sermones priuatos contra Immaculatum sensum, & addidit. [Non obstantibus. Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusuis indultis & litteris Apostolicis, quibusuis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis. Quibus omnibus & eorum singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma obseruanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes harum serie specialiter & expresè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.] Quæ sunt verba, quæ in Curiâ Romanâ derogant, & solita sunt agnosci derogare similibus Priuilegiis antecedentibus; ergo omninò sentiendum est, quod Bulla nupera Sanctissimi Pontificis Alexandri derogarit Gregorianæ dictæ; nec aliquid aliud requiritur ad probationem Antecedentis: vndè Consequentia est euidens; si enim Bullæ, & concessioni illi derogatum est per nuperam, iam prima facultas est annullata, & penitùs abolita.

Probatur secundò Conclusio, quia cum concessio illa facta Fratribus Prædicatoribus locum habuerit eo tempore, quando Pontifex non ità expresè declarauerat plura confirmantia certitudinem Immaculatæ Conceptionis. Quibus non declaratis licentia illa prudenter erat in illis circumstantiis concedenda: In istis, in quibus tot & tanta de fide, vel secundum fidem concernentia declarauit Pontifex, non benè compatibilia cum hac obloquutione contra Immaculatum Conceptum Virginis, dum has obloquutiones prohibet hîc Pontifex, omninò censendus est ad omnes etiam priuilegiatos extendere in casibus, qui cuicumque fideli possent euenire, in quibus essent dirigendi, vt benè se haberent; vbi locum non haberet Priuilegium circa materiam mutatam, de quâ non habebatur tanta certitudo in materiâ dogmatum, quanta nunc habetur de ea, & perconsequens non esset nunc danda licentia contra eam obloquendi.

Id quod confirmatur, quia priuilegia, seu licentiæ datæ à Pontificibus sentiendi, & loquendi in supernaturalibus rebus ad intellectum pertinentibus, tantum durant, vel conuenienter durare possunt, quantum maior certitudo obiectorum eiusmodi non habetur, & habitâ aliquâ maiori certitudine, quæ prius concessa fuerat, hoc ipso eis derogatum venit, vt patet ex naturâ rei; quando ergo Pontifex in hac Bullâ declarauerit sensum vniuersalem Ecclesiæ esse colere Conceptionem Virginis sub sensu Immaculatæ, quod prius expostulatus nunquam egerat, dum prohibet neminem contra Immaculatam obloqui: omninò censendus est, hoc prohibere omnibus fidelibus, nec vllum in hac re priuilegium concedere; quod priuilegium non esset, vti paulò post dicemus.

Probatur tertiò Conclusio, quia communiter à Doctoribus ità interpretata est hæc Bulla, & sic intellectam derogare cuicumque priuilegio ab ipsis Fratribus Prædicatoribus audiui, nec aliter ab iis obseruari. In cuius rei confirmationem à fide dignis doctis viris Româ scriptum est, quod Magister sacri Palatij petiit facultatem à SS. Alexandro posse liberè loquendi de hac materiâ cum solo suo Patre Generali; & responsum ei esse à Pontifice, *Ad quem bonum finem*? Et cum nullum posset suggerere quem videret Pontifici placiturum, abstinuit ab vlteriori petitione, & tacuit. Quo ostenditur non posse Fratres Prædicatores loqui de hac re inter se ipsos, & neminem alium cum suo familiari.

Probatur quartò Conclusio, quia nunquam concessum vel permissum est à sancta Sede Fratribus Prædicatoribus vt liberè possent obloqui contra Immaculatam Conceptionem saltem cum auctoritate Bullæ; esto per viuæ vocis Oraculû (quod nullum scitur in hac re) id actum sit per significationem tolerantiæ: nam solum Gregorius concessit benemeritis de Ecclesia Fratribus posse de hac materiâ inter se loqui, non obloqui; nec item concessit posse asserere liberè quod concepta fuerit B. Virgo cum peccato originali: ergo multo minus possunt prætendere quod modo aliquid istorum possint tempore sanctissimi Alexandri qui penitùs interdixit omnes obloquutiones, & contradictiones verbo vel scripto contra Immaculatam.

Sed dices, dum Fratribus Prædicatoribus concessum fuerit à Gregorio de hac materia posse loqui, intelligendum fuit hoc priuilegium de loquutione solitâ inter ipsos: & cum ipsi inter se soliti essent agere contrarios sensus Immaculatæ exprimere, æstimandum est quod per hæc verba sint concessa verba contra eam obloquentia, seu saltem exprimentia, quod Fratres Prædicatores pro maculata pugnarent, & eam firmarent totis viribus.

At nulla responsio, quia dum Pontifex concessit dictis Fratribus agere de materia solùm, & de reliquo prohibuit neminem posse asserere B. Virginem originali maculatam; & rem prohibitam non signauit à prohibitione sublatam, signum est quod non concessit vt liberè posset de macula decernere: sed solùm discutere rationes pro vtraque parte. Quare à fortiori perspicuum est quod nunc nullo modo possit quis sub specie priuilegij obloqui contra Immaculatam, stante dignissimâ Bullâ Alexandri VII.

Probatur quintò Conclusio, quia suppositis decisis & depromptis à sanctissimo Pontifice in hac Bulla de Conceptione B. Virginis, non habet amplius locum hoc priuilegium: ergo manet abolitum. Antec. patet, quia in hac Bullâ etsi definita non sit Immaculata Conceptio, declaratum est quod eam amplexa sit Ecclesia Romana, eamdemque semper celebrauerit, & celebret, confirmauerit, & continuò confirmet vsu quod hæc sit eius sententia: Quare indi-

gnum est quod aliqui eius filij inter se colloquantur contra eam, dum tota vniuersitas Christiana prohibita sit à Pontifice non obloqui contra illam.

Probatur Sextò Conclusio, quia cum hæc Bulla singulariter in omnes præcedentes aliorum Pontificum, non fauerit vllo aliquo modo sententiam de maculata, nec sicuti ceteræ abstinuit à præiudicio sibi facto, quemadmodum cauêre Paulus V. & Gregorius XV. Et rursum eum in antecedentibus Bullis facultatem habuerit liberam & expressam, quod quis eam in mente amplecti posset; & præterea prohibitum sit quod nullâ remotâ ratione de ea posset agi, apparet hinc manifestè quod tacitè saltem SS. Pontifex voluerit derogare priuilegio Gregorij XV. nec permittere quod ea versaretur circa ora fidelium.

Probatur septimò Conclusio quia priuilegia habent locum, quando vsus habere talem locum declarat, vel Doctores ità autumant: cum ergo communiter sentiant omnes Fratres Prædicatores non loqui de hac re in priuatis sermonibus, nec posse loqui iudicent docti viri, omninò sentiendum est eos non posse prætendere vltra tale priuilegium; Cum maximè Pontifex ostendat huic sententiæ se præbuisse omnem probabilitatẽ, vt quæstione 1. vidimus.

QVÆSTIO NONA.

Quæ & quanta certitudo ex hac Bulla accreuerit sensui Immaculatæ Conceptionis.

IN hac Quæstione varia capita examinari possũt, vndè ostendi, vel controuerti potest si ex eis, vel omnibus, vel pluribus, vel nullo accreuerit in Ecclesia sensus Conceptionis Immaculatæ in certitudine. Vndè apparebit quæ, & quanta sit eius certitudo post hanc Bullam. Et primum caput potest esse ex eo quod dictus, & statutus sit sensus Conceptionis dictæ antiquus in Ecclesiâ; nam indè nemo potest dubitare quin magis certus appareat factus ab Alexandro SS. dum decretus fuerit ab antiquo tempore receptus in Ecclesiâ Dei, vt vidimus quæst. 1. diuis. 1. Secundum caput potest esse fauor ei præstitus iam declaratus vt certo præstitus ipsi à Summis Pontificibus, qui prius negabatur ab Aduersariis: nemo enim potest dubitare, quin ex hac apertâ declaratione accreuerit secundò in hac certitudine hic sensus; nec non ex aliis septem capitibus expressis in diuisionibus nouem post primam quæstionis primæ citatæ: Et tandem ex iis omnibus, quæ in controuersiam posita sunt, & definita in sequentibus Quæstionibus; nam cum ea firma maximè facta fuerint ex hac Bullâ, & ex eis aucta certitudo in sensu Immaculatæ, dubitari non possit: nam quis neget, quod ex eo quod statutum sit, quod Ecclesia Romana, & Catholica determinatè secundum sensum Immaculatæ celebret, quod prius negabatur, non aucta ex hac declaratione fuerit certitudo eiusdem sensûs: Et idem dico ex eo quod improbabilis videatur relictus apertè in actu exercito sensus contrarius, nec non etiam veniali peccato maculatus ex suo obiecto, & sic de similibus in antecedentibus omnibus Quæstionibus notatis, & decretis. Nam quando vnus sensus certior alio dignoscitur, & concluditur, & hisce capitibus magis certus elucescit; quod nemo non videt; & verè quomodo, & quantum ex his capitibus accrescat certitudo sensûs alicuius, & accreuerit hic noster, benè posset discuti, & ponderari varia eruditione, & compluribus argumentis; sed non videtur hic locus proprius eiusmodi discussionis; cum ei assignauerimus proprium Opusculum in sequentibus.

bus. Quare in præsenti, ne valdè longum etiam faciamus ab huiusmodi discussionibus modò abstinemus, relinquentes Doctoribus aliis, qui præcociores esse velint hæc ponderare, & complura in hac re congerere. Solùm hic discutiemus Primò an ex vi huius Bullæ sit concessa, vel si non concessa, an non ablata facultas opinandi contra Immaculatam. Secundò ad quem gradum certitudinis in communi sensus Immaculatæ peruenerit in Ecclesiâ Dei: Et Tertiò an ad illum determinatè, vt pro certo tenendum sit, quod is non possit inueniri falsus, sed infallibiliter sit tenendus vt verus: pro quibus tres Diuisiones annectemus.

DIVISIO PRIMA.

An ex vi huius Bullæ sit concessa facultas opinandi contra sensum Immaculatæ, vel saltem non ablata.

1. NON esse concessam facultatem opinandi contra sensum Immaculatæ Conceptionis in hac Bulla, ex eo constat manifestè, quia in eâ nullum notatur verbum simile iis quæ vsurpantur in aliis Bullis Pontificum; in quibus hæc facultas traditur, & arcentur fideles à censurandis eis, qui contra eum tenerent; id quod videri potest apertè, quia in Extrauaganti secunda Sixti, quæ incipit, *Graue nimis*, dicitur. [Motu, & auctoritate prædictis statuimus & ordinamus quod Prædicatores verbi Dei &c. & qui de cætero ausu temerario in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse.] Sint scilicet excommunicati si dixerunt quod sit peccatum mortale amplecti Immaculatam. Et rursum in eamdem excommunicationem incidunt qui censurarent maculatam tenêtes in idem peccatum incidêre. Quo apertè patet concessisse liberam facultatem tenendi vtramque sententiam. Id ipsum expressius habetur in Pio V. qui scripsit. [Liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse iudicauerit.] Et Paulus V. in Bulla, *Sanctissimus Dominus noster*, habet quod quamuis relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit Concepta cum peccato originali; dum tamen neutra, veluti erronea aut hæretica damnetur; Sanctissimus autem Alexander VII. hæc omnia quæ habent speciem alicuius fauoris prætermisit omninò, & de hac sententiâ nullam aliam mentionem faciens, solùm vetat ne hæretica, peccaminosa mortaliter, & impia dicatur à fidelibus. Quo videtur merè noluisse dare occasionem mærorum & litium inter illos: non verò iudicare, quod hæc sententia non possit argui temeritatis, præcisè suo mandato. Verba Pontificis sunt sequentia, quæ recte ponderata in his circumstantiis, non alium sensum possunt facere. [Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum Originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant: Cum à Romanâ Ecclesiâ, & ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subiecit Sixtus IV. aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, grauioribus aliis pœnis subiicimus, quas in contra facientes huic nostræ Constitutioni superiùs infliximus.] Cum ergo hæ omnes concessiones opinandi in contrarium nullæ inueniantur in hac Bullâ, neque in eâ sit aliquid æquiualens, quod videatur positiuè Pontifex concedere hanc opinationem: nullum enim tale potest assignari verbum, quod hanc facultatem videatur præstare; manifestum apparet, quod in hac Bullâ nulla talis concessio positiua inueniatur, vel signari possit data.

2. Solum in hac re potest esse dubium, an cum in hac Bullâ nullum expresserit verbum Summus Pontifex, quo facultatem talis opinationis concesserit, sicuti soliti sunt semper facere antecedentes Pontifices in Bullis suis omnibus, ex hoc censendus sit facultates datas reuocasse, vel contra, eas stare; & cum expressè reuocatæ non sint, adhuc durare, & absque vllo scrupulo, imò cum scrupulorum omnium abiectione ex vi concessionum Pontificiarum posse quemlibet fidelem opinari eodem modo, quo poterat ante hanc Bullam, ac si illa non prodiisset. Et ratio dubitandi est quia si voluisset Pontifex præstare hanc opinabilitatem, hoc expressisset, sicuti per tot sæcula egêre Summi Pontifices: Cum ergo id non egerit, signum videtur manifestum, quod non voluerit eam dare; & voluerit eam auferre si non expressè, saltem tacitè ex hac ipsâ non expressione facultatis solitæ dari, & exprimi quod daretur per tantum tempus continuatum. Id quod confirmatur, quia ideò semper in suis Bullis Pontifices hanc concessionem renouarunt, quia cum in iis pro Conceptione Immaculatâ plura præceperint agenda, vel sentienda; viderunt quod fideles poterant coniectare, sibique persuadere, quod opinatio in contrarium esset abiecta à Sede Apostolicâ, & propterea semper illam facultatem renouarunt; id quod in hac Bullâ, quæ multo plurâ pro Conceptione Immaculatâ prodidit, &

declarauit;

declarauit; si Pontifex verè non voluisset ablatam hanc facultatem, eam renouasset, sicuti sui Prædecessores egêre, quos ipse maximè sequi in hac Bullâ professus est. Dum ergo eam non expressit à se dari in talibus circumstantiis bene intelligitur, si non expresse, saltem tacitè abstulisse hanc facultatem. Esto, non dicam quod prohibita sit positiuè per hanc Bullam hæc opinatio. Nam de hoc modo non ago, ne immisceantur quæstiones. Atque hæ rationes mihi videntur in hac re sufficientes, ad sentiendum quod in Ecclesia Dei opinantes contra Immaculatam, iam non possint se defendere de suo sensu, vtpote concesso haberi à Pontificibus, sicuti poterant ante hanc Bullam facere. Esto, dicant in hac Bulla non prohiberi, si tamen possunt, vt deindè discutiam, & resoluam. In hac autem re maximè exopto, & sequar iudicium Doctorum. Quid autem solidius dici potest hac in re sequenti conclusione aperiam.

3. Prima Conclusio. Si non verbis expresse auferentibus opinationem maculatæ Conceptionis: certè censendum est iis tacitè eam abijcientibus vti in hac Bulla Pontificem; atque adeò videtur censendum tacitè saltem abstulisse facultatem positiuam datam à suis Prædecessoribus opinandi contra sensum Maculatæ.

4. Probatur Conclusio primò, quia in facultatibus concessis à præcedentibus Pontificibus, quando subsequens Pontifex aliqua de nouo declarat, decernit, & mandat, quæ non compatiuntur congruè talem facultatem, censetur eam abiecisse, eique derogasse; sed in hac Bulla Sanctissimus Alexander plura declarauit, & mandauit, quæ non compatiuntur congruè hanc facultatem, ergo eam ablegauit, si non expresse, saltem tacitè. Maior patet ex ipso lumine rationis, & ex iis, quæ perscribuntur, & declarantur communiter in Iure Ciuili. Minor item probatur, quia dum Pontifex hîc declarat, quod fideles Ecclesiæ Dei semper fuerint ab antiquo tempore in sensu Immaculatæ Conceptionis, & in eodem perstiterit per secula Ecclesia Romana, & huic sensui semper fauere Pontifices, & ipse eidem se velle fauere, & declarat tot, tantáque gesta in fauorem Immaculatæ; illa præstat, quæ congruè non compatiuntur, neque compaterentur facultatem opinandi in contrarium, vt quilibet mediocriter doctrinâ Theologicâ tinctus, videt; nam sensui sic confirmato non congruit oppositus secum stare ex positiuâ concessione Pontificis; qui dum concederet talem stationem oppositi, ostenderet non benè se declarare tanta pro sensu huic contrario quem ipse quærit adhuc vigere in Ecclesiâ. Quæ Conclusio probatur omnibus iis argumentis, quibus vidimus ex hac Bulla inferri relictum sensum Maculatæ, dicendum non pium respectu sensûs Immaculatæ, & absolutè non pium: Nam posito quod vna ex contradictoriis sententiis declaratur absolutè pia, & altera perconsequens non pia; licet vetita dici impia ex quadam commiseratione, & respectu habito doctis viris, & piis; non congruè ei datur, vel conseruatur facultas liberè suæ opinationis à fidelibus. Nam Pontifex non debet positiuè dare facultatem opinandi non piam. Vide quæ diuis. octaua diximus, q. 1. nec non quæ concluſimus. quæst. 9. diuisione prima. Nam omnia probant fortiter hanc Conclusionem, vt legenti patebit. Quapropter abstineo à maiori eius probatione.

5. Secunda Conclusio. Ex vi eorum, quæ tradit, & declarat hîc Pontifex Alexander VII. censendum est non solùm ăbstulisse facultatem datam Prædecessoribus suis opinandi in contrarium, sed aliquo modo eamdem opinationem tacitè vetuisse, & noluisse in Ecclesiâ Dei eam locum habere.

6. Probatur Conclusio primò efficaciter, quia eam declarauit, vt causam scandalorum in Ecclesia Dei, & abhorruit ab eâ, vt à tali causa, vt patet in Bullâ manifestè, & nos latè ostendimus diuis. 10. q. 1. huius Appendicis; ergo saltem tacitè sed positiuè eam noluit in Ecclesia habere locum, esto non præceperit sub graui forma eam amplecti à fidelibus iustas ob causas.

7. Secundò probatur, quia dum tanta pro sententia Immaculatæ Conceptionis decreuit in hac Bulla Pontifex, & gauisus maximè visus sit eam amplexatam ab Vniuersâ Ecclesia, apertè ostendit se tacitè aliam oppositam velle abijci, à se eliminari; atque adeò si non in actu signato, saltem in exercito prohiberi, seu nolle complecti à fidelibus, licet id minimè voluerit sub præcepto, & graui pœna interdicere.

DIVISIO II.

Ad quem gradum certitudinis peruenerit sensus Immaculatæ Conceptionis ex vi nuperrimæ Bullæ Sanctissimi Dom. N. Alexand. VII.

1. NOn quærimus absolutè ad quem gradum certitudinis sit euecta præsenti tempore sententia de Immaculata Conceptione, (de hac enim re agemus peculiari suo Opusculo) attentis iis, quæ pro ea sunt in Scripturis, SS. Patribus, Reuelationibus, miraculis, & aliis causis inferentibus, de quibus agemus post primum Tomum in secũdo, in quo Immacalata Conceptio erit propugnata latissimè, quamquam id actum sit etiam in 1. Tomo, in quo ex professo videtur propriè defensa. Solùm ergo hoc loco quærimus, quem gradum certitudinis venata sit Immaculata Conceptio præcisè ex vi huius nuperæ Bullæ, vt appareant quanta per eam acta sint, & fileant Aduersarij à dictis, quod nihil noui pro Immaculata hîc habitum sit, & possint eius oppositores eodem modo persistere in priori suo sensu.

2. Quod autem nihil certitudinis maiori sit adepta sententia de Immaculatâ in dicto Diplomate, ex eo probatur ab Aduersariis, quia ea expresse dicitur in titulo, *Innouat ea priorum Bullarum*; nec non etiam, quia ipse

Pontifex

Pontifex post narratiuam, & causas assignatas eorum, quæ eum mouerent, & mouerunt ad agendum, quæ egit, nihil aliud principaliter dicit se agere, nisi innouare, & confirmare dictas Bullas, & siquidem aliqua alia prohibet contra Immaculatam dici post hanc innouationem factam, ea non sunt nisi pertinentia ad augmentum silentij prius præcepti à Paulo V. & Greg. XIII. Confirmant Aduersarij suum dictum, quia neque per modum declarationis aliqua decernit hic Pontifex; nunquam enim hoc verbo vtitur, neque æquiualente; quare videtur nihil prorsus maioris certitudinis dedisse Immaculatæ Conceptioni. Contrà verò apparet oppositum, positis dictis Diuisione antecedente, necnon etiam quia eam vt indubiam tradit, & dubitationes de eâ adimit: quare videtur tum externas, tum internas adimere, eam etiam, vt sententiam propriam Ecclesiæ Catholicæ tradit, & declarat, & plura alia animaduersa Diuisione antecedenti facit, quæ omninò potis sunt eius certitudinem augere, & auxilio negandum non est.

3. Pro cuius quæstionis resolutione recolendũ est primò initio quatuor esse recensitos principales gradus certitudinis vniuscuiusque sensûs, & propositionis de obiecto supernaturali in Ecclesiâ Catholicâ. Et primum gradum esse illum fidei, qui prouenit alicui obiecto ex eo, quod reuelatum sit. Secundus verò gradus est proximus isti, qui prouenit in obiecto, quod non constat esse reuelatum, sed inferri ex reuelatis. Tertius est ille, qui prouenit in obiecto ex neutro capite horum duorum dictorum, sed immediatè ex auctoritate vnanimis consensûs Theologorum venientium in eundem sensum expressè. Et quartus denique gradus est illius obiecti, quod licet expressè non affirmetur à Theologis, sequitur euidenter ex eorum vnanimi sensu. Quibus gradibus certitudinis supernaturalis explicatis in propositionibus fidei, vel concernentibus ad fidem; videndum si ex vi huius Bullæ ad aliquem ex his prouenit sensus Immaculatæ Conceptionis.

4. Pro qua re, Dico primò hunc sensum ex vi huius Bullæ peruenisse ad illum tertium modo dicto & fortè ad maiorem illo.

Prob. Concl. primò quia illa propositio, quæ habet quid maius ex vi Bullæ Pontificiæ in certitudine supernaturali eo quod requiritur ad habendum tertium gradum certitudinis supernaturalis in obiectis supernaturalibus, non potest negari peruenisse ex vi talis Bullæ ad talẽ gradũ; sed ità se habet hæc propositio, seu sensus de Immaculatâ Cõceptione, qui habet caput maioris certitudinis ex vi huius Bullæ eo, quem habent propositiones tertiæ certitudinis dictæ: ergo hæc propositio, seu sensus de Immaculata prouenit iam ex virtute Bullę ad eius gradum Theologicæ certitudinis dictæ. Maior patet, quia dum in vno sensu sunt caput vel capita maiora certitudinis illius, quæ non inueniuntur in alio secundo. Si secundum peruenit iam ad signatum gradum; multo magis peruenit ad eumdem dictum illud, quod habet maius caput.

Minor probatur, quia caput tertij gradûs certitudinis in sensu aliquo circa obiectum supernaturale est vnanimis consensus Theologorum; sed maius quid habet sensus Immaculatæ Conceptionis ex vi huius nullæ, quia habet, & venatus est declarationem consensûs vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ circa ipsum; ergo omninò dicendum est hunc nostrum sensum habere caput excellentius ad dandam dictam certitudinem. Nemo autem non videt maiorem vim habere sensum Vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ ad præstandam certitudinem aliquam determinatam alicui sententiæ; quia vniuersa Ecclesia Catholica includit vnanimem sensum Theologorum, & præterea addit vniuersitatem cæterorum fidelium, & Prælatorum Ecclesiæ.

5. Probatur secundò Concl. quia sententia de Immaculata præter consensum Ecclesiæ, habet declarationem ex vi huius Bullæ quod ea sit amplexata ab Ecclesia, quod non solent habere de necesse sententiæ quæ vnanimiter tenentur à Theologis in Ecclesiâ, & Ecclesiæ sensum pro sè habent: ergo sicuti primæ habent tertium gradum certitudinis, ità hæc nostra à fortiori, vt patet.

Dico secundò. Post hanc Bullam Sanctissimi Domini Alexandri, dicendum est quod peruenerit certitudo Immaculatæ Conceptionis ad illum gradum certitudinis ad quem nostris temporibus saltem peruenit Assumptio Virginis in Cœlum cùm in anima, cùm in corpore secundum excedens & excessum.

Probatur Conclusio primó, quia sententia de Assumptione Virginis in corpore Glorioso est vniuersaliter in Ecclesiâ recepta, atque adeò temeraria censetur opposita à Theologis: Nostra de Immaculatâ est similiter sic recepta, sed non est dicenda temeraria opposita ex præcepto Pontificum, loquendo de temeritate quæ inducat mortale peccatum: sententia de gloriâ corporis Virginis antiquo tempore fuit dubia apud Pontifices, & pro dubiâ relicta in Ecclesiâ. Circa Immaculatam numquam Pontifices per aliquam Bullam, vel scriptum, eam dedêre pro dubiâ; sed solum permiserunt aliquos de ea dubitare, & ire in oppositum sensum. Sententia gloriæ corporalis Deiparæ fundata est super dictum Iuuenalis, & Sociorum eius attestantium traditionem eiusmodi gloriæ: sententia Immaculatæ fundatur in antiquissimâ celebritate eius apud Ecclesiam Græcam, & dicta Patrum coæuorum Apostolis, vel ipsorum Apostolorum. Ergo rectè ea dicitur habere secundum excedens, & excessum gradum certitudinis Theologicæ, quam habet sententia de gloria Corporis Dei Matris.

Hæc autem omnia venite vel veniſſe ex hac Bullâ Conceptioni Deĩ Genitricis Immaculatæ, patet quia modò dubitari non potest post hanc Bullam, quod ea sit, & fuerit communiter recepta in Ecclesiâ vniuersali, & per consequens ad certitudinem peruenerit propriam Assumptionis Virginis. Nec autem dubitari potest quod cultus Ecclesiæ circa eam non habeat magnam antiquitatem, cum eamdem confirmet, & veterem absolute illum nominet, & decernat Sanctissimus Pontifex Alexander; quia cum ex historiis non habeat principium memorabile ex traditione Apostolicâ, infertur principium consequutum.

Quare ex vi huius Bullæ, similem hanc certitudinem adeptam esse constat Immaculatam Conceptionem, quâ gaudet Assumptio Virginis in corpore glorioso.

Dico Tertiò; peruenisse Immaculatam Conceptionem ad eam certitudinem quam habet in Ecclesiâ sanctitas Natiuitatis sanctissimæ Virginis, stante hac Bullâ.

Probatur Conclusio, quia eandem celebritatem & sanctitatem, declarata est habere per hanc Bullam Conceptio Immaculata ac veritatem gloriæ corporalis Assumptio Virginis: Ergo eandem certitudinem benè concluditur habere Conceptionem sine maculâ in Virgine modò in Ecclesiâ, vt habet Assumptio dicta Glorioſæ Virginis. Consequentia probatur, quia veritas vtriusque infertur atque ex celebritate Ecclesiæ; vndè cum celebritas vtriusque sit eadem veritas, & certitudo non erit diuersa.

DIVISIO III.

An sensus Immaculatæ Conceptionis ex vi huius Bullæ sit tenendus vt infallibiliter verus.

1. QVÆSTIONEM frequentem agunt Auctores de hac infallibilitate veritatis Immaculatæ Conceptionis, controuertentes, an ità sit vera Immaculata Conceptio vt iam peruenerit ad gradum talem certitudinis, vt infallibiliter sit vera, & non possit non esse vera; nec possit vllâ ratione esse falsa, Quam quæstionem maximè exagitauit, & pro eius infallibilitate in veritate, & impotentiâ ad falsitatem concluſit diuerso modo Ægidius, ac efficaciter Salazarius in fine defensionis pro Immaculatâ Conceptione cap. 43. §. 3. & de hac quæstione nos agemus, & concluſum à Patre doctissimo confirmabimus proprio Opusc. de hac re; modò solùm controuertimus, an ad hunc gradum certitudinis peruenerit ex vi præsentis Bullæ, præcisis rationibus, vt hinc appareat quantum operata sit pro Immaculato Conceptu Deiparæ hæc dignissima Bulla.

2. Ad hanc quæstionem decidendam oportet notare quod vnus sensus, seu vna propositio potest intelligi dici infallibiliter vera, seu quæ non possit non esse vera, nec possit esse falsa, vel physicè, vel moraliter: Et prima infallibilitas physica videtur esse propria reuelatorum à Deo, vel etiam definitorum ab Ecclesiâ, vel Pontifice de fide. An autem aliis à sic definitis de fide possit competere hæc infallibilitas, videtur posse esse controuersum: Nam Ægidius de Præsentatione lib. 3. quæst. 6. art. 1. ex sensu Salazarij cap. dicto, §. 3. *Initio*, eiusmodi infallibilitatem notat datam Immaculato Conceptui Virginis à celebratione eius per vniuersam Ecclesiam ex consensu summorum Pontificum; quem cum non sit credendum ipsum tenere illum de fide certum, ostendit se alteri à definitis de fide hanc infallibilitatem physicam tribuere; Altera infallibilitas est moralis, quæ potest inueniri in sola aliquâ veritate, alioqui non infallibili physicè, qualis non agnoscitur in motiuis credibilitatis rerum fidei, quæ dicuntur ostendere infallibilia obiecta fidei; at non infallibilia infallibilitate physicâ ex vi ipsorum, sed infallibilia moraliter, quæ deinde venantur in intellectu fidelium infallibilitatem physicam ex vi actuum fidei supernaturalis, & non ex vi physicæ infallibilitatis, quæ inuenta sit in motiuis credibilitatis. Iam quæstio hic esse potest de Immaculato Conceptu Dei Parentis, an is sit infallibiliter verus, & non possit non esse verus, nec possit esse falsus loquendo de infallibilitate physicâ, vel secundò de morali. Tertiò potest quæri an si physicè possit esse falsus hic Immaculatus Conceptus Dei Genitricis; an certum sit, quod de facto non sit falsus, & hæc certitudo sit physica, vel tantum moralis.

3. Pro quâ re aduerto non esse huius loci decidere an obiecta non certo de fide tenenda, vel definita de fide, possint habere in sui veritate infallibilitatem physicam, & physicè expellere omnem possibilitatem falsitatis: atque adeò abstinere nos in præsenti de hac quæstione circa Immaculatum Conceptum, quæ habet multas tricas, & valdè plura, & noua consideranda cum aliis grauibus quæstionibus inuoluta, à nobis alibi disputanda. Solùm hîc controuertemus, an hæc nostra Immaculata Conceptio ex vi huius Bullæ relicta sit vera infallibilitate morali. Et rursum secundò ità certo vera, vt licet possit physicè esse non vera, tamen de facto certum sit, quod physicè sit vera; nam veritas vni propositioni ità est aliquando affixa, vt ab eâ non possit separari, neque assignari potest casus, in quo separari possit; aliquando ei ità est physicè affixa de facto, vt licet non separetur, neque vnquam inueniatur separata, tamen non est ei inseparabiliter vnita. Sic in casu nostro dici potest, quod licet physicè possit esse Immaculatus Conceptus falsus ex vi alicuius capitis, nec repugnet inueniri in eo repugnantiam physicam ac falsitatem, cum tamen de facto certum sit, & debeat esse, quod hæc falsitas de facto in eo non est. Quemadmodum dicitur in speculatiuis in Angelis, quod in primo instanti suæ creationis potuerunt peccare, tamen physicè certum est, quod actu non peccarunt. Quia potest aliquid esse indifferens ad essendum, possibilitate antecedenti physicâ; non tamen esse indifferens ad essendum vel non essendum in aliquibus circumstantiis, possibilitate itidem consequenti, prout dicitur in materiâ de Angelis.

4. His præmissis, dico ex vi huius Bullæ æstimandum est, quod veritas Immaculatæ Conceptionis ità sit firma in præsenti in Ecclesia, vt actualitas eiusmodi veritatis sit physicè infallibilis, & quasi necessaria necessitate scilicet consequenti, esto non sit necessaria necessitate antecedente; atque adeo, quoad actum sit infallibilis physicè, licet quoad posse (esto sit infallibilis physicè) possit non esse vera potestate antecedente physica.

5. Probatur Conclusio primò quoad primam

mam partem, quia ex vi huius Bullæ certum remanet ex potestate, & auctoritate Pontificiâ in Ecclesiâ, necnon ex sensu vniuersali Ecclesiæ, quod ea ità sentit de Conceptione Deiparæ, edocta itidem ex Summis Pontificibus, vt in hoc sensu non erranerit, neque decepta sit de facto, esto potuerit errare, & potuerit decipi siue physicè, siue moraliter. Idquod probatur, quia nullum est caput, vndè possit rationabiliter dici cum aliqua probabilitate; vel sine temeritate, quod errauerit, & falsa sit; hoc enim caput vel esset, quia temerè processerit in amplectendo hoc sensu, & non adhibitis maturis considerationibus; vel quia contra vniuersitatem Doctorum in hunc sensum declinauerit; vel quia breui tempore non expectato per competens tempus diuino lumine in hoc iudicium prolapsa est; vel quia debitâ auctoritate Patrum non suffulta fuerit, & Scripturis Sacris, & antiquâ traditione non impulsa ad ipsum. Nullum ex his dici potest, vt patet ex toto hoc opere; necnon quia nemo non videt, nullum ex his capitibus hîc habere locum; ergo nullâ ratione dici potest, quod in hac re decepta sit, & errauerit falso sensui adhærens vniuersalis Ecclesia Dei: stante autem quod certum sit, quod non erranerit in hoc sensu; certum per consequens est, quod sensus Immaculatæ consequens non subsit de facto falsitati, & eius veritas non sit subiecta actu falsitati; posito autem quod hoc sit absolutè certum, infallibiliter, quoad actum suum hîc sensus est verus, & necessariò necessitate saltem consequenti est verus, quod Conclusio intendit.

6. Probatur secundò hæc veritas concluſa Immaculatæ, quia si non esset infallibiliter certa, sine vllo dubio posset quis opinari, & iudicare probabiliter, quod Virgo fuerit concepta in peccato originali; consequens est falsum, ergo veritas Immaculatæ quo ad actum est infallibilis, & infallibiliter certa. Sequela patet, quia si nemo potest opinari contra Immaculatam; iam perspicua est eius certitudo illata. Minor sequelæ patet, quia si quis possit opinari in præsentia, & ferre absolutum iudicium affirmatiuum, quod Virgo fuit concepta in peccato originali, posset facere Syllogismum, & per illum deberet esse apud ipsum verum, quod Ecclesia in sensu Immaculatæ errauerit, & decepta sit & non habuerit assistentiam Spiritus sancti; causa fuerit, vt fideles ferè omnes errarent; & quod possit dici probabiliter, quod fortè erranerit in similibus, nec ei obsecundandum vniuersaliter, & quamquam vnum sensum ea amplexa sit vniuersa, deberet, vel posset quis fidelis supra obiecta à se amplexata saltem si doctus sit, omninò dubitare de veritate talium sensuum, & abstinere ab eorum amplexatione, & supra Ecclesiam instituere nouum iudicium, & inuestigare an erranerit in sensu amplexato; & falsa esset doctrina Augustini, & S. Thomæ, qui dicebant, quod secuti tenebant id, quod Ecclesia etiam merè vsurpabat; Consequens hoc est falsum, & temerarium; ergo falsum & temerarium omninò esset iudicium quod in hac materiâ de Immaculato Conceptu Virginis, Catholica, & vniuersalis Ecclesia erranerit, & decepta sit. Secunda sequela patet, quia qui potest proferre iudicium absolutum, quod vnus sensus sit verus; omninò is potest ferre iudicium de contradictorio sensu, quod sit falsus, & qui pro illo stat, deceptus fuerit in eo proferendo. Quare videant Aduersarij, quâ ratione possint ieſe extricare ab his ambagibus, & an quia volunt sentire quod Deipara fuit originaliter maculata; si quis eis obiiciat: ergo Ecclesia falsa est, & decepta in contradictorio sensu: videant an hanc consequentiam deglutiant, non dico quoad posse; nam ad posse deinde deueniemus; sed quoad actum Ecclesia vniuersalis de facto in errorem inciderit.

7. Probatur secundò prima hæc pars Conclusionis, quia si semel conceditur quod error sit in sensu Immaculatæ Conceptionis, & quod is sit quidem probabilis, sed falsus, etiamsi Ecclesia Catholica eum amplexa sit: similiter posset dici sine vllâ notâ censuræ quod plura alia similia, & similiter ab Ecclesiâ amplexata, quæ minora argumenta habent ad sui probationem; possent dici falsa, & Reliquiæ Sanctorũ ab vniuersali Ecclesiâ receptæ vt tales, vt illæ S. Petri, S. Pauli, & similes, celebrationes variæ actionum aliquorum Sanctorum, vel similium; si dicerentur falsæ, posset eiusmodi pronunciatio sustineri sine nota temeritatis. Et si quis diceret falsam esse Apparitionem S. Michaëlis, Inuentionem Sanctæ Crucis, Adorationem eiusdem, sub quâ Christus Dominus Crucifixus fuit, necnon etiam clauos æstimaros illos, qui affixerint manus & pedes Christi falsos, sicuti de his dicunt, & conantur probare Hæretici. Nec possent ij reprehendi, vel conuinci falsitatis damnabilis: cum si semel catholicè potest asseuerari sine notâ falsitatis in Immaculatione Virginis in sui Conceptu recepta ab Ecclesiâ, eadem extendi potest ad cætera similia, quod esset peruertere principalia Ecclesiæ, & omnia eius damnabili falsitati exponere, Hæreticisque dare quæ volunt; cum contra eos propter eiusmodi dicta pronuncient Doctores vt saltem temerarias nec nisi temerarium & erroneum mihi videtur hoc dictum, si quis scilicet concederet Vniuersam Ecclesiam in hoc sensu Immaculatæ Conceptionis errauisse, & probabili quidem obiecto, sed falso adhæsisse, & probabiliorem, & verum reliquisse non vidi vsque modo aliquem ex Aduersarijs hoc dicentem, æstimóque neminem hoc concessurum, licet argumentum perstringat illud; nec video quomodo, posset eius vis etiam eludi.

8. Confirmatur hæc veritas ex eo, quod emaculatio hæcà peccato in Conceptione B. Virginis, ità est amplexata ab Ecclesiâ, vt ferè super nullam veritatem similem tanto tempore, sciatur morata ad eam amplectendam; super nullam tantam diligentiam adhibuit; super nullam aliam habuit tot disputationes, & discussiones; super nullam tam pluta Concilia nauarunt operam; super nullam tot scripsêre Doctores; super nullam tot habuêre diuinas Reuelationes, & Miracula fideles, & super nullam per sex aut septem sæcula inuentæ sunt semper continuò nouæ confirmationes. Quare si ea dicatur falsa asseueranter sine vllâ notâ ab aliquo fideli; non video quomodo non posset idem dici de compluribus aliis ab Ecclesiâ vniuersali receptis cum minori, & valdè minori, fundamento.

fundamento. Quod si dicatur, nemo non videt omnia ab Ecclesiâ recepta si ab eâ non sunt definita de fide posse à fidelibus impunè falsitatis argui; quod certè impium, scandalosum, & temerarium saltem est affirmare. Nam ex his ità receptis ab Ecclesiâ, Concilia, Pontifices, & Doctores diriguntur ad definiendas controuersias fidei; & si ea cum falsitate communiter inueniri impunè dicitur, & dici potest sine temeritate: corruit in Ecclesiâ caput principale dignoscendi, & definiendi veritates Catholicas; quod asserere nonnisi Hæreticorum est; nec taliter sentientem, vel discurrentem in variis materiis vidi aliquem Catholicum, cum contra nostra doctrina communis sit apud omnes in aliis materiis; & ipsi Aduersarij eam admittunt, complectuntur, & vt certum tradunt in illis, & immemores suorum sensuum in hac solùm controuersia nutare volunt, nec timent asseuerare subesse falsitati recepta ab Ecclesia Vniuersali. Plura alia possent ostendere hanc primam partem Conclusionis, sed ea non sunt necessaria, nec nos multum in hisce manifestis volumus immorari: Si quis in hac re dubiolum aliquod velit proponere, & hanc veritatem asserat non esse satis euidenter probatam, ostendetur illi in aliis scribendis quantum erranerit.

9. Secunda pars Conclusionis probatur apertè, quod scilicet non quia non potest dici falsa Immaculata Conceptio, propterea debet dici, quod non possit esse falsa physicè; quia falsitati physicæ possibilitas rei certæ de fide repugnat secundum plures Theologos: Quare cum ea non sit certa de fide, manifestum est, quòd non competat ei impossibilitas falsitatis physicæ: An autem ei competit impossibilitas falsitatis moris in omnium, vel communi sententia, aliàs dicetur.

QVÆSTIO DECIMA.

De Damnatione superueniente aliquibus propositionibus enunciantibus contra Immaculatam Conceptionem ex dictâ Bullâ.

VLTIMA Quæstio, quæ locum habet in actis per hanc sapientissimam Bullam concernit ad aliquas sententias, quas Aduersarij habuêre, & retinuêre ferè vsque ad nostra tempora, & pertinent ad Immaculatam Conceptionem euertendam; quæ cum modo maneant damnatæ per Sanctissimum Alexandrum, mirum quantum ex earum damnationibus certitudo Immaculatæ concrescat. Quare non est prætereundum eas hîc notare specialiter, licèt superiùs contradictorias earum viderimus esse de fide, vel secundum fidem; & illinc possit inferri quod ipsæ remanserint damnatæ: Nam hac peculiari signatione perterriti remanebunt Aduersarij ex tantis damnationibus; & hoc probabitur illis adducendo verba ipsorum, quibus eiusmodi sensa audaciter affirmabant vt vera: Hæ autem sententiæ sunt primò, quod celebritas Conceptionis Virginis fuerit solius gratiarum actionis pro Carnali Deiparæ. Secunda quod Festum hoc fuerit institutum ad celebrandam Carnalem Conceptionem eamdem vt sanctificandam in secundo instanti temporis post primam animationem. Tertiò quod celebrata fuit ab Ecclesia sola Sanctificatio, seu Conceptio spiritualis Virginis. Quarta sententia fuit in hac re celebrare Ecclesiam Festum Conceptionis, provt Virgo fuit sancta non in primo instanti animationis, vel pro secundo disiunctiuè, non determinatè pro primo instanti solo. Quinta sententia hîc fuisse celebratâ in Ecclesiâ sanctitatem primæ animationis Virginis tanquam obiectum secundarium; & tandem aliæ similes quæ hîc recensentur, adductis Aduersariorum verbis ad videndum quomodo sint damnatæ.

DIVISIO

DIVISIO PRIMA.

An sententia, quæ celebritatem Conceptionis refuderit in meram gratiarum actionem de primâ formatione Corporis Beatæ Virginis, damnata remaneat, & quâ censurâ sit digna.

1. VBITARI non potest quod aliqui ex Aduersarijs ad eludendum argumentum, quo probari solebat Immaculata Conceptio Virginis; quia vt sic celebrabatur ab Ecclesia Romana, & Catholica, voluêre festum illud Ecclesiasticum non instituium nisi in gratiarum actionem primæ organizationis corporis Deiparæ, quia tunc incæpit prima ædificatio materialis sanctissimæ Virginis; nec in tali celebritate respectum esse ab Ecclesia, vel cultum sanctitatem animæ eius ad eum planè modum, quo in Ecclesia Græca dicitur celebrata fuisse mense Septembri Conceptio S. Ioannis Baptistæ, qui pro eo tempore formari mere incœpit in vtero sanctæ Elizabeth; & post formationem eiusmodi anima eius ità infusa est corpori, vt nullam sanctitatem eo tunc adepta sit, sed creata fuerit in peccato originali, licet post aliquot menses à suâ primâ animatione ab originali fuerit mundatus; & iuxta hunc sensum enunciavêre.

2. Quæritur ergo in præsenti an hæc sententia fuerit, vel remanserit damnata per præsentem Bullam Sanctissimi Alexandri, & ratio dubitandi est, quia ea neque nominata est in eiusmodi diplomate, nec Pontifex in eo verbum vllum damnationis protulit contra vllam sententiam: Quare non videtur dicendum, quod ea damnationem vllam passa sit. Contra verò quis dicere potest, quod duplici modo vna sententia damnari potest: vel primò directè, & expressè eam proponendo, & reetando, & deindè eam aliquâ formâ vsitatâ damnando, & impingendo ei aliquam censuram; vel aliquo simili modo æquivalenti. Vel secundò definiendo, aut statuendo, vt certam aliquam propositionem certitudine fidei, aut aliâ Theologicâ; vndè proueniat, vt contradictoria ipsius maneat declarata, vt falsa eâ falsitate, & censurabilitate, quæ solet correspondere certitudini propositionis oppositæ, firmatæ per verba Pontificis hac, vel illâ firmitate fidei, vel Theologicâ. Quo posito, iam patet, quomodo locum habet præsens quæstio, etiam posito quod neque nominetur in hac Bullâ recitata Sententia.

3. Quibus prænotatis, dico quod remanet damnata sententia, quæ voluit Ecclesiam Catholicam celebrauisse, & celebrare solam Conceptionem carnalem Virginis, nec instituisse festum de colendâ eius primâ sanctitate in animâ.

4. Probatur Conclusio manifestè, quia vt vidimus pluribus in locis Bullæ dicitur, quod Ecclesia Romana celebrauerit, & celebret in Festo Conceptionis Virginis animam eius in primâ infusione in corpus fuisse sanctam, & ab originali præseruatam, & ab antiquo tempore ad hanc celebritatem vsurpandam permotos ex pietate fuisse fideles, & ad hanc veritatem firmandam, & professandam expressè, Summum Pontificem innouasse antecedentes, Bullas circa hanc materiam, atque eiusmodi diploma formasse. Quare cum hæc veritas sit in Ecclesiâ certa, vel certitudine fidei, vel secundum fidem, vt concluximus quæst. 2. Contradictoria sententia huic damnata remanet, vere hæretica, vel vt erronea, aut temeraria: Quod autem sententia dicta opponatur contradictoriè veritati, definitæ à Pontifice de sanctitate animæ cultæ in Virgine in primâ hac animatione, patet, quia propositio, quæ asseuerat solam formationem corporis celebrari, & non sanctitatem animæ: opponitur, & nonnisi contradictoriè isti propositioni asserere à Pontifice, quod in hoc Festo culta sit, & colatur animæ sanctitas, & præseruatio à peccato: nam hæ propositiones ità se habent; vt quicquid vna ponit, tollit altera, & contrà. Vndè omninò sunt dicendæ contradictoriæ; & si vna est certa, vel de fide, vel secundum fidem, omninò alia debet censeri relicta cum damnatione, & censuratione sibi competente.

5. Prob. secundò Conclusio apertissimè, quia si Ecclesia Catholica celebrasset, & celebraret meré Conceptionem Dei Matris carnalem, & principium suæ formationis corporalis, præscindendo à primâ sanctitate infusâ in animam eius in statu primæ infusionis in corpus; non posset Pontifex ex hoc inferre tamquam erroneam propositionem, quod pia sententia esset hæretica; nam nullo modo celebratio prima posset inferre falsitatem erroneam in eo, qui diceret hæreticè dici Virginem ab originali exemptam. Id quod patet manifestè in celebratione Conceptionis S. Ioannis Baptistæ; nam ex eo quod celebraretur, (vt dicitur celebratum à Græcis hoc festum) non posset dici, quod apud Græcos erronea esset sententia, quæ illum eximeret ab originali. Sicut de facto non est erronea sententia, quæ aliquem sanctum eximeret ab originali, sed solùm esset temeraria, nec temeratia esset vllo modo ex eo, quod celebraretur Festum Conceptionis meré carnalis; nam benè possent cohærere hæc duo, quod celebretur Festum Conceptionis carnalis alicuius Sancti, si ea est subiectum capax celebrationis, & gratiæ infusio in sui primâ animatione, vel item priuatio eiusdem gratiæ: Quare ex primo, scilicet ex celebratione dictâ nó sequitur falsitas, & error propositionis, quæ qualificaret vt hæreticam sententiam concedentem alicui Sancto præseruationem ab originali, imò potius ex celebratione posset inferri sanctitas animæ eius. Cũ ergo cõstet, quod ex celebratione Conceptionis Virginis intulêre Pontifices erroneitatem propositionis damnantis hæresis piam sententiam, de eâ celebratione loquuti sunt, quæ versaretur circa immunitatem originalis in primâ animatione Deiparæ, & ferret in animam eius sanctitatem, & gratiam pro tali signo; atque adeò vt falsam comprobaret sententiam, quæ talem concessionem gratiæ celebratæ censuraret.

6. Probatur itidem tertiò Conclusio, manifestè, quia expresse in titulo & in tota Bullâ Sanctissimi Domini, replicatur celebrari Festum primæ animationis Virginis Sanctæ & præseruatæ ab originali. Quare damnata manet sententia quæ celebrationem hanc declarat esse meræ gratiarum actionis de Conceptione Carnali Sanctissimæ Dominæ: nec eiusmodi sententia post hanc Bullam manet indemnis à censurâ vtpote contraria decisioni Pontificis in hac re.

7. Probatur quartò Conclusio, quia cum hic Summus Pontifex declaret tum ipsum tum antecedentes Pontifices celebrauisse hoc Festum sub sensu animæ Virginis præseruatæ ab originali: dicere quod solum celebrarunt de gratiarum actione carnalis Conceptionis, est contradicere manifestè Summis Pontificibus; atque adeo hæc propositio remanet per Sanctissimum Alexandrum damnata: nec vlla tergiuersatione à damnatione potest defendi liberari. Bulla item prima Sixti IV. addita confirmatione præsentis Sanctissimi Alexandri hoc ipsum ostendit; vndè non est vt immoremur amplius in hac probanda; nec enim apparet quid contra dici potest ab Aduersarijs.

8. Quod autem ipsi vsque ad hæc nostra tempora perstiterint in hoc sensu, vide in tertio Anonymo qui sic habet in suo scripto quod seruatur ad huius rei memoriam & certioratione: Sic autem scribit in obiectis contra decretum Sacræ Inquisitionis. [Primus modus respondendi esse potest, Conceptionem non Celebrari per modum cultûs & ordo rationis quod sancta sit, sed gratiarum actionis: quod maximum Dei beneficium & magnorum beneficiorum arrha & pignus extiterit. Quam responsionem prius tradidit Capreolus, Turrecremata, Syluester, & alij:] Quo patet antiquam Aduersariorum responsionem continuatam vsque adhæc tempora: & modò esse damnatam à Summo Pontifice, Vnde sequitur Anonymus. [Et probauit & transcriptit Bellarminus, & nobile fundamentum habet in vulgari & tritâ illâ differentia holocausti, & hostiæ pacificæ in lege veteri: illud enim offerebatur Deo in reuerentiam Maiestatis, & amorem bonitatis eius, hæc autem pro gratiarum actione, & ex debito beneficij accepti, vel accipiendi, vt tradit Angel. 2. quæst. 102. art. 3. ad 8. quin imò in ipsa lege veteri fuisse solemnitates, & festa celebrata quædam ad cultum pertinentia, alia verò ad gratiarum actionem, diuersitas ipsa festorum facilè demonstrat, vt grauiores Auctores, & Capreolus scitè obseruarunt. Et in lege gratiæ minimè dubitari potest huiusmodi festa in gratiarum actiones plures ab Ecclesia ipsa celebrari, vt patet de festo Inuentionis Sanctæ Crucis, de festo Rosarij, & Apparitionis Sancti Michaëlis: Friuolum verò est quod opponit Suarez, Festum non celebrari solum pro gratiarum actione, sed in honorem Virginis, quæ non esset honore digna propter suam Conceptionem, nisi in illa sancta non fuisset. Primo enim probandum ipsi erit hoc Festum esse ne dum gratiarum actionis, verum etiam cultûs (non dico Virginis, sed Conceptionis) quod non tam facile ipse præstabit, præcipuè si eius doctrinæ inhæreamus, quam de festiuitate Inuentionis S. Crucis tradit Tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 8. festum scilicet illud esse gratiarum actionis, quod eo die manifestata sit Crux Christi quæ fuit instrumentum nostræ Redemptionis; & patibulum nostri Redemptoris, in quem tota religio illius diei tendit. Quæ omnia magis quadrant Virginis Conceptioni, quam ego probem. Secundo falsum est Virginem non fore dignam honore propter suam Conceptionem nisi illa Sancta fuisset, cum omni honore digna existimari debeat ratione dignitatis personæ, quæ Dei & Redemptoris Mater futura erat, sicuti Crux omni studio cultûs honore digna cêsetur, quæ redemptionis nostræ fuit instrumentũ Præterire tamẽ eõ possumus potissima æquiuocatione laborare obiectionem hanc, cum aliud sit festum hoc celebrari in honorem Virginis propter eius Cõceptionem, & in eius Conceptione: illud enim ex primit Virginem colendam propter suam Conceptionem quæ sanctitate donata fuit, hoc verò solum significat Virginem tantæ esse excellentiæ & dignitatis; vt ne dum in Natiuitate, verum etiam in Conceptione coli, & honorari debeat. Mitto etiam Virginem esse honore dignam propter suam Conceptionem, non quia Immaculata fuerit, vt Aduersarij contendunt, sed quia mira extiterit, vt sobriè & prudenter docuit Sixtus IV. In Extrauganti. Intendit autem, & notat Anonymus Bellarminum voluisse præcipuum intentum Ecclesiæ in hac celebratione esse colere Conceptionem Carnalem Virginis præscindendo à Sanctificatione animæ eius pro tali signo: sed de sensu Bellarmini alias.

DIVISIO II.

An sententia quæ tradit celebrari ab Ecclesiâ Romanâ Conceptionem Virginis Carnalem in ordine ad Sanctitatem futuram in animâ Deiparæ in secundo instanti post primam animationem, maneat damnata per hac Bullam.

1. QVi videatur omninò certum, quod Ecclesia Romana non celebret Festum, nisi de re Sancta, fuêre aliqui Doctores Aduersarij Immaculatæ, qui nouiter adinuenêre sensum aliquem, quo diceretur, sanctitatem, & sanctum quid colere Romanam Ecclesiam in Conceptione Virginis, sed non sanctum de præsenti, sed de futuro; atque adeo voluêre eam verè colere Conceptionem Carnalem Virginis, seu primam formationem corporis Dei Parentis futuræ, quæ esset futura Sancta in anima sua paulò post completam dictam formationem, & post aliquod breue tempus, post quod iam fuisset eius anima infusa corpori. Quo dicto visi sunt sibi saluasse, quod colat Ecclesia Conceptionem corporalem Dei Matris, & sanctitatem eius, licet non præsentaneam, sed mox futuram post primam animationem suam: Et

huius

mus sensus videò fuisse recentem Anonymum tertium, de quo plura sæpè citauimus, qui sic scripsit ferè nouissimè paulò ante quartum, quem etiam soliti sumus citare in hac Appendice, & aliàs citabimus. Verba eius sunt. [Primus modus respondendi est Conceptionem duobus modis posse dici sanctam, vel dispositiue (vt loquuntur Schola) vel formaliter, non fuisse quidem sanctam Virginis Conceptionem formaliter quod sanctitate perfecta aut donata fuerit, sed fuisse sanctam dispositiuè, quia in ipsi & per ipsam proximè ad sanctitatem fuerit, cum statim post primum instans Conceptionis omnibus gratiæ donis cumulata fuerit, vt si dicamus Ecclesiam colere, vt sanctitatem in Conceptione sequuta, sed sanctificationem in Conceptione subsequutam: Quam doctrinam præcipuè probarunt qui lacte Peripatetico enutritico, illâ maxime Aristoteli probè intellexerint; quæ parum inter se distant, inter se nihil distare videntur; cum igitur solum instantis distantia intercesserit inter culpam & gratiam, qua vel minus in temporis latitudine, agitari potest rationabiliter & absque animi hæsitatione asserere possumus, Virginis Conceptionem & sanctam fuisse, & vt sanctam ab Ecclesia celebrari.]

2. De quo modo dicendi omninò dicendum est, quod maneat ex hac Bulla omninò damnatus siue vt hæreticus, siue vt erroneus, posito quod de fide, vel secundum fidem decreuerimus Ecclesiam Romanam coluisse, & colere Conceptionem Virginis in prima eius animatione, seu animam eius pro eodem signo animationis actu, & præsentialiter sanctam, & non futuram sanctam paulò post aliquod tempus sequens ad primam animationem. Hoc enim stante, & definito à sancta Sede, cum contradictoria sit hæc sententia de culta futura sanctitate, & non præsente pro prima infusione animæ Virginis in corpore, sententia à Pontifice iam definita vel de fide, vel secundum fidem, vt vidimus quæst. 2. diuis. 1. & 3. omninò ea relinquitur hæretica, vel erronea. Et hæretica dicenda est, si sua contradictoria de fide sit decreta, prout nos probabilius æstimauimus, & alios doctos viros æstimare retulimus, cum maximè Nerimberg, & Auctor libri de Cyriacis admodum doctus, de fide eam dixit decretam ab aliis Pontificibus, & multo magis modò ab Alexandro sanctissimo modò regnante; sin autem sua contradictoria secundum fidem solùm æstimatur certa, quod dedimus sic concludenti, hic modus dicendi relinquitur ex vi huius Bullæ æstimandus vt erroneus.

3. Sed obiicies. Si negatur coli Conceptio carnalis Virginis in ordine ad sanctitatem futuram & aduentitiam animæ eius post aliquod breue tempus sequens ad primam animationem, id vel esset, quia futura sanctitas absolutè non est colenda, neque causa & obiectum cultûs; vel quia hæc vel illa, & talis futura sanctitas non est obiectum cultûs; neutrum dici potest, ergo Sequela patet, nam non potest assignari aliud caput. Minor probatur quoad primam partem, quia segneretur quod Conceptio carnalis Virginis non possit esse obiectum cultûs in hoc Festo, cum ipsa non habeat actualem sanctitatem; quod ex dicendis est falsum; quare non potest dici hoc primum, neque dicendum est secundum quod futura sanctitas per aliquod tempus post primam animationem non est colenda; quia si semel est colenda sanctitas futura, illa quæ est futura paulò post, non est ratio quare non sit colenda. Vndè dici deberet; quod vel futura sanctitas non est colenda, neque aliquid per eam; vel si ea coli potest vt futura, & quid eam habitura, vtique si sit paulo post futura, poterit tale quid facere dignum cultu.

4. Respondeo, non negari hic à nobis coli Conceptionem carnalem Virginis in ordine ad sanctitatem infundendam, & infusam animæ eius in prima sui infusione in corpus; sed negari solùm (& hoc definitum est à Pontifice) quod cum isto cultu Conceptionis carnalis, non colatur actualis infusio gratiæ, & sanctitas in anima pro signo primæ animationis eius. Et quia aliqui voluêre Ecclesiam coluisse, & colere Conceptionem carnalem, excludendo sanctitatem à prima animatione Virginis, vel præscindente à tali sanctitate, atque adeò dantes Virginem non cultam vt sanctam in tali signo; hoc dicimus esse hæreticum, vel erroneum, aut saltem temerarium ex hac Bulla posito quod definitum sit, quod Ecclesia colat Conceptionem Deiparæ, agnoscendo sanctitatem & gratiam in anima eius pro signo primæ animationis.

DIVISIÒ III.

An sententia, quæ affirmat solam sanctificationem, seu Conceptionem Virginis spiritualem celebrari ab Ecclesiâ Romanâ, remaneat per hanc Bullam damnata, & quam censuram mereatur.

1. ANTIQVA fuit hæc sententia, & post primam Extrauagantem Sixti IV. in quâ instituit, & approbauit Festum, & Sacrum Officium Conceptionis Dei Parentis inuenta, cui maximè fauit Bandelus, qui formauit Officium Conceptionis, & vsurpari fecit in sua Familia, vtpotè Generalis Ordinis, provt notat Cismontana Familia in Armamentario Seraphino, quæ illud de verbo ad verbum registrat, *initio* in suo Regestu. Post Bandelum eam amplexi sunt alij dicti Bandeli Sectatores, & præcipuè Petrus de Vincentia, ei non est visus suffragari Caietanus: Vsque modò tamen hæc sententia viguit, & Anonymus quartus eam amplexus est; vndè vt fictitiam dedit Bullam primam Extrauagantem, *Grave nimis*, Sixti IV. quæ eam damnat, licet immeritò, provt vidimus quæstione 7. ibi registrata sunt verba eius, quæ non licet hic repetere. Anonymi etiam priores eidem adhærere visi sunt, quia Festum Conceptionis contendunt ponendum in merâ sanctificatione Virginis, quæ Conceptio ibidem spiritualis vocatur, provt patet in eorum libellis, quæ insta integrè registrabuntur, & perspicuum

erit quod huic sensui isti ferè Anonymi recentiores adhæserint. Id quod confirmatur ex Nerinbergh qui confutat recentiores reiicientes Bullam primam Extrauag. *Graue nimis* Sixti IV. & firmat contra eos Bullam Sixti IV. declarantem eiusmodi sententiam expresè vt erroneam, provt illum citauimus quæst. 2. diuis. 3. Et in idem venit Auctor de Cyriacis ibidem citatus cum ipsissimis verbis dictorum Auctorum qui latè super hac rem scribunt.

2. Nec in solis antiquis sedem suam hæc sententia collocauit; sed semper ei, quotquot fere se quasi maculantes Virginem, obsequuti sunt; & tandem Anonymi ante paucos annos, qui Libellos supplices porrexêre sacræ Generali Inquisitioni pro titulo Immaculatæ amouendo à Conceptione Dei Matris, summoperè fauisse visi sunt eiusmodi sensui. Vndè primus Anonymus in 1. §. scripsit. [Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam, vtebantur voce Sanctificationis, cauebant à nomine Conceptionis.] Vbi prosequitur ostendendo, quod Festum Conceptionis post Gregorium, nonnisi taliter celebrandum sit, scilicet in Missa, & Officio, expuncto nomine Sanctificationis; tunc nomen Conceptionis pro Sanctificatione æque stetisse per ambages verborum affirmat: Quo ostendit se velle Ecclesiam celebrare Sanctificationem meram Virginis, seu Conceptionem eius spiritualem.

3. Similiter secundus Anonymus scripsit. [Ante decretum Fœl. Record. Greg. XV. de Officio recitando sub nomine Conceptionis retenta à Dominicanis voce Sanctificationis, ex nominum distinctione inferebatur opinionum distinctio, ità vt Conceptio præseruationem apud eius vocis assertores importaret; sanctificatio verò alteram sententiam exprimeret: itaque tunc idem erat apud illos dicere, Conceptio ac Immaculata Conceptio, & Fratres Prædicatores à nomine Conceptionis & Immaculatæ Conceptionis æquè abstinebant: Vndè Sixtus IV. Pontifex vbi damnat impugnantes recitatores. Officij Leonardi de Nugatolis, nihil de titulo ab auctore imposito sollicitus fuit: Intentum enim Pontificis fuit vt illa sententia non damnaretur, nec Officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur; cui deindè cætera summorum Pontificum decreta ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam peculiariter directa adhæserunt: sed cum adhuc contentiones exardescerent, affirmatiuè opinantibus à Paulo V. silentium indictum est.]

Et nouissimè tertius Anonymus in ampliori scripto affirmatiuam Sententiam de originali contracto à Virgine prosequens, huius sensûs viderur esse, dum contra se affert Bullam Sixti IV. in qua vt erronea traditur hæc sententia de sola Sanctificatione celebrata ab Ecclesia Romana, & nullo alio modo ab hoc argumento se defendit, vt vidimus suprà quæstione 4. nisi negando eam, vt authenticam, & probando esse fictitiam, verba eius contra se arguentia sunt, quæ sequuntur.

4. [Et rursum scilicet §. 11. decretum prodiit vtramque sententiam in sua probabilitate confirmans, cuius vigore Fratres Prædicatores nomine Conceptionis Sanctificationem intelligunt, Aduersarij Præseruationem.] Vbi patet semper affirmari ab istis Anonymis quod Festum Conceptionis Deiparæ fuerit Festum Sanctificationis, non quod celebraret vmquam emaculationem Virginis ab originali. Sic §. 13. dicitur. [En ergo temporum distinctio necessariò attendenda; siquidem aliquando idem erat dicere apud plures Conceptio, & Immaculata Conceptio, & post Gregorium non idem sonat; ac proinde quæ de Sixto IV. aliisque Pontificibus ante Gregorium afferuntur quo ad titulum Immaculatæ Conceptionis Anonymi fallaciam continent.] Vbi semper se vertit Anonymus in firmando quod Celebratio Conceptionis Virginis non non fuerit instituta, & seruata in Ecclesia antiquis temporibus vsque ad Gregorium XV. nisi ad merum cultum Sanctificationis Deiparæ sub illo nomine, & sub nomine Conceptionis post ipsum, ex eo quia tale nomen post eumdem, post quem mutauit significationem, Sanctificationem importauit. In quibus apparet quod hic modus sentiendi de Conceptione Dei Matris sit antiquus & retentus ab Aduersariis vsque ad nostra tempora; & rectè censetur per Sanctissimum Dominum reiectus, & damnatus quemadmodum priores; quod vt clarius pateat, Conclusione firmo.

Dico itaque damnatam relinquit ex hac Bulla sententiam enunciantem celebrari ab Ecclesia Romana solam Sanctificationem, seu Conceptionem spiritualem Deiparæ; & ea valde probabiliter dicenda est hæretica, vel saltem erronea ex vi Bullæ Sanctissimi Alexandri nuper de hac re datæ.

5. Probatur prima pars Conclusionis ex dictis manifestè, quia in Bulla hac statuit Pontifex, & declarat sæpius perspicuè Ecclesiam Romanam colere Sanctitatem Virginis pro primo instanti infusionis animæ eius in corpus, & præseruationem eius ab originali; atque adeò non solam sanctitatem eam, vel sine peccato originali; nam primâ propositio contradictoriè opponitur secundæ: Ergo declarata, & statuta prima, vt vera, & indubitata, & Pontificio Decreto firmata, contradictoria manet apertissimè damnata.

6. Probatur secundò eadem Conclusio, quia in tantum Aduersarij voluerunt à Sixto IV. celebrari declaratam in hoc Festo Conceptionem solam spiritualem Virginis, & eius Sanctificationem, in quantum noluerunt restrictum cultum Ecclesiæ circa Conceptionem Virginis pro primo instanti actionis eius sanctæ propriæ, & formaliter pro tali instanti: cum ergo expressissimè pro tali instanti Sanctissimus Alexander sanctitatem in Virgine coli ab Ecclesia decreuerit, iam apertissimè reiectam sententiam quæ noluit cultum Ecclesiæ circa Conceptionem hanc non fuisse de mera sanctitate Virginis in posteriori temporis reliquit damnatam, vtpote oppositam, decreto Pontificis.

7. Secunda pars Conclusionis de genere damnationis huius sententiæ patet ex dictis de contrario dicto decreto, vel de fide, vel secundum fidem; nam posito quod contradictoria vna propositio sit decreta vt de fide,

non

non potest opposita non esse hæretica; & si secundum fidem alia certè manet vt erronea decisa iuxta sæpè dicta, vel saltem vt temeraria definita à Pontifice.

DIVISIO IV.

An sententia quæ sanctitatem & cultum Virginis datum in sua Conceptione ab Ecclesia tribuit pro primo vel secundo instanti suæ animationis, disiunctiuè remaneat damnata per hanc Bullam.

1. ET modus dicendi apud Nostros Aduersarios qui tradit Sanctitatem primam Virginis pro sua Conceptione, eámque colit Sanctam, vel pro primo instanti temporis & reali primæ suæ animationis, vel pro secundo & sequenti in prosequutione temporis ad primum instans reale: & de eo meminêre aliqui antiquiores, qui maximè acceptatus est, & retentus vsque ad præsentia tempora, & plures Anonymi ei subscripsisse patet: nam primus Anonymus §. 1. habet quod, [Sensus nominis Conceptio de se indifferens est videlicet ad significandam sanctitatem pro primo vel pro secundo instanti.] Et secundus Anonymus clarius pro hoc sensu expressit dicens §. 23. [Numquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam; hoc enim adhuc indefinitum est; atque ideò dubitationi subiectũ: qui aliter sentiunt, videant quomodo hæreticorum, ora claudere valeant qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminãt.] Et pro hoc adducit §. 2. Bellarminum inquiens. [Obiectum primarium cultûs in hac celebritate esse primam gratiam Virgini collatam, abstrahendo à tempore, vel instanti quo collata fuerit; quod hausit ex S. Thoma docente celebrari Officium Conceptionis in ratione sanctificationis eius, factæ in vtero Matris; quia enim incertum est quo die, quóve temporis momento eius sanctificatio facta sit, rectè Ecclesia memoriam eius agit die anniuersario Conceptionis.] Et §. 25. [Quare necessariò dicendum est Sanctitatem Conceptionis Virginis quæ colitur in Ecclesia Catholicâ, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, non esse illam quam aliqui in primo instanti ponunt, nec illum quæ ab aliis ponitur in secundo instanti, quia vtrumque dubium & opinabile est, & à parte rei aliter se habere potest, sed est sanctitas illa pro instanti quo verè fuit Sancta. Et §. 26. [Vox Sancta in tota Ecclesiâ tam primum, quàm secundum instans complectitur, siue vt abstrahit à primo vel à secundo, & cum sit terminus positiuus, sufficit vt in altero instanti verificetur.] Et tertius Anonymus idem habet. [Dicamus Ecclesiam colere non sanctitatem in Conceptione sequutam, sed Sanctificationem in Conceptione subsequutam, quam doctrinam præcipuè probarunt lacte Peripatetico enutriti, illud Aristotelis Axioma probè intellexerint, quæ parum inter se distant, inter se nihil distare videntur.] Cum igitur solùm instantis distantia interceserit inter culpam, & gratiam, quæ vel minus agitari potest rationabiliter, & absque animi habitatione, asserere possumus Virginis Conceptionem, & Sanctam fuisse, & vt Sanctam, ab Ecclesiâ celebrari.]

2. Quod autem hic modus dicendi per Bullam præsentem reiectus, & damnatus sit, ex eo quod declarauit Pontifex præcisè in primo instanti animationis suæ Sanctam fuisse Virginem, & non disiunctiuè; vel pro primo, vel pro secundo, patet euidentissimè, quia sic exprimitur tum in titulo Bullæ, tum in toto decursu eius; nam dum dicitur quod animam Beatæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à peccato originali præseruatam fuisse; apertè sanctitas ei ascribitur pro primo instanti; nam simul debet intelligi infusa tum præseruatione ab originali, quod sine sanctitate non intelligitur haberi: Idem ostenditur ex 1. §. Bullæ vbi repetitur. [Sanè vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in primo instanti Creationis, & infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ & priuilegio intuitu meritorum Christi eius filij humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præseruatam immunem.] Et sic pluries in Bulla. Vndè manifestè reijcitur, & relinquitur damnata sententia quæ sanctitatem Virginis tollit à primo instanti suæ Creationis, & eum remittit disiunctiuè ad secundum instans; cum Pontifex se determinat, & sanctitatem eius affigit primo instanti; id quod cum determinet, & absolute proferat vt Pontifex, omni suâ auctoritate docens Ecclesiam; certum est quod oppositam propositionem referentem sanctitatem ad aliud instans, reijciat & damnet: quia pro certa dat, vel secundum fidem, vel de fide, vt aliàs vidimus, primam illi oppositam; omninò debet censeri quod damnet ipsam, eaque damnata remaneat. Nam incompossibiles sunt in veritate hæ propositiones; quare si prima est determinata à Pontificice, altera ab ista, debet esse digna censurâ.

3. Sed dices, non sunt oppositæ istæ duæ propositiones, Petrus currit, & Petrus vel currit vel non currit, aut sedet: ergo similiter neque sunt oppositæ istæ duæ aliæ scilicet (Virgo in primo instanti Creationis suæ fuit sancta,) & ista alia (Virgo vel in primo vel in secundo instanti Creationis fuit sancta:) Vndè si prima est certa, non valet dicere quod secunda sit damnata. At nulla responsio, quia verum est quod Logicè hæ duæ propositiones non sint oppositæ; Theologicè tamen omninò oppositæ sunt; nam æquiualent istis aliis duabus, videlicet isti primæ certum est, & constat quod Petrus currat, vel Virgo fuit Sancta pro primo instanti Creationis suæ & isti primæ non est certum quod Petrus determinatè currat, vel determinatè non currat; atque adeò profertur quod vnum indeterminatè ex his ei competat à parte rei; non verò determinatum, & per propositionem disiunctiuam quo ad id quod sit tenendum dicitur, quod non est verum Theologicè, quod determinatè fuerit Virgo in primo suæ creationis instanti sancta,

atque adeo Theologicè hæc disiunctiua, tollit determinationem incertam à simplici propositione, & sic opponitur illi; vndè dubium esse non potest quod ei opponatur, & suppositâ certitudine & definitione prioris, ipsa maneat damnata, & pro censurandâ relicta.

4. Patet id quod dicimus in Natiuitate Virginis, quia si quis diceret, Ioannes vel Virgo fuit sancta in primo instanti Natiuitatis suæ, & alius diceret fuit sancta vel in primo instanti Natiuitatis suæ, vel in secundo instanti, certè hæc secunda propositio destrueret primam, illique opponeretur; nam saltem dubiam proferret sanctitatem Ioannis, & Virginis pro primo instanti Natiuitatis eorum, quando pro certa habet Ecclesia sanctitatem eorumdem, & propter hanc dubietatem secunda hæc propositio disiunctiua esset damnata, seu censuranda.

5. Secundò ostenditur claritas veritatis huius damnationis prouenientis in disiunctiua dicta, posito quod fuerit determinata à Pontifice simplex propositio de vno ex contradictitoriis: quia quando supponitur quod Pontifex dixerit cultam sanctam Virginem ab Ecclesia pro primo instanti creationis eius, supponitur determinare eiusmodi sanctitatem coli vel cultam ab Ecclesia pro primo instanti; quando verò dicitur ab Aduersariis talem sanctitatem cultam, vel pro primo instanti, vel pro secundo, intelligitur per hanc propositionem enunciari Ecclesiam non colere sub determinato cultu primi instantis, sed dubiè, quod est oppositum primo dicto; & cum primum sit certum, remanet secundum censurâ dignum, vt liquet.

6. Tertiò probatur hoc ipsum, quia si posito quod vna veritas sit determinata ab Ecclesia, vel Summis Pontificibus ad vnam partem contradictionis absolutè, & simpliciter, videlicet si fuisset determinatum quod Sanctus Paulus fuit sanctus quãdo conuersus est, & aliquis diceret quod fuit sanctus, vel quando conuersus, vel quando mortuus est: per secundum dictum vtique contradiceret primo: nam poneret in dubium quod Ecclesia dederit vt certum: cum ergo in casu nostro Sanctissimus Pontifex determinatè, & pro absolutè tradat quod Ecclesia coluerit & colat pro primo instanti creationis suæ Virginem vt sanctam; qui hoc negaret, & diceret quod solum sub disiunctione esset dicenda sancta pro primo, vel secundo instanti, contradiceret primo dicto; atque adeo eius hæc propositio vtpote opposita certæ Pontificiæ, esset damnanda, & censurâ digna, videlicet vel hæretica, vel erronea, vel saltem temeraria.

7. Prob. quartò hæc veritas, quia Sanctissimus Alexander non solùm pro primo instanti creationis declarauit Deiparæ sanctitatem, & sanctitate pollentem, sed præseruatam ab originali pro tali primo instanti; provt apparet in titulo, & per totum in Bulla, & disiunctiua de sanctitate non potest trahere disiunctionem de præseruatione ab originali pro primo vel secundo instanti; nam non potest dici quod præseruata fuit ab originali, vel pro primo, vel pro secundo instanti: quia præseruatio ab originali non habet locum pro secundo instanti, sed solùm pro primo; nam si pro primo non est præseruata ab originali; pro secundo non potest dici præseruata, sed solùm specificata, & liberata à peccato, in quo fuerat. Quare cum Pontifex decreuerit, & tradiderit in hac Bulla Ecclesiam Catholicã agnoscere Dei Parentem sine originali pro signo infusionis suæ in corpus, qui hoc non admitteret determinatè, sed diceret quod hanc præseruationem vel sanctitatem habuerit vel in primo instanti, vel in secundo vtique contradiceret primo dicto, & hoc secundo erraret vel hæreticè, vel erronèe, vel temerariè; cum saltem in dubium poneret primã veritatem tum quia hoc secundum dictum contradicit primo, tum quia qui hac disiunctiuâ vtitur, oppositæ assentitur, cum & propositionem primam absolutam affirmantem in Virgine determinatè pro primo instanti Creationis eius originalem culpam admittit, atque adeò in errorem, & censurabile dictum incurrit.

DIVISIO V.

An ex vi huius Bullæ maneat damnata sententia, qua tradit Ecclesiam colere in Virgine sanctitatem in primâ eius animatione, tamquam obiectum secundarium huius sui cultûs, cum primarium sit absoluta eius Sanctitas.

1. HÆc sententia de primario cultu, & secundario in celebratione Festi Conceptionis videtur plena inanitate verborum, & inuentorum ad placitum, & alibi est examinanda, in quantum vult obiectum secundarium in celebratione hac Mysteriis Conceptionis Deiparæ non repugnare, quod sit falsum, & sufficit si sit merè probabile, ad hoc, vt possit exerceri ab Ecclesiâ Catholicâ; nunc solùm examinanda est in quantum excludit ab obiecto primario huiusce celebrationis sanctitatem Virginis in primâ infusione animæ eius in corpus merè ex vi huius Bullæ, vt quantum ipsa certitudinis Immaculatæ Conceptioni attulit, possit videri, nec præteriri vllum ex actis ab ea, quantum nos aduertere potuimus, de reliquo relinquentes ingeniosis cæteris Doctoribus alias nouas animaduersiones in ea, quas gaudebimus legere in eorum libris, quos optamus multiplicari ad hæc omnia noua, nobis in hac Bullâ oblatâ, confirmanda.

2. Pro hac autem quæstione existimo dicendum, quod in hac Bulla non videtur directè vllo modo damnari, quod in celebratione Festi Conceptionis colatur sanctitas absoluta Virginis, vt obiectum primarium, & illa primæ eius infusionis in corpus, vt obiectum secundarium; nihil enim de obiectorum horum distinctione; sed id quod animaduertendum est in hac Bulla debet esse, quod Pontifex dum agit sæpissimè de hac celebratione,

non

non meminit vnquam de hoc obiecto primario, quod sit sanctitas Virginis absolutè sumpta; imò de sanctitate Virginis vt sic, non loquitur vlla ratione, quod signum esse potest maximum, quod eiusmodi sanctitatem non agnoscit, hic vt tale obiectum primarium; nam dum de vnâ aliquâ re agitur saltem in actu exercito, de substantialibus eius, & suis primarijs magis agitur, quàm de secundarijs, & accidentarijs, dum præsertim substantia eius declaratur, vel inuestigatur. Quando ergo Pontifex maximè hic declarat qualiter exerceatur celebritas huius Festi, & secundum quem sensum; si primarius sensus talis celebritatis esset absoluta sanctitas Virginis, de eo deberet saltem aliquid dicere per modum suppositionis: quando ergo de hac sanctitate nihil meminit, apertè ostendit se non agnoscere, neque posse agnoscere probabili vlla ratione vt obiectum primarium huius cultûs sanctitatem Virginis vt sic. Id quod magis confirmatur, quia cum nouiter hic modus dicendi prodijsset, nec doctos viros latuisset, qui rem hanc eam narunt in fabricatione huius Bullæ; si quid probabilitatis in eâ agnouissent, verbum certè aliquod protulisset significans hanc sanctitatem, nunquam fuisse repertam in Ecclesiæ cultu vt primarium eius obiectum. Et rursùm ex hoc actu Pontificio in hac Bulla licet inferre, quod hoc inuentum primarij huiusce obiecti in hac celebritate, si fundamentum aliquod habuisset, licet insufficiens ad aliquid solidum tradendum in hac re, de eo aliquam mentionem fecisset Pontifex, & dum soliditatem in illo non agnosceret; si agnoscceret aliquam apparentem veritatem, non reliquisset per modum reiectionis de eo meminisse. Quare cum de ipso neque hoc secundo modo egerit; signum est, quod hoc inuentum habuerit vt nullum, vanum, & vndequaque falsum, nec dignum expressa reiectione. Id quod probat efficacissimè nullitatem huiusce primarij obiecti in hac celebritate ex vi huius Bullæ; & solùm restat videndum, an hæc sanctitas Virginis absolutè sumpta inuecta, vt primarium obiectum huius celebritatis manserit damnata per Bullam præsentem; id quod vt videatur videndum minutius, quomodo ex hac Bullâ, ea reiecta sit saltem in actu exercito, vt obiectum primarium dictum.

3. Probatur ergo secundò hæc conclusa veritas, quia SS. Alexander non meminit de primario obiecto huius cultûs, volens ipsum esse aliud à primâ sanctitate Virginis in suâ primâ infusione animæ in corpus; ergo hæc per ipsum est primarium obiectum, non sanctitas Virginis absolutè sumpta. Anteced. probatur lectâ Bullâ, quæ frequentissimè in id, quod dicimus impingit, nam in titulo Bullæ, & quasi compendiosè volens restringere de præcipuo & primam obiecto, non meminit Sanctissimus Pater de aliâ sanctitate nisi de illâ primæ animationis, nec annuit hanc esse secundarium, primarium verò esse sanctitatem vt sic, cum non meminerit de eo; sic enim habet. [Innouatio Constitutionum & decretorum in fauorem sententiæ asserentis animam Beatæ Virginis in sui creatione, & infusione in corpus à peccato originali præseruatam fuisse editorum.] Et deinde §. 2. loquens. [Fidelium sentientium animam Beatissimæ Virginis in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia &c. præseruatam immunem.] Vbi quod signum distinctionis obiecti primarij & secundarij? §. 3. confirmatur id ipsum, quia dicitur creuisse hunc cultum scilicet secundum hunc sensum. In §. 4. idem repetit: §. 5. secundum hunc sensum, & hoc obiectum in cultu notauit omnes Catholicos colere. §. 6. improbat eos qui negauêre Ecclesiam Romanam huic sententiæ & cultui iuxta illum exhibito fauere, §. item 7. in idem venit, & per hæc omnia confirmat Constitutiones ceterorum Pontificum, & suâ firmat hanc sententiam, quæ pro primario obiecto dicit sanctitatem originali immunem, & non sanctitatem absolutè sumptam, & extendentem se ad illam quæ sequatur post instans creationis animæ Virginis. Nec dicas debere deduci quod primarium obiectum cultûs sit sanctitas absoluta Virginis culta ab Ecclesia, non cum signat verè Pontifex aperè in hac Bulla; propter absurda quæ sequerentur si esset ipsa dubium obiectum sanctum, quod non potest esse primarium obiectum cultûs. At nulla responsio, quia valdè mancus fuisset Pontifex in hac re, si talem doctrinam admisisset, & putasset veram, nec eam clare imbuisset fideles, dum aliter præsertim expostularetur, sicuti expostulatus fuit de hac re à Regnis Hispaniæ, qui per Episcopum Placentinum rogauerunt Pontificem, vt doceret eos secundum quem sensum coleret Ecclesia Romana Conceptionem Virginis, & deberent ipsi colere; & Pontifex respondet coluisse, & debere colere secundum nostrum sensum.

4. Quibus positis circa secundum Punctum dico; si non expressè, saltem tacitè damnata est vt temeraria hæc sanctitas Virginis absoluta, tamquam primarium obiectum cultûs Conceptionis Virginis ex vi Bullæ, in quantum excludit ab obiecto primario talis cultûs sanctitatem hanc peculiarem in prima animatione Virginis. Nam si illam non excluderet, sed includeret, & vellet absolutam sanctitatem intrudere, concedimus omninò non esse damnatam hanc rationem primarij obiecti in absoluta sanctitate Virginis; cum de cætero nemo non videt, quod optimè colit Conceptionem Virginis in prima animatione sanctam, etiamsi non attendat ad sanctitatem, quæ in ea futura erat subsequenti tempore ad primam eius animationem: & rursùm, etiamsi tali sanctitate post animationem priuata fuisset Virgo.

5. Probatur hæc secunda Conclusio manifestè, quia posito quod viderimus sanctitatem pro primo instanti in anima Virginis haberi à Pontifice, vt primarium obiectum cultûs eius in hac celebritate; ad euidentiam patet, quod cum definitiuè hoc traditum sit, propositio; quæ excludit à tali sanctitate primarietatem, vt ita dicam, obiecti, remaneat damnata, definita scilicet vna propositione vt vera in vno gradu certitudinis, contradictoria, excludens id, quod ponit altera, censetur falsa eo gradu censurabilitatis, qui è diametro opponitur veritati definitæ.

6. Pluribus

6. Pluribus probari posset hæc conclusio quæ sunt annexa cum primarietate obiecti cultus, si habeat locum in hac re vel alibi de quâ alias agendum est, quando scilicet agemus quam certitudinem det obiectis à se cultis Ecclesia, & an detur hæc primarietas obiecti, in eis & qualis, de quibus late agendum ed alibi; & ne summiscemus quæstiones, & suis locis omnia aptemus, non progredimur in maiori probatione conclusionis satis ostensæ.

DIVISIO VI.

Concernuntur propositiones alia Aduersariorum, quæ relinquuntur damnata ex vi huius Bullæ Sanctissimi D. N. Alex. VII.

1. COMPLEVIT hanc Appendicem hæc coacervatio, nec visum mihi est aliquid aliud in hac consideratione Bullæ, quod occurrat, controuerti posse. Suggerant illud, si occurrat Doctoribus, & non prætermittemus in sequentibus pro Immaculatâ addere, quæ Diua Virgo dignabitur, vt solet menti nostræ suggerere. Quantum autem ad hanc coacervationem notatam, euidens est præter dictas sententias, alia etiam dicta Aduersariorum censurata, & damnata manere ex vi huius Bullæ quæ in vniuersum sunt omnia ea, quæ opponuntur dictis definitionibus, ac definitis de fide, vel secundum fidem, quæ numerauimus, & probauimus esse talia in Disp. 1. huius Appendicis per totam in decem Diuisionibus eius. Quare aliud circa hæc non addo, cum manifestè damnata agnoscantur, concluso quod propositiones contradictoriæ sint de fide, vel secundum fidem decretæ certæ.

2. Præter hæc video, quod aliqua alia dicta, & ferè omnia quæ dicuntur ab Aduersariis, vel saltem ab aliquibus eorum primatibus similiter damnata maneant, ex vi huius Bullæ & continentur, in duobus Libellis supplicibus typis editis, & sæpè citatis. Vndè visum nobis est ad complementum Operis, quod ea hîc per varios §. registremus, & animaduertamus quâ ratione sigillata maneant per hanc nobilissimam Bullam, & desinant Aduersarij blaterare inaniter, & temerè, quod per hoc nouum Diploma Pontificium circa Conceptionem Virginis nihil actum sit, quod actum non fuerit per Bullas Pontificum Prædecessorum, & quod per illud nulla maior certitudo accreuerit Immaculato Conceptui; nam cum tota ferè eorum doctrina præcipua in dictis Libellis contenta appareat; non video quid aliud requirant ad silendum in perpetuum, & reuocanda sua sensa, quæ videant tam frequenter in errores fidei incidisse, sic apertè loquente Pontifice.

3. Ad hoc ergo peragendum recito per §. hos de Libellos, & errores Aduersariorum dictorum animaduertam; opusque complebo, & in primo quidem Libello sic dicitur.

§. PRIMVS.

Ad agnoscendum quàm prouidè Sancta Romana & Vniuersalis Inquisitio decreuit titulum Immaculatæ non esse addendum Conceptioni; sed Virgini; notanda est diuersa acceptio huius nominis Conceptio, *ante Gregorium XV. & post illum.*

En primus error Anonymi reprobatus à SS. Alexandro 7. qui cum statuerit Gregorium præcepisse nomen Conceptionis vsurpandæ in fauorem Immaculati sensûs de Conceptione Virginis, apertè declarauit quod nomen Conceptionis non fuerit à Gregorio in aliâ significatione ab Aduersariis notata, sumptum vt suprà vidimus in Confirmationibus, Opusc. 2. Quare patet erroneè prolatum esse hoc dictum ex vi Bullæ Alexandri SS. Id quod ex dictis patet, nec longius rem probo. Sequitur deindè Libellator.

Licet enim nomen Conceptio *in suo proprio significatu solum importet formationem fœtûs in vtero ante Gregorium, tamen apud multos idem valuit vsus huius nominis* Conceptio *quod* Conceptio Immaculata.

Abstinendũ à risu, dum hîc legitur ante Gregorium aliquos nomen Conceptionis absolutè vsurpasse pro Conceptione Immaculatâ; nusquam enim aliquis hoc somniauit, hoc sibi somnium finxit Anonymus, vt vidimus Opusc. 2. latè; sed errori detegendo Anonymi incumbendum, qui finxit hanc significationem in hoc nomine à nullo receptam, vel intrusam non ob aliud, nisi vt arriperet ansam dicendi, & ostendendi, quod quando Gregorius præcepit vsurpari in Missâ, & Officiis solum nomen Conceptionis: Id ità egerit, vt mutarit significatum, & cultus solus exterior esset vniformis in Ecclesiâ, & non in fauorem Immaculati sensûs. In quo valdè errauit Anonymus; nam Gregorius vniformitatem cultûs etiam interni maximè voluit, prout hîc optauit etiam SS. Alexander, qui concupiuit vt ipse ait. [In Christi gregevnitatem Spiritus in vinculo pacis.] Et rursum fouere voluit sensui de Immaculatâ, prout decreuit & declarauit de eo Sanctissimus Alexander.

Vndè Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius proprium sententiam explicandam, vtebantur voce Sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quasi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio.

Hoc item dictum totum manet reiectum à Bulla Sanctissimi Alex. VII. cum in ea declaratum sit Ecclesiam & Pontificem non solum sanctitatem Virginis colere in eius Conceptione; sed præseruationem ab originali:

Quare

Quæ malè Aduersarij cum hoc sensu remouebant, & vóces proprias assumebant ad declarandum & firmandum in Ecclesiâ sensum contrarium Pontificibus.

Et ideò contenderunt fautores Immaculatæ Conceptionis apud eumdem Gregorium, vt præciperet omnibus, quod in celebratione solemnitatis non alio, quàm Conceptionis nomine vterentur. Quod Pontifex vt cultus esset magis vniformis, concessit, innuere nomen Conceptionis esse de se indifferens ad vtramque sententiam quod vt magis etiam insinuaret, declaranit expressis verbis per hoc nullam præiudicium inferri alterutri parti, sed relinqui in eadem statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum decretum pro Conceptione quomodolibet acceptâ; sed pro Conceptione Immaculatâ: quod constantissimè renuit Vrbanus asserens quod neque recedere à vestigiis prædecessorum debebat, qui vtramque opinionem in suâ probabilitate reliquerant, neque affirmare poterat Gregorium opposita, & inter se repugnantia protulisse. Quod si declarasset nomine Conceptionis Immaculatam Conceptionem intellexisse, declarasset Gregorium sibimet fuisse contrarium; dum ex vna parte asserit; se nullum præiudicium inferre velle opinantibus B. Virginem in peccato Conceptam, & ex alia parte plusquam notabile præiudicium ipsis inferret, iubendo quod Ecclesia Vniuersalis Conceptionem Immaculatam, celebraret.

Distorquentur in hoc dicto aliqua quæ à nuperâ Bullâ alia demonstrantur; nam dicitur quod Gregorius præcepit celebrari Festum Conceptionis Virginis nonnisi sub nomine Conceptionis, vt esset vniformis cultus, & non in fauorem eius Immaculationis: & contra decidit Alexander noster scilicet factum esse in fauorem Conceptionis colendæ, sed in sensu Immaculatæ dicitur etiam hîc nomen Conceptionis eo tempore fuisse indifferens ad vtramque sententiam, & significauisse quod Ecclesia vtramque amplecteretur, quod destructum est per hanc Bullam per quam firmatur Festum Conceptionis determinatè celebrari non per vtramque sententiam, sed per illam Immaculatæ, vt declarauit Sanctissimus præsens Pontifex, qui neque meminit de illa Aduersariorum agens de celebratione Festi. Dicitur etiam Vrbanum renuisse celebrationẽ sub nomine Conceptionis Immaculatæ instantibus pro hoc fautoribus eius; nam per præsentem Bullam dicitur omnes Pontifices ei fauisse inter quos numerandus est Vrbanus qui pro ea etiam scripsit, vt aliàs videbimus. Additur etiam hîc falsò prædecessores Vrbani reliquisse sententias ambas in sua probabilitate; nam Alexander sanctus eos solum Immaculatæ fauisse declarauit.

R. P. Vincentij Fassari Append.

§. II.

Quis ergo non videat diuersitatem statûs in a ceptione huius nominis Conceptio *ante Gregorium XV. & post illum? hæc igitur diuersitas in causa fuit, quod adeo attentè post Gregorium curatum sit, quod nullo modo adderetur titulus* Immaculatæ *Conceptioni, sed Virgini, ità vt nec etiam recitatiuè hic titulus ipsi Conceptioni annecteretur; cum etiam satis compertum esset Aduersariorum intentũ esse populis persuadere, Ecclesiam præseruationem definisse, dum voluit quod omnes sub nomine Conceptionis celebrent; quasi apud Ecclesiam idem esset Conceptio & Immaculata Conceptio: (iuxta præditam vulgarem huius nominis acceptionem) ne populi in hunc errorem incidierent, prudentissimè cautum est, quod sub Gregorij prædecessoribus, non adeò cauendum erat; quia tunc licitum vnicuique erat vti quo volebat, nec aderat præceptum, vt in vniuersa Ecclesia subinde nomine Conceptionis, hoc Festum celebraretur.*

FAlsitatis etiam conuincitur ex Bulla Alexandri Sanctissimi quod additur nomen Conceptionis tempore Gregorij induisse aliam significationem; cum in ea nihil tale exprimatur: imò eius inuariatio stabilitur, cum Sanctissimus Pontifex sæpè in Bullâ replicauerit Festum Conceptionis determinatè in sensu immaculatæ celebratum fuisse à Gregorio, & antecedentibus Pontificibus; quo posito, falsum relinquitur ex hac Bullâ itidem quod dicitur ante Gregorium in Celebratione Conceptionis potuisse quemlibet vti nomine quo volebat: nam posito quod Ecclesia celebrabat sub sensu Immaculatæ, falsum est quod quouis nomine potuit vti ad significandam celebritatem vel sanctificationis scilicet, vel similis.

§. III.

Vnde non mirum quod aliqui Pontifices ab Aduersariis citati aliquando recitatiuè addiderint titulũ Immaculatæ ipsi Conceptioni; cæterum non ità Vrbanus VIII. Gregorij successor, vt videre licet in Bulla quæ incipit, Imperscrutabilis, *quâ erigitur Religio Militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ, vbi numquam titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni, sed Virgini; & hoc ex speciali mandato ipsius Vrbani VIII. præterea cum ex Officio Summus Pontifex prouidere*

dere debeat, ne aliqua doctrina, seu assertum aliquod, reputetur vniuersalis Ecclesiæ sensus; si de eius veritate dubitari possit & oppositum ab ipso Pontifice tamquam verum, & ab eadem vniuersali Ecclesiâ tenendum, possit definiri. Cum igitur opinio Præseruationis Deiparæ à peccato Originali dubia sit, & oppositum possit ab Ecclesiâ definiri, & nihilominus Romani Pontifices iustis de causis indicauerint, silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali; ità vt nec etiam in priuatis colloquiis cum secularibus liceat ipsis de hac materiâ disserere, insensibiliter eò deueniret negotium, vt vniuersa Ecclesia præter Ordinem Prædicatorum haberet veritatem præseruationis tamquam certam, & ab Ecclesia definitam. Cogitur ergo ipsa Ecclesia vti huiusmodi cautelis ad sustinendam opinionem adeò in Sacrâ Scripturâ fundatam, & omnium antiquæ Patrum, & Doctorum consensu firmatam.

VBi apparet quàm falsò & oppositè ad præsentem Bullam dicat Anonymus hîc quod Pontifices recitatiuè, & non ex proprio sensu maculatam eiecêre Virginem: cum contra in eâ declarauit. Sanctissimus Alexander eos pronunciasse. Et rursum ex hoc ipso vt falsum remanet dictum, quod Vrbanus VIII. voluerit Religionem erigere sub nomine Immaculatæ Conceptionis, cum Immaculatam ipse voluerit, ex declaratione Sanctissimi præsentis Domini nostri. Refellitur etiam hîc quod habet Anonymus, videlicet dubiam esse veritatem de Immaculatâ, & oppositum eius posse definiri, & cogi Ecclesiam cautelis vti, ne reputetur eam vniuersaliter ab eâ amplecti, cum Contradictorium Bulla declaret eam esse sensum vniuersalis Ecclesiæ.

§. IV.

Concluditur ergo quod non valet argumentum ex permissione ab Ecclesiâ facta ante Gregorium XV. & post illum; quia stabilitur per Gregorianum decretum quod omnes nomine Conceptionis vtantur: Curandum magis est quàm, antea vt hoc nomen maneat in sua differentia, & non vsurpetur vt antea pro Conceptione Immaculatâ, ne intelligatur Ecclesiam velle quod omnes sub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.

EXpressè hîc ostenditur opponi Anonymum sensui Ecclesiæ, quia ait curandum esse vt nomen Conceptionis festiuæ maneat indifferens ad vtramque sententiam, & intelligatur Ecclesiam velle quod omnes sub sensu Immaculatæ celebrent; nam expressè per hanc Bullam declaratur omnes de facto sub isto celebrare, & Ecclesiam eamdem celebrationem vsurpare.

§. V.

Dicunt Autores oppositæ sententiæ iure cautum esse, ne in Ecclesiastico Officio seu Pontificis Constitutionibus, addatur terminus Immaculatæ, cum adhuc Ecclesia non diffinierit controuersiam. Cæterùm cum eadem Ecclesia liberè permittat illis quod publicè & priuatim possint de ea loqui, illámque defendere; quod tamen prohibet alteri parti; cur non poterunt etiam illam typis mandare, & diuulgare, non quasi rem definitam, & certam, sed piam, & probabilem &c.

§. VI.

Ad quod dicimus, in præsenti non controuerti de impressione opinionis; sed inhærendo decretis Pontificiis rescripsit Sacrum Tribunal Inquisitionis, ne permittatur addi Conceptioni terminum Immaculatæ: ne videlicet per diuinum Epithetum distrahatur sensus huius nominis Conceptio, quod de se indifferens est à proprio significatu; idque præsertim in impressione, qua pra se fert approbationem ministrorum sanctæ Sedis, Inquisitorum scilicet seu Magistri Sacri Palatij quod non contigit in locutionibus priuatis, nec etiam publicis.

§. VII.

Vel ergo reuocandum est Greg. XV. Bulla, vel omnia post ipsum acta & præfata Bullæ inhærentia decreta, prout est illud de quo controuertitur sunt omninò sustinenda &c.

DIstortè semper loquitur Anonymus, & extra rectum iter egreditur, & Bulla hac in omnibus deiicitur. Cautum fuisse ait in Ecclesiâ ne emaculatio in sacris officiis seu Constitutionibus Pontificiis detur Conceptioni Virginis, cum explicissimè ei concedatur in hoc diplomate, vt vidimus: Vndè nulla consequentia quod vel sit reuocanda Gregorij Bulla, vel sustinendum decretum de demendo titulo Immaculatæ Conceptionis. Ex quibus patet doctrinam vniuersam Anonymi huius cunctam opponi & declarari oppositum

doctrinæ

doctrinæ Excellentissimi diplomatis Sanctissimi Domini nostri Alexandri VII. & per consequens reiectam & sæpissime damnatam ferè in omnibus relinquit: quod itidem perspicuum est in doctrinâ quam continet secundus Libellus qui impressus est à Cismontanâ Familiâ & Calderonio, quem registrare hîc oportet, vt videatur quod per Bullam præsentem eius doctrina ferè tota est damnata, vel reiecta; eius tenor est sequens.

POSTERIOR LIBELLVS Supplex, Eminentissimis Cardinalibus S. Inquisitionis exhibitus.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DD.

I. *DE titulo* Immaculatæ *tribuendo Beatiss. Virgini, non autem* Conceptionis, *decretum extat Sanctæ Romanæ Inquisitionis, cuius arcanis consiliis obsequi fideles debent, non scrutari; hoc tamen nonnullos parum considerasse, porrectæ scripturæ, ac Libelli supplices, satis, superque manifestant: & licet ea sit Eminentissimorum Patrum sapientia, & huius Supremi Senatus auctoritas, vt quæ vniuersali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore; aliqua tamen Fratres Ordinis Prædic. in eiusdem decreti, & solidæ veritatis obsequium expendenda humiliter proponunt, vt subindè colligatur quàm valida sint, quæ pro eodem decreto infingendo congesta fuêre.*

II. *Recolendum primò, quod in re, de quâ agitur, plura pro temporum circumstantiis à Summis Pontificibus statuta fuerunt, vt à diffinitione abstinentes, & vtramque sententiam in gradu probabilitatis relinquentes; excitatas fidelium, turbas prouidè componerent.*

III. *Ante decretum Fæl. Record. Gregor. XV. de Officio recitando sub nomine* Conceptionis, *retentâ à Dominicanis voce* Sanctificationis, *ex nominum distinctione, inferebatur opinionum distinctio; ità vt Conceptio præferentionem apud eius vocis asser-*

tores importaret; sanctificatio verò alteram sententiam exprimeret: itaque tunc idem erat apud alios dicere Conceptio, *ac* Immaculata Conceptio; *& Fratres Prædicatores à nomine Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis æquè abstinebant: vndè Sixtus IV. Pontifex, vbi damnat impugnantes recitatores Officij Leonardi de Nugarolis, nihil de titulo ab Auctore impositio sollicitus fuit: intentum enim Pontificis fuit, vt illa sententia non damnaretur, nec Officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur, cui deindè cætera Summorum Pontificum decreta, ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam peculiariter directa adhæserunt: sed cum adhuc contentiones exardescerent, affirmatiuè opinantibus à Paulo V. silentium indictum est.*

IV. *Demum (quod Spiritus Sancti assistentiam Summo Pontifici in Ecclesiæ regimine mirè demonstrat) dum Aduersarij sub Gregorio XV. Summo conatu partis affirmantis præiudicium exquirunt, decretum prodiit vtramque sententiam in suâ probabilitate confirmans, cuius vigore Fratres Prædicatores nomine Conceptionis, Sanctificationem intelligunt, Aduersarij Præseruationem.*

V. *Hoc igitur decreto sincerè vt iacet, inspecto, quo directè omnibus iniungitur, vt in Officio non alio, quàm*

Conceptionis vtantur nomine; falluntur, qui putant Dominicanos tantum ligari, vt à nomine Sanctificationis abstineant. Decretum Vniuersalis Ecclesiæ Pastoris est, omnes instruit, omnibus præcipit, & voces omnes præter Conceptionem excludit.

VI. En ergo temporum distinctio necessariò attendenda; siquidem aliquando idem erat dicere quod plures, Conceptio, & Immaculata Conceptio; & post Gregorium non idem sonat; ac proindè, quæ de Sixto IV. aliisque Pontificibus ante Gregorium XV. afferuntur, quo ad titulum Immaculatæ Conceptionis, anachronismi fallaciam continent.

VII. Ex quo patet, quod præcipuum Aduersariorum argumentum desumptum à concessione Officij Nugarolis facta à Sixto IV. tantum abest, quid vrgeat post Gregorium XV. quod imò hisce temporibus Officium illud videtur non esse amplius recitandum, quia expressè aliò vtitur, quàm Conceptionis nomine, hoc est, Præseruationis & Immaculatæ Conceptionis: cum enim actus priores corrigantur per posteriores, Gregorij XV. decreto abrogata huiusmodi concesso videtur & per consequens pœna aliàs pro temporis exigentia vsum dicti Officij improbantibus imposita, sit argumentum rem ità euincens.

VIII. Nomen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus compatitur in vtente sententiâ negante Immaculatam, ergo non est nomen, cui apponendum sit adiectiuum Immaculatæ; *ergo si dixerim Conceptio Immaculata, vtor alio nomine, quàm Conceptionis; ergo si recitem Officium Nugarolis, decretum Gregorianum frango.*

IX. Nec valet, quod dicitur, alios Summos Pontifices post Sixtum IV. atque etiam Sacrum Concilium Tridentinum Sixti IV. constitutiones confirmasse: scopus enim confirmationis est vt neutra opinio censuræ subdatur, non autem vt Officium Nugarolis confirmetur; & quod præcipuè attendendum est, implicat confirmationem Gregorij cadere sub his, de quibus ipse aliter expresè disponit.

X. Semper Tridentinum Concilium nihil aliud intendit, quàm vtramque partem controuersiæ indefinitam relinquere, & contentionum occasiones resecare sub pœnis à Sixto IV. taxatis; non autem approbare voluit Officium Nugarolis.

XI. Hoc patet euidenter; nam sanct. mem. Pius V. dum Officium Nugarolis in reformatione Breuiarij in Officium Natiuitatis commutauit, profitetur expresè in Constitutione, Quod à nobis &c. *se Concil. Tridentino inhærere; itaque recessisset potius à Concil. in huiusmodi reformatione, si Concilium præfatum Officium confirmare voluisset.*

XII. Additur quod expuncto è Romano Breuiario Officio prædicto, gratis euulgatum est idē Officium à Pio V. viuæ vocis Oraculo Fratribus Minoribus fuisse concessum; nunquam enim huiusmodi oraculi legitimum protulerunt, aut proferre possunt documentum, imò ex oraculi propriorum Officiorum illius Ordinis inspectione euidenter concluditur, concessionem Pij V. non includere Nugarolis Officium, sed aliquot annis à morte Pij V. transactis prodijt priuata quædam impressio dicti Officij oraculo prædicto insignitas. Ex quo colligi potest, quā facile pietatis pretextus impostoras pariat. Nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dum viueret, noluit Officium illud tamquam ex Apostolicæ Sedis auctoritate recitari.

XIII. Reliqua verò asserta Summorum Pontificum concessiones, cum oraculum Pij V. supponant, iuxta petentium suppositionem huius defectus, obreptionis vitio laborare videntur, quæ quanti ponderis sint, Eminentia Vestra dignentur expendere: hoc vnum quod ad rem attinet, religiosissimè obseruandum videtur, ne expresè ab Apostolica Sede Officium Immaculatæ Conceptionis approbetur, cuiusque titulus excluden-

dus

dus concedatur; nisi & Gregoriano decreto, & alteri controuersiæ parti præiudicium illatum velint.

XIV. Sub initium Pontificatûs fel. mem. Vrbani VIII. id validissimè conquisitum fuit magnorum Principum coaceruatis instantiis, vt & festum, & Officium Immaculatæ Conceptionis concederetur; quacumque tunc de Sixto IV. aliisque allata sunt, nunc, ipsissimis penè verbis refricantur; vt facilè inferri possit petitionis variari prætextum, non sensum. Post adhibitas consultationes summa decreti fuit, nihil agendum in alterius sententiæ præiudicium, & ideò nihil omninò fuit concessum.

XV. Annotanda secundò est insignis, quæ fit æquiuocatio, quod enim aliquando fidelium pietati, quod Officium Immaculatæ Conceptionis permissum est; imò concessum (nec enim Conceptionis vocabulum reformidamus pro iis temporibus quibus etiam Officium Sanctificationis à Summis Pontificibus, & signanter à Iulio III. concessum, & approbatum fuit) pro sensu Ecclesiæ Catholicæ firmatur, Ecclesiæ consuetudinis titulo confidentissimè decoratur, & quàm strictè, & rigorosè sumatur ab ipsis, patet; dum Sanctorum Patrum auctoritati disertè præfertur, quæ si attentius inspiciantur, ità rem describunt, vt Immaculatam Virginis Conceptionem iam Ecclesiæ auctoritate definitam supponant.

XVI. Sed Ecclesiæ Sancta fixa est, & perpetua consuetudo colendi non nisi certam & indubitatam sanctitatem; quod pro comperto habent Sanctus Bernardus Sanctus Ildefonsus, & Sanctus Thom. qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis Sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat; numquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatam; hoc enim adhuc est indefinitum: atque ideò dubitationi subiectum: qui aliter dixerint, videant, quomodo hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.

XVII. Rectè Bellarminus Chemnitio respondens arguenti nos celebrare quod nescimus, dum fatemur controuersiam de Conceptione adhuc indecisam; obiectum ait primarium cultûs in hac celebritate esse primam gratiam Virgini collatam, abstrahendo à tempore vel instanti, quo collata fuerit: quod hausit ex duo Thomâ docente celebrari Officium Conceptionis in ratione Sanctificationis eius factæ in vtero Matris; quia enim incertum est, quo die quóve temporis momento eius Sanctificatio facta sit, rectè Ecclesia memoriam eius agit die anniuersario Conceptionis; non instituuntur ab Ecclesiâ festiuitates iuxta has, vel illas, quæ falsi possunt, opiniones. Sanctitas ergo dubia, & in opinione positâ non proponitur colenda; primò enim, & per se respicitur obiectum cultûs; secundariò verò populorum pietas.

XVIII. Quare necessariò dicendum est, Sanctitatem Conceptionis B. Virginis, quæ colitur in Ecclesiâ Catholicâ, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, non esse illam quam aliqui in primo instanti ponunt, nec illam quæ ab aliis ponitur in secundo instanti; quia vtrumque dubium & opinabile est, & à parte rei aliter se habere potest, sed est illa sanctitas pro instanti illo, quo verè fuit sancta.

XIX. Ex his corruit argumentum à verbis Responsorij desumptum, Quicunque celebrant tuam Sanctam Conceptionem, *facta vi quod idem sit Sanctum & Immaculatum vt inferatur, Ecclesiam celebrare Conceptionem Immaculatam, quia celebrat eam Sanctam. Vox* Sancta *in sensu ab Ecclesia intento, tam primum, quàm secundum instans complectitur, siue vt abstrahit à primo, vel à secundo; & cum sit terminus positiuus, sufficit vt in altero instanti verificetur; vox autem*

Immaculata, *exprimit ſanctitatem per negatiua, hoc eſt per negationem cuiuſcumque maculæ; ideò videtur excludere maculam pro quocunque inſtanti, & per conſequens minus aptè, & minus propriè ad vtrumque inſtans referri poteſt.*

XX. Sed etiamſi idem eſſet Sanctum & Immaculatum, non ſequitur per hoc inſtans Conceptio dicitur Sancta: ergo dici poteſt Immaculata; ratio eſt quia vox Sancta, *neutri opinioni eſt alligata, & verè conuenit Conceptioni Virginis pro eo inſtanti quo fuit Sancta. Vox autem* Immaculata, *eſt alterius opinionis proteſtatiua? quod probatur ad ſatietatem ex ipſa Aduerſariorum ſcriptura & ex eorum ſupplici libello, vbi clariſſimè per Immaculatam Conceptionem, ſententiam, quam ipſi tuentur, intelligunt, & cuius definitionem hiſce artibus ſaltem indirectè extorquere contendunt; itaque vox* Immaculata, *cuius vſum petunt, non ſe habet indifferenter ad vtrumque inſtans, ſicut vox* Sancta: *ideò ante controuerſiæ definitionem ab illâ voce abſtinendum, vel certè non eſt poſitiuâ Eccleſiæ probatione promenda.*

XXI. Indulgentiarum conceſſiones obijciunt, non ſecus, ac ſi illæ controuerſiam dirimerent: argumentum decantatum cui occurrit Guillelmus Eſtius Doctor Duacenſis, dicens Indulgentias non eſſe conceſſas opinioni, ſed pietati.

XXII. Nouimus equidem in huiuſmodi conceſſionibus titulos Eccleſiarum, confraternitatum &c. ſupponi, non diligenter exquiri ſi quis colligeret, & in argumentum redigeret Indulgentias obtentas titulo Epiſtolæ à Meſſauenſibus B. Virginis Mariæ Aſſumptæ, iam non eſſet inter Apocrypha reijcienda, ſi hæc auctoritas vrgeret.

XXIII. Imò, quod propius ad rem noſtram accedit, dum actu aduerſus titulum Stellarij Immaculatæ Conceptionis Apoſtolica Sedes dignis de cauſis inſurgit, Confraternitates delet, & publicum eius exercitium pœnaliter prohibet, innumeræ extorquentur Indulgentiæ: ergo Stellarij Confraternitates auctoritate Eccleſiæ firmantur ſimul & abrogantur. Hæc magis vrgent, vbi de expreſsè vetitis agitur. In controuerſiâ de Conceptione, Eccleſia Mater piam fouet intentionem vtriuſque partis opinantium ſine præiudicio veritatis, & non intellectuum aſſenſûs, ſed voluntatis pios motus ſpiritualibus fauoribus proſequitur.

XXIV. Subditur approbatio voti quarundam Monialium ſub titulo Immaculatæ Conceptionis; ſed idem reſpondemus, approbationem ſcilicet ad vouentium pietatem referri, non ad titulum quem Pontificum diplomata continent recitatiuè tantum, non verò diſpoſitiuè; nec inconuenit approbari Religionem particularem, quæ erga piam & probabilem opinionem, deuotionem gerat; non enim aliquod falſum approbatur dum pius modus viuendi, non modus opinandi, comprobatur.

XXV. Magna vis ſit in eo, quod Summi Pontifices quomodocumque aliorum vel pietati, vel opinioni obſecundantes, titulum Immaculatæ Conceptionis in ſuis Bullis admiſerunt, quamuis recitatiuè; non tamen illi definitiuè adhærendo: Quare ergo titulum eumdem non admittet Summus Pontifex Innocentius X. nihil tamen definiendo, & ità opinantium pietatem tantummodo piè fouendo? quæ totius obiectionis ſumma videtur.

XXVI. Sed & nos interrogando obiectiones ſoluemus. Antiquiora repetentes nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiuè, nec dubitanter, ſed aſſertiuè & clarè docent, Beatiſſimam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Damus pro nunc Innocentij II. verba: Eua ſiquidem ſine culpâ producta, ſed filios produxit in culpâ: Virgo autem Glorioſa, fuit quidem in culpa producta, ſed filium ſine culpa produxit. *Innocentij III.* Spiritus Sanctus prius in

Virgine

Virgine venerat, quando in vtero Matris animam eius ab originali peccato mundauit. *Innocentij V.* Beata Virgo fuit in vtero Matris sanctificata, non ante animationem; quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipsa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxisset, & sic non eguisset vniuersali Christi redemptione, quod non est dicendum; sed piè considerandum est, quod citò post animationem, vel ipsa die, vel horâ, non tamen ipso momento à peccato fuit per gratiam mundata & sanctificata; aliter fuisset æqualis puritatis cum Christo; hoc non est dicendum.

XXVII. Quare ergo Sanctissimus D. N. Innocentius X. Innocentios prædecessores (quomodocumque locuti fuerint) laudabiliter non sequetur? quidquid pro responso afferatur, & nostram, & ipsorum obiectionem soluet, status quæstionis, temporum discretio, contentio inter fideles, posteriora Pontificum decreta attendenda sunt. Hæc loquendi formulas prudenter, ac prouidè moderantur, atque præscribunt.

XXVIII. Habemus euidens experimentum nullatenus pretereundum. Erigitur à fel. record. Vrbano VIII. Religio Militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ instantibus Ducibus Mantuæ, & Niuernens. Quoties titulus exprimitur in Bulla incipiens Imperscrutabilis, *diligentissimè cauetur, vt verbum* Immaculatæ *iungatur Virgini, non autem Conceptioni, & cum in aliqua Impressione domi tunc facta titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepsisset, sedulò mandante Papa, emendatus fuit, & recollecta: vt probè intelligamus, Vrbanum noluisse in præsenti statu quæstionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo, non tantum dispositiuè, sed nec etiam recitatiuè, nec prædictorum Ducum pietatem referendo; cum tamen Lulij II. Leonis X. Sixti IV. non ignorasset exempla.*

XXIX. Hinc patet decretum, imò decreta à Sacra Congregatione sub eodem Summo Pontifice Vrbano VIII. emanata circa titulum hunc, non esse aliquorum priuatum inuentum quod nonnulli ausi sunt suspicari; sed ipsius Summi Pontificis rem Apostolico zelo expendentis mandatum.

XXX. Recentiora ergo ex vtraque parte sequenda sunt; nam si vetusta reuoluãtur plura multò pro Fratrum Prædicatorum, hoc est S. Thomæ sententia, quàm pro opposita extabunt, quæ modò reticentur, cum de principali quæstione non agatur; nec nos ad apocryphas Apostolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad somniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.

XXXI. Basileensem Conuentum in hac parte meritò respuimus, nec decet Romanã Sedem accipere formulam ab acephalis, qui illud ipsum decretum in odium defensorum Rom. Ecclesiæ tulerunt, vt protestatur Cardinalis Turrecremata in Summa de veritate Conceptionis, ad calcem.

XXXII. Cum Patribus Græcis sentimus omninò Immaculatam Conceptionem Virginis, sed iuxta relatum Menologium editum à Genebrardo; quod si videatur, æquiuocationem ostendit, Conceptio Virginis ponitur 25. die Martij; nono verò Decembris ponitur Conceptio B. Annæ: Conceptionem ergo actiuam, qua Christum Virgo concepit, quis neget Immaculatam? Sed vbi agitur de Conceptione passiua, quâ in vtero Sanctæ Annæ Virgo fuit concepta; Menologij auctoritas, vel inutilis est, vel depranata.

XXXIII. Imperiti Concionatores discant hæc populis licenter obtrudere, sed frequenter in Sancto Officio temeritatis pœnas luent; de viris doctis iudicium ferant alij, non ideò eorum conciones, approbantur, quia non expressè damnantur.

XXXIV. Vniuerſitatum, Doctorum, aliorúmque opinantium obijcitur multitudo, ſed vota ponderanda ſunt, non numeranda, nec populorum conſenſus diffinitiones fidei facit vel cogere poteſt, vt fiant. Ariana hæreſis ferè in omnes inualuit, & teſte Sancto Hyeronimo, ingemiſcens totus Orbis Arianum ſe eſſe miratus eſt. Sub Pontifice B. Stephano tota fere Eccleſia, duobus tantum, vel tribus Epiſcopis reſiſtentibus, in Anabaptiſmum abijt; quia tamen non adfuit Summi Pontificis conſenſus, in quo infallibilitatis priuilegium reſidet; Eccleſia non erranit, nihilominus mirum eſt quo in huius quæſtionis ardorem ducti fuerint Patres Salazar, & Valentia aliàs expendendi vnà cum iis, quæ de maiore, vel minore opinionum probabilitate tanguntur, præſentis enim inſpectionis non ſunt.

XXXV. Agitur præciſe de titulo Immaculatæ, *non Conceptioni ſed Virgini annectendo ex decreto Sacræ Congregationis ad mentem Gregorij XV. & Vrbani VIII. quod tamen hoc argumento adhuc impugnatur; ſi licet ſcribere, & typis mandare propoſitionem hanc,* Beata Virgo fuit immunis à culpa originali, *quare non licet ſcribere hæc verba,* Conceptio Immaculata ? *vel ſenſus eſt idem, vel non; aſſignetur ergo, in quo differunt; ſin minus, decretum reuocetur.*

XXXVI. Sed reſpondemus, hæc duo differre in modo ſignificandi; propoſitio enim quæ affirmat, vel negat, indicat ſenſum, vel opinionem priuatam proferentis, terminus verò complexus, præſertim verò epithetum ſeu attributum, importat Principis, vel Vniuerſitatis approbatiuum conſenſum; vt cum dicimus magnus Dux, aliud concipitur, quàm ſi dicatur hic Dux eſt magnus, vel Suarez eſt Magnus Doctor, aliud ſonat vox, magnus, *quàm vbi dicitur Albertus Magnus; enunciatio indicat ſenſum enunciantis; ſimplex prolatio illius termini,* magnus, *indicat communem & approbatum conſenſum: habet ratione modi ſignificandi energiam quandam, & eſt antonomaſticè dictum. Ità ſi liberè ſcribatur,* Conceptio Immaculata, *facilè cenſeri poteſt ex communi, imò ex Eccleſiaſtico conſenſu, ſtatui veritatem illius partis controuerſiæ; quod ante definitionem omninò fugiendum eſt; hoc autem in propoſitione non contigit, vt dictum eſt. quare fertur ad priuatam ſcribentis ſententiam; ideò rationabiliter vnum admittitur & aliud prohibetur.*

XXXVII. Diſcrimen hac ratione ſuadetur; nam termini ſunt principia ſermonum, in principiis autem omnes conueniunt; quæ ergo proferuntur per modum termini, videntur omnem Controuerſiam excludere. Itaque abſolutè Conceptio Immaculata vniuerſalem acceptionem ſignificaret, vel ſupponeret Conceptionis in primo inſtanti Immaculatæ; ità autem omnes ſentire nedum falſum eſt, ſed ex ſingulis Pontificum decretis liberum aliter opinari.

XXXVIII. Imò dato, & non conceſſo, quod non differant propoſitio, & titulus quoad ſenſum; adhuc tamen locus eſt illam permittendi, hunc verò prohibendi quod euidenter probamus: differunt idiomate tantum, non ſenſu, hæ duæ propoſitiones: Beata Virgo non contraxit maculam originalem: La Beate Virgine non ha contratta la macchia originale; *ex decreto tamen Pij V. prima propoſitio ſcribi poteſt, non autem ſecunda. Verba Pij ſunt hæc:* Nemo de hac ipsâ quæſtione cuiusvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu, vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat. *Sola ergo idiomatis differentia ſufficit, vt Pontifex ex duabus idem omninò ſonantibus propoſitionibus alteram permittat, alteram vetet, ad vitandas rudium & ſimplicium contentiones: ità ad eundem finem permittuntur quidem impreſſiones propoſitionis negatiuæ, ſed titulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur; nam licet eſſet*

idem

idem vtriusque sensûs, alia tamen est ratio tituli, quem & rudes omnes intelligunt, præsertim in librorum titulis oculis omnium peruiisqui facilè ex eorũ approbatione & impressione controuersiam decisam putabunt, & verè deciperentur.

XXXIX. Animaduertendum etiam obiter, quod quæ imprimuntur requirunt Superiorum approbationem; itaque res impressa non nihil ponderis, & auctoritatis ex imprimendi facultate sibi comparat; præsertim in Vrbe, vbi Magister sacri Palatij est immediatus Minister summi Pontificis; extra vrbem Inquisitores sunt Apostolicæ Sedis delegati; quæ ergo imprimenda concedunt, non definiunt quidem de fide, sed, ità roborant, vt ex Apostolicæ Sedis auctoritate publici iuris facta censeantur, nec ignari tantum, sed etiam viri docti in hac materiâ paulò feruentiores, quid argumenti non sumerent ex Romanâ impressione, si ex his quæ Concionatores in sacello Pontificio loquuntur, sibi ipsi non leuiter blandiuntur?

XXXX. Si in hac materiâ decretum sacræ Congregationis ad magni Principis instantiam reuocetur, vel infirmetur; obedientia, quam in reliquis consimilibus decretis exigit eadem sacra Congregatio, fortasse minuetur; hoc enim exemplo improbus quisque de eorum firmitate, vel reuocabilitate poterit dubitare.

XXXXI. Et si titulus vniuersaliter interdictus post modum in iudicio contradictorio concederetur, iam tubis inflatis victoriam principalem canerent ij, qui vel inuito summo Ecclesiæ Præside victores esse contendunt.

XXXXII. Demum hoc humillimè subiicimus, in re tam graui sola dubitatio sufficere potest vt vlterius innoueturs maximè cum nihil propter decisionem agendum superst.

ENVMERATIO ET BREVIS PONDERATIO errorum per nuperam Bullam sanctissimi Alexandri VII. exercitè saltem damnatorum in secundo Libello supplici oblato Sacræ Generali Romanæ Congregationi Inquisitionis, Typis edito à Cismontanâ Familiâ, initio Libri.

VANTVM autem opponatur ex dictis hic Libellus Nobilissimæ Bullæ, & quantum ea in omnibus ipsum damnet vide Lector perspicax: nam primo hic Libellus testatur & firmare vult quoddam decretum Sacræ Inquisitionis ad titulum Immaculatæ Conceptionis eijciendum ab Ecclesia, & illud vniuersali lege decreuisse notat: cum contra Sacrum diploma Pontificum eiusmodi titulo approbet vt dignissimum ex ipso suo titulo diplomatis, vt videri poterit conferendo §. 1. huius secundi Libelli cum Bullæ titulo.

In II. §. Asserit sententiam de Maculatâ & Immaculatâ in gradu probabilitatis retinuisse Pontifices, atque adeò fauisse vtrique cum soli Immaculatæ fauisse testatur Sanctissimus Alexander.

In III. 6. Dicitur Dominicanos diuersam classem ante Gregorium fecisse, & habuisse pro eodem celebritatem Conceptionis, & Conceptionis Immaculatæ, eámque reiecisse, & Sanctificationis tantum admisisse, & contra Diploma primam celebritatem imò secundam admisisse, vt per totum ipsum patet.

In IV. Habetur quod à Gregorio prodijt decretum vtramque sententiam in suâ probabilitate confirmans: cum quæ Gregorius XV. & Paulus V. imò & Pius V. decreuerint in hac re omnia in fauorem sententiæ de Immaculatâ decreuisse Sanctissimus Dominus Noster declarauit in suâ Bullâ.

In V. Notatur prohibitum vsum alterius nominis in Officiis ab illo Conceptionis non solis Dominicanis, sed cæteris omnibus, quasi verò nihil contra illos in hac re decretum à Gregorio pro Immaculatâ, cum contra definierit in fauorem eius hoc nomen solum vsurpari prout hîc decernitur in Bullâ.

In VI. Dicitur tempus fuisse, quod idem fuerit nominare Conceptionem, ac Conceptionem Immaculatam: cum Sanctissimus Alexander compluribus clausulis ostendat semper eodem sensu & verbis docuisse in hac re Ecclesiam.

In VII. dicitur Officium Nugarolicum non videri recitandum quia vtitur alio nomine ab illo Conceptionis: cum expressissimè in hac Bullâ approbetur, & confirmetur & falsum inuenitur quod Pontifices aliqua in hac re immutasse per sua decreta, cum cultus semper idem manserit ex decisione in hac Bullâ contenta.

In VIII. Audaciter asseritur quod vti nomine Conceptionis Immaculatæ est contradicere præcepto Gregorij qui vult solum vti nomine *Conceptionis* non illo *Immaculatæ*, cum Sanctissimus Alexander firmet hic Conceptionem celebrari tantum pro primo instanti animationis Virginis quod in idem recidit cum Conceptione Immaculatæ.

In IX. Confirmationes Pontificum, & Concilium Tridentinum attenerat solum habere pro scopo, & neutra opinio censuræ subdatur: cum in præsenti Bulla Confirmationes tendere appareat explicite ad confirmandum sensum Immaculationis Virginis, sub quo festum Conceptionis celebratum est in Ecclesiâ, necnon ad confirmandum Officium Nugarolis, quod hic Libellator reijcit.

In X. Iterum negat quod Concilium Tridentinum approbauerit Officium Nugarolicum, contra quod decidit hæc Bulla, quæ confirmat expressè quicquid gessit Sixtus IV. & Tridentinum declarauit id ipsum confirmasse quod statuit Sixtus.

In XI. Assumit quod si tale Officium Nugarolicum confirmatum fuisset à Tridentino, Pius V. recessisset à Tridentino dum commutauit illud in Officium Natiuitatis, quod ex eo vt falsum abiudicatur ab hac Bullâ, quæ tantumdem laudat Nugarolicum, & Vniuersalis Ecclesia approbat.

In XII. Officium expunctum ait à Breuiariô Romano, & proindè negat concessum eo tempore recitari à Pio V. Cum in hac Bulla firmetur hoc Officium ab omnibus Pontificibus semper receptum numquam reiectum, dum testatur nihil de cultu Virginis in hac re vnquam mutatum.

In XIII. Asseritur quod si Officium Immaculatæ Conceptionis concedatur scilicet Nugarolicum, & titulus Immaculatæ contra dicitur decreto Gregoriano cum istud Bulla statuat eidem Immaculatæ fauere.

In XIIII. Summa quasi lætitiâ dicitur hoc Officium expostulatum & negatum ab Vrbano VIII. Quod cum in hac Bullâ & per eam habitum sit, vel saltem æquiualens iam destructa omnia gaudia, & vota Libelli annullata, nec vlla spe adepta reuixere.

In XV. Officium Immaculatæ Conceptionis dicitur hic aliquibus temporibus concessũ, at pro Ecclesiæ sensu datum: quod negat Libellator, & adstruit in hac Bullâ Sanctissimus Alexander: & sic semper hæc Bulla perimit & frangit libelli huius dicta.

In XVI. Habetur non posse dici cultum in Ecclesia Sanctitatem quæ non sit definita & indubitata: cum ergo definita non sit sanctitas Virginis pro primo instanti non potest ea vt sic celebrari ab Ecclesia: & tamen hic res dicitur non definita, & explicitissimè asserit & declarat hæc Bulla quod Immaculata Conceptio Deiparæ celebretur ab Ecclesia etiam non definita, atque adeo vt falsum, & temerè dictum maneat quod ad hoc vt colatur vna quædam Sanctitas ea debeat esse definita de fide in Ecclesia. Vndè semper errat Anonymus: Vbi nota, vt sæpè aliàs aduerti, quod hic non dicimus quod Cultus Virginis secundum Sanctitatem in primo instanti Creationis sit definitus ab Ecclesia, sed definitum sit, & datum pro certo à Pontifice quod Ecclesia in isto sensu Immaculatæ celebret, an verò quicquid sic Ecclesia celebret de fide sit verum, est alia quæstio de quâ in sequentibus.

In XVII. Errat Anonymus contradicendo Pontifici dum vult sanctitatem cultam ab Ecclesia in Conceptione, esse sanctitatem dubiam, cum expressè eam vt certam tradat & excommunicat eos qui eam in dubium reuocant.

In XVIII. Ibidem errat dum concludit Sanctitatem Conceptionis Virginis quæ colitur in Ecclesia Catholica, non esse illam neque quæ in primo instanti neque eam quæ in secundo instanti ab aliis ponitur cum primum decernatur manifestè à Sanctissimo Alexandro.

In XIX. Damnatur dictum Anonymi ex Responsorio *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem* accipiendo nomen *Sancti*, vt eam afficientis, non pro primo instanti sed pro secundo vel pro primo aut secundo: cum Pontifex hic decreuerit sanctitatem affixam Conceptioni esse illam primi instantis.

In XX. dicit Anonymus sanctum & Immaculatum non æquè conuenire Conceptioni Virginis, quæ esto sit sancta, non est Immaculata, cum contra decisum sit quod sit sancta pro primo instanti Creationis, & posito quod sit sancta pro primo instanti creationis suæ, vtique erit Immaculata, & excludens originale, nec possit talis non esse; anima enim expers originalis in primo instanti ab eo; per totam æternitatem est ab eo libera & pro tali instanti omnino sancta.

In XXI. Doctrina item habetur de Indulgentiis concessis pietati, non sensui fidelium quæ opponitur ei quod contra declaratur à Pontifice in hac Bulla de iis Conceptioni Dei matris maximè traditis sub sensu emaculatæ quem maximè auxerunt.

In XXII. digreditur Libellator ad alia, de quibus non egit Pontifex in hac Bulla, quæ ex vi dictorum eiusdem Bullæ remanent damnata; & aliundè deiiciuntur vt falsa: & præsertim quod ex petitione & consensu indulgentiarum Epistolæ Virginis ad Messanenses, eius veritas firmaretur; nam nihil tale explicat concessio indulgentiarum eis data, vt scilicet illis approbet Pontifex quod ea Epistola sit verè Beatæ Virginis & in testimonium talis veritatis concesserit Indulgentias, & dictum hoc videtur etiam aliquo modo esse reiectum ab hac Bulla: quæ expressè tradit ex vi Indulgentiarum auctum sensum Immaculatæ Conceptionis, & per consequens agnoscit & supponit in eius confirmationem esse datas, quod non habere locum circa Indulgentias traditas Messanensibus per hanc Bullam potest constare, quia de hac Epistolâ nulla est mentio facta à Pontifice neque in hac nostra Bulla, neque in ea directa Messanensibus.

In XXIII. Asserit Anonymus Ecclesiam non respicere sensum, sed pietatem fidelium;

cum maximè Sanctissimus Alexander sæpissimè replicat in Bulla attendere ad eorum sensum eumque etiam ipsam confirmare.

In XXIV. Adducens Indulgentias dictæ Confraternitatibus Stellarij, quæ erant abrogatæ cum ipso Stellario hoc non notat, & cum dicitur ab Anonymo, [*Quorum Ecclesia sonet pietatem non respicit sensum fidelium*,] Et malè sic loquendo damnatur; dum etiam non retulit quod subreptitiæ fuerunt hæ Indulgentiæ, vt ostendit Cilmontana Familia; & Calderonius.

In XXV. Respondet Anonymus voto Monialium approbato à Pontifice, & ad defendendam & confitendam semper; & laudandam Immaculatam Conceptionem, soluendo id factum per respectum habitum ad pietatem earum, non ad sensum & titulum Immaculatæ Conceptionis datum ex Pontificibus in Bullis, quod contrarium est dictis Alexandri Sanctissimi qui in hoc diplomate hæc omnia tribuit sensui fidelium circa Immaculatam.

In XXVI. Ex admissione tituli Immaculatæ admissi à variis Pontificibus in Bullis, quæritur ab Anonymo quare is non debeat admitti in libris, & pro responsione.

In XXVII. Numerantur duo Pontifices nomine Innocentij, qui pro maculata expressè pronunciauerunt.

Vndè in XXVIII. Subditur non apparere rationem quare Innocentius X. idipsum non sequuturus sit quod dictos Innocentios quod dictum reprobatum manet, ex eo quod antequam fuêre Pontifices pro maculata Virgine pronunciauerunt in quibusdam suis sermonibus; Sanctissimus verò Alexan. in Magisterio Ecclesiæ constituens, & in Bullâ vndè apparet.

In XXIX. Notat Vrbanum in Bulla, *Imperscrutabilis*, noluisse dare Conceptioni Epitethum, Immaculatæ, & mandauit à meditata Bulla deleri, ex eo scilicet quod Bullam fabricans de suo id intermiserat; nec vnquam is contrarium Immaculatæ senserat, quia Sanctissimus Alexander hic dixit omnes Pontifices secundum eam pronunciasse, & ità licet Vrbanus pro ea cecinit.

In XXX. Notat Anonymus decreta Sacræ Congregationis Generalis emanata sub Vrbano VII. circa titulum hunc prodiisse Summi Pontificis ipsius mandato, quod omninò falsum est ex Bullâ Alexandri qui in hac re nihil cultûs Virginis immutatum esse in Ecclesiâ asseuerat in Bullâ.

In XXXI. Asseritur sequenda ab vtraque parte recentiora, supposita quod vetusta essent valdè plura pro maculante sententia: cui dicto opponitur illud Sanctissimi Alexandri qui pietatem laudans fidelium; antiquam eorum commemorat pro Immaculatâ non pro maculatâ sentientium; quo reprobat sola recentiora esse pro Immaculatâ, non antiqua.

In XXXII. Reprimitur sensus Basilienſis Conuentûs absolutè, quem circa Sedis attestationem antiqui sensûs Ecclesiæ, de Immaculatâ amplexus est Alexander Sanctissimus, & Anonymum deiecit.

In XXXIII. Conceptio Virginis actiua cum Græcis admittitur Immaculata, non passiua; & Menologij auctoritas dicitur quod si pro passiua sumitur, est deprauata, quo contradicitur antiquæ pietati de passiuâ asserta ab Alexandro Sanctissimo.

In XXXIV. Imperiti Concionatores ex nostris carpuntur & iudicio doctorum iudicantium traduntur ij qui vt docti ex nostris qui supradictam pro Immaculatâ pronunciant, damnatione digna promere censentur, licet non sic iudicata procedant in Ecclesiâ, id quod non de dictis nostrorum, sed maximè ex hac Bulla dicendum est de pluribus dictis Aduersariorum quæ si non reprobauit expressè Sanctissimus Alexander ex suo ipsorum dicto possunt æstimari digna damnatione, quanquam non explicitè damnata.

In XXXV. Obiectioni communi sensûs Immaculatæ, respondet Anonymus in aliis sæpè totam fere Ecclesiam extra Pontificem pro vna parte hæretica pronunciasse, cui contra scripsit hic Alexander VII. qui cum notasset, & absolutè affirmauisset omnes ferè Catholicos amplexos fuisse Immaculatam, ostendit ex hoc veritatem hanc esse Catholicam: & Anonymi sensum sic vniuersalem errorem admittentem in Ecclesia hoc suo dicto damnauit, cum impossibile sit quod eueniat vel euenerit in illa: & Alexander VII. dum confirmat dicta & acta præcedentium Pontificum & fidelium, hoc ipso Anonymo præcidit sua fossa in hoc §.

In XXXVI. Anonymus pronunciat hic eam agi de titulo Immaculatæ dando Virgini, non Conceptioni: contra quod Alexanderi expressè facit in hac Bulla quæ in omnibus semper apparet opponi hisce dictis; & rursum arguit hic Anonymus quod si licet scribere quod Beata Virgo fuit immunis ab originali quasi pro nobis, quare non licet scribere *Conceptio Immaculata*.

In XXXVII. Respondet in modo significandi hæc duo differre quia prima propositio exprimit sensum priuatum proferentis: secunda communem & vniuersalem; sic si dicatur de Suario, Magnus Suarez, intelligitur hoc dici ex sensu priuato, contra verò si dicatur Albertus magnus, hoc Epitethon ei attribuitur ex sensu communitatis: Vndè infert quod primum potest vsurpari libere per totam vniuersitatem hominum: secundum verò non ità liberè, & vt ab vniuersitate antonomasticè sic dictum; nam hoc secundo modo importare videretur vniuersalitatem.

Et in XXXVIII. Addit in hoc secundum dictum habitum scilicet per terminos, qui sunt principia sermonis & videri ait rem significatam tradere vt decisam; ità omnes debere sentire; & sic si dicatur Conceptio Immaculata propaletur immmunitatem Virginis esse receptam vniuersaliter apud populos.

Et in XXXIX. Subdit etiam si admitti debeat dictum, quod Virgo fuerit ab originali immunis: non propterea admittenda est assertio, seu terminus complexus Conceptionis Immaculatæ, quia sicuti propositio vna, Latino sermone admissa est tempore Pij V. sub ex communicatione autem prohibita est in vulgari siquis scripsisset *La Beata Vergine fu concetta con peccato originale*; Ita licere potest in casu nostro Conceptionem dici Immaculatam rectè prohiberi, non verò quod Virgo ab originali fuerit immunis.

Et in

Et in XXXIX. Aliam profert rationem prohibendi titulum Immaculatæ Conceptionis, quia ſi permittatur à Magiſtro Sacri Palatij imprimi, vel liberè prædicari, videtur publica eius auctoritate firmari, quod ei concedendum non eſt.

Et in XL. Concludit Anonymus quod ſi aliter fiat, & Conceptio Immaculata poſſit in triuiis conclamari, obedientia erga Sacram Congregationem Generalem minuetur, & dubitari poterit de eius firmitate & reuocabilitate.

In XLI. Subdit quod ſi concedatur titulus, buccis inflatis triumphum canerent pro immaculata ſentientes & exſibilarentur contra ſentientes.

Et in XLII. In re tam grani dicitur quod ſola dubitatio debet arcere ab omni innouatione.

Quæ omnia pronunciata Anonymi per hanc Bullam concidunt; nam vanum & futile eſt quod aſſumitur nomen Immaculati additum Conceptioni, facit hanc veritatem vniuerſalem, & oſtendit eam ab omnibus receptam, quia ſimile quid talia nomina feciſſent in controuerſiis aliis Theologicis, quod nunquam eſt notatum à Doctoribus & ſemper in Eccleſiâ Dei nata vna controuerſia non inuentus eſt modus dicendi de eâ vt vnus per aliqua verba exprimeret, veluti ex ſenſu communi, alter ex priuato, & hoc pronunciatum ab Aduerſariis eſt inuectum de tali vſurpatione nominis Conceptionis Immaculatæ ad habendam occaſionem dicendi quo liberè non eſt prædicanda immunis ab originali Conceptio Virginis: huic autem inuento & rationibus Sanctiſſimus Alexander vim fecit in hac Bulla, nam abſolutiſſimè in ipſo titulo Bullæ tradens ſanctitatem & præſeruationem Virginis ab originali ei competiſſe pro primo inſtanti ſuæ creationis, titulo Conceptionis Immaculatæ eam inſigniuit, & pro titulo ſuæ Bullæ præſtitit; & quaſi facto titulum ſibi tolli quæſitum, primo facto & maturè tradidit & confirmauit Deiparæ, & deſtruxit figmenta Anonymi, nec non prætextum quod ſententiæ ſibi oppoſitæ ex approbatione Magiſtri Sacri Palatij confirmationem quamdam Apoſtolicam obtineret; nam in hoc valdè falſus eſt, quaſi eam non mereretur, & quam illi negauit dictus Magiſter, de plenitudine poteſtatis dignatus eſt dare abſolutiſſimam Sanctiſſimus Pontifex qui faſſus eſt in hac re proceſſiſſe & ſcripſiſſe ſine vllâ dubitatione veritatis eorum, quæ exarcuit: & propterea dubietatem interdixit cuique qui vellet eam intrudere in Conceptionem Immaculatam, vt aliàs vidimus. Quo patet quomodo, hæc Bulla deiecit ferè omnia dicta connexa huic deciſioni, quæ pro Anonymis faciebant licet immerito, & magna ex parte ea damnata clarè reliquit. Vndè videri poteſt quantum egerit hoc grande Diploma pro Immaculato VIRGINIS DEIPARÆ Conceptu.

FINIS.